




BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
26 P
15

MORALES
COMMENTARII
In Statuta, & Constitutiones Summarias Ordinis Fratrum Minorum S.P.N. FRANCISCI de Obseruantia.

PER P.F. SANCTORVM DE MELFI

Romanæ Reformatæ Prouinciæ Theologum, ac Patrem, & in Sacra Lateranen. Pœnitentiariæ Præsidentem, elaborati.

OPVS, VARIA MORALI, CANONICA, CIVILI, Criminaliquè Doctrina refertum.

Omnibus Ecclesiasticis, Regularibus, Sæcularibusque Viris, nedum Franciscanis, vtile, & profuturum.

Cum triplici Materierum, & rerum præcipuarum Indice copioso.

In hac secunda impressione correptum, & auctum. Additionibus nonnullis Asterisco * notatis.

Ab A.R.P.F. Bonagratia Romano, eiusdem Prouinciæ Sac. Theologiæ Professore, ac Ministro Prouinciali, Olim Commentatoris discipulo.



Ad vsum Patris Ioannis Francisci a Placentia Saced: Capucc: Super: permiss:







VENETIIS, Apud Bertanos, M. DC. LXIV.

Superiorum Permissu, & Priuilegijs.

EMINENTISS. AC REVERENDISS.

PRINCIPI,

ET D. D.

FRANCISCO

CARD. BARBERINO.

S. R. E. Vicecancellario, ac Seraphici nostri Ordinis Protectori Vigilantissimo.

Fr. Sanctorus de Melfi Aeternam fael.



TSI ad commentandas Seraphicæ Religionis leges, torpentem calamum maiorum imperium excitauerit, atque adegerit; ad Patroni tamen electionem, cui meorum Commentariorum liber nuncuparetur, iure quodam impellente descendi. Quia cum Tu, Eminentissime Princeps, in Minorico sodalitio Protectoris officium, Correctoris virgam, & Gubernatoris Maiestatem sustinere digneris, habeasque ex munere illud præcipuè, vt Religiosos tibi commendatos, in suarum legum cultura continere possis; vtpotè quę à tuis antecessoribus, & à Te in generalibus Comitijs, tuo fælici tempore celebratis, omnes ad vnam conditæ fuerint; qui fieri poterit, vt ad alium, quam ad suum Protectorem pro tutela, ad suum Correctorem prò Censura, & ad suum Gubernatorem pro fæuore redderentur? licet enim operis, & authoris tenuitatem, Purpurę splendor, & Gentilitij stemmatis aculei tam altum suspicere non permittant: attamen quia splendori charitatem, & aculeis mella connectis, sciensque, quia concupisci potes, *amariores etiam Maiestatis succus excludis, libro, vt suo vteretur iure permisi. Vt tandem ad proprium Dominum officiosæ deuotionis census, & reuerentis, gratique animi testimonium sisteretur, Xersis exemplum, cui aqua manibus hausta objecutum aliquando fuit, sæculi tui gloria vsurpare non sinit. Quia sanctioris obsequij fluenta, ingeniorum scaturigines, ad Tui nominis Oceanum exonerant.* Sub vno enim Te spiritum, & vitam, & patriam studia receperunt, magnumque prouentum scriptorum, tui Principatus annus exuberat. *Fouente siquidem, & illustraute Ecclesiam, Sanctissimo VRBANO Patruo tuo, christiani Orbis iubare, non minus in omni eruditionis genere summo, quam in Apostolica potestate præcipuo, ingenia non florere, suauissimosq; scientiarum, & virtutum omnium fructus non progerminare, non possunt, qui Tibi deinde Vrbani Solis lucifero, ambitioso famulatu litantur: quos inter*

Plin. lib. 11. c. 6.

Plin. in Paneg. Traiani, & lib. 1. epist. 13.

a 2 ter

ter ingenioli mei primitiæ , licet è debili cespite exiles , quia tamen debitæ , tuæ benignitatis præsentantur adspectui , vt qui maturis , absolutisque compositionibus delectaris , scias etiam acerbas , dominationis iure cognoscere ; & leges , quas ipse tuleris , quamquam commentarijs auctas , censoria potestate recipere . Omnia enim tua censemus , quia ex Te commentandi nobis impertitur authoritas , & ideò ad *Protectorium* culmen , *per nos* refertur ambiguum , cui concessum est , leges condere , & interpretari. *Commentandi laborem libenter assumpsi , dummodo tibi Seraphico* Nomophylaci , *corrigendi , & approbandi prærogatiua supersit , cui diuina ordinatione concessum est Franciscanam Religionem S.R.E. pedibus substratam sistere , & cum suis legibus, omnes eius alumnos , vndiq; ad Te confugientes , paterna charitate complecti . Quod quàm sit verum .* Scis Tu , vt omnes excipis , vt expectas , vt magnam partem dierum , inter tot imperij curas, quasi per otium transigis : *adeò vt,* non vt alijs attoniti, nec maiestatis fulgore retracti, sed securi,& hilares, cum commodum est,conuenimus. *Quem patientiæ excessum, natiuæ benignitatis singularitate nobilitas ; quia* Beneficijs potiùs , quàm remedijs ingenia nostra experiris , hæretque lateri tuo quisquis accesserit , finemque sermoni , suus cuique pudor ; non tua licentia fuit. *Sed ne in re notissima , futuris tamen sæculis in admirationem transmittenda , diù immorer , eisdem benignitati, atque humanitati confisus , hasce Constitutiones , iure tuas, labore meas , Tibi , Franciscanæ Religionis Tutelari , dico : vt in Templo Minoricę iustitiæ , sub* B A R B E R R I N O *præsidio æternùm viuant .*

De compositione digestor. ad Tribonianum.

Plato de Rep. dial. 6. Suidas. Rodig. lib. 18. & 19.

Plin. Paneg. Traiani.

F. BENIGNVS AGENVA

Ordinis Minorum Regularis Obseruantiæ, & Reformatorum Cismontanæ Familiæ Commissarius Generalis, & seruus. Dilecto nobis in Christo Patri Fr. Sanctoro Melphiensi Prouinciæ nostræ Reformatæ Romanę Patri meritissimo, Lectori, & Concionatori Generali, atque ad præsens Sac. Lateranensis Pœnitentariæ Præsidenti, salutem.

CVm iuxtà Apostolicas, & Ordinis nostri Constitutiones reuisa, & approbata fuerint Commentaria in Generalia Ordinis nostri Statuta, à te collecta; Nos tenore præsentium, cum salutaris obedientiæ merito, facultatem tibi concedimus, quatenus seruatis seruandis, ea typis mandare possis. Vale in Domino, quem pro nobis exorare memento. Dat. Romæ in Conuentu nostro Aracœlitano, die vigesima quarta Maij. M. DC. XLII.

Fr. Benignus à Genua Commissarius Gen.

Approbatio Additionum.

EX Commissione Reuerendiss. P. Michael. Angeli à Sambuca, Ordinis Minor. Ministri Generalis; Nos infrascripti vidimus, & examinauimus Additiones nonnullas ad Commentaria R. P. Sanctori à Melfio, quæ de nouo imprimenda, correpta exhibuit P. Bonagratia de Roma Concionator, Lector General. ac Prouinc. Diffinitor: Et nihil iudicauimus contra fidem &c. Immò Regulæ, Constitutionibus nostris, & Pontificijs Sanctionibus valde consonis, vt prælo dari possint. In quorum fidem &c. Dat. Romæ in nostro Conuentu S. Francisci Transtib. die 25. Iulij 1663.


Fr. Angelus à Sirolo Concion. & Lector Generalis Sac. Theologiæ.
Fr. Franc. Anton. à Roma Concion. & Lector Generalis Sac. Theologiæ.


COncedimus facultatem iterum imprimendi cum Additionibus, præfata Commentaria, seruatis, seruandis &c.

Fr. M. Angelus de Sambuca Minister Generalis.

Operis

Operis, & Auctoris ingenium
AD LECTOREM.





SCITVM est, antiquorum leges, vt populo tanquam diuinæ sisterentur, & apud Vulgus authoritatem captarent, è cęlo acceptas referri. Sic gentium legislatores Zeleucus, Zeroastres, Minos, Trismegistus, Licurgus, Numa, ab ignotis originibus suas leges aucupasse finxerunt. *a* Sic Moysen (vt hac etiam maiestatis prærogatiua apud Hebræos commendaretur) inter fragores, & caligines, ad inhospiti montis verticem oblegatum, diuinam accepisse legem, sacra testatur historia. Vnde ad conciliandam, conseruandamque Religionis reuerentiam, vel adytis cultum, vel obscuris ænigmatibus, ac figuris veritatem, vel materialibus etiam *b* velis legum sacramenta clauserunt. Quid, si adhuc, post eductam è tenebris lucem, & erutam à priscis inuolucris claritatem, ipsemet veritatis assertor, in *c* parabolis sæpissimè locutus sit, & tonitru, ac *d* turbine vehementi, gratię legem sigillare voluerit? suam sponsam *e* fidei annulo subharrans, obscuro nimirum lumine fidelium mentes illustrans, vt *f* crederemus, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt. Licet enim signatam legem, & ligatum testimonium in *g* Isaia legamus: eandemquè Verbi incarnati oraculis, in Euangelio *h* declaratam audiamus; multa tamen intellectu difficilia, in manifesta veritate reperiri, spiritus paraclitus ad *i* suggerendum, & docendum missus, ac Apostoli, *K* diuinæ legis interpratæs, & præcones, clarissimè testati sunt: Adeo vt in lege veritatis, & luminis, per quam *l* docibiles Dei efficimur, adhuc opus sit, sacros doctores institui, qui vel priuatim, vel in generalibus Concilijs, ex diuinis oraculis (in quibus *m* Hæretici cuniculos ad ipsorum pernicem, defodiunt,) veritatem eruerent.

a *Exod.* 19. b *Exod.*26. c *Io.* 16. d *Actor.* 2. e *Oseæ.*2. f 1.*Corin.* 2. g *c.* 8. h *Luc.* 24. *Io.*16. i *Io.*14. k 2.*pet.*3. l *Io.*6. m 2.*pet.ult.*

Quid igitur mirum, si Ecclesiæ leges (prophanas oblego) & sanctarum Religionum instituta, quæ ab eodem veritatis fonte dimanant, à quam pluribus declarari indiguerint? mentiri non sinunt celeberrimæ, quæ clarissimos nactæ expositores; Basilium, Hugonem, Tritemium, Perez, Nigronum, Regularium legum facibus Dei Ecclesiam illustrarunt. Venio ad Minorici ordinis Regulam, & Constitutiones (quò nostrum dirigitur institutum) Illam enim à Christi Domini ore dictatam, & ex pura Euangelij medulla depromptam, nulla humanæ sapientiæ mixtura conspersam, apostolicæ *n* sanctiones, & eiusdem Religionis, fatentur *o* Annalia. Decuit enim, Virum, in corpore, in vita, in moribus Crucifixo conformem, Crucifixo etiam, in Regula, & in legibus conformari; easdem què declarationes nancisci, quas in Euangelio, & fidei sacramentis nacta est Ecclesia. Quod probatu non est difficile, nam sepositis particularibus minorici instituti expositoribus, Sanctis nimirum Bonauentura, & Bernardino: Beatis Io: à Capistrano, & Pisano; Clarissimis Alexandro de Hales, Gaufrido Parisiensi,

n 1. *exijt qui seminat de verb. significat. in 6.* §. hæc est minorum. o *Testam. S. P. Fräcisci.*

Io. de

Io: de Rupella, Roberto de Bastia, Ricardo, Hugone, Aureolo, Io: de Pechano, Vbertino de Casali, Io: Peirino, Gondisaluo, Hispano, Bartolo, & modernioribus, Corduba, Miranda, Bartholemeo Assisinate, Politio, Sanctio, Cypriano, Roufferio, Ximenio, & alijs inferioris notæ, qui in expositione Regulæ vtiliter desudarunt; Illam à summis Christi Vicarijs, pro eorum munere, ac pietate, declaratam reperimus, scilicet à Gregorijs IX. & X. Innoc. IV. Nicolao III. Clem. V. Sixto IV. Benedicto XII. Io. XXII. Iulio II. & III. & quidem tribus declarationibus, in corpore iuris insertis; & in tribus Generalibus Concilijs, (vbi de fide, & moribus agitur) Viennensi, Constansiensi, & Basileensi, ante defectionem ab Eug. IV. factis: Quod de alio regulari instituto, factum legimus nunquam. Quia & si de regula Sancti Benedicti in aliquibus Concilijs tractatum legamus; illa non generalia, sed prouincialia fuerunt, & potius aliqua monachis ordinarunt, quàm declararint formaliter institutum: Vt qui Minoricam viuendi Regulam, vel difficultatibus plenam, vel præceptis horridam, vel periculorum spinis impeditam censent, sciant, se ijsdemmet qualificationibus in Christi Euangelium esse censores, quod in tot generalibus ventilatum Concilijs, adhuc quotidianas difficultates ebullit, quæ pro tempore ad Petri cathedram alliduntur. Humana hominibus passim sunt obuia, diuina mortalium superant intellectum, & ideo opus est, vt ad superni luminis illustrationem, emergentes difficultates euacuentur, ne in Euangelicorum consiliorum obseruatione fallamur.

Et quidem circa Regulam ita laboratum; circa autem Costitutiones, quæ sunt regulæ murus, & antemurale, ex ipsamet, ex Euangelio, & ex sacris canonibus excerptæ (nisi particularem aliquam, quis incidenter declarauerit) nullus hucusque cogitationes admouit. Quod aduertens Reuerendiss. P. Benignus à Genua, post absolutum summum in ordine ministratum, nunc Tertiò Commissarius Generalis, pro suis in Religionem zelo, & pietate, pro Regularis disciplinæ faciliori, ac per fectiori obseruantia; vtquè Seraphicarum legum nostris, & exteris fundamenta paterent, mihi easdem commentandi, Prouinciam demandauit. Qui propriæ debilitatis oblitus, & si poeticum monitum, *Sumite materiam, vestris, qui scribitis æquam Viribus, & pensate diù, quid ferre recusent, Quid valeant humeri*, practica cognitione reuoluerem; grauissimorum tamen Patrum iudicium sequutus, iussis acquieui, mequè ad scribendum accinxi. dicerem spatio vnius anni cum dimidio opus absoluisse, si difformem partum excusaret præcoquam, & accelerata factura.

Quidquid sit, in præfixum scopum (ni fallor) collimasse sufficiet, qui fuit, vt Minoricas Constitutiones ad Diuinas, humanasquè leges reducerem, probaremquè, Seraphicam Politicam, nec latum vnguem a fundatissima, & Canonica ratione deflectere, quod est summum in legibus. nam vt inquit Tertullianus, *a omne genus ad originem suam censetur.* Quia *b Præscriptio ei tribuit authoritatem, quod antiquius reperitur, c Quod enim valde pretiosum est, quia est vnum laudatur, cum sit imitatio quædam eius principij vnius*. Qua ratione, iuxta S. Dionisium, *d Infimum per medium ad supr.ema reducimus*.

Euulgasse autem leges, quæ in penetralibus delitescere debuissent, & quidem non tantum, quæ sanctitatem promouent (vt fecerunt nonnulli) sed etiam, quæ pœnas, defectusquè concernunt, mouit Primùm, Minorici Sodalitij summa

a *De Præscrip. Hæret. lib.* 1.
b *Con. Marbion. lib.* 14.
c *Clem. Alex. lib.* 7. *Strom.*
d *C. Vnam sanctam, de maior. & obed.*

ma synceritas, quæ in Euangelio fundata, cum Christi Domini virtutibus; Apostolorum defectus publicare non refugit. II. Quia Respublica præmia, pœnasquè decernit, nam domus est, *e* aurea, ac fictilia vasa complectens, & *f* sagena ex omni genere piscium coadunans. III. Quia cum statuta minorica, Regularium manibus atterantur, placuit commentaria adnectere, vt *g probata laudem, vel damnata mereantur offensam*. IV. Quia sapientibus, & insipientibus debitores sumus; Nam *h Suspecta est lex, quæ probari se non vult, improba autem si non probata dominetur. Nulla autem sibi soli conscientiam iustitiæ suæ debet, sed iis à quibus expectat obsequium*. V. Quia fatalè est franciscanæ militiæ candidatis, regularia instituta reuoluere. Prostant Casarubios, Corduba, Sorbus, Rodriquez, Miranda, Portel, Hier. Rodrig. ex quibus ad regulares materias innumera depromuntur.

e 2. Trim. 2.
f Matt. 13.
g Cassiod. lib. sep.
h Tertull. Apolog. aduer. gent. c. 5.

Sed non ad solius Minoricæ Religionis vtilitatem, vigilatum est, quia Statuta Minorica, iuxta Religionis amplitudinem, ad vniuersam regularem, & ecclesiasticam politicam extenduntur, itaut hoc opus, panegyris quædam regularium quæstionum appellari non immeritò possit.

Moralia, aliquando documenta collegi, vt disputationum irrigaretur ariditas, haberetquè lector, quæ secundum intellectum, & affectum exerceperet: comportatis etiamdum difficultatibus; ab alijs vt plurimum examinatis, vt sub vnum aspectum, applicatæ constitutionibus haberentur. Quod si hoc fit, *Actum agere*, mihi nec vitio, nec laudi vertendum est, qui nec primus, nec vltimus scribo. Non scripturus, nisi eisdem elementis ad particularem compositionem vtendum fuisset. Primi præoccupauere materias, reliqui omnes ante ipsorum ianuas, micas præstolantur, si non rapiunt.

Censuras, occasione exigente, non dissimulaui, veritati obsecutus. extra tamen intellectum (vbi genitæ) ad voluntatem haud quaquam progressas. *Suos quisque patitur manes*, & quidem pro defensione, inculpatos, & innocuos. Satisfactum omnibus, stultus sum, si putem; paucis & optimis, sat est. Si nulli, (quod præter iuuandi voluntatem contingit) apud sapientiores esto iudicium, quorum correctioni, & emendationi, & in primis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Catholicæ censuræ libens me, meaque subijcio.

Monitum tandem te esse oportet, ne in statutorum Vallisoletanorum (quæ vt plurimum commentati sumus, citatione fallaris. Nos æditis. an. 1594. per Reuerendiss. P. Bonauenturam Calatayeronensem vsos fuisse: quæ cum fuerint per Congregationem Generalem Romanam an. 1642. breuitati, ac clariori methodo donata, recentioribusque decretis aucta, licet è germano sensu minimè immutata, fieri non potuit, quin in Titulorum, ac etiam verborum serie, vel coniunctionem, vel decurtationem senserint; quas in modernorum lectura, & eorundem cum veteribus collatione concies. Vale.

SVM-

SVMMA CONSTITVTIONVM,

Ac Statutorum Ordinis Fratrum Minorum S. P. Francisci.

Capitulum Primum.



EGVLÆ expositionem, vtpotè ab alijs fæliciſſimè tentatam, non attingimus: Conſtitutionum verò, eandem declarantium, pro instituti noſtri munere, conſiderationem aggredimur: quarum textum (vbi opus fuerit) integrum apponemus; quæ autem faciliora ſunt, breuitati relinquimus conſulentes. *Operis institutum.*

STATVTVM I.

Tanta ſemper fuit Seraphici Patris noſtri Franciſci ad Summum Pontificem, ad Sanctam Romanam Eccleſiam, & Prælatos, ac Superiores obedientia, vt eam ipſe imprimis exhibuerit, & ab omnibus ſui Ordinis profeſſoribus exhibendam docuerit, & præceperit. Quare, & nos piæ, ac humili Sancti Patris noſtri voluntati inhærentes, ad obedientiam ſupradictam, omnes fratres teneri volumus. Quia verò cui exhibetur obedientia, & reuerentia debetur.

Idcircò mandamus, quod si quis ore blasphemo, aut impudenter, vel irreuerenter de persona Summi Pontificis, vel summa eius dignitate, vel maiestate eius in terris suprema, vel de Apostolicis Constitutionibus, Decretis, aut Sanctionibus obloqui temere auserit, & de eo legitimè constiterit, Semestris pœna carceris, & alia grauiori, Superiorum arbitrio omnino puniatur.

§. 1.

Obedientia alijs Votis præponitur, & quare.

Ab obedientia) Iure ab obedientia initium sumitur, quia obedientia alijs consilijs Euangelicis antefertur. Quod ex primo Reg.c.15. *Melior est obedientia, quam Victimæ*; probat S.Gregorius *lib.* 35. *mor.* relatus 8.*q.*1. *c. sciendum. Victimis* (inquit) *iure præponitur, quia per Victimas aliena caro, per obedientiam verò propria voluntas mactatur*: quam rationem præmit *S.Thomas* 2.2. *quæst.*104. *art.*3. Vide S. Bonauenturam *de profectu Religios. lib.*2. *à c.*28. *ad* 41. *& in reg. Nouitiorum c.*13. *& in* 8. *collation. c.*3.*& in speculo Discip. c.*4.*& alibi sparsim*, S.Bernardinum Senensem *Dial.de obedientia, & in alio copioso tractatu de obedientia apud Firmamentum trium Ordinum*. Bartholomeum Pisanum, D. Io. de Pecano, & alios *super primum caput Regulę*, elicientes eminentiam obedientię ex illis verbis Domini Matt.16.*qui vult venire post me abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me*. Perfecta enim sui abnegatio, est obedientiæ regularis summa perfectio. Vnde in recensitione votorum essentialium. *Con. Tridentinum sess.*25. *de regul. c.*1. *& c. Exiui. de verb. signif.* §. *cum igitur in primis*. Obedientiam præmittunt.

§. 2.

Sum.Pōtifici obediēdum

Quæ Sanctissimo Romano Pontifici) *Trid. sess.* 24. *c.*12. *de refor.*§.*& in Romanę Ecclesiæ, &c. & sess.*25. *de reform.c.*2. §. *Necnon veram obedientiam*, & de obedientiæ iuramento meminit *S. Gregorius lib.* 10. *epist.* 31. & fundatur in Sacra Scriptura *Heb.* 3. *Obedite prępositis vestris, & subiacete eis, ipsi enim peruigilant, tanquam pro animabus vestris rationem reddituri*. Luc.10. *Qui vos audit, me audit*. Quod de Summis Romanæ Ecclesię Pontificibus declarat.8. *Synodus act.*10.*c.*21. *Rom.*13. *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, &c. Itaq; qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit*.

§. 3.

Blasphemare quid sit.

Ore Blasphemo) *Blasphemare est conuicijs incessere, obtrectare, impiè de Deo loqui, & creaturæ adscribere, quod Deo conuenit, vel ab illo remouere, quod illi cōuenit*, vt Ambrosius ait. Hinc illud *ad Tit.*2.

vt non

vt non blaſphametur Verbum Dei, inquit Hieron. relatus, 3 3. *q*. 3. *c. cũ caput. Verbũ Dei blaſphematur cũ vel contemnitur Dei prima ſententia, & pro nihilo ducitur, vel cum Chriſti infamatur Euangelium, dũ ſcilicet contra Legem, fidemq; naturę ea, quæ Chriſtiana eſt, & ea Lege Dei ſubiecta eſt, Viro imperare deſiderat.* Igitur os blaſphemum eſt, quòd Summum Pontificem contemnit, de eo malè loquitur, & ab illo aufert, quod illius eſt proprium, &c. quod peccatũ eſt contra Legem Dei Exod. 22. *Dijs non detrahes, & Principi Populi tui non maledices. c. cũ ex iniuncto, de Hęret. §. vltimo, & 23. q. 5. §. ipſis autem, & c. ſequenti. Si apud carnales*, & alijs capitulis. *Hoſtien. in ſumm. lib. 5. tit. de maledicis. fine.* Et Naturę, qua Summo Principi tenemur eſſe ſubiecti, ea ratione, qua ſi mulier principari vellet, vbi ſub viri poteſtate à natura eſt conſtituta, *Gen.* 3. *Summo Pontifici non obtẽperare, eſt cõtra Legem Dei, & Naturæ.*

§. 4.

Impudenter) Sine pudore, inuerecundè, qui voluntariè, ſcienterquè loquuntur. Vnde *l. 27. §. 1. ff. ad l. cor. de falſis*, impudens vocatur, qui duobus diuerſa teſtimonia præbuit, eſt enim ſignum amiſſæ humanitatis, quia *pudor* (ſecundum Ariſtotelem) *Eſt dolor animi de ijs, quæ dedecus videntur inferre, & de periculo in illud incidendi.* Et quia pudor pro exiſtimatione ſæpè accipitur, ac dignitate *l. 20. ff. de his, qui notantur infam. l. 25. ff. de procur. l. 1. §. item, aut per ſemetipſum, & l. 15. ff. de iniurijs, §. generaliter*, impudens erit, qui ſuę perſonę dignitate, & ſuę famæ exiſtimatione poſthabitis, de Superiore obloquitur. *Impudẽter loqui, quid ſit.*

§. 5.

Irreuerenter ſine honore) De Perſona Summi Pontificis, octaua Synodus, ideſt quarta Conſtantinop. *Act. 10. c. 21. Definimus neminem prorſus mundi potentiam, quemquam eorum, qui Patriarchalibus ſedibus præſunt in honorare, &c. Sed omni reuerentia dignos iudicare. Præcipuè quidem Sanctiſſimum Papam Senioris Romæ, &c. Sed nec alium quemcunque conſcriptiones contra Sanctiſſimos Patres Sen. Romæ, ac verba complicare, & componere, &c. quiſquis autem tanta arrogantia, & iactantia auſus fuerit inſcriptis, vel ſine ſcriptis iniurias quaſdam contra Sedem Sancti Petri Apoſtolorum Principis moueat, æqualem, & eandem, quam illi condemnationem accipiant.* nimirum Photius, & Dioſcorus, legendus eſt Tractatus, de Primatu Papę in primo *tom. con. pag.* 25. in quo authores ſupra 30. citantur, qui contra veteres, recentioreſquè hęreticos pro Papę primatu ſcripſerant. Summum enim Chriſti Vicarij primatum, & ſupræmam eiuſdem in terris authoritatem agnouerunt Conc. Nicenum, tum ſubſcriptione, tum can. 6. ſecundum, veram editionem, recitatam in *Concil. Calced. act. 16. & can.* 4. citato in *Epiſt. 2. Iulij I. Papæ*. Synodus Alexandrina *Epiſt. ad Fælic. 2.* Conc. Mauritaniæ, & tria alia Concilia Africæ Epiſt. ad Damaſum Papam. Epiſcopi Orientales, etiam ſi Arriani, in Epiſt. ad Iulium I. Græci in Conc. Lateranenſi ſub Martino I. qui eum vocant patrem patrum, & ter beatiſſimum, eiuſquè Sedem Summam nuncupant. Conc. Florent. in difinitione Sanctæ æcumenicę Synodi in fine, & ſeſſ. 25. Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 1. de reformat. verſus finem. ſeſſ. 14.

De Sum. Pont. irreuerẽter loquentes quã pœnã digni.

Primatus Papæ aſſertores

c. 7. & alibi passim cum patribus, qui frequentissimè ad id citantur.

§. 6.

Quid sit Constitutio, & Canon.

Apostolicis Constitutionibus) *Constitutio vel edictum est, quod tantum Rex, vel Imperator constituit, vel edidit. c. constitutio. dist. 2. Constitutiones autem Ecclesiasticæ, canonis nomine censentur; dist. 3. c. omnes.* Canones verò, alij sunt decreta Pontificum, alij sunt Statuta Conciliorum, siue Generalium, siue Prouincialium, authoritate Papæ celebratorum, vel confirmatorum. *Ibid. c. regula §. porro.* Generali enim nomine constitutio est ius, quod à Principe, siue Ecclesiastico, siue Ciuili conditur, diuiditurquè in Epistolas, Edicta, Decreta Rescripta, Subscriptiones, Adnotationes, Pragmaticas, Mandata Principis, *Gotifred. ad Rubricam. C. de Legibus, & constitut.* Quod enim Principi placuit, Legis habet vigorem; quia in Principem Populus omne imperium, & potestatem contulit. Sicuti in Summum Pontificem, omnem authoritatem, Leges ferendi contulit Christus, qui eum supræmum in Ecclesia sua constituit caput. Quare Constitutionum nomine hoc loco latissimè veniunt Bullæ, & Breuia, Ordinationes, Decisiones, Mandata, Præcepta à Summo Pontifice expedita, & ordinata, ac Decreta Sacrarum Congregationum Concilij Regularium, Rituum, Sancti Officij, & aliarum, quę decreta formant, ac publicant nomine Pontificio. An autem hec non publicata, vel interesse habentibus non intimata obligent, vimq; Legis habeant, controuersum est, nec vacat de hac re nunc disputare. Hoc vnum certum sit, quod constito legitimè talia decreta emanasse de D.PP. voluntate, illa venerari, & obseruare debemus. Lege *Rod. tom. 1. q. 11. art. 2. Del Rio Disquis. mag. lib. 6. c. 1. Sect. 3. fin. Zerolam in praxi Episcop. 1. part. 5. V. authoritas. Hier. Rodrig. resolut. 23. num. 1. & infra.*

Quid Edictum, Decretũ, Rescriptum.

Bullæ, & Breuia.

§. 7.

Sanctio quid.

Sanctionibus) *Sanctiones vocamus eas legum partes, quibus pœnas constituimus aduersus eos, qui contra leges fecerint.* Ait Imperator §. 8. *de rerum diuisio. Papinia. l. 41. ff. de pœnis.* Sancire enim proprie est aliquid Sanctum facere .i. consecrare fuso sanguine hostiæ, vt ex Virgilio, & Seruio, ac Tito Liuio tradunt. Vsurpatur autem pro decernere, vel constituere, vt ex Spiegelio refert Io. Caluinus in Lexico iuris, itaquè erunt Sanctiones omnes illæ Pontificiæ Constitutiones, vel Decreta, in quibus transgressoribus pœna irrogatur.

§. 8.

Obloqui, quis dicatur.

Obloqui) Est contra aliquem loqui, & quemadmodum cum illo expostulare, *Ex Spiegelio*, iuxta quam acceptionem loquuti sunt Diocletian. & Massimianus, *l. 10. C. de non numerata pecunia*, illis verbis, *Nec huic obloquitur, quod exceptio non numerata pecunia certa die nõ delata querela prius euanescat, &c.* Quod idem est, ac aduersari, & refragari. Vnde in hanc constitutionem peccat, qui loquitur, vel aduersatur contra ordinationes supradictas.

Teme-

§. 9.

Temerè) Temerè, duplicem acceptionem, & alleuiantem, & aggrauantem importat: Primò enim accipitur pro eo, qui facilè, & nullo adhibito consilio credit. Vnde Papinianus ait, *temeritatem facilitatis veniam continere, & ob idem nullam pœnam subire oportet*, vt refert Martianus, *l.1. ad S.C.Turpillianum*, vnde temerè facere est, inconsulta facilitate aliquid moliri, *l.41. ff. de recept.* Immò casu, satnè stultè, *Monach. in c. 1. n.12. de sent. excom. in 6.* quo sensu, temeritatis vocabulo pro fortuitis casibus eleganter vtitur, *Budæus, & Cicer. 1. Tuscul. Non enim (inquit) temerè, & fortuitò sati, & creati sumus:* Sed in hunc sensum non loquitur constitutio. Secundò, accipitur pro scienter facere, *Card. in Clem. 1. §. si quis, not. primo, de Statu Monach. Anchar. ibid. num. 15.* & propria voluntate, sine Superioris voluntate, *Gemin. in c. cum eum, qui §. insuper, de præbendis, Bartol. in l. 1. ff. ad Turpillian.* Ac consultò, & idem est, ac præsumendo, *Suar. tom. 5. disput. 4. Sect. 10. num. 3. & d. 23. Sect. 4. num. 29.* & cum contemptu legis, *S. Thom. 2. 2. q. 53. à 3. ad 2. cum Caiet.* qui aduertit, dum in Bullis Apostolicis dicitur, *Qui temerè fecerit, &c.* Non solum dicere præcipitanter, sed etiam ex contemptu legis, qui si desit, non infert penas sancitas: Vnde importat scientiam, aduertentiam, & deliberationem, ex superbiæ radice prodeuntem, & hic est, sensus, huic Statuto appropriatus, quem nisi videant Superiores, obloquentem in hac materia punire non possunt, idcoquè adiungitur.

Temerè.

§. 10.

Ausserit) Idest nullo pudoris, aut periculi metu perterritus nullo conscientiæ stimulo subductus, sciens se contra pontificios ordines loqui, ora laxat, &c. vt in *c. 2. de censibus*. Sic etiam audacter, pro temerè, impudenter, & liberius, quam par sit, accipitur ab Vlpiano *in l. 1. §. fin. ff. si par. hæred. petat.* Quare ad incurrendam pęnam Statuti. Primò requiritur peccatum mortale irreuerentiæ, & temeritatis mente conceptum. Secundò, actus exterior, qui pro tali iudicetur. His enim deficientibus, non erit hac pęna plectibilis.

Ausus, quis.

Quid si laceret, vel deturpet Constitutiones Apostolicas? Respondeo in eandem, & maiorem pęnam incidere, quia talis delinquit facto, vt qui Statuas Principis, & imagines Sanctorum deturpat, reus est læsæ Maiestatis, *ff. ad l. Iuliam maiest. l. vltima lib. 5. de maled. num. 1. & nu. 3.* dicitur puniri pęna mortis, etiam conatus, *cum fortius punienda sint crimina, quæ maximè sacratis hominibus inferuntur, c. cum fortius de calumn.*

Constitutiones Apostolicas lacerantes, & deturpãtes, vt puniendi.

§. 11.

Legitimè constiterit) Cum de punitione graui, & externa agatur, iuris ordo requiritur, *glos. & Abb. in c. consanguinei de re iudicata. Bartol. de clausulis instrument. clausul. 6. Seraphi. decis. 290. num. 2.* Iuris autem ordo est, vel per inquisitionem, vel per Accusationem,

Legitimè constare, quando dicetur.

vel per Denunciationem. *c. qualiter, & quando 2. de accusat.* in quo habiles sunt etiam inhabiles, & excepti. *Hostiens. in Summ. in c. Innotuit, de maledicis,* & importat veram, & plenam probationem, idest duorum saltem testium integrorum, vel confessionem Rei, praecedentibus, sufficientibus indicijs, vel semiplena probatione, idest dicto vnius testis, omni exceptione maioris. Nec placet sententia Cardinalis Tusc. *pract. conclus. tom. 3. conc. 305. num. 3.* citantis *Alex. cons. 119. num. 9. cons. 2. & Iason. in l. si quando col. 2. C. vnde vi,* qui ait non sufficere probationem priuilegiatam, vt per iuramentum *c. sicut consuetudo de probat. vbi dicitur ad iuramentum recurritur, cum aliæ legitimæ probationes deesse noscuntur,* quando in lege dicitur, *Legitime constiterit,* etiam si concurrat semiplena probatio. Sed requirit insuper probationem plenam idest per duos saltem testes contestes. Quia particula *Legitime,* hic apposita, solùm concernit ordinem iuris, quo seruato reus, qui constituitur, & in ius vocari potest. Potest autem, si contra illum laborent indicia grauia, cuiusmodi est semiplena probatio, quia potest reus constitui, & si fateatur, puniri pœna ordinaria. Modus enim iste procedendi, canonicus est, & in praxim in tribunalia inductus, ergo hic sufficit. Communiter enim Doctores, *cum glos. in l. 3. C. ad l. Iuliam maiestatis.* affirmant, posse reum torqueri, si contra ipsum militet dictum vnius testis, omni exceptione maioris, de principali facto deponentis, *Barth. Alex. Marsil. in l. 1. §. item Cornelio, & in l. Maritus, & in l. fin. ff. de quæstion. Michael Cifuentes in comment. super leges Tauri, in l. 29. col. 4.* & est communis teste, *Carrerio in sua practic. crimin. num. 100. V. primum, Roland. à Valle Angelus, & alij apud communes opinion. iur. tom. 1. pag. mihi 484. num. 25. & fol. 488. num. 84. & c. cum ad sedem, de restit. spoliatorum.* Dicit Innocent. III. spoliationem hospitalis Ierosolimitani factam ab Episcopo Cumano, non constare, nec per dicta testium, nec per confessiones partium, &c. *& c. cum super elect. de confessis.* Condemnatur tanquàm Simoniacus quidam, qui fuerat in iudicio confessus, quod denarios receperat, &c. Igitur confessio inducit pœnam ordinariam. Hęc autem iure elici potest, si semiplenè constet, &c. Nimirum per dictum vnius testis omni exceptione maioris confessio enim Rei, habita iuris ordine seruato, non solum est releuatio actoris ab onere probandi, vt tenuerunt *Bald. Paulus de Castro, Marsilius num. 74. in Rubric. C. de probatio. Io. Andr. Antonius de Butr. Abbas, Decius, Felin. ibid. Panorm. in c. vnicum, de Scrutin. Petrus de Ancar. cap. 1. de confess. lib. 6.* quam opinionem dicit communem *Iason. in l. cum te transigisse num. 9. C. de transact. & Alicatus, de præsumpt. 1. par. num. 6. in fin. & in l. cum te, V. necessaria, C. de transact.* Sed etiam verissima probatio criminis, vt optimè docuerunt *Salyc. in Rubr. num. 2. de probat. Iason. num. 11. Decius num. 8. in dicta l. cum te. Aretin. in Rubr. num. 18. de probat.* Quin veriorem, potentiorem, & probationem probatam appellant *Soc. Iunior. cons. 39. num. 18. lib. 2. Gramm. decis. 36. num. 66.* Immò maiorem quouis publico instrumento, *Aym. Cra. cons. 61. num. 3. & cons. 181. num. 4. Zasc. cons. 1. num. 4. lib. 1. Iacob. Menoch. de recuper. possess. num. 217. Nicol. Antonius Granat. lib. 5. c. 16. num. 9.* Vnde si delinquens fatetur delictum potest puniri, quia spontanea confessio sufficit ad condemnandum ex communiter scribentibus *in c. 1. de accusat. in 6. & ex Petro de Anch. in Clem. 1. de homicid. vt refert Leo Zambellus in suis regulis iuris crimin. c. 4. num. 17. pag. 42.*

Probatio per iuramentum.

Semiplena probatio dat aditū procedendi.

Testis vnius dictū sufficit ad torturam.

Cōfessionis iuridicæ vis.

fin.

fin. Qui *cap.9. in fin.ex dd. in tit.de delicto num.*15. affirmat quod concurrente querela partis, in transeuntibus sola confessio delinquentis sufficit, ad condemnandum. Et *Marsilius cons.29. num. 5. in* 1. Ait esse communem opinionem, quod spontaneè confessus præcedentibus legitimis indicijs, potest condemnari, etiam si processus inordinatus sit, *Mathes. singul.*53. *Brunus de Indic. & Tort. num.*21. *apud Foller. in praxim. num.36.* & facit plenam probationem, *l. si confessus, & l. fin.C. de cust. Reorum*, quam communem asserit, *Guido Papa decis.339. & alij, tom.2. commun. opin. pag.289. num. 29.* Et confessus habetur pro iudicato, *l.1. de confess. l. vnica, C. eod. l. postrem. ff. de re iudic.* Et confessio sponte facta est fortissima probatio, *l. generaliter, C. de non numer.pecun. c. per tuas, de probationibus, c. si Sacerdos, de off. ordin.* Confessus enim in iure habetur pro iudicato, siue pro condemnato, *l. post rem. ff. de re iudicata. l. 1. & 3. ff. de confess.l.1.C.eod.c.cum super extra de confess.vbi gloss.fin.* Nam legitimè constare est, quod à lege dictum, & approbatum est legitimum, *Petr. Ancharan. consil.*225.

§. 12.

Trimestris carceris) *In Conc. Tolet.3.c.1.* hæc habentur, *Maneant in suo vigore conciliorum omnium constituta, simul, & Synodicæ Sanctorum omnium Præsulum Romanorum Epistolæ, &c. Et qui præsumpserit, seueritate Priorum canonum distringatur:* Pelagius I. Papa *Epistola 14. Encyclica ad vniuersum populum Dei, de Fide Catholica*, dicit, *Sed, & Canones, quos Sedes Apostolica suscepit, sequor, & veneror, & Deo adiuuante defendo: Epistolas quoq. B. record. Cælestini, Sixti, Leonis, &c. Ad diuersas Prouincias, diuersis temporibus missas, inuiolabiliter me custodire profiteor*, idem confitetur Gregorius *lib.1. re gest. ep.24. relatus c. sicut Sancti Euangelij, dist.* 15. & Gelasius *c. Sancta Romana Ecclesia, ibid. in concilio Romano:* Sic etiam *c. Sancta octo concilia, d.16.* & Nicolaus Papa *c. si Romanorum, d.19. & c. Sic omnes. ibid.* Agathon Papa, & Nicol. I. *c. si decreta, d.20.* Henricus Scalteisen. Ordinis Predicatorum Inquisitor, in oratione, quam habuit in Conc. Basileensi, respondens ad tertium argumentum Bohemorum ait: *Qui vos spernit, me spernit, Luc. 10. ex quo sequitur diuinæ voluntati repugnare illos, qui decreta, & decretales, cæterasq; ordinationes aspernantes, tanquam authenticas renuunt recipere, & honorare*, & infra. *Nullus ab obedientia Papæ legitimè subtrahi potest, sicut nullus legitimè, se subtrahere potest ab obedietia Dei:* Qua scriptura fretus S. Hieronymus commentario Epistolæ ad Titum, & relatus *c. qui vos, 8. q.1.* infert, spernere Christum, qui contempta lege Apostoli Simoniacas ordinationes facit, & Gregorius IV. *c. nulli fas est. dist.9*, excommunicandos præcipit, inobedientes decretis, & mandatis Apostolicis, & in Concilio Carthag. 4. *c.57.* decernitur *Clericus maledicus maximè in Sacerdotibus, cogatur ad postulandam veniam, si noluerit, degradetur, nec vnquam ad officium sine satisfactione reuocetur*, vt dicitur *d.46. c. Clericus maledicus:* Specialiter *c. innotuit, de maledicis*, pœna arbitraria puniri mandantur Clerici, qui contra Romanam Ecclesiam obloquuntur, vt cæteris sint exemplo. Ac pœna extraordinaria, si criminaliter agatur, arbitrio Iudicis maledico irrogatur: *Instit. de iniur. § in Summa*, Maledici infames sunt, & ab Ec-

Honor debitus Concilijs & Apostolicis literis, ac pœnæ in transgressores.

clesia extorres, *6.q.1. c.deteriore*. *Hostiens. ibid. fin. num.* 3. Nemo enim Principi maledicere debet, *c.paratus*, 23. *q.*1. Et puniendus est, vt alijs exemplo sit. *c.Guilisarius* 23. *q.*4.

Hoc Statutum vetus est, vtpotè latum à P. Clemente de Monelia Generali electo in Capitulo Salmanticensi anno 1553. in quo speciali decreto fuit ipsi commissum, vt statuta dispersa contraheret, & de mandato D.Iulij III. & Cardinalis de Carpo Protectoris Ordinis, cismontanæ familiæ traderet obseruanda. In Capitulo igitur secundo, eisdem ferè verbis statuitur contra obloquentes Romano Pontifici, &c. Imponiturque pœna bimestris Carceris, quam crescente malitia, Vallisoletana ad trimestrem ampliarunt, & in statutis generalibus, & Papalibus factis in Capitulo Romano 1506. Sub Reuerendissimo Raynaldo de Cotignola Generali, ac eius Successore Reuerendissimo Philippo de Bagnacauallo: & Dominico Grimano Episcopo Albanensi, Patriarcha Aquileiensi Protectore Ordinis de mandato, & confirmatione Iulij Papæ II. capitulo primo, particula tertia, vbi præcipitur; *Vt omnes, & singuli fratres exhibeant, reuerentiam, honorem, humilem obedientiam, et firmissimam fidelitatem Sanctissimo Domino Papæ, et Sanctæ Sedi Apostolicæ:* Quæ verba accipiuntur à Martino Quinto in declaratione Regulæ capitulo primo. anno 1430. Immò à Statutis Farinerijs conditis, anno 1352. in Capitulo Generali Assisinate, sub Reuerendissimo P. Gulielmo Farinerio, in quibus nihil de suo posuit, sed omnia ex Statutis Narbonensibus factis à S. Bonauentura, tunc Generali, in Capitulo Narbonæ celebrato, anno 1260. vt habetur prima parte Memorialis ordinis, quibus nunc vtitur nostra, & Vltramontana familia sub titulo Statutorum Barcinonensium, & Segouiensium, tum de anno 1451. tum recentiorum de anno 1621.

§. 13.

Vel alia grauiore) Vt ex citato iure canonico, *c.Innotuit.de maledicis*. Desumptum appareat. Arbitrium autem Superiorum extendi poterit pro grauitate criminis, vel ad vlteriorem carcerationem, vel ad ieiunia, fustigationes, exilia, vel ad priuationem, non solum officiorum, quibus priuati sunt eò ipso, quod per sententiam carcerantur, sed ad priuationem vtriusque suffragij suspensionem a diuinis, & si enormis fuerit excessus, etiam ad triremes.

STATVTVM II.

Qui in Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, in Eminentissimum Dominum, Ordinis Protectorem, temerè ora laxauerit, carceribus mancipetur, & pro qualilate delicti grauius puniatur Superiorum arbitrio.

Cardi-

§. 1.

Cardinales) De Cardinalium dignitate quamplurimi agunt, multos citant *Cardinalis Albanus lib. de Cardd. Martinus Laudẽsis eod. Barbatia tract. de Cardin. præstantia. Turrecremata in Summ. de Ecclesia, Augustinus triumphus de potestate Ecclesiæ, Anton. 3. p. tit. 21. Barbosa in suis collectaneis Doctorum lib. 4. decretal. c. per venerabilem num. 47. pag. 542.* Illud certum est, Cardinales esse Apostolornm successores *Sixt. V. constit. 50. postquam.* Ecclesię columnas. *Leo X. constit. 7. supernæ.* Papæ membra, suique corporis partes, *c. felicis, de pœn. in 6. c. vbi periculum, de elect. in 6.* Primos post Papam in sessione, incessu, subscriptione, suffragio, *c. fundamenta, de elect. in 6.* Solos Papę electores. *c. vbi periculum cit. c. licet. de elect. c. in nomine d. 23.* & alibi Papæ coadiutores, assessores, consiliarios, quibus vniuersalis Ecclesiæ administratio nititur. *Trident. sess. 25. c. 1. de reform.* Ad scitos in partem sollicitudinis, & si non in plenitudinem potestatis. *c. decreto 2. q. 6.* cum alijs vulgatis. Sicut enim Moyses adsciuit sibi 72. Seniores Christus 72. Discipulos Apostoli Diaconos. *c. fundamenta cit. c. per venerabilem. Qui filij sint legitimi*, Ita Christi Vicarius asciscit sibi Cardinales quos hinc esse de iure diuino colligunt multi *Azor. 2. parte instit. mor. lib. 4. c. 1. q. 3.* licet probabilius sit esse de iure Pontificio, & humano, sed adumbratos in veteri testamento. Fratres, *c. per venerabilem, qui filij sint legitimi in extrauag. de elect. c. 4.* Ideo Cardinales appellantur idest, primarij, principales Ministri, & Senatores super quos, tanquam super cardines Cęlum Ecclesiæ, &c. versantur, & portę. Maximè autem authoritatis esse in tota Ecclesia Catholica supra Episcopos, Archiepiscopos, & Primates, ac etiam supra Reges: patet consuetudine, Petrus Damiano apud Iacobatium *l. 1. de concil. n. 252. & Petrus Greg. Syntag. l. 15. c. 4. Ex Eugenio IV. Epist. ad Archiepiscopum Cantuar.* optimè probant. Hinc Constantinus Magnus ait, *Volumus Ecclesiæ Romanæ Clericos Reuerendissimos singulos habere illud Sanctum culmen potentiæ, & excellentiæ cuius Sanctissimi Senatus Nostri adornantur Consules idest patricios fieri.* Vt in eadem Epistola, quæ videnda est, refertur. Vnde, & offendentes illos opera, consilio, fauore, &c. Læsæ Maiestatis rei, infames, diffidati, banniti, intestabiles; actiuè, & passiuè priuati beneficijs, & feudis censentur; Et in eadem Epistola, & in Bulla Cœnę §. 11. excommunicantur. Vt colligamus, alijs relictis, qua reuerentia Eminentissimos Cardinales prosequi; & qua pœna contrarium facientes plecti mereantur.

De Cardinalibus tractãtes.

Cardinalium encomia.

§. 2.

Protectorem) De Eminentissimo Ordinis Protectore, quem Regula c. 2. vocat *Gubernatorem, Correctorem, ac Protectorem*, deque illius in ordinem, ac fratres authoritate latè decernunt *Gregorius XI.* relatus in *Bulla 5. Sixti IV. in Bullario Rodrig. fol. 13. Iulius II. Bulla 8. Gregorius XIII. Bulla 4.* ac tractant Rodrig. *tom. 3. q. 42. art. 1. Corduba in c. 12. Regul. q. 2. & in additione ad compendium priuil. tit. Protector. Pisanus in c. 12. Regulę fin.* Qu od nimirum nullam aliam authoritatem, & iurisdictionem habet, nec in totum ordinem, nec in aliquem ex Fratribus, nisi dumtaxat in casu, quo tota commu-

Protectoris ordinis authoritas.

communitas Fratrum, vel Generale Capitulum, non autem Fratres aliqui particulares deuiaret ab obedientia Ecclesiæ, vel vnitate fidei, vel regulæ obseruantia, additis pęnis, ipso facto, suspensionis ab actibus legitimis, & officijs ordinis ijs, qui ad Protectorem tanquam ad legitimum Superiorem recurrunt pro obedientijs, & alijs similibus. Hęc autem vera sunt in iure communi: attamen, cum Summi Pontifices specialia breuia tradat Protectoribus pro tempore, standum est facultatibus, eisdem in talibus concessis, vt prudenter adnotauit Vuadingus *ad annum 1217. num. 7.* Refero paraphrasim Seraphici Sancti Bonauenturæ in illa verba, *c. 12. regul. Qui sit Gubernator, Protector, & Corrector istius fraternitatis. Qui* (inquit) *sit Gubernator in bonis agendis, Protector in oppressionibus alienis, & Corrector in delictis istius fraternitatis:* Quæ Hugo de Dina expressit breuius, *Vt Corrector* (inquit) *in repræhensione malorum sit, Gubernator in promotione bonorum.* S. P. Franciscus primum Protectorem Cardinalem Hugolinum Episcopum Ostiensem petijt ab Honorio III. monitus in somnis, quod pullos sub alis gallinæ congregatos defendere non potuisset à miluorum incursu, ni adfuisset magnæ alterius alitis præsidium, quod de Protectore interpretatus illum petijt, & obtinuit in Concistorio publico ijs Verbis, inter alia. *Quare Sanctitatem Vestram supplex oro, vt Dominum hunc Ostiensem, nobis dignetur pro Papa, & Vice tua concedere, &c.* Ita ex legenda, 3. sociorum, P. Lucas Vuadingus *anno 1217. num. 2. 3. & 4.*

Protector primus ordinis Cardinalis

S. P. Fräcisci, verba in Cõcistorio

Quidquid autem sit de Eminentissimi Cardinalis Protectoris authoritate, reuerentiam, & filialem obedientiam erga ipsius personam præfata regulæ verba summoperè nobis conciliant. Est enim Protector, Gubernator, & Corrector: *Protector*, opportuno defensionis clypeo, protegere debet, & sui nominis effectum procurare, vt inquit Gregorius XI. in citata Bulla, quæ incipit: *Cunctos Christi fideles*, data in Auinionensi *Diœcæs. 6. Cal. Iunij anno 3. sui Pontificatus:* Et idem est Protector, ac Propugnator: Vnde *l. 9. C. Theodos. de domesticis, & procurat.* dicitur, *Ii Protectores, armatam militiam subeuntes, non solum defendendi corporis. verum etiam protegendi Lateris nostri sollicitudinem patiuntur vnde etiam Protectorum nomen sortiti sunt: Et l. 8.* dicitur, *alij, vt indicio nominis apparet, familiarius militant, & sunt domestici Protectores, Gubernator* item affectus sollicitudinem præsefert: Vnde *Gubernator Nauis is est, qui sedens in puppi,* Clauum tenet, gubernacula tractat, & à quo Nauis regitur, *l. 13. ff. locat. §. si magister, & Varro lib. 8. de lingua lat.* Tandem *Corrector* idem sonat, ac emendator, ac Gubernator: *Vlpian. L. 1. de constitut. Principum, l. de omnibus, ff. de officio Præsid.* Igitur eum, qui nostro Lateri, purpuræ splendore armatus militat; qui Seraphicæ nauis ad clauum, apertis oculis sedet, qui nostra emendat incommoda, tantum abest, vt conuicijs, ac oblocutionibus impetamus, quin potius summis honorum obsequijs, & filialibus affectibus, prosequi tenemur: vt hinc pęna obloquentium elucescat, quæ est Arbitraria, carceris, ac vlterioris punitionis. Superiore quidem inferior, quantum Cardinali Summus antistes Pontifex, maior autem alijs, quæ in huiusce petulans genus hominum, fulminantur, Cuius grauitas inde conijci poterit, quod Iulius 2. in quadam sua Bulla, cuius meminit Compendium priuileg. *Sorbi V. Protector Ordinis, fine.* approbans literas.

Protectori quæ reuerentia debeatur

Protectoris munus

ras Gregorij, & Sixti citatorum, excommunicationem, ipso facto infligit contra non obedientes Protectori in pertinentibus ad suum officium, ibi expressum, &c.

STATVVM III.

Qui Episcopis, et alijs Ecclesiarum Prælatis obloquutus fuerit, itaut Populo scandalo sit, Superiorum arbitrio grauiter puniatur.

Tota hæc exhibendæ erga Episcopos, & Prælatos reuerētiæ ratio, & si in iure naturali, & diuino fundata sit, specialiter tamen dependet ab exemplo, & monito S. P. Francisci de quo canitur. *Præsbyterosquè monuit præcunctis reuereri.* Vnde Martinus V. in eiusdem regulæ expositione *c.* 1. ait, *& quod omnes fratres, vt dignum, & iustum est, reuerentiam exhibeant, & honorem, humilem obedientiam, & firmissimam fidelitatem Sanctissimo D. N. PP. & sacrosan. Sedi Apostolicæ, vt ex principio, & fine regulæ obligantur, cæterisquè Clericis, & prælatis, prout congruum est, & intentio fuit Sanctissimi Patris Francisci, qui Præsbyteros monuit præcunctis reuereri.* Quæ ad verbum translata deinde fuerunt in Statuta Papalia, & generalia facta sub Iulio 2. *c.* 1. *part.* 4. & in Generalia Vallisoletana *anno* 1593. *Episcopi reuerēdi ex monito S. P. F.*

§. I.

Episcopis) Episcopalis dignitas summa est in Ecclesia Dei, cui Regum fulgor, & Principum diademata, tanquam auro, plumbum, Cęlo, Terra, Spiritui caro diuinis humana, &c. Subduntur. *Amb. de dignit. Sacerd. c.* 2. *&* 3. *Chrysost. lib.* 3. *de Sacerdotio. Naz. or.* 17. *ad suos Ciues. c. Solitæ. de maior. & obedientia.* est enim summum honorum, qui hominibus tribui possunt. *S. Ignat. epist. ad Smirnenses,* & culmen dignitatum *c. Venerabilis. de præbendis.* Potestas ineffabilis, *S. Ephr. tom.* 1. *ser. de Sacerdotio.* Mediatrix inter Deum, & hominem. *Naz. apol.* 1. Res non humana, sed diuina. *Nissenus de vita Moysis.* Angelicum munus, quia mediat inter Deum, & hominem. *S. Thom.* 3. *par. q.* 22. *a.* 1. *ad* 1. *Chrysostom.* 2. *in* 2. *ad.* & alia multa, quæ colligit Barbosa *de officio, & potestate Episcopi Tit.* 2. *glos.* 1. *à nu.* 1. *ad* 5. ex quibus apparet, quo honore digni sint Episcopi in Ecclesia Dei. Constantinus Magnus summè eos veneratus est. *Euseb. de eius vita c.* 10. Clemens 1. *ep.* 1. *ad Iacobum fratrem Domini* vocat Episcopum, nauis Proretam, & Sacerdotes nautas. Eusebius Papa relatus 1. *q.* 5. *c. constituimus epist.* 3. *Episcopis Tusciæ, & Campaniæ,* vocat eos Ecclesiæ columnas. Alexander Papa *ep.* 1. *decretali ad omnes Orthodoxos,* eos appellat Ecclesiæ Actores, & dispensatores, æconomos. Luc. 12. ad Gal. 4. vt ex vetusto exemplari Vaticano legit Turrianus *lib.* 1. *adu. magdeb. cap.* 22. habetur enim inuulgatis. *Auditores.* idem dixit Stephanus Papa 1. *epist.* 2. qui addit etiam Defensores. Anacletus Papa *epist.* 1. vocat Apostolorum successores. *Episcopalis dignitas quanta.*

replica-

replicatum posteà in *Con. Flor. in instrum. Armen. & Trid. sess. 23. c. 4.* quà in re vide notas Seuer. binij ad epist. cit. Anacleti. Nicolaus 1. *Epist. ad Episcopos, & Archiepiscopos per Gallias constitutos*, hæc ait. *Ipsi* (Episcopi) *primi in Ecclesia, ipsi arundinem tenentes metiantur Sanctam Ierusalem, ipsi fabricæ Dei præsunt. Ipsi speculatores Ciuitatis Dei sunt, ipsi arietes, ipsi Pastores gregis Dominici, ipsi columnæ Domus summi Regis existunt tom. 6. conciliorum pag.* 571. in Concilio Valentiniano sub Leone IV. fine refertur lex Constantini Magni per epistolam ad Albinum Præfectum Prætorij, qua confirmantur, & inuiolabiles, sanctæquè haberi præcipiuuntur sententiæ quorumq; Episcoporum; ipso enim Imperatore maiorem Episcopum, & dicit, & probat Gelasius 1. *tom. de anathematis vinculo circa fin. tom. 2. concil. pag.* 648. Qua autem reuerentia digni sint. docet primò Euaristus Papa *ep. 2. citata* dicens. *Non est Episcopus à plebe, aut vulgaribus hominibus arguendus, vel accusandus licet sit inordinatus.* & infra. *Vnde si qui sunt vituperatores, aut accusatores Episcoporum, & reliquorum Sacerdotum non oportet eos à Iudicibus Ecclesiasticis audiri, &c.* quod refertur. *2. q. 7. si qui sunt.* cuius rationem reddit Thelesphorus Papa *ep. 1. decretali. Est enim Apostolicis scriptum institutis* (Rom. 1. 2. Cor. 12. Iacob. 4. 1. Pet. 2.) *alterius vitam nemo laceret, et de malo alieno os suum non inquinet, &c. & omnes qui aduersus Patres armantur, infames esse censemus. Patres enim omnes venerandi sunt, non respuendi, aut insidiandi. tom. 1. conf. pag. 76. & relatum est 3. q. 9. c. accusatori omnium, & q. 5. c. accusatores.*

§. 2.

Prælati qui appellantur.

Prelatis) In iure Prelati propriè dicuntur Episcopi, Archiepiscopi, & alij Superiores, Abbates, & alij Ecclesiastici Iudices ordinarij. *Abb. c. decernimus. de Iud. nu.* 16. minus propriè veniunt nomine Prælatorum, qui sine iurisdictione prærogatiuam, & honorificum gradum habent, vt Plebani, Decani, Archipræsbyteri *c. 1. de ætat. & qual. ordin. c. Romana §. etiam de for. compet.* & latè, etiam Rectores Ecclesiarum, *vt c. tua. de Clerico ægrot.* non tamen propriè dicuntur Prælati in Clem. enim *dudum §. in Ecclesiis.* Rector, & Prælatus separatim ponuntur. Hinc apparet propriè in iure, Prælatos dici Regulares, qui sunt Superiores Conuentuum, cum iurisdictione. hæc omnia ex *Azor. p. 2. lib. 3. c. 25.* quam doctrinam citatis iuribus, & authoribus amplificauit suo more Barbosa *de appellat. verborum vtriusque iuris. c.* 215. His autem adiungendi sunt Referendarij vtriusque Signaturæ, qui inter Prælatos numerãtur à Sixto V. *constit. 41. Quemadmodum.* Item Protonotarij Apostolici Participantes, & alij Sedis Apostolicæ Officiales, vt Datarius, Secretarij Congregationum, Concilij, Regularium, boni regiminis, Signaturæ, Breuium, de propaganda Fide, & qui de Collegio dicuntur, Assessor Sancti Officij, Auditores Rotæ Romanæ, qui Rocchetto, & Mozzetta vtuntur. Abbates, Commendatarij, alijquè, qui de iure, & consuetudine Prælati dicuntur, de quibus Leo X. in Concilio Lateranensi constit. 10. *Regimini vniuersalis Ecclesiæ.* Pius II. *constit. 4. cum seruare.* Sixtus V. *constit. 29. Romani Pontificis prouidentia. §. 16.* Paulus III. *const. 12. Romani Pontificis consueta benignitas.* Sixtus item V. *const. 74. Immensa æterni Dei.* hi enim de supradictis variè sanxerunt.

Quare

Quare obloquentes contra Episcopos, & Prælatos tam recensitos rei sunt constitutionis expositæ.

§. 3.

Populo scandalo fuerit) Modificat vtramq; constitutionis partem, quia de omnibus aqua est ratio, nec apparet, cur potius vni, quam alteri apponenda sit. *l.1. C.de liber præterit. l.3. §. si filius. ff.de liberis, & posthum. l.talis scriptura, §.fin. ff.de leg.1. Menoch. de præsumpt. lib.4. præsump.* 181.

Popul appellatione quid; censeatur.

Nomine autem Populi hoc loco veniunt omnes tam Nobiles, quàm Plebei, tam Ciues, quàm aduenę, tàm fideles, quàm infideles, tàm Clerici, quàm Laici, tàm Mares, quàm Fœminæ, quia licet in iure strictior sit populi appellatio, vt *l.plebiscitum. Instit. de iure naturali gen. & ciuil.* & multò magis in odiosis, vbi nomine populi in interdicto non veniunt Clerici, *c. si sententia, de sent. excom. in 6.* tamen cum agatur de populo in ordine ad scandalum, omnis ille venit nomine populi, qui scandalum pati potest. Pati autem possunt omnes, præcipuè debiles, & imperfecti, qui ex facto, vel dicto alterius ruinę occasionem accipiũt. *S.Thom. 2.2. q.43. art.5. & 6.* Licet enim omnes in peccatum labi possint, id tamen debilibus magis obuium est. An autem obloquens in Conuentu coram maiori parte Fratrum, sit punibilis per hanc constitutionem. Respondeo, quod non, quia nomine populi in odiosis, non venit Clericus, & minus Monachus, *c.Clerici, c.sententia. de sententia excommunicationis.* Et Conuentus non facit populum, & Communitatem quoad hoc, sed familiam quandam, vt dixit Ciprianus Cappuccinus *in sua exposit. regulæ.*

Scandalo debiles magis obnoxij.

Scandalum punibile est etiã si non patiatur actu.

Nec est necessarium, vt quis passiuè scandalizetur, idest in peccatum incidat ex verbis male prolatis, sed sufficit, vt verba ipsa sint ex sui natura inductiua ad ruinam, quia peccatum publicum ex sui natura habet scandali malitiam adnexam, quia de se est motiuum ad malum, *Azor. tom.2. lib.12. cap.16. q.3. Bannes. 2.2. q.43. art.4. Ledes. 2. tom. sum. tract.4. c.5. dub.3. Bonac. de peccat. disp.2. q.4. punc.2. num.41. Nauar. c.14. num.44. Ferdin. de Castro pelao prima part. tract.6. disp.6. puncto 4. num.2.*

Quia licet verũ sit non esse reum peccati mortalis, vel venialis scandali, eum, qui certò sciat audientes, vel videntes non esse mouendos ad malum, vt docent *Sanch. lib.1. decalog. c.6. n.10. Bonac. supra n.11. Io. Sanchez disp.46. select. n.11.* Pelatus cit. num.4. attamen hac certitudine remota, peccatum scandali commisit obloquens contra Prelatos, &c. & delinquenti incumbit probare, quod scandalum non dederit, cum in foro exteriori constet contrarium.

Scandalum punibile corã quot committendũ est, vt dicãtur populus.

Verum quantus populi concursus necessarius sit, vt in hoc statutum peccet, qui obloquitur, &c. non est ita compertum. Puto puniri posse, non qui coram duobus, vel tribus locutus malè fuerit, &c. paruus enim numerus populum non conficit, sed cætus multitudinis iuris consensu, & vtilitatis multitudine sociatus, vt dixit ex *Cicerone lib. de repub.* S. Augustinus *lib.19. de Ciuit. Dei c.27.* Nec sufficere numerum denarium ad conficiendum populum, firmauit Alciatus cõtra aliter opinantes. vide *Bart. in l. prætor ff. vi bonorum raptorum, & in l. penult. quod cuiusque vniuers. nom.* Sed qui coram multis id commiserit, qui in tali

ciuitate,

ciuitate, vel loco conficerent publicum, & notorium facti nimirum coram tota vicinia, vel maiori parte illius. *cap. vltimo. de cohab. Cleric. & mul. c. cum dilectus de purgat. can. in fin. 2. q. 1. c. de manifesta, & capitulo sequenti*. Cum enim simus in odiosis, & pœnalibus, non debemus interpretari statuta, nisi in strictissima acceptione. *c. odia. de regul. iur. in 6. Philippus Francus in c. Romana. de appell. 6. Aldor. V. Notarij appellatione lib. commu.*

§. 4.

Superiorum Arbitrio) Quoniam sępè de arbitrio Superiorum incidet mentio in his constitutionibus, vt semel intelligatur, quid nomine arbitrij Superioribus sit concessum, sciendum est, idem esse *Arbitrio Superiorum, ac arbitrio boni Viri*, vt ex multis Doctoribus, & Legibus firmat *Barbosa de clausulis vsu frequentibus. clausula* xi. vt nimirum faciat, sicuti vellet de Iure fieri de rebus suis. Inde hoc arbitrium, saltem in re pœnali regulatur à iure, vt pluries censuit Rota, ex decisionibus, quas multas affert idem, *clausula* x. vt nimirum non puniat Prælatus quoquo modo voluerit ad libitum, sed ex iure, ex cuius regulis plus minus elicere debet modū puniendi, non quod casus debeat esse expressus in iure, quia tunc non esset arbitrium, & esset inanis commissio, quia non cogitur hanc, vel illam sententiam dicere, sed quod sibi videbitur *l. qualem. in pro. eod.* Arbitrium enim dicere solemus, quod non lege, vel constitutione sit definitum, sed alterius arbitrio relictum, *l. fin. C. de contr. emption. l. 1. ff. de iur. deliber.* Præcipuè si is cui committitur habeat iurisdictionem ordinariam, vt ex Decio, & alijs decisionibus Rotæ loco mox citato probat idem Barbosa, sed quod eius sententia debeat esse, quantum fieri poterit, iuri conformis in alijs casibus similibus, hoc illi conceditur, quid sibi videbitur determinare. Arbitraria pœna dicitur, quæ non lege statuta est, sed Iudicis arbitrio. *l. aliud est Frauf. l. si qua pœna, ff. de verbor. signif.* Arbitratus enim boni viri nil aliud est, nisi æquitatem accipere, vt ostendit. *Oldrad. in tract. de iure, & æquit. ex Vlp. l. 1. ff. vsufr.* Vnde dum dicitur *Arbitratu tuo*, non debet accipi pro arbitrio libero, & absoluto, ac pleno voluntatis sed stricto *l. 75. & sequentibus. ff. pro socio. l. 7. §. 1. ff. de reb. dubijs l. 2. §. quamquam ff. de legat.* Sed pro arbitrio boni viri, quo solet exprimi. *Si arbitratus fueris, si iustum putaueris, & c. l. 75. ff. de legib. lib. 3.* Quod iuxta leges debet regulare. *Ceph. cons. 164. num. 12. Crauet. cons. 190. n. 1.* & ablegare prauum affectum, & calumniam, vt ex multis tradit *Ioann. Caluinus in lexico pag. 182. n. 70.* Quia malè arbitrari, & non arbitrari sunt paria *Iodoc. Damhouderius Burgensis in enchiridio parium iuris.* Sicuti similia sunt arbitrium, & iudicium ex eodem *l. 1. ff. de recipiendis arbitris, ex verbis Christi* Luc. 12. *Quis me constituit Iudicem, aut diuisorem super vos.* Tandem arbitrium Iudicis in maleficijs debet reduci, & restringi ad ius commune, nisi quo ad modum procedendi, & aliqua leuia. Communem dicit *Albert. in 3. part. Statutorum. q. 32. Clar. lib. 5. Sententia. § fin. q. 31. Cataldi. de Sindic. q. 109. & Amed. ibid. num. 145.*

Arbitrio Superioris, quid importet.

Arbitraria pœna quæ.

STATV-

STATVTVM IV.

Qui Miniſtro, aut Commiſſario Generalibus, non obedierit, trimeſtris carceris pœna, aut grauius eorum arbitrio puniatur.

Qui eiſdem rebellauerit, aut iniurioſis, vel irreuerentibus Verbis, illos publicè affecerit, ſuffragiorum iure Sexennio careat, ac ſemeſtris carceris pœna, vel grauius pro delicti qualitate mulctetur.

Qui in Prouincialem Miniſtrum, vel Commiſſarium huiuſmodi crimina admiſerit, carceretur, ac ſuffragiorum iure priuetur arbitrio Generalis.

Qui in Guardianum, vel Vicarium, vel quempiam grauiorem Patrem, vt ſupra, deliquerit, Prouincialis arbitrio, & ſecundum qualitatem delicti, punitioni ſubiaceat.

Qui pœnitentiam per Superiorem Localem ſibi impoſitam ſubire renuerit, de Diſcretorum Conſilio, et aſſenſu, trina monitione, etiam non præmiſſa, carceri mancipetur.

§. I.

Miniſter Generalis in toto ordine Seraphico vnus.

Miniſtri Generalis Sigilla, & præcedentiam Conuentuales prætenderũt.

Miniſtro) Miniſter Generalis in toto Ordino vnus eſt, ex *Reg. c.* VIII. *Vniuerſi Fratres, vnum de Fratribus iſtius Religionis teneantur ſemper habere Generalem Miniſtrum.* Vnus etiam poſt diuiſionem factam inter Conuentuales, & Obſeruantes, Leo X. Conſtit. *Ite, & vos in Vineam.* Alij enim non vocantur abſolute Miniſtri Generales totius Ordinis ſed Conuentualium, vel Capuccinorum, noſter autem abſolutè dicitur Generalis totius Ordinis Minorum, cui Sigilla Ordinis, & præcedentia ſupra omnes in Minorica Religione conceſſa ſunt, vt ex Leonina prædicta conſtitutione cautum, & praxi perpetua roboratum reperitur. Quod, cum Conuentuales conuellere niterentur. anno 1631. examinata cauſa ab Eminẽtiſſimis Congregationis Rituum Cardinalibus referente Eminentiſſimo Muto, confirmatum fuit; cuius exemplar refertur à P. Arturo in addit. Martyrol. Franſciſc. Vnitas enim corporis,

capitis

capitis vnitatem exposcit, vt imitata Minorica Familia Vniuersalem Ecclesiam ita vni subderetur capiti, sicuti Ecclesia ab vno Pastore gubernatur. Quidquid in contrarium scripserit Faber, tunc temporis Procurator Generalis Conuentualium.

Minister Generalis seruus, & Dominus

Hunc vnum Generalem licet Seruum totius Fraternitatis Seraphicus, humilisquè Pater appellet, Dominum tamen suum, vel moriens nominauit, ijs in testamento Verbis, *Semper volo obedire Generali Ministro, & illi Guardiano quem sibi placuerit mihi dare, & ita volo esse captus in, &c. quia Dominus meus est.*

Ministro Generali in toto ordine, vt Papæ in tota Ecclesia obediēdū.

Vnde ei deuotam reuerentiam Fratres exhibere tenentur. Ex primo c. Regulæ. *Et alij Fratres teneantur Fratri Francisco, & eius Successoribus obedire.* Quam, cum obedientiæ, Sanctissimo Christi Vicario, & Ecclesiæ Romanæ debitæ connectat, optimè intulit nuperrimum Capitulum Generale Toletanum de ann. 1633. ea ratione teneri Fratres obedire Generali, in spectantibus ad regularem obseruantiam, sicuti Summo Pontifici in concernentibus Christianam Religionem.

Ministri generalis authoritas sūma

Eius authoritatem plenissimam, ac summam in toto Ordine esse, affirmāt *Rodrig. tom. 1. q. 17. art. 3. Mirand. tom. 2. q. 7. art. 1. Concl. 1.* Vbi suo more omnia ex Roderico transcripsit, & præcipuè aduertentiam Nauarri *In c. nullum. 18. q. 2.* Vbi Pelagius Papa dicit, *Tota potestas Monachorum ad Abbatem pertinet. Tota* enim vniuersalitatem dicit, & nomine *Abbatis* intelliguntur ij, qui Abbates maiores appellantur, iurisdictioneq; quasi Episcopali gaudent, non de Abbatibus Localibus.

Minister generalis æquiparatur primatibus.

Qua potestatis plenitudine in vniuersum ordinem ditati, non solum æquiparantur Episcopis, *Abb. de pri. l. 6. cum glos. & glos. in Clem. de rebus Eccles. non alien. apud Rod. tom. 1. q. 17. art. 2.* & Archiepiscopis, sed etiam Patriarchis, & Primatibus. *Miranda tom. 2. q. 7. art. 1. ante 1. conclus.* quia sicut Episcopi vni ciuitati, Archiepiscopi vni Prouinciæ, & Patriarchæ, seu Primates (idem enim sunt, ex textu *c. 1. & 2. 99. d. & in c. duæ simul. de off. ordin.* nec inter eos dari realem differentiam, sed verbalem, firmauit *glos. in c. coram. de integr. restit. Cassan. in Catal. part. 4. consid. 9. in princip. Lancellott. de instit. can. lib. 1. tit. in princip. apud Barbos. de off. pot. Episcopi tit. 1. c. 6. num. 6.*) præsunt, ita, quia Generalis præest Prouincialibus vnius Prouinciæ, & Fratribus diuersarum Nationum, in toto Christiano Orbe dispersarum, meritò authoritatem quasi Patriarchalem habet. *Rodr. tom. 1. q. 12. art. 5.* ait Custodes sunt velut Episcopi, Prouinciales, vt Archiepiscopi, Generales autem, vt primates.

Minister generalis est Princeps in Religione.

Patriarca, & Archiepiscopus quid sint.

Princeps inuitis nō dominatur.

Itaquè ex *Rodr. tom. 1. q. 68. art. 3.* Generalis est Princeps in Religione, sicuti Archiepiscopus in sua Prouincia, & Primas, ac Patriarcha in sua iurisdictione, qui ideo appellatur Princeps Patrum, sicuti Archiepiscopus Princeps Episcoporum, ex *S. Isid. lib. 7. ethim. c. 12. & dist. 21. c. Clericos.* Conueniunt enim illi Principis conditiones. Primò enim in iure, Episcopus appellatur Princeps *c. si quis de maiorit. & obedientia.* Secundò regit Rempublicam minoricam ergo multò magis Princeps est, quam is qui ciuitatem regit *glos. & Cyn. in fin. C. de præscript. long. temporis Bart. in l. hostes. ff. de cap.* iste enim Princeps vocatur. Tertiò quia Princeps est, qui ex populi consensu regnat, esset enim Tyrannus si inuitis dominaretur. *Alciat. de verb. signif.* & in Principem compromisit Populus

pulus, & suis legibus se obligauit, *Cuiac. not. ad l.1. tit. de iure natur ali gentium, & ciuil.* Theophilus *in instit.* cum esse dicit qui imperandi potestatem à populo accepit, & Generalis ex electione. Quartò quia ex dictis, habet potestatis plenitudinem, sicuti apud Principem est summa rerum potestas in repub. *Rodin.1. de repub.l.8.* Et in c.8.Statut.ordinis dicitur Generalem habere *summam authoritatem*. Quod si dicas, Princeps solutus est legibus, *l.Princeps ff. de legibus, & l.digna vox. C.eod.tit.* & in nullo distare Principem à Populo, inquit *Cuiac. cit.* nisi quia Populus suis legibus tenetur Princeps legibus solutus est; at Generalis vel maximè est legibus Religionis adstrictus, secundum quas etiam deponi potest. Respondeo hoc est peculiare in Principe electiuo qui legib. reipublicæ subest. Inde Rex Poloniæ, Dux Venetiarum, &c. vel maximè legibus obligantur.

At plenitudo potestatis in Generali ad pauca se in Religione extendit, non enim potest Superiores instituere, officijs destituere sine causa, religionis ordines immutare, leges condere, &c. Respondeo id etiam oritur ex natura electionis. Ita etiam, quam multa supremi Principes non possunt, vt patet, *9.q. 3. c. per principalem, & C. si contra ius, vel publ. vtil.*

Sed tota authoritas generalis pendet à Capitulo Generali, vt in Capitulo Generali Romano anni præteriti 1639. decretum fuit, quod nimis deprimit authoritatem plenissimam Principis. Respôdeo etiam Reges aliqui antequam coronentur iurant obseruantiam legum Regni. Hinc enim colligitur esse principatum iustum, & Christianum, quod magis elucere deberet in Generali regularium, & minorum. Statutum autem factum fundatur in iure, quia Capitulum Generale est tota religio, quæ sibi caput constituit, & suis legibus muniuit, & penes Rempublicam residet tota, & suprema iurisdictio, *Rodr.tom.1.q.17.art.1.* Vbi *Ar.2.* probat iure diuino competere Prælatis iurisdictionem, pendentem scilicet à Capitulo Generali. Supremus enim Senatus æquiparatur Principi in concedendo, & in non appellando. *Angel.in §. cum autem, num.4.instit. quibus mod.ius pat.pot. soluitur apud Iodoc. Damauderium in Enchir. similium, &c.* At Sanctissimus Patriarcha in regula c.8. vocat Generalem, *Seruum* totius fraternitatis. Respondeo, & Christus Dominus venit non ministrari, sed ministrare Mat.20.& eiusdem Vicarius vocat se *Seruum Seruorum Dei.* hoc est Christianæ, & minoricæ humilitatis fastigium.

Hæc dixisse iuuabit, tum ad concipiendam reuerentiam erga Generalem ordinis, tum vt sciatur in quibus casibus delegata potestas à Generali subdelegari possit, cum sit delegata à Principe.

§. 2.

Commissario) Idem proportionaliter dicendum est de Commissario generali, qui Generalis authoritatem habet in sua familia, tamen sub Generali, vnde nec caput, nec princeps ordinis, nec potestatis plenitudinem sortitur. Verum ijsdem penis punitur, qui ei non obedierit, ac si Generali ipsi inobediens fuerit, ad coercendam petulantiam aliquorum, & ad conseruandam erga ipsum reuerentiam, cum fratribus, iure ordinario, ex Leone X. in citata bulla, presit.

§. 3.

Carcer quid sit.

Non obedierit) Ideſt dummodo contra animam, vel Regulam, vel ſupra eandem non præcipiant iuxta c.10. regulæ. *Vnde firmiter præcipio eis, vt obediant ſuis miniſtris in omnibus, quæ promiſerunt Domino obſeruare, & non ſunt contraria animæ ſuæ, & Regulæ noſtræ*. Videndus eſt Corduba in hunc locum *q.2. & 3.*

§. 4.

Rebelles quinam dici mereantur.

Carceris pœna) Carcer locus eſt ſecurus,ad continendos homines, vel ad cuſtodiam, vel ad pœnam, *C.toto tit. de Cuſtodia Reorum, & l.8. ff.eodem, & l.2.C.de exactione tributorum lib.10.cap.quamuis, de pœn. lib.6. Clem.1.§.duro. de hæret.* Hic ad pœnam ſumitur, nec dari poteſt, niſi prius conſtiterit de delicto.

§. 5.

Differentia inter contumacē, & rebellem.

Rebellauerit) Ideſt fuerit inobediens cum contemptu. *Bartol. in conſtitut. Imperiali Henrici 7. V. qui ſint Rebelles*. quos eſſe ait, qui arripiunt arma in eum, cuius iuriſdictioni ſubditi ſunt, vel qui fidem illi datam non ſeruant, & iuſsis magiſtratuum repugnant, in ſpectantibus ad ſuum officium. *Et Abb. in cap. Sane. de officio, & poteſtate iudic. delegat.* ad illa verba. *Rebellis, & contumax*. ait differentia inter contumacem, & Rebellem, eſt, *quia rebellis eſt, non ſolum, qui Domino ſuo naturali reſiſtit, ſed etiam cum Iudici non vult parere, vel ſuam iuriſdictionem impedit: Contumax verò is dicitur, qui non vult comparere ad citationem Iudicis. Et Iacobus Anellus in Additionibus,*dicit, *Qui non vult obedire officiali Principis,propter ipſum Principem, poteſt dici rebellis; ſecus ſi non obediat officiali, propter ipſum officialem.*

Rebelliū pœnæ.

Pœna Rebellium magna eſt, prouocat enim iram Principis, & vindictam. *Bald.in l.1. C. de ſer. fugit.* Rebellis Principi perdit priuilegia, & conſuetudines priuilegiatas. *Bald. titul. de pactis conſtant. in §. Nos Romanorum*, & alia quæ in additione Iacobi Anelli adducuntur. Immò addit *Barth. in extrau. qui ſint Rebelles*, quod rebellis impunè occidi poteſt, & poſtea probari quod fuerit rebellis; Quam ſententiam *Boſsius titul. de hæret. & titul. de crim. læſæ maieſt.* dicit eſſe communem, & practicatum fuit in Duce Vrbini, qui interfecerat Cardinalem Papienſem, quo caſu conſuluit. *Ruinus conſ.4. & Ferret. conſil.31.* Sed eandem periculoſam iudicat *Clarus, §. læſę maieſtatis V. hinc infertur*, & certè parum pia, & iuſta videtur, cum pœna delicti probationem ſupponat ex lege diuina, Eccleſiaſtica, & naturali; niſi aliundè notoriè conſtaret de rebellione, tunc enim Iuris ordo non eſſet adeo neceſſarius. Hinc conijciant ſubditi, quam graue ſcelus committant, rebelles ſe ſuis Generalibus oſtendendo, & Superiores quid arbitrari poterunt vltra ſemeſtrem carcerationem, & alias pœnas taxatas.

§. 6.

Iniuriosis, vel irreuerentibus) Iniuriosum hic sumitur communiter pro eo, quod contra honorem alicuius committitur solis verbis, vt conuicia, & contumelias dicendo, *c. olim. de iniurijs.* ibi *de damnis, & iniurijs.* & totus titulus, qui est de iniurijs, & damno dato. vt pateat iniurias, re & verbo constare posse. *Siluester V. iniuria num. 2.* inter verbales iniurias ponit compositionem libelli famosi, & alia huiusmodi. attamen cum extra verba sit, ad verba, & ad præsentem constitutionem non pertinet, quam restringere debemus, cum sit odiosa, eò vel maximè cum de iniuria, quæ fit manu pulsando, libellos famosos componendo, famam auferendo, &c. & de alijs damnis quæ non iure fiunt, de quibus *l. 1. de Iniur.* sparsim agitur per varios constitutionum titulos. Sunt enim hæc iniuriæ graues, non tamen sunt in hoc statuto comprehensæ. *Iniuriæ, re, et verbo fieri possunt.*

Et quidem de atroci iniuria hic sermo est, quia de persona summa generalis, & de publicitate sancitur. Si enim locus, & tempus adderentur, puta in platea, in Ecclesia, in Capitulo, in Refectorio, tempore iuris dicendi, missarum sollemnium, &c. esset numeranda inter atrocissimas, vt ex *Labeone, Pomponio, Vlpiano* declarat. *Io. Caluin. in suo lexico pag. 372. num. 58.* & consequenter grauissimè punienda, & distinguendum est etiam de verbis, quæ proferuntur, sunt enim alia alijs grauiora, ac propterea secundum illa applicanda est maior, vel minor pœna. *Iniuria atrox, & atrocissima.*

§. 7.

Publicè) Supra dictum est de publico, addo, constitutionem locum habere, vel maximè coram Fratribus, pœnes quos, maior pars Conuentus adfuerit, iniurijs Generalem impetenti: secundum hanc constitutionem puniri debet, & maiori sæueritate si id coram Sæcularibus committet.

§. 8.

Suffragiorum iure) Suffragium est vox, qua quisque voluntatem suam declarat de aliquo ad Magistratum eligendo. *Pompon. in l. 2. §. iisdem temporibus ff. de orig. iur.* Voce enim antiquitus suffragia ferebantur, postmodum ad libidinem potentium supprimendam. Gabinius primùm, tabellis suffragia mandari præcepit, & biennio post lex Cassia tabellaria secuta est, & tertio loco Carbonia ad quarum exemplum in ordine Minoritico aliquando voce, aliquando scriptis schedulis suffragia feruntur, vt in prima, & secunda nouitiorum disquisitione, in electione Guardianorum, & Abbatissarum, quæ voce fiunt. in Electionibus autem scripto suffragio proceditur, cum autem dare, & recipere suffragia non impeditis sit permissum, hinc absolutè loquendo, dum suffragiorum iure culpabiles puniuntur, de vtroque suffragio intelligendum est, cum enim lex non distinguit, neque nos distinguere debemus. *Suffragiũ quid sit. quomodo apud Romanos suffragari solitum.*

§. 9.

Prouinciales qui nam sint. Prouincialem, vel Commissarium) Prouinciales ministri sunt ordinarij Prouinciarum Prælati, ac Iudices, habentq; iurisdictionem plenam in suos subditos, legibus tamen regulatam. Commissarij Prouinciarum, qui vel in morte, vel in depositione, vel in absentia Prouincialium instituuntur, eandem, quam Prouinciales iurisdictionem exercent. Inde sicut ambobus par honor est debitus, ita in vtroq; iniuriosi, inobedientes, rebelles, pari pęna puniendos esse conuenit. Particula enim, *huiusmodi crimina*, ad omnia superius recensita refertur, cum omnibus suis qualitatibus, vt ex multis ad satietatem adductis firmat *Barbosa in lib. Dictionum vsu frequentium pag.* 247. *num.* 1.

Qui item Cōmissarij.

Huiusmodi, quam vim habet.

§. 10.

Arbitrio Generalis) Quæret aliquis, cur iniuriæ Generalibus factæ ab ipsis Generalibus vindicantur, factæ autem Prouincialibus, & Guardianis, non ipsismet, sed Superioribus respectiuè committuntur? Sunt enim, & isti Superiores Ordinarij. Et sicut Episcopi iudicant de iniurijs in se ipsos collatis, nec eas ad Metropolitanum remittunt, ita Prouinciales, qui quasi Episcopalem iurisdictionem exercent, debent de iure suas iniurias emendare, vt in *c. perniciosa. de officio ordin. Trid. sess.* 24. *de reform. c.*20. *Rodrig. tom.*1. *quæst.*36. *art.* 4. *Farinac. in praxi part.*4. *num.* 100. *Flam. de resign. lib.*3. *q.*11 *num.*19. *&* 22. In Capitulo enim 1. *de pœnis in* 6. conceditur. Archiepiscopis, punire subditos suffraganei, notoriè sibi iniuriantes. Et per alia iura adlegata per *Quarantam de potestate Archiepiscopi, num.* 21.

Ordinarius suas iniurias vindicare potest.

Quod si respondeatur, iniurias factas Prouincialibus, & Guardianis vindicari à Generalibus, & Prouincialibus respectiuè, ne ipsi sint Iudices in causa propria, quod ab omnibus tribunalibus exploditur. *Bald. in l. Senatus. in fin. ff. de officio Præsidis. Salycet. in l. vnica c. ne quis in sua causa Iudex. vbi Abb. in l. S. C. cons. num.*3. *ff. de officio Præsid. Clar. q.*39. *num.*20. *Farin. q.*77. *num.*46. Hoc enim militat etiam in Generali, qui in causa propriarum iniuriam Iudex esse non poterit. Et si distinguatur de facto notorio, in quo causæ cognitio non requiritur *c. manifesta* 2. *q.*1. *c. cum sit Romana, de appellat. cap. euidentiæ, & ibi glos. de accusat.* quo casu iudex offensus erit executor iuris, vt per *Innocent. & Zabar. in c. ex parte* 1. *de verb. signif. per Gemin. & Farin. in c.* 1. *de pęnis in* 6. & tunc non poterit, vt suspectus recusari *c. nouit. de appellat.* nisi excedendo modum in pęna taxa ta à lege, in quo non diceretur merus executor. Sed Iudex, & poterit, vt su spectus recusari, ex allegatis, per *Abb. in c. cum venissent. num.*8. *de iudic.* Nulla enim ratio patitur, vt quis iudicet in causa propria, cum sit res valde iniqua, & periculosa, vt in *Rubrica C. ne quis in sua causa*. Hic idem casus accidere poterit in iniurijs Prouincialium, & hac ratione poterunt, & ipsi esse Iudices. Quo etia m modo iudicare possent, si iniuriæ essent occultæ, probatæ tamen per aliquos testes in quibus procedere posset extra iudicialiter, per pœnitentias salutares, de quibus *in cap. & qui emendat. d.* 45. *cum glos. Abb. in dicto cap. cum venissent, num.* 12. Sed hæc ratio militat pro omnibus Prælatis.

Nemo Iudex in causa propria, quādo verū.

Et

Et non sumus in casu, quia constitutio loquitur de iniurijs publicis?

Respondeo ex scribentibus *in C. ne quis in sua causa iudicet*. Hoc axioma legale procedere. Primò quando causa ita est propria Iudicis, vt in ea sua propria persona, vt priuata, proprium commodum prætendat. Non verò, quando iniuriæ factæ sint iudici ratione dignitatis, & officij, tunc enim potest iudicare in causa propria. Iudicia autem, quando iniuria facta sit personæ, vel dignitati, afferunt *Roland. cons. 47. n. 7. vol. 2. Menoch. de arbitrator. casu 163. num.* 7. Secundo valet in Prælatis, Superiores cognoscentibus, non in Papa, Imperatore, Rege, Principe, Republica, vel alio, in ciuitate, & ordine Superiorem non cognoscente. Tertio currit quando factum non est notorium, at si fuerit notorium non militat, debet tamen pœna esse determinata à lege, non arbitraria. Quarto non valet, vbi adest consuetudo, quod Iudex in facto proprio possit procedere. Doctores videri possint apud *Barbosam in collectaneis ad librum 3. Codicis pag. 375.* Applicando igitur doctrinam difficultati, dico, optimo iure Generali relictam esse facultatem iudicandi de suis iniurijs, quia non habet Superiorem in ordine, quia suæ dignitatis, & officij iniurias corrigere potest, non autem personæ, quia non tantum adest consuetudo, verum, & lex, de huiusmodi causis iudicandi. Prouinciales autem, licet ipsis competere possint aliqua ex allatis, tamen quia Superiorem habent, & notam passionis propriæ effugere possunt, in suis iniurijs, se non debent immiscere.

Iniuriam factam personæ, aut dignitati, quomodo cognosci poterit.

Aduertant tamen Generales ex *lib. 3. comm. opin. pag. 381. num. 6. in fin.* quod de honestate debent causam alicui delegare, vt partialitatis, & proprij interesse notam effugiant.

§. II.

Guardianum) Guardiani sunt Prælati, *c. exiui, de verbor. signif. in Guardia. 6.* & Superiores locales, habentes in suos subditos iurisdictionem ordinariam, & dignitatem Ecclesiasticam, qualem habent Parochi, & Curati, ac proinde habent curam animarum, qui possunt eligi in Iudices Apostolicos. *Rodr. tom. 1. q. 12. art. 6.* cum eadem prorsus authoritate in toto suo Conuentu, quam habent Prouinciales in Prouincijs, & Generalis in vniuerso Ordine, nisi vbi fuerit eisdem imitata authoritas per statuta generalia ordinis. ita legitur in *Compendio priuil. V. Guardianus ex Clem. 4. & Sixt. IV. in Statuto Generalis Capituli Floreciaci anno 1493. apud Cordubam q. 4. in c. 8. regulæ, & in addit. ad priuil. V. Guardianus,* qui citat *Siluestrum V. Prælatus,* §. 2. & *Angelicam V. delegatus* §. 3. *Mirand. tom. 2. q. 19. art. 1.* qui eadem transcribit è *Corduba. & Ar. 3. & 4. con. 2.* Habent enim iurisdictionem à lege, nimirum à regula *c. 10. Fratres, qui sunt subditi, &c. vt obediant suis ministris*. nomine autem ministrorum intelliguntur omnes Prælati, vt omnes expositores regulæ affirmant apud *Cord. q. 2.* sicuti antiquitus nomine custodis veniebant etiam Generalis, & Guardiani ex 8. c. regulæ *ibi, alium sibi eligere in custodem*, idest Generalem, & vltra communem praxim à principio ordinis, conuincitur ex testamento B.P. Francisci, & *illi Guardiano, quem sibi placuerit mihi dare*; & ex multis bullis Pontificijs, in quibus de Guardianis fit mentio, tanquam de Prælatis localibus.

Guardiani sūt Prælati.

Guardiani appellātur aliquādo ministri.

§. 12.

Vicarij quinam.

Vicarium) Vicarij qui sub Guardianis familiam regunt: quia de ijs, qui in eorum absentia, tanquam veri Superiores locales, qui alio nomine, vel vocantur, vel vocari possunt Præsidentes, & eandem prorsus authoritatem habent, quam Guardiani, iam præscriptum est in persona Guardianorum, quorum appellatione veniunt omnes Superiores locales, ordinariam iurisdictionem habentes. *Rod. tom. 1. q. 12. art. 6.*

§. 13.

Patres graues.

Grauiorem Patrem) Grauiores Patres sunt, Patres Ordinis, & Prouinciarum, ij nimirum, qui Generales, vel Prouinciales fuerunt, Procuratores Ordinis, Commissarij Curiæ, Lectores Iubilati, Secretarij ordinis actuales, Custodes, & Diffinitores Prouinciarum, Guardiani Hierusalem, Lectores Generales actuales, grauiorum Conuentuum, ac Classici, celebresquè Concionatores. *Vallij. 1593. Neapol. c. 32. hac c. 8. multis in locis.*

§. 14.

Prouincialis Arbitrio) In grauiores patres inobedientia, vel rebellio committi non pótest, quia Superiores non sunt. Vnde de iniurijs, & irreuerentia contra delinquentes in ipsorum personas agendum est. Prouinciales personarum discrimina, iniuriarumquè genera considerare debent, vt pœnarum remedia prudenter, & charitatiuè accomodent.

§. 15.

Pœnitentia salutaris.

Pœnitentiam) Penitentiæ salutaris appellatione, ieiunium, disciplinæ, mortificationesquè in religione consuetæ veniūt, quas non acceptare in loco publico, ideft in Capitulo, vel Refectorio, nefas ducitur, quia sunt propria localis iurisdictionis tribunalia, vnde eas vel recusare, vel contemnere, inobedientiæ, & rebellionis in Superiores locales, peccatum est, meritò sub titulo inobedientium, & rebellium reponenda.

§. 16.

Generales, & Prouinciales poss sūt extra actum visitationis pęnitentias salutares imponere.

Superiorem localem) Siue Guardianum, siue Vicarium, siue Pręsidentem, & multò magis per Prouincialem, vel Generalem, qui possunt potiori iure, aliquando pœnitentias salutares iniungere, non solum in visitatione, verum etiam extra illam, dum sibi bene visum fuerit. Quod enim inferioribus conceditur de iure, non priuatiuo, conceditur etiam Superioribus cumulatiuo iure.

§. 17.

Renuerit) Pertinaciter, & obfirmato in rebellionem animo, quia cum carceris pœna, quæ grauissima est, talis renuentia puniatur grauis, & notaria esse debet, vt culpæ pęna conformetur. patet ex contextu,

quia

quia ad conijciendam inobedientiæ culpam, requiritur in religione trina admonitio, tribus discretis temporibus facta; cum ergo hic carceri tradendus iudicetur, qui pœnitentias subire renuerit, etiam trina admonitione prætermissa, signum est, quod renitentia pertinax esse debeat, obstinata, & rebellis, vt trina admonitione indigere non iudicetur.

Renitentia, quæ rebellionem, & inobedientiam importet.

Imponi autem debet talis pœnitentia in loco publico coram maiori parte communitatis, & in actione solemni ipsius, puta in Refectorio, vel in Capitulo tempore refectionis, vel culparum, secus talem pœnam non mereretur, quia cum in determinatis circa personas Generalium, & Prouincialium, requiratur publicitas, etiam in rebellione, in Superiores locales reperiri fas est iudicare, cum ex consuetudine tales pœnitentiæ, nisi in loco, & actione publicis non imponantur.

§. 18.

Discretorum) Non est sermo de discretis Prouinciæ, vel ordinis, qui sunt patres eiusdem; respectiuè, sed de Localibus, quorum consilio Superiores Locales grauiora negotia decernunt. Inutile enim esset statutum, si de alijs intelligeretur, quippe qui non in quolibet Conuentu reperiuntur. Qui autem sint, quotuè esse debeant Conuentuales discreti, non ita compertum est. Ex Senioribus, & prudentioribus esse constat ex Congregatione Generali Romana anno 1615. dum Guardianis præcipitur *Visitare Cellas Fratrum associatos duobus Patribus discretis ex Senioribus Conuentus*. Et in his eisdem statutis Vallisol. anno 1593. & antiquioribus, Legitur, *Pro singulis quoque Conuentibus Fratres nonnulli ex antiquioribus pro veteri, & probata consuetudine capitulari tabella, Discreti etiam notentur, quos in grauioribus negotijs Guardiani semper adhibeant, communique consilio, & consensu de quibus consuluerit, determinatio fiat.* & in Segouien. c. 7. §. 3. dicitur. *Numerus verò discretorum, & modus eos eligendi relinquitur ad dispositionem Prouinciarum.* Clarius statuta Prouinciæ Lugdunensis Recollectorum, quæ ex vetustis ordinis legibus collegerunt in fine 8. Capituli Ar. X Sic decernunt. *Statuimus, vt in singulis Conuentibus vltra diffinitorij Patres, & Vicarium, qui natiui Conuentuum discreti sunt, duo antiquiores Patres immediatè Guardianum subsequentes, Discreti conuentuales censeantur. Nisi alias de indicio Prouincialis essent inhabiles.* Quam determinationem laudo, quia Discreti, minus quàm duo esse non debent, semper enim in plurali numero nominantur. Diffinitores autem ordinis, vel Prouinciæ sunt discreti ex suo munere, maiores discretis localibus, & de ijs habenda est ratio in Conuentu, de quibus habetur in tota Prouincia, vel ordine, quia tamen ij non in omnibus morantur Conuentibus, satis est, si Vicarius, & duo Seniores, qui ex officio, & antiquitate discretionis, prudentiæquè suffragium merentur, discretorum Localium assumant officium. Sintque Guardianis Consiliarij, & assessores vt omnia cum consilio faciant, & post factum eos non peniteat. *Ecclesiastici 32.*

Discreti Conuētus qui, & quot.

§. 19.

Consilio, & Assensu) Consilia plurimorum sunt tutiora, *quia sincerius est iudicium, quod plurimorum sententia comprobatur,*

Consiliũ necessa-rium Prælatis.

batur.c.prudentiam.de offic.delegati.Anch.conf.157.& vbi plura sunt consilia, plurima est salus prou.14.& 24. Sapientia enim habitat in consilio prou.7. nam vt eodem lib.c.13.dicitur.qui agunt omnia cum consilio, reguntur prudentia, vt prudens modus regiminis Seraphicæ Religionis conijciatur.

Consiliũ excitat, non cogit.

Assensus sequendus est.

Verum consilium solum discretorum non sufficit, quia consilium si excitat ad deliberandum, non tamen obligat ad sequendum, *Sanchez de matrim.lib. 5. disp.34.n.24. Couar.in c.quamuis pactum.de pactis.l. 6. Bart.in l.cum pater. 77.ff. de legat. 2. Garzia reg. 10. num. 1. Menoch. de præsumptio.lib. 6. præsumpt. 34. numer. 25. & infra. Barbosa de axiom.Iuris axiom. 55. num.2.& alij apud ipsos* Ideò additur, *& assensu*, qui imponit necessitatem illum sequendi, & dat formam actui, qui non esset validus, si non sequeretur discretorum assensum, vt docetè ex multis iuribus, & scribentibus probat *Rodr.tom.1.q.30.art.16.per totum*, qui omninò est legendus Tenetur igitur guardianus exquirere vota discretorum, & sequi maiorem partem illorum, quod si negligat, & inobedientem carceret, reus erit indebitæ carcerationis, ac puniendus tanquam excommunicatus, vt dictum est, in praxi criminali, quia Religiosi personam temerè violauit.

An vbi requiritur assensus, possit in aliquo casu Prælatus sine illo procedere.

Quid si discreti respectu aliquo moti, nolint suffragium ferre in carcerationem, Verbis æquiuocis vtendo, vel tergiuersando, vel ignorantiam allegando, puta, quod non sciant conijcere, an talis sit dignus carceratione. Vel infirmitatem causentur, detrectentque conuenire ad locum discussionis. Vel casu eo die absentes sint. Vel euidenter pateat discretos ob peruersum affectum inclinare in defensionem Rebellis. Poterit ne in his casibus talem carcerare, non exquisito consilio, vel assensu? Respondeo primò, absentibus discretis, poterit duos alios ex antiquioribus ipsorum loco adhibere, eò vel maximè, vbi non fuerint in tabella capitulari nominati tales discreti. Illi enim, qui remanserunt, veri discreti sunt, absentibus alijs antiquioribus. Respondeo secundò dubia existente causa inobedientię, an mereatur carceratione puniri, & respondentibus discretis, se nescire iudicare, an talis carceratione sit dignus, Guardianus à carceratione abstinere debet, & trinam admonitionem præmittere, vt constitutio præcipit, quia vt est iniure expressum. *In dubijs fauendum est piæ causæ, & Iura promptiora esse ad absoluendum, quam ad condemnandum.* Respondeo tertiò existente notorietate rebellionis, quæ nulla valeat tergiuersatione cælari, ac cognita collusione Discretorum conspirantium in bonum publicum Religionis, quæ in subditorum obedientia radicatur, potest Guardianus carcerare rebellem, non exquisito consilio, vel consensu discretorum.

*Rod.tom.2.q.103.art.1.§.ad 2.dubium.*de hac difficultate ex professo agit, & dicit valere executionem rescripti *cum consilio, & assensu.* Si hæc non adfuerint, si id Prouincialis poterat ex se licet peccaret, & si teneat cum *Panor. c.ex parte de consilit* Si mandator ex forma mandati voluit requiri consilium, non tenet actus, nisi requiratur. *c. cum veteri. de elect.* Nec sufficere si illud petat post factum. *Cum Panor. c. cum veteri, & c.licet. de regul.* & quod sufficit exquirere per literas. Ratio est, quia Statutum respicit obseruantiam voti obedientiæ, cuius transgressionem puniri vult à Guardiano, Superiore ordinario, & proprietariam authoritatem habente in suo Conuentu, & adijcit consiliarios, non ad conferendam authoritatem, sed ad rectitudinem actus, qua deficiente, etiam si Guardianus peccaret, non obediendo, non propterea actus esset

set nullus, quia in Statuto non additur clausula annullatiua. Et hanc doctrinam dicit communem *Sanchez lib. 3. de matr. disp. 32. num. 1. & 3.* (Vbi multa adducit ad rem hanc facientia, de validitate nimirum matrimonij celebrati contra prohibitionem Episcopi, & Synodalium constitutionum) quia tale praeceptum non tollit iurisdictionem ordinariam, quam habet Guardiani, & Abbates de iure, licet sit à Statuto limitata, in eo scilicet, quod Guardiani carcerare aliquem non debeant, sed hoc Prouincialibus reseruetur, vt potè grauioris momenti: In eo enim casu valere epicheiam existimo. Ad id autem, quod de circunstantia dante formam actui dicitur, qua deficiente corrueret actus; Dicendum est, obseruari deberet, quando fieri potest, quia quę fieri non possunt, permittuntur, si per eũ actum, reditur ad ius commune, vt notarunt *Barth. & alij*, quos refert, & sequitur *Couar. 3. Variar. c. 6. num. 4.* Ius autem commune est, vt Guardiani tantam authoritatem in suo Conuentu habeant, quantam Prouincialis in Prouincia, &c. Vt optimè docuit *Rodrig. tom. 1. q. 17. art. 3. & 4.* Fuit tamen limitata hæc iurisdictio, vt valeat in certis casibus, qui corrigunt ius commune, ergo non est extra rationem, in aliquo casu vitare istam correctionem, & minus, quam fieri potest ledere ius commune. *l. præcipimus, C. de appellat.* etiam recedendo à propria significatione verborum. *Anton. c. cum dilectus, & ibi Imola. de consuetud. Abb. c. cum olim. de sent. & re iud. Felin. c. non potest eod. tit. Alex. cons. 85. num. 12. lib. 4. Gozadin. cons. 43. num. 2. Beroius cap. quoniam. num. 31. de iur. patron. Guttier. lib. 3. pract. q. 15. num. 43.* Et concluditur à simili, nam Guardiani habent iurisdictionem veluti Archipresbyteri *Rod. supra ar. 2.* qui in iure sunt ordinarij habentes iurisdictionem *c. fin. de off. Archipræsb.* & possunt carcerare Clericum delinquentem, & causam ad Episcopum referre. Ergo similiter Guardiani.

Guardiani authoritas in suo Conuentu.

Et quod totam dirimit controuersiam, est Statutum Generale Salmant. c. 7. & Vallisolet. c. item 7. in hæc verba. *Quod si tale delictum admiserit, propter quod pœnam carceris mereatur, declaramus, & decernimus, per locorum Superiores de consilio discretorum, posse tuto loco ne effugiat sub custodia detineri, donec per Prouincialem, quid agendum sit, determinetur.* Inter delicta tamen carceratione digna, & enormia, ponitur in eodem Statuto Inobedientia contumax. Ergo cum statutum Guardiano carcerare permittat inobedientem, de consilio, non autem de consensu discretorum, saltem illud primum declaratur, quod aliquando liceat sine tali consensu; & cum consilium non obliget, etiam sine consilio: Multa enim facta tenent, quæ fieri prohibentur.

Quod si instetur, Statutum proximè citatum non loqui de carcere formali, in quo nimirum Religiosus concluditur sine chorda, & Capucio, & eò ipso actibus legitimis intelligitur priuatus: Sed de loco custodię, ac Domo disciplinę ne scilicet effugiat, vt manifestè debet Statutum Salmanticense, *Possint eum detinere in domo disciplinæ ne fugam arripiat.* Et sic non sumus in casu. Respondeo id verum esse; attamen satis est pro declaratione eius, quod dicimus, quia illud Statutum respicit alia delicta, à rebellione in Guardianum, & ideò non est iuris Guardiani illa punire. Rebellio autem in ipsum est propria sui iuris, & ab illo punibilis carcere formali, propterea in alijs vti mandatur domo disciplinę, in hac, carcere formali, & ex alio Statuto, de pœna inobedientum vbi de formali carcere agitur. *De Discretorum consilio ponitur.* Vnde etiam aliud hunc

hunc sensum habere debet. Nec Discreti hoc loco sunt collegę Guardiani, quasi ijs omnibus tale delictum delegetur, quia Guardiani in hoc non procedunt vt delegati, sed vt ordinarij. Habent enim facultatem à iure. Tandem sicut in Statutis mandatur, vt iudicijs contentiosis assumantur assistentes, tamen si Iudex cum solo Notario dicta Testium, vel rei exciperet, non propterea processus esset nullus. Ita in casu nostro.

Rebellis notorius nō est audiendus in suis defensionibus.

Quęres hic cum agatur de carceratione, quæ pœna grauissima est, à qua releuari non potest, nisi à Capitulo Prouinciali, vel à Generali, est ne ante carcerationem audiendus ipse rebellis, vt se defendat. Respondeo negatiuè ex eodemmet Statuto citato c. 7. dicente de huiusmodi carceratione. *Hoc tamen intelligimus, vbi delictum sit rei euidentia manifestum*. Notoreitas enim peccati omnes iuris solemnitates excludit, rebellio siquidem ista supponitur commissa coram Guardiano, qui est Iudex, & coram Fratribus in communitate existentibus, quæ est definitio notorij, *glos. in c. Deus omnipotens*. 2. *q*. 1. ac proinde oretenus informationes sumi debent, & incontinenter puniri. Nec opus est id fieri statim, vel ipsa hora, sed sufficit fieri intra triduum; quia etiam intra hoc tempus dicitur incontinenter fieri ex *Bart. in l. cum ff. de nouat. de legat. numer*. 2. Nec opus est procedere ordinariè. *Capistran. in capitulo tua nos, de Cohab. Cleric. & mulier. numero* 10. Nec reum examinare, quia etiam si pertinaciter neget, puniri debet. Et delictum supponitur tale, quod nulla tergiuersatione celari valeat, nec defensiones acceptare, quæ in notorijs non requiruntur, cum nullum sit defensionis caput.

Incontinenter, quantum duret.

Debet tamen Guardianus ante carcerationem in scripis redigere notorietatem rebellionis, describendo scilicet factum cum subscriptione Fratrum, & consilium, ac Consensum Discretorum, vel eorum renitentiam, aut auersionem à ratione, & factum ipsum carcerationis in forma, vt rei testimonium remaneat, & suę processionis modus, Prouinciali in omnem euentum ostendi, possit, quem de omnibus certiorem facere debet.

Rebelli pœnitēti an ignocēdum.

Quęres adhuc an post rebellionem iam patratam, si reus in se reuersus confiteatur culpam, & paratum se ostendat ad faciendam pœnitentiam Guardianus possit hoc non obstante, illum incarcerare? Respondeo primò posse, quia subsequens pœnitentia non emendat delictum in foro exteriori: iam enim est commissum, ergo pœnam meretur. Sicuti si quis hominem occideret, & postea de homicidio doleret non propterea homicidij pœnam effugeret. Respondeo secundò debere ex charitate, & ęquitate deliquentis retractationem, ac pœnitentiam acceptare, illumquè seuera reprahensione coram Fratribus corripere. hęc enim sunt Patris viscera, reuertentem filium, etiam si rebellem, & votorum decoctorem, charitatis amplexibus excipere, suæ iniuriæ immemor, disciplinę regularis rupturam, verbis, non verberibus resarcire. Lucrabitur sine dubio Fratrem suum, paci suæ familię consulet, apud maiores Prælatos benè audiet, & per iter, communi, ac laudabili praxi calcatum abibit.

* Rodriq. supracit. de pręfata difficultate ex professo agit in persona cuiusdam Prouincialis cui, inquit, à Nuntio Apostolico commissum fuit quoddam suę Prouincię negotium exequendum de consilio, & consensu Diffinitorum. Et ipse Prouincialis ex causa graui commisit suas vices: & dicit valere executionem rescripti cum consilio, & assensu. Si hæc non adfuerint, si id Prouincialis

Operātes sine consensu de-

pote-

poterat ex se, licet puniri posset, similiter, & Guardianus. Sic tenet ex Panorm. Prelato.

bitò quādo punia-tur.

§. 20.

Trina Monitione) Vt omninò charitati consulatur, & sacris Canonibus, vbi permittitur, adhæreatur, inobedientem Seraphica Religio non decernit, nisi trina admonitione præmissa, cum in contumacia perseuerare conspiciat. Sic enim ex Vallisolet. an. 1593. & Salmantic. antiquioribus cap. 8. hęc eadem Statuta cap. 7. decernunt, *Pœna contra inobedientes est carceratio, & actuum Legitimorum priuatio, si inobediens debitè monitus, in contumacia perseuerat, Dicitur autem contumax, quando trina monitione eodem die, congruis internallis præmissa, per diem naturalem inobediens existit, vel quando ita pertinaciter recusauerit, vt de Discretorum Consilio Carceribus, mancipari debere videatur.* Sic etiam Ecclesia non excommunicat, nisi trina admonitione, vel citatione præmissa, vt inde contumacia appareat. *gloss. in c. Statuimus V. monitionem. & c. constitutionem. §. statuimus. de sent. excom. 6.* & contumax posset excommunicari sine alia citatione. Vt dicunt *Inn. & Abb. c. 1. de indic.* apud *praxim curię Archiep. Neap. c. 26. fine.* Est enim contumax, qui tribus edictis positis aut vno pro tribus comparere, vel parere contemnit *l. 5. ff. de pœnis l. 7. 8. C. quomodo, & quando, iud. l. contumacia. ff. de re iudic.* Vel qui superioris, siue Prętoris decreto non obtemperat, & aliquid facere iussus, non paret. *l. 1. §. propter casum. ff. de postulat l. 3. §. condemnatio. ff. de tabul. exhibe. l. 40. & 49. De admin. tutel. l. 19. ff. de dolo.* Et licet omnis inobedientia in re graui, &c. Sit peccatum mortale, cum non sit artis omnes defectus impedire, solum punitur contumaciter inobediens, qua ratione etiam tales excommunicantur. *cap. nullus. c. nemo Episcoporum. 11. q. 4.* respicit enim immediatè authoritatem Superioris, vnde definitur apud *Siluestrum V. contumacia num. 1.* Inobedientia voluntaria, qua quis monitionem Iudicis implere contemnit, ex *c. 2. de dolo, & contum.* Contemptus igitur, cum obfirmatam in non parendo voluntatem ostendat, non indiget trina monitione, vt contumax declarari possit. Quare his monitionibus relictis, ad pœnam contumacium, & inobedientium deueniri iure potest. Sicut enim potest in fauorabilibus fieri vna monitio pro tribus, ita inobedientia potest, vna pertinax, & resoluta, æquiualere tribus, & fieri contumax.

Inobedientiam trina declarat monitio.

Contumax quis dicendus sit.

Dies autem naturalis, quæ contumacem demonstrat, spatio 24. horarum concluditur, ad distinctionem diei artificialis, quæ contraponitur nocti Ponitur vna dies ad summum, qua non finita, non poterit contumax declarari Attamen fas erit Prelato dierum spatium, ad commodiorem resipiscentiam dilatare. Hoc enim illi non est vetitum, quinimò esset paternæ charitati magis consentaneum, nisi superioritatis authoritas tam larga dilatione vilesceret, tunc si quidem pietas esset, rigorosum existere, & punitionis falce enatum rebellionis tribulum resecare.

Dies naturalis, 24. horarum.

Interualla congrua Superioris iudicio relinquuntur, aliqui octo horarum interponunt distantiam, vt *in Thesaura fori Ecclesiastici par. 3. c. 7. n. 106.* quæ commoda esse posset, si fieret vna monitio pro tribus, ac in tribus dinstictis pro cōmodo Religionis, & ad habendam sine dispendio communitatis pręsentiam, congruum erit, monere Inobedientem hora prandij, cænę; & alterius prandij, &c. Sed totum esto Prælatorum iudicio, qui poterunt conuocare suos Fratres, qua hora diei libuerit.

RE-

REGVLÆ,

& Constitutionum.

Caput. II.

STATVTVM I.

Nouitiorum qualitates.

Qui in Religionem nostram recipi voluerint, examinentur. An sint fideles Catholici, De nullo errore suspecti, Matrimonio non Ligati, Corpore sani, Animo prompti, Legitimè nati, Debitis expediti, Conditione liberi, Ætatis ad minus sextidecimi anni completi, Nulla vulgari infamia notati; Et si pro Clericis recipiendi sint, qui saltem linguam latinam intelligant, Nec ad habitum admittantur, nisi antea confirmationis Sacramento muniti.

Statutum hoc de verbo ad verbum transcriptum est è Statutis Papalibus, & Generalibus Iulij II.c.2.partic.1.ann.1508.quæ & ipsum verbatim transcripserunt è Statutis Martini v.c.2.anno 1430. & fundatur in regula, quæ ait, *Examinent eos diligenter de fide Catholica, & Ecclesiasticis Sacramentis, & si hęc omnia credant, & velint ea firmiter obseruare, &c.* Et in antiquioribus Regulæ expositionibus Innocentij IV. Alex. IV. Nicolai III. ar.7. vbi dicitur. *Nec indifferenter omnes admittantur ad ordinem, sed illi tantum, qui suffragantibus eis litteratura, idoneitate, vel alijs circumstantijs, possint vtiles esse ordini, sibique per vitæ meritum, & alijs proficere per exemplum.* Vide *Pisanum in c.2. regulæ in 2. parte Capituli.* Quæ postmodum per Capitula generalia in speciales conditiones distributa in hæc Statuta redacta sunt, & per manus ad nostra tempora, per statuta Salmaticensia c.2. Vallisoletana anno 1565. & Neapolitana c. 18 peruenerunt.

Quomodo autem ex diuina, & canonica lege desumpta sint, ex infradicendis patebit.

§. I.

Nouitijs de fide examinandis.

An sint Fideles Catholici) S. Bonauentura in c. 2. Regulæ ait. *Ad Fidem Catholicam pertinent omnia,*

nia, quæ ipsi obsequuntur, vnde quia Fratres ad Fidei Doctrinam ex intentione Regulæ sunt vocati, Statutum est in ordine (puta in Capitulo Narbonensi) *ne aliquis recipiatur ad ordinem pro Clerico, nisi fidei doctrinæ habeat conueniens fundamentum.* In re autem idem est Fidelis, & Catholicus. Quia Fidelis est, qui habet rectam Fidem. Recta autem Fides non est, quæ non credit omnia à Deo reuelata, & per Ecclesiam proposita; vno enim obiecto reuelato non credito, habitus fidei amittitur, vt est communis opinio. *Sancti Thomæ 2.2.q.5. ar.3. cum suis. Scoti 3. sent. d.23. q.1. ad primum, cum Scholasticis.* Et sine errore negari non posse affirmat. *Suarez, de fide. disp.7. Sect.4. n.2.* siquidem *Conc. Trid. Sess.6.c.15.* ait, per infidelitatem amitti fidem, & per omne peccatum mortale amitti gratiam. Vnum autem articulum non credere, infidelitas est. quinimò practicè dubitare de aliquo articulo, etiam reddit hominem infidelem, ex responso Stephani Papæ. *c. dubius. de hæreticis.* Qui enim non credit omnibus reuelatis, sed aliquibus violat reuelantis veritatem, quia in tantum non credit huic articulo, in quantum eum verum esse, non reputat. Ex alia autem parte supponitur reuelatus, & vt talis propositus ab vniuersali Ecclesia, ergo reputat Deum reuelantem verum non dixisse, quod ex obiecto pugnat, cum ratione formali fidei, & consequenter totam fidem conuellit. Sicut enim non potest manere, nec totus, nec secundum partem habitus gratiæ, cum quolibet mortali peccato, ita non potest manere, nec secundum totum, nec secundum partem habitus fidei infusæ, cum quolibet actu infidelitatis. Esset siquidem simul, & semel fidelis, & infidelis. *O hæretica insania* (inquit Augustinus lib. de vnit. Ecclesiæ cap.6.) *Quod non vides credis mecum, & quod vides non credis mecum. credis mecum exaltatum Christum super Cælos, quod non vidimus: & negas gloriam eius super omnem terram, quod vidimus.* Et de vera Religione libro primo, capitulo quarto ait: *Religio non in confusione Paganorum, neque in purgamentis Hæreticorum quærenda est, sed apud eos solos, qui Christiani Catholici, & Orthodoxi nominantur, idest integritatis Custodes.* Qui igitur integritatem fidei non habet, fidelis non est. At qui eam habet Catholicus nominatur. *Catholon. enim dicitur secundum totum* (inquit Augustinus in tertia cognitione, seu collatione Carthaginesi, cum Donatistis. *tom.1. concil. pag. mihi 842. num.101.*) *qui autem à toto separatus est, partemquè defendit, ab vniuerso præcisam, non sibi vsurpet hoc nomen, sed nobiscum teneat veritatem.* Cui subiunxit Gaudentius Episcopus, *Catholicum nomen est, quod perfectum, quod immaculatū.* Et præiuit *Iulius Papa apud Iuonem Carnotensem lib.1.* & refertur in eius vita, *in tom. cit. con. pag.492.* vbi dicitur *Catholica vniuersalis, ideo dicitur, quia per vniuersum mundum est constituta. Vel quoniam Catholica, hoc est generalis, in eadem doctrina est ad instructionem.* Idem igitur est fidelis, & Catholicus, vt notauit *Corduba q.4. in c.2. regulæ* attamen ponuntur distincta, inquit idem, *Vt non solum ore, & opere, & signis veram fidem profiteatur, sed corde efficaciter conseruare velit.* Vbi Sanctus Bonauentura firmum martirij propositum vidit nam super illa verba. *Et velint ea vsquè in finem firmiter obseruare,* inquit. *Ex quo verè patet, quod recipiendi ad ordinem debent parati esse ad martyrium.* Verum accipio distinctionem iuxta communem, loquendi modum. Nam Heretici etiam appellantur Christiani, fideles, imò in collatione citata Donatistę contendebant, se esse Catholicos. Hoc autem non sufficit, vt recipiantur ad nostrum ordinem, nisi euidenter constet eos esse Catholicos.

Fidelis, & Catholicus, in re idem sunt.

Fides per vnum errorem tota amittitur.

Catholicus quis.

Hoc

Hoc autem est de iure naturali, & diuino. Tum quia, vt inquit *Pisanus in capitulo secundo Regulæ parte secunda. Vbi error esset in tali persona, hic ordo, sicuti nullus alius, sibi valeret ad salutem.* Tum quia ex Apostolo. Hebr. 11. *accedentem ad Deum oportet credere.* Et cum professio Regularis ad vitam æternam ordinetur, & ad maiorem Legis Diuinæ obseruantiam, vbi autem fides non est, Deo placere non possumus, sine fide impossibile est placere Deo. Hebr. vndecimo, & fides est iustificationis initium, & fundamentum ex Tridentino Sess. sexta, sequitur, id esse de iure naturali, & diuino. immò si Hæreticis, *nec aue dicere*, debemus Ioann. Epist. secunda, & illos vitare tenemur. ad Tit. tertiò multò minus possumus, & debemus eos in nostrum sodalitium recipere.

§. 2.

De nullo errore suspecti)

Triplicem suspictionem assignant scribentes de hæresi, vt videre apud directorium Inquisitorum 2. *part. quæstio.* 55. Scilicet modicam, magnam, maximam, vel leuem, vehementem, & violentam, cum exemplis, quæ adducuntur in *c. Accusatus. de hæret. in 6. & c. ad Abolēdam. c. excommunicamus. de hæret. c. literas. de præsumptio.* & secūdum gradum suspicionis potest suspectus condemnari, vel ad abiurationem de leui, vel de vehementi, vel, etiam puniri tanquam hæreticus, de violenta præsumptione. Suspecti igitur quocumquè de his modis, sine abiurauerint, siue puniti fuerint, vigore huius statuti, ad ordinem recipiendi non sunt quia in omnibus his modis, sunt de errore suspecti.

Quis dicēdus de errore suspectus, & quotuplex est suspicio.

Sed si congrua purgatione propriam innocentiam monstrauerint, vt dicitur *c. excommunicamus.* 1. *de hæretic.* Poterunt ne ad habitum admitti? Respondeo affirmatiuè, quia iam cessat suspicio, per claram innocentiæ demonstrationem.

Abiurantes in S. Officio non sunt recipiēti ad ordinem.

An autem recipi possint suspecti, vel lapsi, post punitionem, & competentem temporis dilationem, puta trium annorum, post quos bonam famam recuperauerint? Respondeo negatiuè, quia suspicio hæresis, non tollitur nisi per innocentiæ probationem. Quinimò puniti ob crimen hæresis sunt infames infamia iuris, vt latè probat Pegna *lib.* 1. *in primam partem directorij. Schol.* 3. *pag.* 4. 5. *& 6.* ex iuribus ibidem citatis. Præcipuè *Authen. Gazaros. C. de hæreticis.* Vbi tenet hęreticos notari hac infamia ipso facto, & ante sententiam, cum *Alphonso de Castro. de iusta hæret. punit. lib.* 2. *c.* 9. *Bart. Paulo Castrensi contra Alciatum, & Spiegellium*, oppositum tenentes quæ infamia lapsu temporis non extergitur, sed indulgentia Principis. *Zanchin. tract. de hæret. c.* 38. *& Campegius. Paulus Ghirlandus. de relaxatione carceratorum. tit. de beneficio.* citati à *Penna fine.* Et in hoc eodem statuto excluduntur ab habitu, notati infamia.

Nisi se purgauerint.

Neque post lapsum temporis.

Puniti ob crimē hæresis sunt infames.

Si replices, saltem recipi poterit, suspectus de errore, qui solum infamiam facti, & læsionem suæ opinionis incurrit apud graues viros, ante sententiam. quod senserunt *Bald. Alciatus, Zasius, Accursius, citati à Penna. Supra.* Quæ infamia lapsu temporis abstergitur, facto nimirum contrario. Respondeo primò, dictum est hæreticos ex facto incurrere statim infamiam iuris. Secundo factum contrarium nunquam ita abstergere poterit suspicionem erroris quin mente retinere, quilibet, nec temerariè, iudicare poterit. Vnde *Farinac. de hæres. q.* 185. *n.* 172.

num.172.& 198.& multis affirmat in crimine hæresis,neminem tanquam innocentem absolui,sed quia nō sit probatum delictum. Quod signum est, apud hoc Tribunal remanere suspicionem criminis, quod probari non potuit, & n.199. affirmat,sentetiam talem nunquam transire in iudicatum, & posse iterum contra ipsum procedi, nouis super, &c.& licet *Diana part 4.tract. 4.resolut.38. cum Sayro, & Auila, contra Bonac. de censuris disp.7.q.3.pun.7.num.6.*teneat, Sacerdotem post pęnitentiam, & abiurationem posse susceptos ordines exercere, quia irregularitas ex infamia tollitur, purgata suspicione. Ex quo inferri poterit,multò magis posse recipi in Religione,quia plus requiritur ad ritè celebrandum, quam ad habitum suscipiendum; Tamen, præterquam quod multò probabilius est, quod remaneat irregularis, remanente infamia, quæ non tollitur nisi à Summo Pontifice, neganda est paritas,quia esto quod secundum taliter sentientes, possit punitus,& emendatus exercere ordines susceptos, & alios suscipere, attamen cum per factum contrarium non abstergatur omninò erroris suspicio, inhabilis reddetur ad susceptionem habitus in ea Religione, in qua cauetur, ne de errore suspecti recipiantur. Quælibet autem suspicio ad hoc potens est,cum simus in re nimis delicata.In exercitio autem ordinum hoc cautum non reperitur.Non negauerim tamen,casu, quo quis apud alios omninò suspicionem erroris extergat,posse ad habitum admitti.Vt in facto sentit *Cordub. citatus quæst.* 4. dicens *Requiritur remotio cuiuscumquè prauæ suspicionis de aliquo errore,quia si quis esset taliter suspectus, non potest licitè recipi,etiam si in se esset verè fidelis Catholicus,quòusquè talis suspicio decidat ab eò apud homines. Voluit enim ordo etiam scandalo prouidere fidelium, ex tali suspicione prouenie̅nte*. Fauet *Rodr. tom.2.q.82.art.2.*Vbi tenet, abiurantem de leui, imò de vehementi, ostendere se innocentem, & habilem remanere ad officia, beneficia, & dignitates,nisi in abiuratione aliquam pænitentiam recepisset; quia talis abiuratio est de obiecto crimine,innocentiæ ostensio, vt per iura, & citatos ibi Doctores probat. Licet enim difficilè credam suspicionem erroris è mentibus fidelium remoueri,tamen data suspicionis purgatione, quę iudicio bonorum virorum, & Diffinitorij stabit,ad Religionem admitti poterit.

Sanctum officium neminē iustificat nec absoluit.

Abolita tamē suspicione, recipi poterit.

Quæ non solum de hæresi formali dicto volo, sed etiam de errore in ea ratione,qua ab hæresi distinguitur. Suppono enim distinctionem erroris, & hæresis, de qua latè *Suarez.de fid.disp.19.Sect.2.à num.11.ad 116.Farinac.de hæres.quæst.* 178.*num.*32.Et alij multi apud ipsos. Siue, enim distinguantur, vt genus,& species, quia omnis hæresis est error non tamen omnis error est hæresis, vt voluit *Turrecremata*. Siue, quia hæresis fit cum pertinacia,error autem non Vt *S. Antonius*. Siue, quia hæresis fit contra expressam doctrinam fidei,Sacræ Scripturæ, conciliorum, &c. Vt *Verbum caro factum est*. Error autem fit contra doctrinam Catholicam, non tamen determinatam de fide, vt *Beata Virgo resurrexit in corpore, & anima, &c. nunquam peccauit venialiter*, licet hoc postea in Concilio Tridentino determinatum si de fide. Siue, quia hæresis opponitur propositioni certissimæ, & indubitatæ de fide. Error vero propositioni non in tanta certitudine, vt quod dentur habitus gratiæ per se infusi, vt *Melchior.Canus*.Siue, quia propositio erronea opponatur, non propositioni de fide, immedietè reuelatę, *Christus est homo*, Sed deductæ ab vna de fide, & altera natutali, vt *Christus est risibilis, quia est homo*. Vt *Suarius loco citato num.* 14.

Erroris, & hæresis discrimen.

Omnes

Omnes enim istas cõsiderationes examinare, nec locus, nec tempus permittunt. Fortasse verum est, quod *Eymericus in directorio. part.2.q.2.& ibid. Penna. Schol. 21.& 22.* affirmant, nimirum idem esse errorem in fide, & hæresim. Et vt plurimum in iure vnum pro alio sumi, vt *cap. fideli. de Sum. trin. in 6. & cap. fidei. in Clem. extrau. Vas electionis. cap. ad abolendam. de hæret.* Quæ ab Eymerico adducuntur. Licet sæpe etiam distinguantur, tum ob famosam differentiam propositionum contra fidem, nimirum hæreticæ, erroneæ, hęresim sapientis, piarum aurium offensiuæ, temerariç, scandalosæ blasphemæ, schismaticæ, seditiosæ, iniuriosæ, &c. tum quia in Concilio Constantiensi. *Sess. 8. & 25. & per Pium Quintum, at Greg. XIII.* contra Michaelem Baium damnantur propositiones aliquę vt hæreticæ, aliæ, vt erroneæ, vbi apparet distinctio manifesta inter ipsas.

Propositiones variæ cõtra fidē.

§. 3.

Vxorati quãdoad habitum recipi possint.

Matrimonio non Ligati) Expressum in Regula capitulo secundo, & *Vxores non habent, vel si habent, & iam Monasterium intrauerint vxores, vel licentiam eis dederint. Authoritate Diæcesani Episcopi, voto continentiæ iam emisso, &c.* In Euangelio *Luc.13. Qui venit ad me, & nõ odit, patrem, & vxorem, &c. & Matt.13. Qui non reliquerit patrem, domum, & vxorem, &c.* In Iure canonico tota q. 1. causæ 27. cuius tit. *An coniugium esse possit inter vouentes:* Et ratio est, quia matrimonium voto castitatis opponitur.

Non cõsumato matrimoniopotest conuolari ad Religionem.

Quæritur primò an ligatus matrimonio rato, sed nõ consummato possit recipi sine licentia vxoris? Respondeo affirmatiuè, *c.27.q.2.* vbi dicitur *Desponsatam puellam, non licet parentibus alij viro tradere, licet tamen illi Monasterium sibi eligere.* Vt Eusebius Papa respondit. Cui consonat, Gregorius Papa, *epist.20. lib. 6.* ad Fortunatum, in capitulo sequenti, vbi dicit *Decreta legalia desponsatam, si conuerti voluerit, nullo modo consueuerunt damno mulctari.* Nouissimè *Trident. Sess. 22. de matrim. can.6.* Sic dicernit, *Si quis dixerit, matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem Religionis professionem alterius coniugis, non dirimi anath. sit.* Qui canon confirmat *c. verum, &c. ex publico. de conuersione coniugator. &c. commissum. de sponsal. & matrim.* Est opinio communis, & de fide, apud *Sanchez lib. 2. disp. 18. numero 1. 2. & 3. & apud Barbos. in collectaneis ad can.6. Concilij Tridentini cit. Sess.* qui multos DD. citant. Adest praxis Ecclesiæ, & referuntur multa Sanctorum exempla S. Ioann. Euangelistæ, S. Techlæ, S. Alexij, S. Ceciliç, &c. Qui a nuptijs ad Euangelicam vitam conuolarunt, vt refert *Scotus in 4.d. 31. quæst. vnica, & alij in Scholio ad eandem quæstionem, ac in commentario P. Antonij Hiquæi num. 37.* Qui de vocato à nuptijs, an fuerit Ioann. Euangelista, an Simon Chananeus, an alius, doctè disputat, & *Barbosa in cap. verum. de conuers. coniugat. numero 3. 4. & 5.* Ratio autem, cur solemnis professio (ad hanc enim nouitiatus dirigitur) dirimat matrimonium ratum, est, secundum eundem Scotum, Relaxatio indissolubilitatis matrimonij indulta a Christo post indissolubilitatem ab eodem præcepta in lege Euangelica. Reprobato enim repudio mosaico, & retenta in cæteris matrimonij naturali indissolubilitate, concessit, posse dirimi per Religionis ingressum. Cuius probationem adiungit, quia si à Christo Domino

Qui a nuptijs ad Religionem cõuolarũt.

Cur professio solemnis soluat Matrimonium ratum.

mino

mino talis relaxatio non veniret, nunquam causa esset Ecclesia à primis eiusdem incunabilis, licentiare alterum ad Religionem, altera in sæculo remanente. Rationabile siquidem fuit, minus bonum matrimonij in maius Religionis commutari, quia illud carnale, hoc autem Spirituale est. Quod fusè idem *Hiqueus*, & solidè comprobat, & declarat.

Quæritur secundo, an si cognouisset fæminam, cum promissione de contrahendo, & postea celebrato matrimonio, vellet ad religionem transire, ea tamen post contractum incognita? Respondeo Decisum esse à sacra Congregatione Concilij 18. Nouemb. 1618. refert ex Sell. in selectis canon. c. 22. n. 8. August. Barbosa cit. *in collectan. ad Conc. Triden. can. 6. Sess. 24. de matrim.* in hæc verba *Matrimonium reputari ratum, & non consumatum ad effectum, vt vnus ex contrahentibus, alio contradicente possit ingredi Religionem si post illud contractum coram Parocho, & testibus, copula non intercesserit, quamuis prius non semel, etiam cum promissione de contrahendo fuissent fornicati.* *Fornicatus cum promissione matrimonij, post illud ratum potest fieri Religiosus.*

Contra. Debitum iustitię, quo deflorans virginem cum promissione, illam ducendi, adstringitur persona ex oneroso contractu, impedit ingressum Religionis. Nam inuito Creditore, & in re tanti momenti, vbi fama, & persona periclitatur, non potest quis ad Religionem conuolare. *l. 2. §. mutui ff. si certum petatur.* Ita tenent *Nauar. Enriquez, Manuel, Corduba, Ludouicus Lopez, cum Sanchez, lib. 1. quæst. 44. numero 1. 2. & 3. & per totam. Bonac. de matrim. quæst. 1. punct. 5. per totum.* Quod non solum, per deflorationem, sed etiam per iuramentum, tenet *Ledesma, Maiolus, Angles, Vega, apud Hiqueum in comm. q. 2. dist. 30. 4. sent. Scoti num. 30.* videatur ipsemet Scotus in eadem esse sententia, ait enim. *Si quis contraxisset sponsalia cum iuramento, & postea vouisset virginitatem, videretur consulendum illi quod consummaret sponsalia, contrahendo de facto, vt seruaret fidem iuramenti.* Et quoad debitum iustitię, quo non soluto remanet labes infamiæ apud defloratam, quodquè compensari debet saltem largitione dotis, tenent talem defloratorem non posse intrare Religionem, sed debere, vel contrahere, vel soluere dotem. *Rodr. tom. 3. q. 10. art. 9. Portel. in addit. V. nouitius num. 13. Hier. Roder. resolut. 101. numero 11. cum Nauar. & Lessio ibid. citatis.* Alias impeditur illi ingressus, ob grauamen ingentis æris alieni iuxta Bullam Sixti V. citandam. Respondeo licet verum sit; posse aliquem ingredi Religionem, si post sponsalia, vouerit Religionis ingressum, vt cum *Sanchez, Herniq. P. Ledesma, Rodrig. Guttier. Reginal. Coninch. Molina, Rebello, tenet Bonac. q. 1. punct. 5. n. 4. de matrim.* Tamen intercedentibus, vel infamia sponsæ, si nimirū cum illa pluries conuersatus fuerit, vel copulam, cum promissione de futuro coniugio habuerit non posse, qnia non valet votum, cum iniuria alterius, non enim est vinculum iniquitatis. Et debet prius resarcire iniuriam violationis, quod facere non potest, nisi, non solum cōtrahat, sed etiam consummet matrimonium. Vt excludatur fallacia, contrahēdi, & postea conuolandi ad religionem. Hoc enim pacto iniuria non resarcitur. Et est adeo verum, vt valeat, etiamsi ante copulam, & promissionem de futuro matrimonio, vouisset religionem, vt cum citatis tenet idem *Bonac. num. 7.* quia præualere debet iustitia charitati, sicuti in simili, suspenderetur votum religionis, si parentes in paupertatem inciderent. In his enim casibus cedit promissio facta Deo ex charitate, promissioni factæ proximo ex iustitia, propter notabilem *Nisi adesset scandalū, & infamia spōsæ.*

lem rerum mutationem. Et cum votum sit contractus gratuitus, cedere debet contractui oneroso, qui reperitur in sponsalibus cum infamia, vel culpa.

Declaratio autem Concilij, si illa vera est, solum tangit rationem matrimonij rati, & non consummati, quia verè non fuit consumatum post solemnem contractum. Non autem tangit nostram difficultatem, si nimirum copula infamiam afferat, vel si ex ratione copulæ teneantur ad matrimonium.

Quid si iurasset cōtrahere.

Scoti vero sententia clara est pro nobis, subiungit enim. *Et tamen, vt seruaret votum, statim ante consummationem, ambulare ad religionem.* in quem locus citatus *Hiquęus num.30.* adducit. *c. commissum. de sponsalibus* vbi dicitur *Tutius est ei, Religione iuramenti seruata, prius contrahere, & postea, si elegerit, ad religionem migrare.* Verbum autem *tutius.* Importat consilium non præceptum, quia ex *S. Thom. in 4. d.27. qu.1. art.2. & in addit. ad tertiam partem q.43. art.3. Soto, Siluestro, Nauarro, Menochio, Suario. Conar. Vega. Emmanuele in summa. P. Ledesma, Lancell. Henriq. Hurtad. Sanch. citatis à Barbosa in hoc capitulo.* Potest licitè quis intrare religionem, etiamsi iurauerit sponsalia, nec necesse est, contrahere prius, & postea religionem suscipere. Vel cum glos. *tutius est contrahere,* non secundum rei veritatem, sed secundum vulgi estimationem, quod multis placuit.

Deflorans tenetur dotare defloratam, & antea non recipi.

Aes alienū quod nā dicitur.

Quod attinet ad dotationem defloratæ, concedo esse ingens æs alienum, si attēta qualitate puellæ, Deflorator non sit potens soluendi, & dos quæ dari deberet, superet facultates illius. Et in hoc casu excluditur ob constitutionem sixtinam. Si vero habeat vnde dotem vel eroget, vel erogare possit, non excludi à susceptione habitus. Ita citati Doctores *Rodrig. eius Compilator. Portel. contra Sanchez lib.4. in decal. c.19. num.26.* putantem non esse grauatum ingenti ære alieno, qui deflorauit Virginem, nec habet vnde illam dotet, quia hoc debitum suas facultates superat. Et ęs alienum dicitur, quoduis debitum, quod alijs debemus. *l. 213. §. æs alienum de verbor. signif. l. subsignatum §. bona. eod ex Pratteio apud Lexicon Iuris Io. Caluin.*

post consummatum matrimonium, potest recipi ad habitū.

Quęritur tertiò an à matrimonio rato, & consummato possit, quis ad Religionem conuolare? Respondeo primò posse ex consensu vtriusquè, patet in regula, *Vel si habent, & iam monasterium intrauerit Vxores, vel licentiam eis dederint authoritate Diocæsani Episcopi, voto continentiæ iam emisso, &c.* Vbi requiritur mutuus consensus, ingressus Vxoris in monasterium, vel eiusdem votum continentiæ cum authoritate Episcopi sui, & qualitate ætatis, ex qua suspicio oriri non possit. Hæc enim omnia copulatiuè requiruntur, iuxta nostram regulam, quorum obseruantia obligat sub peccato mortali, sunt enim omnia ista ęquipollentia præcepto ex *Clem. exiui de verbor. signific. in 6.* vt optimè notarunt *Corduba q.4. in cap.2. regulæ. §.2. conditio. Miranda in regulam ca.40. difficultate.2. & 3. & vltra.* Ex quo miror Ciprianum Antuerpiensem Cappuccinum *lect.1. parænetica in c.2. regulæ in fine* dixisse. *Non arbitror, tamen omnes huiusmodi cautelas esse necessarias, ad hoc, vt quis validè profiteatur, modo ex consensu Vxoris habitum suscipiat, & professionem emittat. Nequè enim puto omnes huiusmodi cautelas sub obligatione peccati mortalis adhibendas, vt quod monasterium intrauerit vxor, vel votum continentiæ iam emiserit, sed solum, quod huiusmodi dimissio fiat authoritate Episcopi, & quod non sit probabilis suspicio incontinentiæ* cum Clemens citatus dicat. *Item omnia, quæ ponuntur in regula ad receptionis*

modum,

modum, ac professionem spectantia, &c. hæc inquam, omnia sunt à Fratribus tanquam obligatoria obseruanda. Obligationem autem hanc esse peccati mortalis, affirmat *Corduba laudatus à P. Cipriano lect. 2. in c. 1. reg.* vbi recensitis præceptis, & æquipollentibus ex Clemente V. ait. *Quod autem ad nulla alia teneamur sub mortali ex vi regulæ, in prædictis declarationibus dantur rationes, & causæ manifestæ, &c.* & clarissimè *lect. 4. §. 2. conditio ex vi regulæ,* & patet ex materia ipsa, scilicet dissolutione matrimonij consummati, & vitatio incontinentiæ, seu cautela honestatis in Vxore remanente, post ingressum viri in religione, & quod maius est.

De iure communi. *c. cum sis præditus de conuersione coniugatorum.* debetur, quod coniugati non possunt assumere habitum regularem, nisi ex mutuo consensu religionem assumant; vel in casu, quo vxor esset Senex, & Sterilis, & sinè suspicione incontinentiæ, & votum castitatis emittat, *c. Vxoratus, c. ad Apostolicam, c. significauit. eodem.* Hoc confirmatur *in c. si quis coniugatus 27. q. 2.* quæ sunt formalia Verba Regulæ; ergo non solum est de iure speciali, sed etiam communi, cuius transgressio in re grauissima, non est venialis. In quo capitulo consensus, & iudicium Episcopi, etiam requiritur; & *c. ad Apostolicam. eod.* quod clarius *in c. si Vir. 27. q. 2.* exprimitur; *ibi. nullatenus sine Episcopi conscientia fiat. &* confirmatur *in c. Agathosa. eod.* sentit tamen *Sanchez. lib. 7. disp. 32. num. 3.* Qui alios citat, hanc licentiam requiri de honestate pro validitate professionis. Secundò potest vir transire ad Religionem ex causa adulterij Vxoris, etiam ipsa nolente. *c. Agathosa. cit.* vbi dicitur. *Nec quoddam fornicationis crimen propter quod licet dimittere Vxorem.* Matt. 19. *prædictam Mulierem commisisse cognoueris.* Quia iam Vxor amisit ius exigendi debitum maritale; & Vir cum illa cohabitare non tenetur. ergo solutus est vir his vinculis, licet insolutum remaneat inter sponsos vinculum matrimoniale, etiamsi vterquè profiteantur Religionem, vt ex communi firmat, *Miranda citatus diff. 4. S. Thom. 4. dist. 9. q. vnica art. 5. ad 3.* Copula enim, & cohabitatio non est de essentia matrimonij.

Ob requiritur vxoris potest vir fieri religiosis.

An autem in adultera necessarium sit adimpleri cõditiones regulæ, quod scilicet castitatem voneat, religionem intret, ætatis prouectæ sit extra periculum, & suspicionem incontinentię, Episcopi consensus accedat, &c. *Corduba citatus q. 4. cum Rodrig. tom. 3. q. 3. ar. 1. & suo compilatore resol. 101. num. 26. iuxta c. constitutus. de conuers. coniugat.* ait *Nos Fratres minores peccaremus talem recipiendo, ex quo inuita tali vxore, etiam ex culpa sua, vir suus ingrediatur religiones, est suspicio incontinentiæ talis vxoris in sæculo remanentis, quamuis professio sit valida de iure. Ciprianus Cappuccinus Lect. 1. citata* ait. *Immò nequè consensus Vxoris est necessarius, si vir propter vxoris adulterium, alias ius habeat ipsam dimittendi.* Quæstionem disputat *Sanchez lib. 10. disp. 11. & 12.* Licere viro, inuita vxore adultera ad Religionem transire. Et est communis, constatquè *ex c. constitutus. c. veniens. de conuers. coniug. cap. Agathosa 27. q. 2.* Si vir ad religionem, vbi cognitus sit, & probare debeat, esse matrimonio solutum, transire desiderat iuridicè, vel notoriè constare debet de adulterio vxoris, secus repeti posset ab illa. Si autem reciperetur in loco, vbi de matrimonio notitia non perueniret, posset dicere se nõ vxoratũ, ex scilicet ratione, qua ad susceptionẽ habitus per vxorẽ inhabilis redderetur. Verè enim talẽ Vxorem nõ habet, & talẽ non habere, & simpliciter

Non adulterium consensus vxoris, nec seruandę sunt conditiones regulæ.

nō habere,paria sunt,nec opus est sententia Iudicis,vbi viro apertè cōstet adulterium,cum redditio,vel non redditio debiti maritalis,non sit pœna,sed conditio inclusa in ipso maritali contractu,qua non seruata,nec fides seruari debeat. Notorium autem debet esse adulterium,vt nulla valeat tergiuersatione celari, alias cum posset e sua possessione in foro externo vxor deturbare. *lib. autem 7. disp. 32.* per totum fusè disputat, an requiratur etiam vtriusquè professio, vel votum continentiæ in remanente in Sæculo,vel sufficiat alterutrius licentia. Ex multis citatis canonibus, & authoribus resoluit non sufficere solam licentiam alterius, sed requiri, vel vtriusquè professionem, vel remanentis in Sæculo votum continentiæ, & ætatem, omnem suspicionem excludentem, idquè copulatiuè. Item quod quæ monasterium intrauerit, vt viri professio sit valida, debere profiteri, & non sufficere solam inclusionem. Vel remanentis in Sæculo, votum temporale continentiæ, vsquè quò vir professionem emittat, sed requiri absolutum, & perpetuum. Quod cessaret esse votum,quando vir professionem non emitteret, vt poté factum contemplatione professionis viri. Et cum non sit votum solemne,post mortem viri,professi,si contraheret denuò, nō irritaret matrimonium, licet peccaret contra votum. Quodquè senectus non suffragaretur remanenti in sæculo, vbi esset incontinens, ac proinde debere regularem habitum eo casu suscipere. Immò nec votum coniugis iuuenis, etiamsi honestissimæ remanentis in sæculo,quia prona lapsibus est iuuentus. Quin etiam si vxor Senex,& extra incontinentiæ suspicionē, esset prauis moribus,itaut destituta à viro periculum esset,ne fieret incantatrix, venefica, vsuraria, &c. non posset licitè eius vir habitum suscipere,quia vxoris saluti non expediret,virum profiteri. Et si coniux Senex relicta in Sęculo cum voto continentię post viri professionem incontinenter viuat, cogetur monasterium ingredi. Si tamen alter coniux absquè alterius licentia profiteatur, & remanens in sęculo ratificet, non indiget religionis ingressu,etiam si sit iuuenis,sed sufficit vouere castitatem,quia de hoc iura non decernunt. Sed puto professionem nullo pacto validari per ratificationem vxoris, quia actus ille nullus in principio,non coalescit per alterius ratihabitionē. Quę autem sit ętas senilis, licet variè de ipsa sentiant Doctores standum est peritorum iudicio,complexione, constitutione,valetudinis, conditione,consideratis.

His igitur summariè transcriptis, quę approbo, dico in causa adulterij non requiri adimpletionem conditionum,ętatis, voti,continentię, &c. etiam secundum nostram regulam,quia hęc requiruntur,de iure communi, & speciali, vt licitè impediri possit exercitium matrimonij,& consuli honestati relictæ in sæculo,at totum hoc cessat in adultera, quia ius petendi amisit : per diuortium viri cohabitationem perdidit , & propterea per turpitudinem vitæ continentiam flocci pendit,etiamsi vir religiosus non fieret;ergo finis legis cessat,quo frustrato, lex ipsa non obligat, *Caiet.tom.1.opusc.tract.12.de matrim. quæst.2. Nauar.in Sum.c.16.n.36. vel 37. Enriquez lib.11.cap.17. n.2. Barthol.à Ledesma dub.17.de matrim. fol.1275. Ludou.Lopez 1.p. instruct.c.85.*

Sed si non persistat in fornicatione, sed post adulterium, & diuortium, honestam vitam ducat,contemplatione, vel metu viri? Dico etiam in hoc casu posse non seruari dictas conditiones, quia per adulterium, Vir solutus est à lege obligante illum ad curandam vitam vxoris, & potest se gerere (excepto transitu ad secundas nuptias) ac si vxorem non haberet. Vnde potest vitam quamlibet arripere,

ripere, peregrinationem inire, in longissimas regiones se transferre, &c. quibus mulier timorem poterit deponere.

Non negauerim tamen ex charitate teneri virum consulere, vt vxor non peccet. Hæc tamen charitas cessat, quoties Religionem meditetur, & Zelotipiæ morsus vitare possit.

§. 4.

Corpore sani) Duplex genus infirmitatis reperitur, Alterum, quod potest breuiter curari, vt febris, vulnus, &c. Alterum, quod nunquam, vel difficulter curari solet, vt ptisis, membrorum debilitas, destitutio, &c. & ad hoc reducuntur lepra, morbus gallicus, morbus caducus, quæ solent appellari infirmitates contagiosæ. De his vltimis cauetur in his eisdem statutis, *Singulis prçterea protestentur, quod si lepra, morbo gallico, vel caduco, aut alia contagiosa infirmitate laborauerint, & ante receptionem illud ipsum cçlauerint, eorum receptio, & professio etiam, irrita, & nulla censeatur.* Quæ videtur esse Superioris statuti declaratio facta in Salmanticensibus cap. 2. Sicque sentit *Corduba loco citato q. 4. fine, Sani corpore, idest non infecti lepra, aut alia contagiosa infirmitate, aut morbo caduco, vt habetur in constitutionibus ordinis.* *Infirmitas duplex.* *Morbo caduco laborantes, & c. inhabiles ad religionem.*

Verum ad annullandam professionem, requiruntur lepra, lues venerea, siue morbus gallicus, vel caducus, & aliæ infirmitates contagiosæ, attamen, ad excludendum ab habitus susceptione, non esse necessarias tantum infirmitates recensitas, sed sufficere, quamlibet infirmitatem, siue actualem, & breui curabilem, siue habitualem, etiamsi contagiosa non sit, vt complexionis nimia debilitas. *Peirinus. Prelatus. quæst. 3. cap. 1. §. 2. numer. 64.* tenet inhabilem esse ad profitendum, qui sit impotens præ morbo, aut senectute ad seruanda non solum essentialia, sed accidentalia Religionis, & peccare mortaliter aliter facientes. *citat Ledes. Mirand. Suarez, Vecch. Rodrig. S. Thomam.* Reddunt etiam inhabilem Visus, auditus, vel alterius sensus defectus notabilis, corporis deformitas, claudicatio, gibbositas, nasi, vel oculorum toruitas, & alia huiusmodi, quæ notabiliter deformarent aspectum. Et ratio est, quia præter vitia animi, quæ his deformitatibus, vt plurimum indicantur, tales sunt Religioni inutiles, & Sæcularibus scandalo, nisi corporis deformitatem generis excellentia, vel literarum eminentia temperarent. Cæcos enim aliquos magnos viros nouimus, & nonnulla vidimus scientiæ, & meritorum monstra. Sed de rarò accidentibus non est scientia. Facit pro hac re textus *in c. quem admodum. de iureiurando*, vbi dirimuntur sponsalia iuramento firmata, *Si post huiusmodi iu amentum mulier fieret non solum leprosa, sed etiam paralitica, vel oculos, vel nasum amitteret, vel quicquam ei turpius eueniret.* Si enim infirmat iuramentum deformitas subsequens, multò magis debet impedire receptionem regularem deformitas euidens, cum non sit multum dissimilis contractus in professione, respectu Religionis, ac in matrimonio respectu sponsi. *Debilis ad profitendum inhabilis.* *Etiã nimis deformis.*

Et quod fortius vrget, cum huiusmodi infirmitatibus laborantes sint irregulares, *toto titulo de corpore vitiatis. c. presbyterum. de Clerico ægrotante*, & in specie, quibus deest brachium, aut manus. *c. exposuisti. de corpore vit.* Vel pollex, aut index. *cap. vltimo ibid.* Item cæci, surdi, stare, aut ambulare non valentes. *Can. 77. Apostolorum.* Nani qui brachia attollere non possunt supra altare. Aures, vel nares abscissas habentes: *Nauar. cap. 27. num. 223. ex communi.*

Auila part.7.disp.3.dubio 1.*Koninch.disp.*18.*dub.*13.*num.*108. Gibbosi valdè deformes. *Nau.num.*199. *Molina tract.*3.*disp.*70. *Auila cit.dub.*1. *ex cap.*1.*d.*36. Hermafroditi, etiamsi ad sexum virilem magis accedant. *Nau.num.*202. *Suar. disp.* 51. *Sect.* 2. *nume.* 2. *argumento l. quæritur ff. de statu hominum*. Licet Religiosi tales esse possint. *Peirinus. de Prælato. quæst.*3. *cap.* 1,§.2. *numer.* 59. *Nau.lib.*3. *conf.* 47. *de regul.* Oculo dextro, vel sinistro cum notabili deformitate priuati. *c.vlt.d.*55. Item leprosi, paralytici, frenetici, arreptitij, epileptici, amentes *c.maritum, & toto d.*33. *Gratian.c.vltim.*15.*q.*1. *Nauar.c.*203. *Suar. disp.*51. *Sect.*1.*nu.*4. *S. Anton.par.*3.*tit.*28.*c* 5.*insin. Siluester V.corpore vitiat.q.*8. *Henriq.lib.*14.*c.*8. *Peirinus tom.*2.*de Prælato q.*3.*c.*1.*concl.*14.*num.*82. & 83. Hi omnes, inquam, irregulares sunt, & consequenter pro Clericis recipi non possunt. An autem tacens morbum incurabilem, & factus Sacerdos expellatur, possit à Religione petere alimenta, vt ordinatus sine patrimonio *c.Sanctorum d.*70. *c.Episcopus c.tuos de præbendis.c. pastoralis de iur.pat.c.per tuas de Sim.Trid. Sess.* 21.*cap.*11. *ref.* Sub quo Regulares etiam comprehenduntur. *Pius V.Rom. Pont. Rota Vrgellen.canonicatus* 3.*Martij* 1545.*coram D.Blanchetto. relata à Gonz. de benef.par.*2.*c.*5.*num.*11. & 12. Maximè si non fuit ordinatus in fraudem, quia putauit liberari à malo. Respondeo negatiuè, quia Religio se non obligauit

Religio non obligatur, male professo.

malè professo. Sic neq; Episcopus tenetur prouidere de beneficio ordinato sine patrimonio, si scienter non fecit. Quia ignorantia excusat. *c.ignorātia de reg. iur.* 6. *Nau.conf.*14. *de tempor.ord.ita, &c.* quia dolus, nulli suffragari debet. *c. Sedes Apost.de rescriptis l.vtique fullo.ff.de furtis.* quia non potest quis sine culpa puniri. *c.*2. *de constit.* Quia ordinatus cum fraude reportaret beneficium *l.Sancimus C.de pœnis.& c.per tuas* 3. *de Simon.* dicit. esse suspensum, ordinatum cum pacto patrimonij ignorante Episcopo.

Iesuitę spōte exeūtes remanent suspensi.

Iesuitæ non tenentur dare scuta 40. exeuntibus spantè. *Congregatio conc. sub Sixto V.apud Molfes. tract.* 2.*c.* 15. *fine.* Immò remanent suspensi. *Rota citata. Dian.tract.*2.*de regul.resol.*82. quia est ordinatus sine legitimis dimissorijs. Nec communis error tribuit ius, quia mala fide processit. Et Decretum de apostatis, &c. illos declarat suspensos.

§. 5.

Animo prompti) Fundatur in regula c.2. *Si hæc omnia credant, & velint ea fideliter cōfiteri, & vsq; in fin. firmiter obseruare, &c.* vt sentit *Corduba citata.p.*4.*q.* ex quo *Miranda in Regulam c.*39. cum declaratione S. Bonauen. ibi, *Ex quo verè patet, quod recipiendi ad ordinem debeāt parati esse ad martyrium.* Attamen fundari æquè, & melius posse in alijs eiusdem capituli verbis (*Vadant, & vendant omnia sua, & ea studeant pauperibus erogare.* Considerranti patebit: de promptitudine enim ad martyrium, vel in re, vel in præparatione animi, Iam constat ex fidei, & Sacramentorum examine, vt ipsemet Corduba aduertit. Hæc autē prōptitudo ab illa distincta aliquid aliud significare debet. Nimirū deuotionem, quæ secūdum *S.Th.*2.2.*q.*82.*ar.*1. *Est voluntas quædam promptè tradendi se ad ea, quæ pertinent ad Dei famulatum* de quo Augustinus de spiritu, & animo c.50: *Deuotio est pius, & humilis affectus in Deum. humilis ex consciētia infirmitatis propriæ, prius ex consideratione diuinæ clementiæ.* Quam S. Amb. *lib.*1. *de Abraham c.*8. vocat impigram, & celerē. *Adhuc* (inquit)

Nouitij minorū debent esse parati ad martiriū.

Deuotio quę, & qualis.

cognosce

cognosce celeris studia deuotionis, vbique impigra deuotio, & ideo Deo fuit munus acceptum. Multum est (inquit S. Cæsarius *ho.3. ad monach.*) *quod ad Eremum veniendo promisimus Deo, quam libet multa sint, quæ speramus ab eo. Ideo discutiamus omnem inertiam, omnem lassitudinem mentis, & pretiosam militiam pretioso agamus affectu.* Quia (vt *idem ho.3.* subiungit) *Ille tantorum munerum repromissor non vult in opere suo tepidum, despicit fastidiosum, recusat coactum, respuit indeuotum.* Bernardus autem in cantica vocat deuotionem florem futuri temporis, dicens: *Temporis præteriti fructus est compunctio, futuri flos est deuotio.* Nam si valet connexio operum cum fide, itaut ex regula fideliter credant, & animo prompti sint ad diuinæ legis obseruātiā; hoc sine deuotione nō potest accidere, vt scripsit S. Bernardus *Ser. 23. in cant.* in illud, *Recti diligunt te. Rectum indica* (inquit) *si fide catholicum, & iustum opere probaueris: Sit quominus, curuum censere non dubites: sic nempe habes* (Gen. 4) *si recte non diuidis peccasti. Noli esse rectus oblator, & prauus diuisor. Quid diuidis actum à fide? Si enim quedam anima fide, ipsa deuotio est; quid fides, quæ non operatur, nisi cadauer examine? benè honoras Deum munere fœtido? &c. quomodo rectus, cuius fides mortua, cuius nulla deuotio?* Equidem ex S. Scriptura *Exod. 35. 21.* In oblationibus Deo faciendis deuotio commendatur. *Obtulerunt* (inquit) *mente promptissima, atq; deuota primitias Domino ad faciendum opus tabernaculi.* & infra num. 29. *omnes viri, & mulieres mente deuota obtulerunt donaria, vt fierent opera, quæ iusserat Dominus.* Quia vt dicitur in glosa interlineari. *Non vult Deus coacta seruitia, amore seruitur ei, non timore, mente, non corpore.* Cuius typum habemus Num. 6. in l. Nazareorum, de quibus dicitur. *Iuxta quod mēte deuouerat, ita faciet.* Hinc Idē *Corduba q. 2.* tenet, & probat peccare venialiter, & etiam mortaliter, inducentem in deuotum, & indispositum ad assumendā Religionem, ibiq; doctè, vt solet, probat ex S. Th. & Caiet. dispositionem istam consistere in eo, quod omnem affectū ad carnalia relinquere velit, cum proposito seruiēdi Deo. adsitq; complexio, & inclinatio nouitij (secūdū Gersonem) non nimis apposita obseruātijs Religionis. Ne scilicet sit incostans, & leuis, & vehementer malè habituatus. *Rodr. tom. 3. q. 14. ar. 1. Hier. Rod. resol. 100. num. 29. & 30.* qui citat *S. Basilium inter. 10. Laurent. Iustin. de discip. & perfectione monac. c. 5. Azor. 1. p. lib. 2. cap. 1. q. 2.* In his enim natura, & habitus, nisi constanti, magnoq; feruore moneantur, potentes sunt ad retrahendum illos à bono; & vbi in sæculo sine magna difficultate saluari possent, in Religione, in præsumtionis pœnam periclitantur; debuerunt enim seriò prius cōsiderare, quid valeant, humeri, si habent vnde turrim perficere possint. *Luc. 14.* si capere valeāt Religionis fastigiū. *Matt. 19.* ne stultè, & infideliter Deo promittentes (Ecclesiastici 5.) obligati corruant, & damnentur. spal. 19. quod expressit Sixtus V. *Cum de omnibus Ecclesiasticis ordinibus.* in fine §. 4. *Nisi deniq; constet ipsos non humana aliqua ratione, sed tantum deuotionis, & pietatis feruore, vitam religiosam sponte, & ex animo elegisse.*

Pecant recipiētes in deuotū, & indispositū ad suscipiendū habitū Regularem.

Vnde cum eodem Doctore, mortaliter peccare, iudico, & inducentes, & recipientes ad habitum, & professionem eum, quem probabiliter indispositum, & imparem religioni cognouerint. Tum quia contra charitatem fraternam operantur. Tum quia contra institiam inutilibus plantis religionis campum impediunt. *Ledesma de stat. relig. in somm. c. 6. conclus. 1.* Hinc illa Dæmonum Synodus, noxiorū horum germinū introductione, ad religionis, ruinā coacta, ac experi-

Nouitios inutiles demon introducit.

 mento

mento comprobata. De qua religionis eiusdem monnumenta; & postremo P. Lucas Vuadingus ad an. 1219. n. 19. 20. 21.

§. 6.

Illegit imorum vitia, & qualitates.

Legitimè nati) Quia illegitimi, vt plurimum *parentum vitia, & incontinentiam imitari solent*, vt dixit Sixtus V. in const. 71. *cum de omnibus*, ideo iure diuino, *Deut. 23. ad decimam generationem in Ecclesiam Domini ingredi prohibebantur ; & esse in consummatione Sap. 3.* dicuntur, quod a *Sacris arceri*, Vatablus trāstulit; quod pręstitit Bonifacius martyr scribēs Regi Anglorum *c. si gens. dist. 56.* inferens filios furentes libidine, à patribus adulteris, & luxuriosis, ac propterea ab eodem Sixto V. sub pœna excommunicationis sibi reseruatæ, & nullitatis professionis vetitum fuit, recipi ad habitum, professionem, & ordines, procreatos ex incaſtu intra tertium gradum, aut ex Sacrilegio, vbi alteruter parēs castitatē Deo vouisset, Etiam si antea legitimati essēt. Indulta recipiendi facultate, eos tantum qui ex alio quouis illegitimo toro nati, vel legitimati fuissent, dummodo natalium maculam meritorum eminētia suppleret, examinataquè esset, & vnanimi Diffinitorum consensu approbata in Generalibus, vel Prouincialibus Capitulis, Cum inhabilitate ad officia, & dignitates ordinis, Declarat tamen sub huius constitutionis rigore non comprehendi legitimatos per subsequens matrimoniū, vel ante eiusdem constitutionis emanationem. Cum alijs moderationibus in cōstitut. *ad Romanum spectat* expręssis, quæ relinquimus, quia Gregorius XIII. const. 3. *Circunspecta.* duas recensitas Sixtinas constitutiones ad terminos iuris reduxit, ac illegitimos, ex quocumq; damnato toro progenitos, posse ad habitū, & professionē recipi maturè prius examinatis per Diffinitores recipiendorū meritis, quibus natalium suppleatur defectus, ipsiq; receptores admittēdos esse censuerint, quando illorum receptio religionis cōmodo, & vtilitati pro futura esse videatur. Dūmodo illegitimus in religione vbi pater viuus fuerit, nō recipiatur: ac ad honores gradus, & dignitates obtinēdas per Generales, vel Prouinciales in Capitulis, & Cōgregationibus iuxta concessa, & vsu reccepta priuilegia cū illegitimis dispēsari posse cōcessit.

Illegitimi ad habitū, qādo habiles.

Quæ, vt melius declararet Clemens VIII. cōst. 83. *in suprema,* reductis duabus Sixti V. & Gregorij constitutionibus ad terminos iuris, eas solum valere voluit cōtra Superiores, qui nō seruauerint formā in dictis cōstitutionibus pręscriptā circa receptionem ad habitū, & professionē. Forma autē seruanda est, Quod in Generali, vel Prouinciali Capitulo, siue Cōgregatione intermedia vel (vbi ea rarò, vel nunquam celebrari contingerit) in Synodo duorum, vel trium Superiorum localium: vel (data paucitate, vel nimia monasteriorum distantia) in Congregatione trium antiquiorum Patrum eiusdem Conuentus, per Generale, vel Prouinciale Capitulum destinandi, cum vnanimi Superiorum, & Diffinitorum consensu approbētur, & recipiantur postquam diligenter cognouerint recipiēdorum vitam, personarum idoneitatem, earundem zelum, feruorem, merita, bonam indolem, quibus natalium suppleatur defectus, & illorum receptio vniuersę religionis pro futura videatur. Pœnæ verò aliter recipientium illegitimos in Bulla Sixti est excōmunicatio latę sententiæ Summo Pontifici reseruata.

Nouitiorū recipiendorum forma.

Pœnæ illegitimos recipientium.

Quoniam verò remittuntur supradictæ constitutiones ad ius cōmune, videndum est, quid in ipso præscriptum sit. In c. 1. *de filijs Presbiterorum*, vetantur

promo-

promoueri ad Sacros ordines, nisi religionem intrauerint nati ex fornicatione. *Et c.nisi in cœnobijs, & cap.Presbyterorum dist.86.dicitur. Nisi in cœnobijs, aut in canonijs religiosè probati, fuerint conuersati, filij Sacerdotum, non admittantur ad Clerum.*

Itaquè de iure communi illegitimi admitti possunt ad habitum, & secundum priuilegia ordinum ad dignitates habilitari. de quibus fusè scripserunt post antiquos, *Barbosa in Rubrica, & toto titulo de filijs presbyterorum; præcipuè in c. 1.Peirinus tom.2.de Prælato religioso q.2.c.5.§.9.Tamburinus tom.a.de Iure Abbatum disp. 5.q.14.a n.15.ad 19.Portell. V.Nouitij qualitates, iuxta Bullam Sixti V. num.10. & 11. & V. illegitimus per totum. Hieronymus Roderic. antiquioris compendiator Resolut. 101. numer. 6. & resolut. 76. de illegitimis per totum. Marchinus de Sacram. ordinis tractat. 1. parte x. difficult. 5. per totum.* Hi enim innumeros de hac re scribentes notant quos breuitati consulens relinquo.

Legitimantur igitur illegitimi, quicumque per Religionis ingressum. Per subsequens matrimonium etiam si nuptiæ intercesserint alterius Vxoris, *c.tanta est vis. Qui filij sint legitimi.* Per dispensationem Pontificiam. *Sixtus V.in Bulla Postquam.* Et quod attinet ad matrimonium, reputantur legitimi non solum nati ex vero matrimonio, sed etiam ex putatiuo, quia titulus putatiuus tribuit *ius. l.Borbarius de off. prætoris*, ex parte saltem vnius coniugis in facie Ecclesiæ celebrato. *c.ex tenore.c.referente. Qui filij legitimi sint.* V.g.si mulier bona fide transit ad secundas nuptias, putans virum esse mortuum, Etiam si non sit mortuus, Si nascatur ex matrimonio nullo ob impedimentum dirimens, dummodo illud sit occultum saltem vni ex coniugibus. *c. ex tenore. c.cum inter. c.peruenit. Qui filij sint legitimi*, Si post celebratum publicè matrimonium, illud annulletur, ignoretur tamen bona, vel mala contrahentium fides. *c. peruenit. citat.* Si genitus sit, dubijs parentibus de validitate matrimonij, quia si non accedit mala fides, semper dicitur bonę fidei possessor. *c.si virgo. 34. quæst. 2.* Si nascatur ex coniugibus vouentibus inter se castitatem post matrimonium. Quia nullum ius id vetat. Quod si quæras, si vir religiosus effectus, & vxor remanens in Sęculo, vt supra coniungantur, vltra sacrilegium erit ne legitimus filius, qui nasceretur? Respondeo affirmatiuè. quia matrimonij vinculum non erat solutum, sed impeditum, itaquè natus est vero ex matrimonio. quidquid dicat *Tortel.V.Illegitimus in addit.num.1.* quia *c.literas de fil.presbyt.* quod citat, non dicit esse illegitimum filium natum, & conceptum post patris Sacerdotium, sed suspectum ob incontinentiam patris, ob quam ab ordine suspenditur. Vt interprætati sunt *Cardinalis q.1.in fin. Butrius num. 7. Abb. num. 4. Bellem. num. 3. q.3.Maiolus.de irregul.l.1.c.4.num.9.* relati *à Sanch.de matr. lib.9.disput.28.num. 7. & à Barbos.in dictum c. literas, num.2. & 3.* Secus dicendum si matrimonium consummatum non fuisset, quia illius vinculum soluitur per solemnem professionem *c. decreta legalia.c.desponsatam. 27.q. 2. c.ex publico. de conuersione coniugatorum. Tridentinum Sess.24. de matrim.can.6.* vide citatos *à Barbos. de conuers.coniug.c. ex publico, & c.verum num.1. & Peirinum cit.num. 112. 113. & 122.* Si tandem sit expositus, siue natus ex legitimo, siue illegitimo toro. quod tamen ignoretur, censendus est legitimus, cum communiore, ac probabiliore opinione, quia satius est nocentem impunitum relinquere, quam innocen-

Illegitimi quomodo legitimantur.

Expositi censentur legitimi.

nocentem punire. *l.innocentem.ff.de pœnis.* & in dubio facti, nullus censendus est irregularis, excepto homicidio. eò vel maximè cum in iure id cautum non sit. *c.is qui. de sent. excom. in 6.* & dicitur declaratum à Gregorio XIV. anno 1591.ad instantiam hospitalis S.Spiritus in Saxia. Cum enim multi legitimi ob parentum ignauiam,& paupertatem exponantur, vt his parcatur, parcendum est etiam illegitimis.quidquid dicat *Marchinus citatus diff.*1. cuius solutiones ad relata fundamenta, non militant:præcipuè authoritas Vgolini, qui testatus est, in multis annis, quibus curam animarum gessit, nunquam vidisse legitimum expositum; Cum ego testis esse possim de multis legitimis expositis spacio aliquorum annorum, quibus Lateranensis Pœnitentiariæ curam gero. Sed linquo vlteriorem congeriem de illegitimis, & eorum legitimatione, cum hæc sufficiant,pro aliquali cognitione ad commodiorem Nouitiorum receptionem.

Illegitimorum vitia.

Sed quæritur Primò, si iure communi, & in viridi obseruantia permanente, illegitimi,& recipi possunt & de facto legitimè recipiantur,cur in Statutis ordinis recipi prohibentur? Respondeo quia, vt diximus, noxij, vt plurimum euadunt, & parentum vitia, secum trahunt, nec macula ista per dispensationē radicitus eruitur. Sunt enim aurum alchimicum,infames, in honesti, sordidi,familias deturpantes, indecori, inhabiles, ad ea quæ in decore consistunt, inter illustres pro nihilo reputandi,ab omnibus abhorrendi,omnibus,etiam plebeis post ponendi. Familiarum insignibus, honoribus, hæreditatibus, maioratibus indigni. Ecclesiæ honorum, dignitatum, ordinum incapaces. Et alia, quæ videri poterunt apud *Peirinum cit. num.* 125. & licet in aliquibus contrarium accidat, cum tamen ij sint rarissimi, non debet Religio, sine manifesta, & euidenti causa aliquem illegitimum recipere, & proinde constituit Regulam generalem,quæ aliquando exceptionem pati potest.

Illegitimos malè recipiētes sunt excommunicati.

Quæritur secundò, An recipientes illegitimos, non suffragantibus meritis, & non habita circa illos matura deliberatione. Sint excommunicati? Respondeo, *Hieronymus Rodrig. resolut.* 101. *numero 6.citans. Villalobos.* 2.*part. tract.* 35.*diff.9.&* 10.*& Rodrig.tom.* 3.*q.*10.*art.*4. *&* 5. Negant incurrere, eo quod Gregorius cit. reuocauerit constitutiones sixstinas. Et licet huc vsquè verum dixerint tamen in oppositum eundem est, quia Clemens Octauus citatus reuocando supradictas constitutiones, quoad nullitatem professionis eas tamen valere voluit contra superiores non seruantes formam in dictis cōstitutionibus ordinatam, quoad receptionem, & professionem. Et iam diximus,formam consistere,vt in Capitulis, & Congregationibus inter Patres fiat deliberatio de meritis, &c.Idquè sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ergo aliter procedentes has pęnas incurrunt. Nec video quomodo ex hac difficultate extricari possimus.

Diffinitores tamē pęnas non incurrunt.

Quæritur tertiò.An excommunicationem hanc contrahant etiam Diffinitores. Respondet *Tortell.V. Nouitij informationes num. 6.in fin.* incurrere.*Et nota (inquit) quod quando Prælatus culpabiliter admittit criminosos, & incurrit prædictas pœnas, easdem etiam incurrunt Patres, cum illo assistentes, seu cum illo recipientes, vt patet ex Bulla prima Sixti, ibi, quoscumquè Religiosos, & eorum Superiores qui receperint. &c.* Aliter tamen dicendum est, quia Clemens Octauus. *In suprema Ecclesiæ.* Reducens ad terminos iuris duas Constitutiones Sixti, & aliam Gregorij §.4.ait, *Verum pœnas contra Superiores quorumcumquè*

cumque ordinum, etiam mendicantium, qui in admittendis regularibus ad habitum, & professionem earundem constitutionum formam non seruauerint, aut aliter quouis modo contrafecerint, ipsis constitutionibus inflictas, saluas esse volumus, & Statuimus. Superiorum tantum facit mentionem, & cum Diffinitores, vel quicumque alij Patres receptionibus Nouitiorum destinati, Superiores non sint, nec in pœnalibus fieri debeat extensio, alij præter Superiores puniendi non veniunt.

Quæritur quartò An incurrantur aliæ pœnæ à malè recipientibus, præter excommunicationem? Respondet idem *Portel. citatus num.* 5. dicens *Prouincialis, vel Prælatus localis illas culpabiliter omittens incurrit pœnas à Sixto positas, quæ sunt priuatio vocis actiuæ, & passiuæ, priuatio officij, bonorum, & dignitatum, & inhabilitas ad omnia officia*. Et prius firmauerat *Miranda tom.* 1. *quæst.* 21. *art.* 5. *con.* 2. Dico tamen, in mala receptione illegitimorum, non incurri nisi solam excommunicationem. Si enim de alijs inhabilibus secundum bullam Sixti intelligat Author, vt declarandus est (licet vniuersaliter loquendo, illegitimos etiam comprehendere debet, qui sunt primi in Bulla Sixti) benè loquitur; attamen de illegitimis, puto solum militare excommunicationem, de qua fit §.2. *circa finem*. *Quicumque Superiores, &c. qui ex prædictis incesto, & sacrilegio genitos ad habitum receperint, vel ad professionem admiserint excommunicationis sententiam eo ipso incurrant, à qua, &c.* & de alijs illegitimis in fine §.3. ait. *eorumq; receptores excommunicatione, vt supra innodati existant ipso facto*. Vide igitur quomodo in materia tota illegitimorum, excommunicationem solam bis replicat. §. §. deinde quarto, & quinto enumeratis latronibus, decoctoribus, obæratis, alijsq; inhabilibus ad habitum, §. 6. ait, *& insuper quoscumq; religiosos, eorumquè Superiores, qui aliquas personas, vt dictum est, inhabiles receperint, voce actiua, & passiua, necnon officijs, gradibus, honoribus, & dignitatibus: quibuscumquè per eos obtentis, eò ipso in perpetuum priuamus, & ad alia in posterum perpetuò inhabiles, &c.* Vbi ea verba. *Vt dictum est inhabiles*, Non debent referri ad illegitimos, quia de illis iam præscriptum fuerat, sed ad alios immediatè recensitos. Dictio enim, *Vt supra*, licet repetat antecedentia cum suis qualitatibus, non repetit tamen omnia, sed solum expressa, eò casu præcipuè, quando ex multis conditionibus appositis, in sequentibus repetatur vna sola, tunc enim restringit dispositionem ad limites præcedentis dispositionis, vt censuit *Rota decis.* 49. *n.*2. *apud Farin. par.* 1. *recent. & docet*. *Tuscus practicarum conclusionum tom.*2. *littera D. concl.*404. *nu.*3. *apud Barbos. de dictio. vsu freq. dictione* 441. Et quod solum ad immediatè expressa referri debet, *Vt Gemin. tradit cons.*24. *n.*3. *patet ex* §.7. *in fine*, vbi post determinationem, ne recipiantur in Conuentibus, &c. Ambulantes sine obedientia, ait, *Et tamen volumus vt qui regulares ignotos, aut sine licentia, vel literis, vt supra receperint, dictas pœnas priuationis vocis, &c. pariter incurrant*. Quibus verbis apparet Sixtum variasse pœnas pro qualitate transgressionum, quia sacrilegè natos ac incestuosos, vtpote grauioris notæ inhabiles, grauiori, ac executiua pœna mulctauit, qualis est excommunicatio maior reseruata. Alios illegitimos non ita turpes sanctione mitiore puniuit, qualis est priuatio, &c. Quæ non incurritur, nisi post declarationem, & sententiam. Recipientes eos, qui sine obedientialibus literis vagantur, eadem priuatione plectendos voluit, non attamen addidit, *eò ipso*.

Sola excommunicatio incurritur in mala Nouitiorum receptione.

Vt supra quam vim habeat.

Sicut

Sicut fecerat de recipientibus ad habitum facinorosos,quia minor culpa mitiori pęna emendari debet. Ex quibus patet receptores illegitimorum, sola excommunicatione coercendos esse.

Quæritur quintò An *possit recipi filius illegitimus in ea Religione, in qua pater siue ante, siue post natiuitatem dicti filij professus fuerit, ipso patre viuente*, Quod expræsè prohibuit Gregorius XIV. in citata sua Constit.§.3. in fine? Respondet *Miranda* 1. *part. sui manualis, q.*21. *art.*5.*con.*2. *& cum ipso Portel. V. Nonitij qualitates iuxta Bullam Sixti V. num.*11. posse, quia Bulla Gregorij est reuocata per Clementem Octauum. Attamen oppositum esse dicendum, patet ex Bulla eadem Clem. VIII. in fin.§.3. vbi ait *Constitutiones prædictas Sixti prædecessoris nostri, quoad eam partem, per quam eorum, qui formam in ipsis constitutionibus præscriptam de cætero non seruauerint, & quoad alios etiam casus ibi expressos, in quibus receptorum professio nulla declaratur, ad terminos iuris, &c. reducimus*. In quibus verbis duo sunt notanda, Primum, quod de constitutione Gregorij, nec verbum facit in reuocatione. Secundum, quod reuocantur dictæ Constitutiones solum, quoad formam,& inualiditatem professionis. Casus autem exceptus à Gregorio,nec forma est, nec ibi professio inualidatur; ergo remanet dispositio in suo robore,eò vel maximè,quod etsi reducta esset ad terminos iuris (quod negamus) in iure prohibentur filij presbyterorum ministrare in Ecclesijs Patrum. Vt patet toto titulo de filijs presbyterorum ex quo nota, c.conquerente. *vbi Alexander III. scribit Vigorensi Episcopo. Mandamus quatenus si publicum est, & notorium Patrem R. Clerici habuisse in prædicta Ecclesia personatum, filium eius ibidem ministrare, aut eiusdem Ecclesiæ personatum habere nullatenus patiaris, & si iam institutus est ibi, eum inde non differas amouere*. Personatum autem esse diffinitoratum, discretatum, &c. docet idem *Miranda tom.* 2. *quæst.*1. *art.*8. *conclus.*1. *& cum ipso Peirinus citatus, numer.* 135. *Portel. V. illegitimus num.*8.

Illegitimus non potest recipi in Religione, vbi pater sit viuus.

Diffinitoratus est personatus.

Et licet in odiosis nomine Clericorum nō veniant regulares,vt notauit idem Rodrig. vbi supra *art.*7. quia argumentum à simili non valet in pęnalibus, *gloss. in c. in pęnis. de regul. iur. in* 6. tamen cum præsentissima sit etiam in regularibus ratio legis, vt nimirum *paternæ incontinentiæ memoria à locis Deo sacratis, quos maximè puritas, sanctitasquè decet) longissimè arceatur*, vt loquitur *Concil. Trid. Sess.*25. *de reform. cap.*15. & maximè decet ablegari à Prouincia, & conuentibus memoria incontinentiæ patris; tenenda est etiam legis præscriptio quoad regulares vt probat contra Rodriguez citatus *Miranda art.*10. *& Tamburrinus tom.*1. *disp.*5. *q.*15. cum quibus non sentio circa dispensationem pro dignitatibus obtinendis, à filio illegitimo in eo Conuentu, vbi pater obtinuerit, quia licet canonibus sit vetitum, saltem per vniformitatem rationis, & conuenientiam, tamen cum dispensatione, & in casu maximè emendationis, fieri posse, negari non debet, eò vel maximè, cum non de vno, & eodem Conuentu id affirment, sed de omnibus vnius Prouinciæ, & totius Religionis, in quibus manifestissimè cessat ratio Sacrorum Canonum. Si enim Pater hic Romæ sit Guardianus,quid impedit,quod in Indijs filius Guardianus esse non possit? Quæ hic incontinentiæ memoria? Et si conceditur hoc ex dispensatione Pontificia, eadem rationem concedi potest, cum dispensatione Superiorum Ordinis, facta virtute priuilegiorum Apostolicorum, quæ eandem præseferunt facultatem, absolu-

Ratio legis pęnalis extenditur.

Illegitimus potest habere dignitatē in religione patris, & quomodo.

absolutam scilicet, & delegatam, quare hac difficultate relicta.

Certum est de iure, non posse recipi filium in Prouincia, vbi professus sit pater; tamen cum dispensatione id fieri posse negandum non arbitror, quia si regulares habent facultatem dispensandi cum filio, vt possit esse Prælatus, vbi fuerit pater, multò magis poterunt illum ad habitum recipere.

Sed quid, si filius fuerit prius professus in aliqua Religione, poterit ne postmodum recipi pater? videtur affirmandum, quia iura allegata prohibent recipi filium, vbi fuerit Pater professus, non è contra, & in odiosis, non est facienda extensio, *c. odia. de reg. iur. in 6.* Respondeo non posse sine dispensatione, quia relatiuorum est eadem ratio, & non minus militat memoria incontinentiæ in primo, quam in secundo casu. *Pater nō potest recipi, vbi filius illegitimus fit professus.*

Quæritur sextò. An receptio illegitimorum, & secuta professio sint validæ non seruata forma Constitutionis Sixti V. Respondeo primò, si fiat à Superiore, & patribus non congregatis in Capitulo, vel Congregatione intermedia; sed vel alio loco, & tempore coactis, vel separatim exploratis per literas, vel quid simile, non valet. Quia non est seruata forma substantialis à lege præscripta. Sixtus enim, & Gregorius expresse mandant fieri à *Generali, vel Prouinciali capitulo, matura deliberatione habita, cum vnanimi consensu Diffinitorum.* Vt dicit Sixtus V. in priori cōstitutione §. 3. fine, & in altera semper requirit vnione trium, duorum, vel plurium patrum. Et Gregorius XIV. §. 4. *Cum illegitimis, quos dictus Generalis, aut Prouincialis, cum Generali, aut Prouinciali, seu intermedio Capitulo. & non alias, Dignos iudicauerint, &c. dispensare.* Quæ §. 5. ad receptiones extendit; non seruata autem forma à lege præscripta, corruit actus, *Panorm. in c. ex parte, de constit.* Quem citat, & sequitur *Rodrig. tom. 2. q. 103. art. 1. in medio.* Quem suo more transcribit *Miranda par. 2. q. 17. ar. 2. concl. 1. Suarez lib. 5. de legat. c. 31. per totum, præcipuè à num. 9. Hieronymus Rodrig. resol. 126. num. 3.* Defectus enim formæ est destructio essentialis, *l. Iulianus §. si quis, ff. ad exhibendum.* hinc commune iuristarum axioma. *Ex forma non seruata resultat nullitas actus.* Quod autem sit forma essentialis, non accidentalis, patet ex traditis à Suar. prædicto, quia continet naturalem æquitatem, vt inter receptores inhabilis, fiat consultatio, discussio meritorum, &c. Et cum receptio Nouitiorum in genere, & secundum Statuta Religionis, & secundū Bullas Apostolicas fieri mandetur à patribus congregatis, multò magis id seruari debet in Nouitijs exceptuatis. Et talis forma orta veluti est, cum receptione ipsa Nouitiorum. Adde, & particulam illam Gregorianam, *& non alias.* Quæ particula formam, & solemnitatem iuris importat, *l. de his, ff. de transact. vbi Bart. Tiraquell. de retractat. Conuent. §. 4. glos. 7. num. 14. Cassan. de consuetud. Burgund. rubrica 7. §. 3.* & sonat, ac aliter, vel alio modo, quam expresso *Gonz. ad regul. 8. Cancell. glos. 49. num. 2. & 3. Natt. cons. 372. num. 5. vol. 2. Rum. cons. 42. num. 25. vol. 2. Ćened. sing. 62. num. 1.* Respondeo secundò, si fiat non seruata forma, quoad examen, & discussionem meritorum, peccatur mortaliter, & puniendi sunt receptores, quia negligentes sunt in re graui, quam maximum omnium negotiorum Religionis, dixit *Peirinus in Formulario litter. N. cap. 2. numer. 1. & tom. 2. de Prelato q. 3. cap. 1. num. 25.* Et per Statuta generalia ordinis officijs, & suffragijs priuati decernuntur: Quæ infra examinabimus. Non tamen irritatur professio, quia id expresse cauetur in Bullis citatis Greg. & Clem.

Illegitimi recepti à non vnitis, non sūt legitime, nec recepti, nec professi.

Forma substantiali non seruata, corruit actus.

Non alias formam iuris importat

qui

qui propter hoc solum, duas Sixtinas Constitutiones ad terminos iuris redu-xerunt. Monet autem *Rodriguez tom.3. q.54. art.4. apud Portel. V. Nouitij informationes num.6.* Quod Superiores omittentes tales informationes non sunt digni pœnis taxatis in Bullis Sixti, si in re Nouitius non habeat aliquod impedimentum ex ibi enumeratis, quia Bulla solum ligat, qui receperint criminosos, & lata est in fauorem Religionis. Ex qua Doctrina infertur, recipientes non seruata hac forma (quæ accidentalis est) notoriè sufficientes, & cognitum patribus receptoribus non incurrere has pœnas. *Mirand. tom.1. quæst.18 art.1. Sorbus V. Nouit. tit. de recept. Nouit. Corduba in Regul. c.2. q.4. vbi Polit. n.14. relati à Peirino de Prælato quæst.3. cap.1 num.26.* vbi alios citat, & iura: quia in notorijs non seruatur ordo *cap. manifesta 2. quæst.1. cap. ad nostram 3. de iur. c. quoniam de fil. præsbyt.*

Notoriè habiles si recipiantur sine forma tradita, sunt bene recepti.

§. 7.

Debitis expediti) Includit duo requisita à Sixto V. in cit. Constit. *Cum de omnibus.* His verbis contenta. *Neque ingenti ære alieno grauatos supra vires facultatum suarum, vel reddendis rationibus ita obnoxios, vt ex huiusmodi causa lis, vel molestia eis iam illata, vel timendum sit, ne inferatur.* Quæ conditio ex iure communi desumitur *cap.1. de obligatis ad ratiocinia.* Tales enim, ordines suscipere prohibentur, & (vt ait *Portel, citatus numer.19.*) Multò magis professionem emittere. Et fundatur in iure naturali, & diuino, quia reddere alienum præceptum naturale, & diuinum est, cui opus supererogationis præualere non potest. Non enim violandum est præceptum, vt adimpleatur consilium, nec sunt facienda mala, vnde veniant bona, vide *Cordub. in cap.2. Regulæ q.5. circa fin. §. Respondeo secundum Gersonem S. Thom. 2.2. quæst.189. art. 6. ad tertium.*

Debitores recipi non possunt.

Preceptum prius seruandum est, quã consilium.

Pro declaratione huius materiæ. Ponam casus aliquot, qui obseruandi erunt, de quibus *Corduba supra per totum, Peirinus citatus num.73. qui ex Sanchez, &* alijs sequentia elicit. Primò, *motus Sixti V. non habet locum in monialibus.* Sixtus V. expressè §.18. *Bull. ad Romanum. Neque in recipiendis ad ordines militares.* Quia de his non fit mentio §.2. *Bull. cum de omnibus.* Secundò *Nec in non habentibus vnde soluant.* Quia ad impossibile nemo tenetur. Tertiò, *Nec in ijs, qui habent debita, sed non magni momenti.* Quia dicitur ingenti ære, &c. Quartò, *Nec in ijs, qui habent magna debita, sed incerta.* Quia potest ipsi cõdonari, sicuti in alios pios vsus applicari. Quintò, *Nec in ijs, qui sine sua graui culpa impotentes effecti sunt, siue sit spes, vt in seculo manentes, possent ea soluere, siue non.* Quia persona est libera, & non serua creditoris. Sextò, *Nec in ijs, qui bonis cesserunt, etiam si sua culpa debita contraxerint, nec est spes, vt in seculo manentes, breui sint satisfacturi.* Quia fecit quantum potuit, & iam debitis est solutus. Septimò, *Nec vbi Creditores consenserint, vt Religionem ingrediantur,* quia *volenti, & consentienti non fit iniuria.* Octauò, *Nec quando Monasterium, vel alius ad eorum solutionem obligantur,* quia *qui per alium facit, &c.* Nonò, *Nec in ijs, qui ex liberali promissione, ludis, cambijs, & alijs contractibus illicitis debita contraxere,* quia textus inquit. *Ingenti ære alieno.* Decimò, *Nec in ijs, qui essent à Iudice criminali condemnati ad soluendam aliquam ingentem summam pecuniæ,* eodem modo. Vndecimò. *Nec in non excedentibus decimum sextũ, an. ita textu.*

Nouitij qui non recipiendi iuxta motũ Sixti V.

Obno-

Obnoxij autem ratiocinijs reddendis, intelliguntur tam publicis, quam priuatis quia textus indifferenter loquitur, & non distinguit: ergo indifferenter interpraetandus est, *l. de pretio ff. de public. in rem. auct.* huiusmodi sunt Tutores Curatores, Procuratores, Administratores, Publicani, Thesaurarij, Depositarij, Magistratus, Iudices, &c. *Obnoxij ratiocinijs, tā publici, quā priuati.*

Nec omnes tales excluduntur, sed illi solum *quibus illata est, vel inferri timetur lis,* ne scilicet Religio nimis grauetur *Rodr. tom.3. quaest.10. art.1. Siluester V. ratiocinium Azor. tom.1. lib.12. cap.3. q.8. Sanchez lib.4. in decal. c.19. num. 21. Hieronymus Roder. resol.101. n.13. Peirin. citat. q.3. c.1. §.2. n.75.* patet ex textu iam adducto. Vnde hoc cessante possunt recipi. Idquè tam de debitoribus, ac obligatis ad ratiocinia, quam de eorum haeredibus intelligi debet, quia haeredes succedunt mortuis.

De mercatoribus, qui varijs inter se contractibus, mutui locationis, cambij, &c. tenentur, dubium est, an possint ad habitum, & professionem admitti? Affirmant *Diaz in prax. cap.20. n.4. Portel. & Bonacina citati à Peirino supra n 76.* Melius tamen est, negantem partem sequi, quia isti verè grauati sunt ingenti aere alieno, quod debent ratione praedictorum contractuum. Licet enim haec non sint ratiocinia, sunt tamen debita, & in re, sunt aes alienum. *Mercatores debitores recipi non possunt.*

An grauatus ingenti aere alieno supra vires facultatum suarum, vel obnoxius ratiocinijs reddendis, cui intentata sit lis, vel intentari timeatur, & manens in saeculo posset vel in totum, vel in partem satisfacere, si temerè recipiatur ad habitum, & ad professionem admittatur, sit legitimè professus? Respondent omnes affirmatiuè, quia per Clementem Octauum, & Gregorium decimumquartum sublata est nullitas professionis, inducta supra ius cōmune per Sixtum V. peccant tamen mortaliter, & recipientes, & receptus.

Contra. Votum non est validum contra ius diuinum, & naturale, ergo non valet professio contra obligationem restituendi. Nam, & si concedi posset, quādo debitor non esset potens soluendi, nec etiam remanens in saeculo (quia ad impossibile nulla est obligatio *de reg. Iur.*) tamen *mutare consilium, quis non potest in alterius detrimentum reg.34. de reg. iur. in 6 c. mutare.* Et supponimus posse satisfacere, vel in totum, vel in partem, si in saeculo remaneret.

Respondeo, persona Christiana libera est, ad *Galat.4. si Spiritu ducimini, non estis sub lege 2. Cor.3. vbi Spiritus Domini, ibi libertas* ad Haebr. *non sumus ancillae filij, sed liberae, qua libertate Cristus nos liberauit,* & si debet, id non est ratione personae, sed bonorum, quorum defectu in seruitutem redigi non potest, sicuti poterat in lege veteri, 4. *Regum* 4. hinc si bonis cadit, vel non habet vnde soluat, ad nihil tenetur: ratione igitur personae non est incapax Religionis. Et licet secundum conscientiam non possit assumere habitum Regularem, nisi prius, vel soluat, vel faciat quantum in se est, tamen aliter factum tenet, quia *multa facta tenent, quae fieri prohibentur, de regul. Iur.* hinc si sua bona in mare, cum Biante demergeret, vel seipsum impotentem per infirmitatem redderet, peccaret quidem, hoc faciendo, sed factum iam teneret. Ita licet contra praeceptum diuinum faceret vouendo, factum tamen votum teneret, quia materia voti non est praecepti transgressio; sed melioris vitae propositum. Factus autem religiosus, tenetur facere quantum in se est, vt satisfaciat creditoribus, siue laborando in Religione, siue extra illam, cum licentia Superioris, & simul obseruare *Si debitor reciperetur professio esset legitima.*

vota,

Recipientes scienter debitorem, tenentur restituere.

Professio habentis parẽtes sua opera indigẽtes victum valet, sed parentes alere tenetur.

Religiosus proprofessus, quid facere potest, & debet pro parẽtibus extremè indigentibus.

vota & præcepta regulæ secundum exigentiam operis. Quod si receptores nouerant eius debita, & tamen eum receperunt, tenentur ipsi, vel Religio ad satisfactionem debitorum ipsius. Et aliter faciens professus, est in continuo peccato mortali, quia non facit quantum in se est pro satisfactione. Quidquid in oppositũ sẽtiant *S. Thomas, Raymũdus, Angelus, Siluester relati, & refutati à Corduba citato quæst. 5. in cap. 2. Regulæ,* vbi doctè rem hanc septem punctis resoluit. Sed, An valeat professio eius, qui relinquit in sæculo pauperes parentes, & sua opera indigentes ad victum? Dubitat *Peirinus cit. q. 3. cap. 1. §. 2. con. 10. n. 69. & 70. fol. in nouis.* 454. & à communi non audet recedere, quæ valere talem professionem affirmat, vbi multos citat, post plurimos alios citatos, *De Subdito, quæst. 1. cap. 9. conclus. 1. et 3.* Quia nulla est incapacitas personæ, nulla prohibitio, nulla inualidatio. Etiam si persona in hoc casu sit obligata parentibus, ratione acceptæ naturæ. Tamen si receptores parentum inopiam sciebant, tenetur Religio parentes alere, quibus alimenti ministrum, & debitorem eripuit in receptione filij. Filius item peccauit mortaliter, sicuti, & receptores, dum Deo offerre voluit munus, diuino, & naturali iure parentibus debitum. *Matt.* 18. & tenetur ipsorum necessitatibus subuenire, vel intra Religionem, cum honestis exercitijs, scribendi, pingendi, concionandi, libros imprimendi, componendi, pannos fabricandi, confessiones audiendi, eleemosynas quærendi, vel extra laborando, dum in extrema necessitate, famis, carceris, infirmitatis, mendicationis contra suum statum, & honorem generis, reperirentur. Hoc enim est honorare parentes, quorum intuitu suspenditur votum simplex Religionis. Quod si Prælati licentiam indulgere nollent exeundi, potest exire è Religione, etiam reclamante Prelato, in casibus tantum extremæ necessitatis, vt idem *Peirinus cit. quæst.* 1. *conclus.* 2. affirmat cum multis ab ipso citatis, Quia præceptum Iuris diuini naturalis præualet præcepto iuris diuini positiui, qualis est professio regularis. Quinimmò debere exire à religione, si prælatus contradicat, & alia via succurrere non possit, affirmat. cum *Valentia, Maiore, Corduba, Miranda* conclus. 3. Quia concurrente præcepto diuino, & naturali subuentionis parentum quod maius est, cum præcepto regularis obedientiæ, quod minus est, obseruandum est id, quod maius est Remanet enim filius viuus realiter parentibus, qui fictione iuris mundo mortuus affirmatur. Nec votum in hoc casu obligat, quia est maioris boni impeditiuum, vt dicit *Valentia.* Et præceptum affirmatiuum honorandi parentes, licet non obliget semper, & ad semper, semper tamen obligat in casu extremæ necessitatis: Nisi religioso filio propter egressum à Religione immineret periculum peccati mortalis; quia tunc salus animæ præualere debet cuicumquè necessitati infra Deum Lege *Cordubam quæst. 6. in c. 2. regulæ.* Hæc dixerim, vt ipsi Prælati aduertant quale, & quantum malum sit huiusmodi filios in Religione recipere, ob quorum receptionem ordo conturbatur deuoti fastidio afficiuntur, pietas offenditur, scandala generantur.

* Sed ne per superiores aperiatur via ex caritatis defectu, huiusmodi inconuenientibus, à quibus maximè abstinere debent etiam ipsi Religiosi Parentum miserabilium filij, cum possint alijs ex locis, & personis eorum superiores prouidere, ex conscientia tenebuntur, vt prudenter putant aliqui. Quod cauendum est in extrema necessitate, quæ nunquam, aut raro dari potest, vt satis doctè ostendit *Portel. cit. v. Parentes fratrum,* per totam addit. Et verè cum mortui

fuerint

fuerint Mundo, non debent Mundum repetere, cum maximo propriæ salutis spiritualis periculo, & si sufficientem causam habeant, vt cum ipsis dispensetur. Ità etiam, alijs citatis, existimat Lezan. to. 1. cap. 24. n. 40. Qui tamen n. 3. asserit mortaliter peccare filios, habentes huiusmodi parentes, qui Religionem ingrediuntur in extrema, vel graui necessitate constitutos, dummodo non sit alius, qui succurrat. Si verò ex huiusmodi seruitio, & obsequio Parentibus exhibendo, sequatur filio notabile dispendium salutis spiritualis, poterit prouidendo animæ suæ intrare Religionem, & in ipsa profiteri. Ex *D. Tho. 2. 2. q. 101. art. 4.* cum alijs. Idem dicendum de Patre respectu filiorum propter eandem, & maiorem rationem. *

Salutis spirit. Religiosorum praeponenda Parent necessitati.

An teneatur etiam hæc præstare ob inopiam Sororum, Fratrum, etiam in periculo incontinentiæ, conclusio est negatiua, quia cum ipsis obligationem naturalem non habemus, sicuti cum parentibus.

Concedere verò licentiam exeundi, retento habitu, possunt Generales, & Prouinciales. Vt affirmant *Nauar. Rod. Sanchez* citati à Peirino supra, immediatè ante quartum dictum.

Pro subueniendis parētibus, exeundi licētiā Superiores concedere possunt retēto habitu.

Tandem noto, quod dixit Miranda in Regulam Sancti Patris Francisci cap. 37. nimirum tantum abesse, vt in ordine nostro recipi debeant ære alieno grauati, &c. quin ex cap. 2. regulæ, recipiendis dicendum est, *vt vadant, & vendant omnia sua, & ea studeant pauperibus erogare.* Vbi supponitur, tales diuites esse, & relinquere mundum ob amorem Christi, non sequi Religionem, vt Creditores effugiant, quiquè ex Hieronymo in epitaph. Nepot. *Diuites esse quærunt sub Christo paupere, qui pauperes erant sub Diabolo locuplete.* Hinc ex talium receptione, quæ frequens est, mirum non est, si quotidie ordo vilescat.

Diuites ex Regula recipiendi.

§. 8.

Conditione liberi) Hinc recipi non debent Serui *c. qui verò 16. q. 1.* ibi. *& neminem Seruorum suscipi in Monasterium, vt sit cum eis Monacus, nisi cum Domini proprij licentia. prætereuntem vero, hæc, decernimus extra communionem esse, ne nomen Domini blasphemetur.* Hæc concilium Calcedonense, *& c. si quis Seruum. 1. & 2. 17. q. 4.* In Concilio Gangrensi excommunicantur, qui inducunt Seruum assumere Religionem inuito domino. Et excommunicationi addit priuationem proprij honoris Gelasius *in cap. Generalis d. 54. in qua d. cap. si Seruus 2.* inualidatur professio facta à seruo, quem repetere potest Dominus, si non consensit, saltem intra spatium trium annorum, si fuerit præsens, vel non satis distans, quo elapso, intelligitur facta vsucapio, ad fauorem Religionis, & Serui, si Dominus non reclamauerit, nisi fuerit longissimè distans, itaut facilè illum inuenire non potuit, quia tunc non currit præscriptio, *c. si quis incognitus. 7. q. 2.* est sententia *Paludani in quarto d. 38. q. 4. S. Anton. 2. p. tit 11. c. 2. Azorij lib. 12. c. 1. q. 3. Portel. V. Nouitij qualitates de iure comm. n. 23. Peirin. cit. q. 3. c. 1. §. 2. n. 43. 44. & 45. Sanchez lib. 5. in decal. c. 4. n. 49. A. S. fausto in thesauro lib. 5. q. 129.* Licet valere professionem putet *Suar. tom. 3. de relig. lib. 6. c. 6. n. 2.* Sed contra communem sensum, & ius naturæ opinatur, quia nemo potest vouere; vel dare Deo, vel Religioni, quod suum non est. Hac enim ratione etiam Vxor posset intrare in Religionem inuito marito, quod omnino est falsum.

Serui receptio, nulla est quando.

D Epi-

Episcopus confirmatus, & consecratus non potest Religionem assumere sine licentia Papæ, *capit. licet de Regul.* ibi. *Illa semper Regula inuiolabiliter obseruata, vt nullus absquè licentia Romani Pontificis præsumat occasione quacumquè, deserere præsulatum; quoniam sicut maius bonum minori præponitur, ita communis vtilitas speciali vtilitati prefertur. &c. Nisi cum pridem, de renunciatione, vbi Innocent. III.* De causis concedendi licentiam Episcopo, vt ad monacatum transire possit, fusè discurrit, & Ratio est, quia Episcopus est sponsus Ecclesiæ, ergo ligatus illi. Episcopus est in statu perfectionis, religiosus in via; non potest autem fieri regressus à perfectiore ad minus perfectum. *Sanct Thom. 2.2. quæst. 184. artic. 7.* Et est communis, poterit autem ante confirmationem, quia tunc non est nisi sponsus, rato,& non consumato matrimonio. At confirmatus contrahit vinculum indissolubile, cum sua Ecclesia, *c. inter corporalia, de translat. Episc. Suar. tom. 3. de Relig. lib. 6. c. 8. l. Peirin. cit. nu. 46. 47. & 88.*

Episcopus nō potest fieri Religiosus sine licentia Papa.

De vxoratis iam dictum est. Hi enim non sunt domini corporis sui, sed serui, & obligati ad inuicem.

Professus alterius Religionis recipi non potest, nisi ad strictiorem transeat, quia non potest retrò respicere, postquam ad aratrum manum applicauit. Expressè prohibetur per *Trid. Sess. 25. de Regul. cap. 19.* & est communis. Quæ autem sit strictior, variè sentitur, Chartusiani putant suam, Minimi apud *Peirinum cit. num. 55.* putant suam omnium strictissimam, ob vitam quadragesimalem, nostri, *S. Bonauentura quæst 18. super Regulam, & capit. 2. illius; Corduba quæst. 2. introductoria in eandem. Miranda tom. 1. quæst. 31; Cyprianus Cappucinus lect. paren. 5. in cap. 2. Regulæ fol. 104. §. quæres si transitus. Hugo de Dina, Pisanus, & alij Expositores in illa verba cap. 2. Et nullo modo licebit eis de ista Religione exire iuxta mandatum Domini Papæ, quia secundum S. Euangelium nemo mittens manum ad aratrum, &c.* Tenent perfectiorem omnium Religionum esse minoricam, ob meliora, & perfectiora media, quæ habet ad consequendam perfectionem Euangelicam. Nec licere nostris, qui verè Regulam obseruant, transire ad alios Ordines, etiam Carthusianos, quia Martinus IV. concedens alijs transitum ad Cartusianos, non intendit de Minoribus suam Regulam obseruantibus, sed de illis, qui suo tempore obseruantes non erant. *Et P. Ludouicus Parisius allegat Innocent. VIII. prohibentem quibuslibet ordinibus receptionem Fratrum obseruantium sub pœna excommunicationis latæ sententiæ tam recipientibus, quam receptis; derogatquè priuilegijs in contrarium, vt idem P. Cyprianus loco citato refert.* Patres societatis, qua ratione eam præferant Religioni Seraphicæ, & consequenter alijs, legendus est P. Arthurus à Monasterio in suo Martyrologio Franciscano his diebus edito, in Additionibus pag. 622. à num. 76. & infra. Multa enim scitu digna ad huius rei elucidationem adducit, quæ mitto. Vnum est, quod licet ex eminentia Minoricæ Religionis, ipsiusquè super alias perfectione, arctiorique Euangelicæ normæ continentia omnes alios cuiuscumquè Ordinis Fratres recipere possimus, tamen quia (vt infra Statuta generalia prohibent) omnes ferè Religiones suis munitæ sint priuilegijs, ne contra Apostolicas sanctiones eatur, satius erit nullum in nostra Religione recipere.

Professus nō potest transire, nisi ad arctiorem.

Quæ strictior religio.

Minores ad aliam transire non possunt.

Ætatis

§. 9.

Ætatis ad minus sexti decimi anni completi) Cui pro cōgruita-te materiæ adiungo aliud Statū pro ætate recipiendorū in Laicos, quod tale est.

§. 10.

Nullus pro Laico citra vigesimum ętatis suę annum, nec vltra trigesimum recipiatur) *Rodrig. 3. tom. quæst. 12. art. 1.* Ait nō esse aliquod præceptū Regulæ, quod recipiendorum ætatem determinet. Eius compilator *Hieronymus resolut. 101. num. 23.* addit Nullum ius, vel præceptum Regulæ determinare ætatem recipiendorum ad Ordinem. Quod, si de iure communi intelligit, licet nō reperiatur positiuè quis annus sit determinatus, tamen reperitur, si puella ante annos duodecim velamen susceperit, posse à parentibus, & Tutoribus è Monasterio reuocari. Si verò compleuerit, non posse *cap. puella. 20. quæst. 4. & cap. cum simus, de Regular. Cælestinus 3.* determinat non valere professionem factam ante annos discretionis, qui in viris est decimus quartus completus, vt ex *Pisano in cap 2. Regulæ par. 5.* firmat citatus *Rodrig.* & est expressum in *c. significatum, de Regular. & c. ad nostram.* Alexander III. præcipit dimitti quemdam, qui inter Eremitas habitum susceperat ante annum decimum quartum, & *cap. quia insulis,* à Gregorio in Regestro præcipitur, Insulanos non recipi ante ann. decimum octauum, quia ibi *dura est Congregatio Monachorum*, & replicatur *20. quæst. 1. cap. quia autem.* Et de puellis non admittendis ad habitum ante annum duodecimum, est decretum *Concil. Trid. sess. 25. de Regul. cap. 17.* Si autem intelligat de iure particulari Ordinis, hoc etiam falsum est, quia in Statutis Martini V. *in c. 2. Regul.* dicitur *Statuimus, & ordinamus, quod nullus recipiatur ad Ordinem, nisi annum quartum decimum compleuerit.* Quod ad Verbum replicatur in Statutis Papalibus *Sub Iulio II. par. 1.* & pro Laico additur, *Nec pro Laico aliquis recipiatur, nisi annum decimum septimum attigerit, nec post 46. quia tunc non esset ad labores, & seruitia Fratrum idoneus.* Vallisoletana autem Statuta facta de mandato Pij IV. extenderunt ad annum decimum sextum completum, pro Clericis, & vigesimum pro Laicis.

Recipiendorum ætas in iure cōmuni

Et iure municipali.

Licet enim si post decimum quintum reciperentur, possent post decimum sextum legitimè professionem emittere, iuxta decretum *Conc. Trid. Sess. 25. c. 15.* attamen cōsultò ætatis extēsio in receptione proponitur, quia quò prouectiores recipiuntur, eò firmiores in proposito, promptiores in ministerio, cautiores in exemplo redduntur, Pueri enim vix regi possunt, & nutrice, potius, quā magistro, regularis indigent disciplinæ. Vnde experimento probatur, veriorem esse Nauarri sententiam, qua in Monachos & Canonicos assumi iudicauit moribus probatos, prudentia conspicuos, literis imbutos. Hi enim lapsibus minus proni sunt, & ex ipsorum, vel educatione, vel conuersatione minora solent oriri scandala. Cui subscripsit citatus Rodrig.

Prouectiores, melius quam iuniores recipiendi.

Extensio autem ætatis in Laicis, iustificatur ex instituto; recipiuntur enim ad labores, & seruitia Clericorū, quibus impares sunt pueri, & senes, qui potius regi & ministrari, quam regere, & ministrare possunt. Hunc annorum numerum in

Laicis præscripsit etiam *Clem.VIII.in recep.Nouit.*§.22. ibi, *Conuersi autem non recipiantur ante vigesimum ætatis suæ annum.* Sed quę culpa est, si vltra, vel citra hoc tēpus recipiantur? Respondeo sine causa, erit peccatū mortale, quia est trāsgressio in re graui, quod & Clem.VIII.in institut.Nouit.§.21. præcepit, dicēs, *ac præcipuè eorum, qui sext.decimum ætatis suæ ann.excedent*, quam conditionem inter grauissimas enumerat, nimirū de natalibus, ęre alieno grauatis, criminosis &c. Cum causa autem, nulla culpa erit. Causa autem dispensandi in hoc statuto, assignatur in Statutis Papalibus *Iul.II.cit.* vbi dicitur de Clerico, *Nisi pro scādalo euitando, vt si foret filius militis, aut Superioris dignitatis*, & de Laico. *Nisi vbi fortitudo, & robur corporis, ætatis debilitatem suppleret, vel nisi ex eius receptione, propter personæ singularitatem Clero, & Populo non modica ædificatio sequeretur.* Quę causę etiam in pręsentibus Statutis assignantur, & accipiuntur à Statutis Martinianis. Nobilitas igitur generis. Respectusq; ad potentes, & qui Religioni fauere vel nocere possūt, sunt causæ legitimę ad recipiendū aliquem ante tēpus. Addo euidentem feruorem spiritus, quē iuuenis recipiendus ostēderet, ac etiam bonæ indolis, & acuminis ingenij specimen, ne scilicet Religioni probabiliter profuturus repudietur, & amittatur, de se ipso, ante quindecim annos, per quinque menses recepto testatur *Miranda super Regul.c.44.* vbi citat *Siluest.V.Religio* 5.*q.3.* vide eundem *to.1.q.19.ar.6.concl.2.* In ijs autem qui pro Laicis recipiūtur, qualitates erunt, notabilis corporis fortitudo, & dispositio. Personæ nobilis singularitas, quæ senis receptionem faceret Clerico, & Populo commendabilem. De quo *S.Bonau.q.19.in Regul.S.Francisci citatus à Rodrig.supra art.3.prope fin.* vbi quatuor causas receptionum adducit. Primò, nimirum compassionem perditionis, nē scilicet extra Ordinem damnētur, qui in Religione saluari poterūt. Secundò, profectus, & iuuamenti Religionis, qui in aliquibus præsumitur. Tertiò ędificatio aliorum, qui ex conuersione aliquorum exceptuatorū cōpunguntur. Quartò, & Instantia, & Importunitas precum, se, vel suos commendātium. Et adducit parabolam seminantis Euangelici, qui multa semina iacit, sciens non omnia ad messem ventura. Et istæ causæ legitimæ sunt, & in praxim deducendę, iuxta patrum recipientium arbitrium, & animarum, ac Religionis zelum.

Recipere minores ætate, quæ culpa.

Causę dispēsandi in ętate.

Si quæras, supposita legitima dispensationis causa, an senex recipi possit, de quo præsumatur certò, nō esse sufficientem ad obseruantias regulares. Respondet affirmatiuè supracitatus Rodrig. Et suus abbreuiator *resol.cit.n.25.cū Abb. in c.magna n.2.de voto.Sanchez lib.5.decal. c.4.n.52.Villalobos.2.part.diff.12.n.3.* Quia sufficit esse habilem ad vota essentialia, quæ sine labore obseruantur, cum solo voluntatis affectu. Ad præcepta enim sufficit obligari iuxta sensum Regulę quæ impotentes non obligat, & iusta existente causa, excusat. Noto incidēter, quod probat idem Rod. senes, & ægrotos similiter cōputari, & cū ipsis, ac cum ægrotis eodem modo agendum esse. Verum in iudicandis senibus. An sufficiat quinquagesimus, an quinquagesimus quintus, an sexagesimus, an septuagesimus iudicio prudentis, & periti viri stari debet, qui ex cōplexionis constitutione, senectutem conijcere poterit. Cardinalis Paleottus de bono Senect.p.1.pag.mihi 8.& 224.& infra, hinc pueri centū annorū in Scriptura, hinc Canos emittētes in iuuentute, hinc morbi illi incurabiles, nisi per mortem, hinc Senectutes illæ venerabiles, sensus, vitaq; immaculata, non annorum numero computatæ Sap. 4.

Senis receptio.

Senes, & pueri.

Qui senes dicendi.

§. II.

Nulla vulgari infamia notati) Suppono notam, infamiæ distinctionem, nimirum Iuris, facti, & ignominiosæ professionis. Infames à iure sunt, quos leges, vel Canones infamant, *Iulianus l.* 1. *ff. de ijs, qui notantur infam. c. omnes* 6. *q.* 1. Infames à facto sunt, qui malè audiunt apud probos viros ex ipsa rei indignitate, *l.* 2. *ff. de obseq. à liber. & libertis part. & patr. præstand.* Infames ex ignominiosa arte sunt aleatores publici, tabernarum frequentatores, vinolenti, mimi, histriones, gladiatores, citharedi, macellarij, Satellites, Carnifices. Stephanus autem Papa *cap. infames* 6. *q.* 1. declarat infames à iure *Apostatas à fide, Ecclesiæ statuta contenentes, fures sacrilegos, criminali crimine irretitos, sepulchrorum violatores, sumentes arma aduersus partes Ecclesiæ, Incestuosos, homicidas, periuros, raptores, maleficos, veneficos, adulteros, transfugas à bello, postulantes dignitates, quibus sunt indigni, auferentes iniustè Ecclesiasticas facultates, calumniatores, accusatores, deficientes in probationibus, prouocantes animum Principis ad iram contra innoxios, excommunicatos, ab Ecclesia expulsos ob scelera.* Item *Mulierum raptores. Trid. Sess.* 24. *cap.* 6. *de reform. Duellantes, spectantes, adiuuantes, Sess.* 25. *cap.* 19. *de refor. Hæretici Schismatici, Papæ non obedientes, cap. alieni,* 2. *quæst.* 7. *Sanctæ Inquisitionis officium impedientes.* Pius V. in constitut. 82. §. 2. 3. 4. *Simoniaci, c. sanè* 15. *q.* 3. *Detrahentes pijs personis, c. si autem,* 11. *q.* 3. *Monachi procreantes filios, c. impudicas* 27. *q.* 1. *Sodomitæ, l. cum vir. C. de adulter. Lenones, l.* 1. 3. §. 2. *ff. de ijs, qui notantur infam. Incestuosi, illisquè consentientes, c. notificamus,* 35. *q.* 6. Prostituens propriam filiam, vel neptem, *c. Euphemium* 2. *q.* 3. *& cap. vltim. de secundis nupt. Corrupti ob falsum testimonium, c. si quis* conuictus, 22. *q.* 5. *Rei læsæ maiastatis, l. quisquis. C. ad l. Iuliam maiestatis. Facientes, consentientes, non lacerantes libellum famosum, c.* 2. *q.* 3. *c.* 1. *& vlt. q.* 1. *Conspirantes contra proprium Episcopum, c. Statuimus,* 11. *q.* 1. Omnes *existentes in crimine notorio, c. illi* 6. *q.* 1. Hæc omnia apud *Marchinum tract.* 1. *de Sacr. ord. par.* 10. *c.* 4. *qui citat Suar. Coninc. Filliuc. Garziam, à num.* 1. *ad octauum,* & latè tradit. *Barbos. de off. & pot. Episcopi alleg.* 43. *per tot. & præcipuè num.* 25. vbi iam recensitos ex *Azorio par.* 2. *lib.* 6. *c.* 7. *q.* 3. *V. infamia.* Copiosè deducit, quibus addi possunt *Io. Caluinus in lexico pag.* 462. *Peirinus de prælato q.* 2. *c.* 5. §. 4. per totum, & alij per multi ab istis citati. item *Miranda tom.* 1. *q.* 14. *art.* 4.

Infamia iuris, & facti, &c.

Infames qui sunt.

Verum obseruant, istos infames non censeri, nisi post sententiam Iudicis, vel nisi delicta fuerint publica. Nec placet Suarij, & Filliuc. Sententia apud *Marchinum.* 9. cum ipsis consentientem, qui dicunt delinquentes, quibus in iure adiungitur infamia ipso facto, esse infames, & vt tales se gerere debere, etiam ante sententiam, etiamsi sint occulti. Quia effectus infamiæ subire non debet, nisi condemnatus, vel conuictus, vel saltem accusatus, vt cum multis tenet *Barbos. loco citato a num.* 13. qui sibi contradicit. *num.* 18. repugnat enim esse infamem, & talem infamiam nemini esse notam, cum infamia famam tollat, & fama non est nisi in ordine ad alios. Vt taceam rationem communem, pœnas non incurri, nisi post sententiam, excepta excommunicatione.

Infames non censentur, nisi post sententiam.

Quod notasse velim, ad intelligentiam Statuti; Prohibet enim receptionem notatorum infamia vulgari, idest publica, nam vulgare in iure significat vsitatum,

Infamia vulgaris quæ.

tum, commune, solemne, proditum, *l.1.ff.de præscrip.verbor. l.46.in fin.ff.de hæred.instit.apud Brissonium de verbor. signific. pag. mihi 639. lib. 19.* Ergo saltem, quoad rem nostram attinet, secreta crimina à Religione non excludunt.

Infames quare è Religione arcendi. Grauissimè autem peccare, & exemplariter puniendos esse, qui tales infames ad Religionem admiserint, patet, vel ex eo, quod infamibus Religionẽ replent, & Sacrum Sodalitium infami conuersatione deturpant, infames ipsi, qui talium consuetudine delectantur. Vt sileam, quod infamibus, nec ad ordines, nec ad dignitates portæ non patent, *cap. qui in aliquo crimine dist. 51. c. Testes 2. quæst.7. c. infames 6. quæst. 1. cap. infamibus. de regul iur. in sexto*, & tamen recepti pro Clericis ordines recipere debent, & ad ordinis dignitates assumuntur, & cum infamibus Superiores dispensare non possunt, vt tenuit *Miranda tom.2.q.8. art. 5. con.1.* Quomodo enim regale Sacerdotium ex infamibus coalescere poterit?

Cũ infamibus Superiores dispensare non possunt.

Nisi extersa infamia, & quomodo illud. Sed poterunt recipi, extersa infamia, siue per Priuilegium Principis, siue per recuperationem famæ? Respondeo affirmatiuè, Quia iam cessauit infamia. Attamen circa illam, quæ infamibus artibus consurgit, cum facto contrario deleri non possit, semper erit Religioni dedecori, quando Satelles, vel Carnifex, &c. reciperetur, etiam si amplissimo priuilegio communitus accedat. Semper enim dicetur hic fuit Satelles, &c. Et intus, & extra Religionem stomacum, & scandalum commouebit. Recole quæ dicta sunt, de *Errore suspectus, &c.*

§. 12.

Illiterati, qui nam ad habitum, & ordines inhabiles. Qui saltem linguam latinam intelligant) Desumitur ex *Trident. Sess.* 23. c.11. Vbi dicitur *Minores ordines ijs, qui saltem linguam latinam intelligant, nisi alıud Episcopo expedire magis videbitur, conferantur.* Et de prima tonsura *cap.* 4. prohibet initiari, eos *qui legere, & scribere nesciant*. Et in genere illiterati ad clericatus ordinem promoueri vetantur. Adduco *Can. illiteratos. dist.36. Illiteratos, aut aliqua parte corporis vitiatos, vel imminutos, nullus præsumat ad clericatus ordinem promouere; quia literis carens, sacris non potest esse aptus officijs.* Intelliguntur autem secundum *glos.* de penitus illiteratis, qui iure naturali sũt irregulares, quia non possunt facere suum officium, & cum istis nec Papa dispẽsare potest. Quia ratio poscit, vt ad ordinem nõ assumatur, qui ad illius exercitium habilitatem non habet. Sicuti non posset dispensare, vt mutus absoluat, cæcus alium ducat, quę est sentẽtia *Conc.Tolet.c.1.* dicentis. *Ignorantia mater cunctorũ errorum, maxime in Sacerdotibus Dei vitanda est, si enim cæcus cæcum ducat, ambo in foueam cadunt.* Et esse de iure diuino scientiam ordini conpulatam, dixerunt Viualdus *in candelabro tit. de irregul.n.97.* Flamin. *de resignat.lib.4 quæst.4.nu.7.* dzor. *part.2. lib.6.c.6. q.4.* de Grassis, *de effect. Clericorum, in prælud. num.69.* icitur enim Oseæ 4. *Quia scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi.* Omninò autem illiteratus dicitur, qui prima grammaticæ rudimenta non didicit. Ex *Præposito, Maiolo, Rota, Flam. Campanilli, Bellet. citatis à Barbosa in c.illiteratos.num.5.* Si enim modicum quid sciat, & spem addiscendi præseferat, Minoribus ordinari poterit. Quibus subscribens *Miranda tom.2. q.7. art.7. ex Nauar. c.27. nu.205. & in c. si quando, de rescript. num. 45. & 50.* ait, *in Religiosis non requiri tantam scientiam, quanta requiritur in Clericis, quia non ordinantur*

Ignorantia mater errorum.

Omnino illiteratus, quis.

dinantur ad curam animarum, & in Religione maior commoditas adest quotidie proficiendi. at sufficere; si sciant legere, & cantare, etiamsi in latina lingua aliqualiter deficiant, quia Religiosi contemplatione magis indigent, quam scientia. Et multos Doctores citat, quæ accepit à *Rodrig. tom. 1. q. 24. art. 7,* quem refert alter *Rod. resolut. 106. n. 24. cum Siluestro, Ang. Soto, Portel. Villalob.* Quidquid sit de litteratura ad maiores ordines requisita, & ad curam animarum directa, de qua nihil ad rem nostram.

Hæc notaui, quia recepti pro Clericis, ad recipiendos ordines diriguntur, ergo talem literaturam habere debent, quæ de iure communi sufficere iudicatur ad ordines.

Attamen quia vigore Statuti, quod requirit intelligentiam linguæ latinę, Quæritur, quomodo peccent, qui pro Clericis recipiunt nescientes latinitatem? Respondeo non plus obligare hoc statutum, quam Concilium, & Canones, quę Episcopis huius scientiæ iudicium remittunt. Et S. *Congregatio concil.* 20. *Septembris* 1591. *pro Diœcesi Sebricensi,* censuit Illiricos, quamuis latini idiomatis rudes, si tamen linguam illiricam intelligant, posse ad ordines promoueri. Concilium autem remittere Episcopis dispensationem tam de interstitijs, quàm de litteratura, licet dubitet Marchinus *de Sac. ordinis Tract. 1. par. 5. c. 1. n. 11.* tamen clarum est ex Nauar. *de tempor. ordin. cons. 48. & in Manuali. c. 25. num. 71.* Menoch. *de Arbitr. cas. 425. num. 58. & seqq. & qui edidit nouas declarationes Concilij Tridentini.* è Bibliotecha Bellarminij eductas, *in c. 11. Tridentini, citatum n. 3. additionis.* quia concilium ijsdem verbis, vnicaquè periodo vtrumquè complectitur. Ergo si ad ordines, quod maius est, statur iudicio Episcopi, maiori ratione remittitur, prudenti iudicio Superioris, & difinitorum receptio Clericorum, cum minori litteratura, quod minus est: Causæ autem recipiendi pro Clerico, qui non ita perfectè calleat linguam latinam, erit bona Iuuenis indoles, generis nobilitas, scandali vitatio, quod a potentibus oriri posset. Ingenij habilitas, cum spe, quod literas in Religione acquirere poterit. Et in hoc nullum erit peccatum.

Quomodo peccent recipientes illiteratos.

Quæritur secundò, si recipiatur omninò Illiteratus, quid iuris? Respondeo si nec legere, nec scribere sciat, vel ineptus omninò sit ad acquerendas literas, vel quia obtusi ingenij, vel quia prouectioris ætatis, tunc vltra graue peccatum, quod committitur, tam ex parte recipientium, quàm ex parte recepti; si sciens suam inhabilitatē pro Clerico recipi procurauit, receptio illa pro Clerico, omninò est nulla, & si profiteatur tanquàm Clericus, reducendus est ad Statum Laicalem. Vel si ipse non intendebat profiteri, nisi vt Clericus, quippe qui cognoscebat se imparem laboribus, & exercitijs Laicorum, professio nulla est: & constito de intentione, eijciendus erit ab ordine. Probatur vtraquè pars responsionis. Prima, quia qui inhabilis est ad exercitia Clericorum, nimirum legere in Choro, cantare, &c. Inhabilis est ad suscipiēdos ordines. Ergo in gradu Clericali permanere non potest, quia vt dicitur in *c. Illiteratos. citato, Sacris non est aptus officijs.* Secunda, quia votum non ligat vltra intentionem, ergo si non habebat intentionem profitendi nisi, vt Clericus, votum est nullum. Conijci autem poterit ex eo, quod vt Laicus vestiri noluit, & expresse, vt Clericus profiteri. Idem dico si legere quidem sciat, sed malè, nec discendi spes affulgeat; tunc enim ad Laicalem Statum deijciendus est. Poterunt autem facere Superio-

Omninò illiteratus receptus pro clerico malè recipitur, & profitetur.

res, qui possunt è Statu Laicali ad Clericalem euehere, vt dicetur infra Stat. 24. fine.

STATVTVM II.

Nec recipiantur, nisi antea confirmationis Sacramento muniti.

Confirmatio non est necessaria ad salutem.

De confirmationis Sacramento latè Scholastici *in 4. dist. 7. vbi Scotus, S. Bonauentura. Ric. S. Tho. Alensis 4. part. quæst. 25. m. 2. Suar. 3. part. tom. 3. d. 38. & alij. Canonistæ dist. 5. de consecrat.* Certum est ex doctrina *Scoti citati quæst. 2.* confirmationem non esse necessariam ad salutem, sed *vt armet, & instruat ad agones mundi huius, & prælia reseruandos*. vt dicitur *c. Spiritus de consecrat. d. 5.* & in hunc sensu *Victuris confirmationis auxilia sunt necessaria*, vt ibidem dicitur. necessaria (inquam) secundum quid, & ad benè esse. Tamen qui illam non reciperet quando posset (quod esset contemnere) peccaret. Cui addit *Hiquæus in commentario*, teneri etiam recipere sub præcepto, quando adesset periculum subuersionis fidei, quia est medium ordinarium ad conferendum robur, & virtutem.

Recipere nō cōfirmatū, non est peccatum.

Exclusis his casibus, si recipiatur ad ordinem non confirmatus, tam Clericus, quàm Laicus, non committitur culpa lætalis. etiamsi scienter id fiat, Moueor ex ijs, quæ determinantur in Tridentino, *Sess. 23. de refor. cap. 4.* nimirum *Primæ tonsura non initientur, qui Sacramentum confirmationis non susceperint*. Quod maius esse videtur, nostro Statuto prohibente recipi non confirmatum. Attamen ijs verbis non importari præceptum, sed solam decentiam, & congruitatem, nec peccari mortaliter, senserunt Nauar. *in sum. c. 12. num. 9. & cons. 22. num. 9. ad septem Sac. Ecclesiæ.* Viualdus *in candel. de confir. num. 41.* Victoria *de Sac. ordinis n. 132.* Suar. *tom. 3. d. 38. Sect. 1.* Conink. *de Sac. tom. 1. q. 72. ar. 9. n. 90.* Reginal. *in praxi for. pæn. lib. 28. n. 44.* Barbos. *in remissio. ad citatum locum Tridentini.* Marchin. *de Sac. ordinis tract. 1. par. 4. c. 3. n. 4. & 5.* Quidquid dicat Impressor nouarum declarationum in Trid. in eundem locum, vbi putat esse præceptum, & peccare aliter facientem, & puniri posse. Cum quo est Salsedo *in practica criminali c. 24.* Rodr. *2. part. Summ. c. 107. num. 10. apud eundem Marchinum*, qui pro hac opinione, præter dictos citat *Sotum, Sayrum, Azorium, Molfesium, Homobonum, contra Camerotam, & Suarium*. Quia non debemus imponere peccatum mortale, nisi vbi lex manifestè præcipiat, vel materia requirat. Cum ergo nullum sit in iure communi præceptum de suscipienda confirmatione ante ordines, debemus dicere, concilium, neque sub præcepto obligare, sed ex decentia. Quam doctrinam applicando ad declarationem Statuti, Dico, eum non obligare ad mortale, cum neque concilium in grauiori materia, obliget ad mortale. Si dicas confirmationem recipi ad acquirendas vires contra tentationes, quæ in accedentibus ad seruitutem Dei maximè vrgentes apparent, vt dicitur Eccl. 2. vnde, & timendum esse pronunciat sapiens. Ergo potiori ratione recipienda est ante susceptionem habitus, quam ordinis. Respondeo melius

quidem

quidem esset, at malum non est, non recepisse, nisi ex contemptu neglexerint. Tentationes autem superari possunt ex diuino præsidio; vnde Apostolo dictum fuit, *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur*.

STATVTVM III.

Inquisitio hæc in Generalibus, vel Prouincialibus capitulis, per Generales, vel Prouinciales Ministros, & Diffinitores omninò fieri debet.

Ita Sixtus V. constit. citata, *cum in omnibus* vbi §. 3. ait de illegitimis recipiendis. *Et super hoc ipso in Generali, vel Prouinciali Capitulo matura deliberatione habita, Generalis, vel Prouincialis Superioris, ac Diffinitorum vnanimi consensu approbati, & ad habitum Regularem admissi extiterint.* & infra §. 4. in fine, agens de receptione aliorum, qui non fuerint criminosi, &c. Ait *Deque his omnibus in Generali, vel Prouinciali Capitulo, plena, & indubitata fide facta, tam Superioris Generalis, seu Prouincialis, quàm Diffinitorum consensu approbati, & ad habitum regularem admissi fuerint*. Hunc autem recipiendi modum confirmat Gregorius XIV. in Constit. *Circumspecta*. §. 3. & Clemens Octauus. *In suprema*. §. 4. addit pœnarum incursum ijs, qui non seruauerint modum, & formam in Constitutionibus prædictis ordinatam, circa Nouitiorum receptionem. In decreto autem ab eodem sancito, 19. *Maij, anu.* 1602. *Prohibet recipi Nouitios, nisi prius ab Ordinarijs approbati fuerint circa ætatem, conditionem, educationem, scientiam, vitam, mores*. Et in Institutionibus super receptione Nouitiorum, æditis *anno* 1603. 19. *Martij*. §. 21. ordinat, *Primum, quod attinet ad Nouitiorum recipiendorum formam, vltra diligentem perquisitionem, quæ habenda erit de vniuscuiusquè natalibus, corporis habitudine, moribus, & vita anteacta, ac præcipuè eorum, qui decimum sextum annum excedent, an criminosi, an ære alieno grauati, vel reddendis alicuius administrationis rationibus obnoxij sint, iuxta formam constitutionis fælic. record. Sixti V. & moderationum subsecutarum, &c.* Quæ omnia confirmauit S.D. N. Vrbanus Octauus in decreto de regularibus apostatis, & eiectis 21. *Septembris* 1624. §. 1. ibi. *Innouat constitutiones, & decreta generalia San. mem. Clem. VIII. ad regularium reformationem, ac Nouitiorum receptionem, professionem, atquè institutionem spectantia: distinctequè præcipit Generalibus, atquè alijs omnibus ordinum Superioribus, vt illa exactè obseruent sub pœnis Statutis in ijsdem Constitutionibus*.

Inquisitio pro Nouitijs in capitulis facienda.

Circa harum Constitutionum intelligentiam, videndum est, per quos dictæ informationes fieri debent. De quibus sunt instituendæ. An ante, vel post receptionem habitus capiendæ. Quæ pœnæ ab eas relinquentibus incurrantur.

Informationes pro nouitijs nō factæ per Superiores nullæ sunt.

Dico primò informationes istæ fieri debent à Generali, vel Prouinciali, & Diffinitoribus. Et ab alijs factæ nullæ sunt. Probatur prima pars ex Statuto, Et bulla

bulla Sixti V. citatis. Probatur secunda pars, quia non seruata forma à lege præscripta, actus corruit, vt supra dictum est.

Obijcies primò ex Clemente Octauo, citato: Nouitij approbari debent ob ordinarijs. Respondeo modus iste iam exoleuit, & nullibi obseruatur: qui neque obseruatus fuit tempore eiusdem Clementis Octaui. Nam etiam Religio nostra suo tempore, & sua concessione Nouitios postmodum recepit. Confirmatio autem Vrbani Octaui non se tenet ex parte Nouitiorum ab ordinarijs probandorum, quia hic modus, nec obseruatur, nec seruatus sub suo Pontificatu vnquam fuit. Quinimò expresse ab eodem fuit reuocatus *loco citato §.2. à quibus* (inquit) *excipiendum censuit caput illud, quo decernitur, ne in Conuentibus ad Nouitios recipiendos hactenus designatis, &c. Nouitij ad habitum recipi possint, nisi prius à Congregatione reformationis Apostolicæ, vel ab ordinarijs approbati fuerint. A cuius quidem decreti obseruatione, Sacra Congregatio iustis de causis censuit, regulares esse absoluendos, prout authoritate Sanctissimi absoluit, atquè eximit.*

Receptio Nouitiorũ inter reformatos. Obijcies secundo, *Clem. VIII. anno* 1503. 23. *Nouembris in bullar. Cherub. tom.* 3. *pag.* 156. concessit Reformatorum *Custodi*, *cum vnanimi duorum Guardianorum, & dictorum* (fortasse error in impressione obrepsit loco *duorum*. positum esse *dictorum*. etiam si in erratis non inueniatur) *Discretorum cuiuscumquè Custodiæ voto plenam potestatem recipiendi Nouitios, quouis tempore extra Capitulum, &c. Ita tamen, vt prius examinentur diligenter per ipsos Custodem Guardianos, & Discretos recipiendorum qualitates, iuxtà ordinis Regulam, Decreta, & Constitutiones Apostolicas cum irritatione, concessionis, & receptionis, ac pœna priuationis Suffragiorum Custodi, si in proximo Capitulo, vel Congregatione non retulerit receptiones factas, eorum qualitates, collocationes Nouitiorum. Et à Capitulo, vel Congregatione non obtinuerit ante professionis emissionem, approbationem, & confirmationem receptionem, &c.* Ergo, &c. Respondeo hoc est priuilegium, quod Generalem legem non tollit, respectu aliorum. Sicuti hanc Generalem Constitutionem non tollit declaratio Sixti V. *Ad Romanum*, §.7. Suam Constitutionem locum non habere in illis Religionibus vbi rarò Capitula celebrantur: nec in Conuentibus inter Infideles remotissimè sitis: quibus concedit posse Nouitios recipere, dummodo informationes fiant, à duobus saltem illorum Monasteriorum Superioribus, &c. Vel saltem a tribus antiquioribus Patribus vnius Monasterij, &c. Quod clarius expressit Gregorius XIV. *Circunspecta*, §.5. de filiatione Conuentuum. Sunt enim hæ speciales legum declarationes.

Verum circa concessionem hanc, notandum primò, eam sublatam fuisse ann. 1628. 14. Iulij, ex Decreto Sacræ Congregationis negotijs nostrorum Fratrum præpositę his verbis. *Tertiò determinatum est, vt de cætero Nouitij inter reformatos non recipiantur extra Capitula, & Congregationes capitulares. Non obstante Decreto San. Mem. Clementis VIII. hac de re ædito, aliàs receptiones, & professiones inde secutæ nulla sint, & innalidæ.* Quod in Congregatione Generali Romana tunc temporis publicatum, & receptum fuit. Attamen ann. 1629. ex speciali indulto Sacræ congregationis Regularium concessum fuit reformatis posse recipere aliquot Nouitios extra Capitula, & Congregationes seruata forma supradictæ concessionis Clementinæ & tandem anno

1641. 1.

1641.1. Octobris, Sanctissimus Dominus Vrbanus Octauus, id ipsum concessit in constitut. *Militantis Ecclesiæ*. Vnde notandum secundò, non posse ministros reformatos recipere istos Nouitios, cum Guardianus, quando fuerint præsentes Diffinitores, vel tantum absentes, vt breui temporis spatio, v.g. vnius diei, vocari possint, hoc enim modo absentes dici non debent, quia facile possunt haberi. Et qui facilè potest haberi, præsens dicitur. *Auth. Præsente C. de fideius. Præsens* (inquit Vlpianus) *Habetur, & qui in hortis est, & qui in foro, & qui in Vrbe, & qui in continentibus ædificijs l. 5.6.7. ff. de procur. & qui in Vrbis continentia est l. absentem ff. de verborum significatio*. Si igitur fuerint præsentes Diffinitores, cessat subrogatio Guardianorum, quia facta est in subsidium, & supplementum Diffinitorum. Et in iure *cap. 1. de S. Vnctione*, *l. oratio ff. de sponsalibus* suppletur id quod deest. Si ergo non deest, non debet alius loco ipsius suppleri. Quia de iure communi ad Diffinitores spectat Nouitiorum receptio. Et quod hęc sit mens Clementis, patet quia pręcipit Custodi, vt in primo Capitulo, vel Congregatione referat factas receptiones Diffinitoribus. *Et ab ipsis confirmationem, & approbationem receptionis, & admissionis, ante professionis emissionem obtinere teneatur. Aliàs supradicta omnia ex nunc, pro ex tunc irrita esse voluit*. Cum ergo inualidet receptiones non ratificatas à Diffinitoribus, euidenter constat, mentem Clementis fuisse, non valere receptiones aliter factas, præsentibus Diffinitoribus. Quod etiam colligitur ex fine, quia hoc concedit Clemens Octauus *ad fouendum propositum ordinem intrare volentium*. Quia si ad Capitulum differendum esset, euanescere posset: & cum intra annum non soleant omnes diffinitores præsto esse, ad consulendum bono Religionis, & Nouitij, concessum est, vt loco illorum duo Guardiani assumi possent. Si ergo ipsi diffinitores adsunt, nescio quomodo reijci possint, & alij ipsorum loco subrogari. Nec præsumendum est, voluisse Clementem Octauum sua gratia, ordinarium Religionis ius euertere. Finis autem, & mens legis attendi debent, & ratio est anima legis. ex communi.

Notandum tertiò, Aduertere debere Ministrum, & receptores reformatos, & Guardianos, quod in hac receptione seruare tenentur formam à Sixto V. præscriptam circa informationes, de quibus loquimur alias ex hoc capite puniri poterint, in vim Sixtinæ Constitutionis. Notandum quartò, Si nō publicauerit Custos in primo capitulo, &c. Receptiones factas, & de ipsis confirmationē non obtinuerit, receptiones esse nullas, & consequēter etiā professiones, quia ita expressè cauetur, & certum est nō licitè, sed irritè profiteri, qui nulliter fuerit receptus. præterquam quod illa verba *Alias supradicta omnia ex nunc, prout ex tunc irrita esse voluit*. Includere etiam professionem factam, quia de ea facit etiam mentionem. Et miror cum in Statutis reformationum anno 1628. Factorum pag. 27. in recensione huius facultatis, non fieri mentionem appositę nullitatis. Nisi excusentur, eò quod secundum hanc partem concessio practicata non fuit, nec vsu recepta. vnde nequè secundum illam obligat. Quinto, Verba illa, *cum vnanimi voto* non inferre necessariò, quod omnes ad vnum consentire debeant, alias receptio, nulla esset, quia licet hanc sententiam tenuerint Innoc. in c. cum in Ecclesia, de causis possess. Pan. ibidem, & in c. non potest, de sent. & re iud. Cardin. in Clemen. Ne Romani, de elect. quos sequuntur Angeli. Ex quo ad verbum exscripsit Siluest. V. vnanimiter. Tabiena, V. concordia in fine, licet

licet hæreat : Attamen glos.in cap.quam sit, 18. q.2. vbi præcipiente Sancto Gregorio.*Concors Fratrum societas elegerit*, dicit glos.*Idem est,ac Canonica*. dist. 62.cap.1.& in cap.cum olim, de sent.& re iudic.ibi *Archidiaconum plena omniũ vestrum interueniente concordia , ordinare cur etis.* ait *Quod dicitur omnium vestrum , vel maioris partis supple , quia quod maior pars facit, valet, & est Canonicum.cap. quia propter. de elect.* Vnde Bald. in dicto cap. non potest.docet , Verbum , *Concorditer* , relatum ad Collegium , periade esse , ac *assentiente maiori parte.* si autem referatur ad personas , necessarium esse , vt singuli consentiant.& declarat ibidem felin.nisi dicatur , *ab omnibus , & singulis.* vel materia tãgat singulos,iuxta l.sabinus.ff.communi.diuid.Et quod me satis ad hunc sensum vrget,est, quia Nouitij, qui recipiuntur, in capitulo, legitimè recipiuntur,si maior pars Diffinitorij consentit , & tamen,vt supra retulimus , Sixtus V. ait *Superioris ac Diffinitorum vnanimi consensu approbati , &c.* Ergo religio vnanimen hunc consensum intellexit , pro maiori parte. Nec reddi potest ratio , cur plus requirat Pontifex in subrogatione duorum Guardianorum,quam in alijs duobus diffinitoribus, cum & ipsi collegium componant ,& cum electio Canonica valida sit,à maiori parte,& excedat receptionem Nouitiorum,non est , cur melioris conditionis ista debeat esse . Præterquam quod frustratorium esset priuilegium , & contra finem intentum si per vnius repugnantiam frustrari posset.

Obijcies tertiò.Cum in receptione Nouitiorum,quod est omnium negotiorum Ordinis præcipuum,desideretur maximè,personarum industria,commissa semel Superiori , & Diffinitorio , Nouitiorum receptione, non poterit alius ad eundem actum delegari. Respondeo poterit , quia cum Superior sit ordinarius *cap.2.regul.cap.exijt, de verbor.signif.in 6.art.* 7. & Diffinitorium habeat facultatem ordinariam, poterit, illam alteri delegare *cap.cum Episcopus. de off.ordin. in 6.*Nec in istis deligitur industria personę,cum non sint delegati,nec per delegationem instituti , sed electi , qui iure proprio habent authoritatem delegandi.*l.fin.ff.de offic. iudicis* . Quod sensit Rodr. *tom.*3.*quæst.*10.*art.*2.*citans Clem. vnic.de offic.deleg.*Portel. *V. Nouitij infor. numer.*2. Miranda. *tom.* 1. *quæst.* 21. *art.*4.*conc.*4. Qui aduertit posse quidem delegari opus faciendi informationes, non tamen iudicium , & examen illarum , quod præcisè Capitulo committitur . Sorbus *tit. Nouit.§. de receptione. Nouit.qui citat declar. Nicol. III. Innocen. IV. Gregor. IV.* Cordub.*in cap.2.reg.quæst.*7. Sanct.Bonauenturam *ibidem &c.*

Receptio Nouitiorũ delegari potest.

Obijcies quartò . *Miranda quæst.*21.*art.*3. *conclus.*1.*tom.*1. ait Concessisse Sixtum V. anno tertiò sui Pontificatus ad instantiam nostri Generalis in bulla , quæ incipit *Nuper quidem*,quod Nouitij recipi possent extra Capitulum,cum consensu quatuor Fratrum eligendorum in Capitulo , &c.& consequenter concessisse,videtur,quod etiã extra Capitulum fieri possunt informationes.Respõdeo mirum est,quod non descripserit hoc priuilegium , sicut fecit in ijs,quę reperit apud Rodriguez.Et eò mirabilius,cum de hoc priuilegio mentionem non faciat idem Rodriguez tam in quæstionibus, quàm in bullario, in quo tale priuilegium reperire non potui , sicuti etiam neque in bullario Chorubini , in tribus eiusdem exemplaribus . Cæterum apud Authorem stet fides: attamen si adhuc verum esset priuilegium,hoc tempore non subsisteret,quia reuocatum esset

non

non solum per secundam bullam dicti Sixti, prioris suæ declaratiuam, quam dicit author ædidisse Pontificatus sui ann. 4. Sed per alias Gregorij, & Clementis Octaui iam adductas, in quibus confirmatur modus recipiendi Nouitios secundum bullam primam Sixti. Si quod autem nunc extat priuilegium à S. D. N. Vrbano Octauo, obseruantibus concessum, pro receptione Nouitiorum extra Capitulum, vt concessum fuisse audiui, sed in fonte videre non potui, illius dispositioni omninò standum erit.

Dico secundò, informationes fieri debent *de legitimatione natalium, de non criminosis, puta quod non sint homicidæ, latrones, fures, vel similibus, vel maioribus delictis rei, vel suspecti, adeo, vt timeri possit de eis, quod sint damnati, vel damnari formident. Quod non sint ære ingenti alieno grauati supra vires facultatum suarum. Quod reddendis ratiocinijs non sint obnoxij, vt ex huiusmodi causa lis, vel molestia eis iam illata, vel timendum sit, ne inferatur. Et tandem, quod ad Religionem veniant non vi, vel humana aliqua ratione, sed spontè, & ob deuotionis, ac pietatis feruorem.* Hæc ad verbum Sixtus V. in constit. *cum de omnibus. §. 4. in fine.* *Informationes de quibus faciedę.*

Ad cuius conclusionis declarationem, cum iam dictum sit de defectu natalium, & de expeditis debitis, & ratiocinijs, ac de nouitiorum deuotione; Restat breuiter de criminosis disputare. Vniuersaliter, primò, tenendum est, quod licet recipientes Nouitios sine his conditionibus fiunt officijs priuati, & inhabiles in posterum, tamen si recepti profiteantur, professio valebit: Quia constitutionem Sixti, quoad inualiditatē professionum, Clemens Octauus ad iuris terminos reuocauit. Ius autem commune, nec homicidas, nec fures, nec debitores, nec criminosos à Religionis arcet ingressu. Quinimò (ait portel. *V. Nouitij qualitates. n. 12.*) S. Romualdus fuit homicida, S. P. Franciscus, tres latrones ad habitum admisit, magni peccatores Religionem assumunt, vt suorum peccatorum pœnitentiam agant. Hieronymum Roder. *resol. 101. n. 8. cum* Rodr. *tom. 3. q. 10. ar. 7.* tenet professionem criminosorum esse irritam, si eorum delictum, ante habitus susceptionem in iudicium deductum erat, secus non. Hoc autem non est verum post Clementem Octauum, vt ipsemet Author se corrigit *n. 70.* sicut intelligendi sunt alijs, quos citat. *Professio criminosorum valet.*

Secundò, notandum est, delicta similia homicidio, furto, rapinæ, &c. esse adulterium, scelus nefandum, falsi, &c. ob quæ imponitur pœna mortis, vel triremium, vel exilij perpetui ex Portel. citato *n. 15.* & maiora esse hæresim, crimen læsę maiestatis, proditio patrię, assassinium, &c. vt dicit *Io. Baptista Scortia Theor.* 372. Minora autem delicta committentes non sunt inhabiles.

Tertiò, notandum est circa homicidas, eos esse debere voluntarios, & iniustos, non casuales, & ex defectu lenitatis, cuiusmodi sunt Iudices in causa mortis, milites in bello iusto, & qui casu, vel ad se defendendum, alium occiderunt, in odiosis enim nomine homicidę, veniunt solum iniusti, & voluntarij. Suar. *tom. 4. de Relig. tract. 3. lib. 2. c. 1. à n. 6. apud* Peirinum *de Prælato q. 3. c. 1. §. 3. num. vltimo.* *Homicidæ voluntarij excluduntur.*

Quartò, notandum, tam homicidas, quàm alios criminosos, non arceri à susceptione habitus, nisi antequam reciperent habitum, *actis publicis constiterit Iudices, & curiam Sæcularem de ipso crimine aduersus eos accusationem suscepisse, vel inquisitionem instituisse.* Sixtus V. Bull. *Ad Romanum spectat Pontificem.* Quia in fraudem iurisdictionis assumptus præsumitur. Siluester V. *Iudex q. 6.* *Sed non semper.*

q.6.Couar.*pract.q.32.num.4.& q.33.num.2.tom.1.*Nec si accusati,absoluti fuissent:Miran.*tom.1.q.19.ar.vltimo in fine.*Peirin.*num.7.* Vel satisfactionem fecissent:Quia cum lex pœnalis sit restringenda,post emendationem, non remanent criminosi. Portel.*supra num.* 14. Nec repugnant verba Sixti in bulla. ***Cum de omnibus. Alij post facta latrocinia, rapinas, homicidia, aliaue facinora patrata, etiam banniti, aut damnati, seu qui peritas pro suis delictis pœnas metuunt.*** Qua si vetet recipi etiam post sententiam, & punitionem: Quia hic non loquitur de sententiatis,qui satisfactionem fecerint,sed de damnatis tanquam contumacibus, vt patet ex subsequentibus. ***Non pia intentione, sed ad euitandam legum, & iudiciorum seueritatem,quia tutò in Sæculo viuere non possunt.*** & infra. ***Vt ijs omnis subterfugii, & immunitatis Spes tollatur.*** Et postea declarauit repelli ***deductos in iudicio.*** Qui autem per sententiam expediti fuere hoc non timent; ergo. &c. Nisi ex parte infamiæ excluderentur. Vel si publici, & notorij non essent, sed secreti. Quia Statutum hoc pœnale non inhabilitat in foro conscientiæ, sed exteriori, in quo requiritur infamia. Patet ex declaratione Sixti V. Supradicta, ***actis publicis constiterit,&c.*** Quod omninò tollit rationem secreti Suar. 3.*de Religion.lib.* 5.*c.*7.*num.*19. Vech.*de Nouit. disp.*2.*dub.* 12.*num.*2.Peirin.*cit. num.*7. videantur Henriq.*in Sum. lib.* 13.*c.* 36.*fin.* Hugolinus *de irregul. c.* 43.*num.*2. Graff.*decis.lib.*2.*c.*90.*n.*13. Auila *de censur.par.*1.*d.*4.*fin.*Campanil.*diuer.rub.*11. *c.*22. *num.*22. Barbol. *de officio Episcopi alleg.* 44.*num.* 26. *apud* Marchinum *de Sac. Ordin.par.*8. *c.*4.*n.*31. Vel si deductum esset crimen coram iudice Ecclesiastico, non autem Laico, tunc enim posset recipi,quia Sixtus dicit ***Iudices,& curiam secularem.*** Sanchez 4.*decal.c.*16.*num.*39. *apud* Portel. *in addit. V. Nouitius num.*4.

Informationes fieri possunt etiam post receptũ habitũ ante professionẽ.

Dico tertiò,informationes de recipiendorum qualitatibus fieri possunt,tum ante receptionem habitus,tum post,prius tamen,quam professionem emittant. Primum patet ex recensitis constitutionibus. Secundum probatur ex priuilegio concesso Patribus Conuentus S.Stephani Salmanticensis,Ordinis Prædicatorum, à Clemente Octauo, relato à Rodr.*tom.*3.*q.* 10.*art.*1. Et transcripto à Miranda *tom.*1.*q.*21.*art.*1.in quo alij regulares communicare prædicti affirmant *cum* Portel. *V.Nouit.infor.n.*1. Hieronymus Rodr.*resolut.*101.*n.*3. *apud, quem* Villalob. 2.*par.Sum.tract.*35.*diffin.q.n.*7.*&* 8.*& diffin.*10.*n.*1.2.3. Peirino *cit. q.* 3.*c.*1.*§.*1.*n.*32.

In eo enim priuilegio conceditur, posse recipi Nouitios cum sola exactione iuramenti,quod non sint illegitimi,criminosi,&c.postea destinari aliquem eiusdem Conuentus Religiosum, qui de dictis inquirat Summariè per scrutinium secretum,sine strepitu, & figura iudicij,& informationem captam deferat Priori, seu Præsidenti, ac sub priori, & Magistro Nouitiorum, & Studentium dicti Conuentus, qui possint dictam informationem approbare, vel reprobare. Et hac forma vtuntur Hispani. Et licet revereri debeam tantorum Patrum sententiam, quod scilicet nos,& alij communicare debeamus huic priuilegio,attamen ex ijs, quæ idem Rodr. *loco citato art.*2. dicit quod non possint alij extra Hispaniam gaudere priuilegio concesso nostris à Clemente VIII. 1592. 4. *Aprilis,*quod extra Capitula possint Generales, & Prouinciales,cum quatuor Diffinitoribus, vel quatuor Patribus illius Conuentus, in quo Nouitij recipiuntur, Nouitios recipere, eo quod dicatur in breui ***In Hispanijs tantum concedimus.***

Multò

Multò magis vetita erit communicatio concessionis eiusdem, Patribus Prædicatoribus, quia concessa est vni soli Conuentui; nec opus fuit, addere, *Illi tantum*, quia extra seipsum, talis Conuentus non est. Restrictiua *tantum in Hispanis* æquiualet alijs verbis alterius concessionis, vt scilicet *Conuentus Salmaticensis suo splendori restituatur* præterquam quod respectu nostrorum difficile est adimplere, neque similitudinariè conditiones concessionis, nimirum Priore, Supriore, Magistro Nouitiorum, & Studentium. Quæ duo vltima accipienda sunt disiunctiuè quoad personas, & compulatiuè quoad examen. Quia non est idem Magister Nouitiorum, qui, & Studentium. Præcipuè dum agitur de Nouitijs ad habitum recipiendis, & non professis, qui etiam apud Prædicatores Nouitij, vsquè ad certum tempus appellantur. Eò vel maximè cum Nouitiatus, vt plurimum, non collocentur in locis Studiorum, sicque non oportet recurrere tumultuariè ad Lectorē, ad Theologum, qui fortasse nec inuenietur in Conuentu Nouitiatus. Vnde talis forma, vel inutilis, vel difficilis euadit. Miscere autem formas secundum priuilegium Conuentus S. Stephani, quo ad iuramentum exigendum, & quò ad deputandum Fratrem pro capiendis informationibus, & secundum declarationem Sixti, quod præsentetur coram duobus Superioribus, vel iuxta Clementem Octauum coram quatuor Diffinitoribus, vel Patribus, vt meditatus est Rodr. *citatus art. 2. in fine*, est mixtio nimis speculatiua, & à Sacris Canonibus non concessa. Sed quia non est animus consuetudinem quoquo modo introductam conuellere, quæ aliquod fundamentum in iure, & in probatis Authoribus habere dignoscitur.

Venio ad modum, qui seruatur in nostra Cismontana Familia quod scilicet inspectis præsentialiter Nouitijs, & examinatis de fide Catholica, & Ecclesiasticis Sacramentis (quando fuerit ex partibus incognitis) vel saltem de doctrina Christiana, animi dispositione, motiuo, valetudine, literis (si fuerint Clerici) alijsquè quæ Summariè interrogari debent secundum Constitutiones Apostolicas, & Regulares. Quibus exceptis coram Prouinciali, & Diffinitoribus in Capitulo, vel Congregatione, coactis, recipiuntur Nouitij; ita tamen, vt antequam habitu induantur, præsentent Prouinciali authenticas fides, manu Notariorum scriptas, & firmatas, in quibus testatum sit eos esse immunes ab exceptionibus notatis in præfatis cōstitutionibus, quas in archiuio reponit, suo tempore iuxta exigentiam ostendendas; quibus non præsentatis, vel non receptis, si Nouitius recipiatur ad professionem, Superior officio destituitur, & Apostolicis pœnis mulctatur, quem modum laudat etiā ipse Rod. *tom. 3. q. 10. ar. 2. in fin.* qui solus, ob omissionem puniendus venit, vt in facto multoties accidisse comperi; nec pro toto Diffinitorio, quod sciāt, aliquando pro integratione supplicatum, vel totum diffinitorium officijs destitutum, ob non examinatas informationes, in venio, in multis annis, quibus Romę, & quandoquè negotijs publicis inuolutus, moras, traxerim.

Nouitij quo modo recipiantur.

Si quis autem abs me scire desideret, quid sentiam circa has anticipatas, vel postpositas informationes; non improbando morem Hispaniæ, qui fortasse gēti erit vtilior, & ideò illi soli decretus, tum à Clemēte VIII. tum à Statutus Capituli *Tolet. an. 1606. in tit. pro Hispanis.* Laudo modum Cismōtanæ Familiæ, vt faciliorem, vtiliorem, & Apostolicis Constitutionibus cōformorē. Faciliorē, quia quilibet potest sibi authēticas attestationes, ac sub silentio procurare, & euitatur

Modus faciendi informationes in Cismontana familia, vtilior, & facilior.

tur prolixitas illa,& spinositas,de creãdo Notario,de mittẽdo Commissario ad patrias Nouitiorum,quæ magnis itineribus distitæ esse poterunt. De quærendis ignotis testibus de perquirenda Nouitiorum vita, &c. quidquid sit de indulto concesso Conuentui S. Stephani Salmanticensi, vel de committenda facultate Guardianis illarum patriarum,vt ipsi faciant, & transmittant informationes,vt *ex Vallisoletanis Statutis firmat* Portel.*toties citat.n.*3.Vtiliorem,quia melius est negare habitum Nouitio, quam expellere illum cum suo dedecore, si intra annum Nouitiatus inhabilis appareat: negatio enim potest excusari per meram volũtatem recipientium;at expulsio ob defectum informationum,supponit exceptiones infamatorias. Conformiorem, quia Sixtus v.ait *ex accurata informatione,& fide digna relatione compertum sit,&c.& Plenaria,ac commoda inquisitio fiat.*vt replicat Gregorius XIV. informationes autam iuridicæ circa Sæculares examinandos cum iuramento,nisi aliter caueatur,à Sæcularibus fieri debent,secundum cõmunem acceptionem, siue Iudices Ecclesiastici, siue Laici sint. ideo necessarium fuit,vt Clemens VIII.Maioribus,& Prædicatoribus.Sixtus v.Minimis,posse destinari aliquem Fratrem ad hoc peragendum concesserint.Quia licet in Religione creari possint Notarij,Attamen in communi, vsu loquendi, Notarij appellatione veniunt Sæculares.Lege Peirin.*de Prælato quæst.*3 *cit.cap.* 1.§.1.*n.*29.30. 31. Si dicas Nouitius potest præsentare fides falsas. Respondeo & Notarius Frater potest examinare testes falsos. Et esto sint in re falsæ, attamen,nisi aduertat Superior, uon propterea priuandus est, &c.Vt ex Rodrig. *notat.*Portel.*n.6.& alij.*

At informationes fiunt pro interesse Religionis;ergo ab illa melius est capi, quæ sibi prospicere potest. Respondeo,& Religio ipsa non est instituta pro se, sed pro fidelibus, qui ad perfectionis Scholam conuolant; & potius est Religio propter Nouitios,quam Nouitij propter Religionem. Agitur ergo de iure ipsorum Nouitiorum, qui sibi etiam prospicere debent, & sicuti in alijs negotijs Religionis vtimur Notarijs, Iudicibus, & informationibus Sæcularibus, benè possumus vti eiusdem pro receptione Nouitiorum.

Pœnæ recipientiũ nouitios sine debitis informationibus.

Dico quartò, pœnę recipientium Nouitios sine legitimis informationibus est priuatio officiorum,& inhabilitas in posterum. Vt supra de illegitimis relatum est ex Sixto V.& est Statutum ordinis infra citandum.

Manifestũ examinatione non indiget.

Quas pœnas non incurrunt,eas relinquentes in minore sexdecim annis, excepta illegitimitate,vt excipitur a Sixto V.vel in persona,quę nota sit recipientibus,quia puniuntur solum *temerè recipientes*, & quæ clara sunt, examinatione non indigent *c.Manifesta* 2.*q.*1. & in notorijs ordinem non seruare. Ordo est *cap.ad nostram de iure iur.*3. *c.quoniam.de fil.presbyter.* Miranda *tom.* 1.*q.* 18.*ar.* 1.*fine*. Sorbo,Corduba,Polit.*apud* Peirin.*n.*26.*fine*.Vel si nota non sit, constet tamen in re Nouitium nullas tales exceptiones pati, quia verè non recipitur

Aphorismi pro receptione nouitiorum.

criminosus,vt ex Rodrig.confirmat Portel.*numero sexto*, & ex istis alij. Vel si recipiantur Religiosi aliarum Religionum, quia iam probati supponantur; vel si recipiantur,qui sunt ex longissimis Prouincijs,vel quorum patriæ ab infidelibus detinentur, ad quas intra annum Nouitiatus difficulter potest recurri, vt

Valida est cum maiori parte.

expresśe patet in Constitutione Sixti V. ex qua Villalob. Portel. Rodr.apud Compilatorem *resolut.cit.*101.*n.*15.

Pro complemento huius materię refero aliquos casu ex Peirino à n.19.

Primò

Primò, non est necesse, vt omnes receptores consentiant, sed sufficit maior pars. *Suar. Vech. Glos.* & clarus textus Sixti V. §. 10. *secundæ constitutionis.*

Secundò, si omnes consentirent, excepto Prælato, non esset legitima receptio; quia ad Prouincialem de iure competit receptio Nouitiorum. *Inualida nō consentiente Prælato.*

Tertiò valet, si duobus non consentientibus, consentiret vnus cum Prælato; quia in votorum paritate, præualere debet pars, quæ Prælato consentit. *Valida in æqualitate, vbi prælatus prepondere.*

Quartò valet, si Diffinitores omnes sine rationabili causa negarent assensum; quia habetur pro præstito consensus in aliquo actu requisitus, si ab illo, qui debet consentire, sine causa negetur. *cap. licet. de regul.* §. *talis ergo.* Vech. *de Nou. disput. 7. dub. 2. n. 11.* *Valida, si diffinitores, sine causa negarent assensum.*

Quintò, receptio facta à solo Prouinciali sine exploratione consensu Diffinitorum nulla est; quia facta ab authoritatem non habente; authoritas enim recipiendi Nouitios est collata sibi cum Diffinitoribus; & quando ad actum requiritur consensus alterius, factus sine illo, actus est nullus. *l. titium. ff. de admit. tut.* *Inualida, facta à solo Prouinciali.*

Sextò, habens omnia recensita, est omninò admittendus; nisi aliud obstet, nec reijcitur sine culpa. Et erit peccatum graue, si post factas de consensu Religionis informationes, reijciatur, quia habet ius ad rem, tam ex charitate, quàm ex vtilitate Religionis, quam etiam, quia videtur illi illudere. *Habens requisita, est recipiēdus.*

STATVTVM IV.

Nullus, qui ab Hebræis, vel Mauris, aut ab Hæreticis, quorum corpora, seu statuæ combustæ sunt, descendat, vel originem trahat, ad Religionem vsquè ad quartum gradum, recipi possit, vt constitutionibus Apostolicis cauetur.

§. 1.

Hebræis, Mauris, Hæreticis) Est communis distinctio infidelium, S. Thom. 2. 2. *quæst. 10. art. 5.* Cum quo Caiet. Bannes, Valentia, Suar. *disput. 16. de infidel. Sect. 4. num. 3. 4.* alij. *Concil. Ephes. tom. 1. cap. 6.* Damasus Papa in profess. fidei ad Paulinum Thessalonicensem, Augustinus *ord. contra Iudæos, Paganos, Arrianos. C. lib. 1. tit. 8. lib. 5. decretal. & Clemen. de Hæret. & Sarracænis.* Theologorum ratio est, quia error est, vel contra fidem explicitè susceptam, & hic est Hæreticorum; vel susceptam in figura, & hi sunt Iudæi, vel nullo modo receptam, & hi sunt Pagani, Turcæ, Machometani, Gentiles, &c. equidem. *1. Cor. 1. Iudæis scandalum, Gentibus stultitiam*; fuisse Christi passionem dicitur, & alibi de Hæreticis loquitur. Horum autem peiores esse Hæreticos, quam Iudæos, & Gentiles notat Valentia *ad 5. & 6. Articulum S. Tho.* quia peius est aduersari veritati explicitè cognitæ, quàm implicitè; & infrà omnes, nunquam cognitæ. Nomine *Hebræi, Mauri, hæretici adæquata infideliū distinctio.*

autem Maurorum, hoc Statuto, intelliguntur omnes Infideles, præter Hebræos, & Hæreticos.

§. 2.

Infidelium filios non recipiendos ad habitũ, qui sanxerunt.

Quorum corpora, &c.) Vt tota hęc materia breuiter digeratur, sequentes aphorismi tenendi sunt.

Primus de filijs horum infidelium ad habitum, professionem, & ordinis dignitates non admittendis sanxerunt. *Clemens VII. anno* 1525. *& Paulus IV. an.* 1558. post reuocationem reuocationis *Iulij III. anno* 1550. *Quod de cætero nullus Sæcularis, qui ex Iudæis, seu Hæreticis, quorum parentes, seu progenitores paterni, siue materni, viuentes, seu defuncti, vsquè ad quartam generationem inclusiuè. Hæretici declarati, & vt tales condemnati, ac illi, seu eorum corpora, & ossa, vel statuæ igni traditæ fuerint, originem trahant, seu ex descendentibus prædictorum Iudæorum, & Hæreticorum vsquè ad quartam generationem inclusiuè fuerit, vel sit, in totius Ordinis Fratrum Sancti Francisci Fratrem dicti Ordinis, in quibuscumquè locis, & mundi partibus* (Clemens VII. ad Hispaniam solum restrinxerat) *Vbi religio, & Ordo Fratrum huiusmodi fuerit, aliquo modo sub quouis prętextu, & quæsito colore, sub pœnis infrascriptis eò ipso per recipientes, & admittentes absq; declaratione aliqua incurrendis, recipi, & admitti possit* (eosquè inhabilitat ad omnia officia, & dignitates ordinis, & prædicationes, & annullat facta in contrarium, nec eis obedire vult) *sub præcepto sanctæ obedientiæ, pœnis excommunicationis latæ sententiæ, priuationis officiorum, inhabilitatis in posterum.*

Quam constitutionem reductam ad secundum gradum, in linea paterna, & ad primum in materna, per *Pium V. anno* 1571. in integris terminis Pauli IV. confirmauit *Gregorius XIII. an.* 1524. §. 11. Bullę quæ incipit. *Consueuit.* Itaquè nunc standum est in recensita Constitutione: Vt miret Sorbum *V. Nouitius. pag.* 431. dicere contrarium ex Bulla quadam Pij Quarti, quæ, & si vera esset, iam per Gregorium Tertium decimum esset derogata.

Non includũtur ethnici, &c.

Secundus, in prædicta Constitutione Apostolica non includuntur Saraceni, Machomettani, Ethnici, & alij Gentiles. Quia solùm nominat iudæos, & Hęreticos; & in odiosis non fit extensio. Illud tamen declarauit idem Gregorius Tertius decimus pro Minimis, anno 1583. *Iudæis, & Hæreticis.* Addens Machomettanos. Et de Minoribus in *Constitutione consueuit citata.* Rodr. 1. *tom. quæst.* 14. *art.* 5. Mirand. *tom.* 2. *quæst.* 1. *art.* 5. Pier. *de Prælato q.* 2. *cap.* 5. §. 6. *num.* 86. *vbi alij.*

Nec etiam, nisi sint condẽnati, &c.

Tertius, non omnes descendentes ab his infidelibus excluduntur, sed ij tantùm, quorum parentes declarati, condemnatiquè fuerint Hæretici; aut quorum corpora, &c. Combusta fuissent. Ita expresè in textu; quo notandum, non esse necessarium, vt istorum corpora cremata sint, sed sufficit, quod fuerint condemnati, viuentes, vel mortui sub tali sententia, vel cremati; quia si ante mortem conuertuntur, & reconciliantur Ecclesiæ vnitati, eis dicta Constitutio non obstat. iuxta *c. Statutum fel. record. de hæret. in* 6. Nec si parentes perierunt ante condemnationem, cum sola suspicione hæresis, quia hi non sunt hæretici. *c. accusatus de hæret.* 6. Vide multos apud Peirinum *de Prælato quæst.* 2. *c.* 5. §. 6. *num.* 75. *& inf.* licet Rodr. *cit. q.* 14. *art.* 7. teneat contrarium, putans dictionem,

nem, ac, esse declaratiuam, non disiunctiuam. Sed textus dicit, *condemnati, ac illi, siue eorum corpora, &c.* Vbi sensus grammaticalis est, non solum non recipiantur condemnati, verum etiam illi, qui, &c. quia si solum valeret constitutio de solis crematis, nulla esset dispositio de damnatis, quia, qui cremantur, iam sunt condemnati.

Quartus, non excluduntur descendentes à Iudæis, & Mauris, si eorum parentes, nec condemnati, nec combusti fuerint; quia constitutio solùm disponit de filijs condemnatorum, &c. Iudæorum, vel Hæreticorum; quidquid dicat Miranda *tom. 1. q. 19. artic. 7. con. 2. cum* Nauar. *contra* Rodr. *tom. 1. quæst. 14. art. 2. & 5.* Quia licet Pontifices distinguant Iudeos ab Hæreticis, & videantur velle, quod filij Iudęorum sint inhabiles; alias talis distinctio esset inutilis, cum Iudæi conuersi, & retrocedentes sint hæretici, & non erat necesse nominare Iudæos, cum post conuersionem iudæi non sint, sed Christiani. Nam (relictis quę adducit Rodr.) excludere tales à susceptione habitus est contra ius cōmune, *c. ad eam de rescriptis. vbi Glos.* Et cum Papa iuri communi in hac parte non deroget, non debet intelligi de meris iudæis sed de condemnatis, idest de declaratis, reuersos esse ad iudaismum: de quibus. *cap. Statutum felicis recordationis. de Hæret. in 6.* & agitur de decedentibus in erroribus, non tamen de emendatis, & Ecclesiæ incorporatis.

Non filij Maurorum, etiā Crematorum.

Quintus, geniti antequam Patres hæresim incurrerent, non includuntur in hac constitutione. Quia verè non sunt descendentes ab hæreticis, cum eo tempore patres non essent hæretici, ita cum communi Rodr. *tom. 1. q. 14. art. 3. fusè, & doctè.* cum quo alij. Et in dubio eximi debent ab ac pœna. Hieronymus Rodr. *resol. 101. n. 22. vbi & alij.* nisi obest infamia: quidquid in oppos. Peirin. *cit. n. 79.*

Non geniti antehæresim patrum.

Sextus, comprehenduntur descendentes in recta linea, non Laterali. Quia dicitur. *Vsquè ad quartam generationem inclusinè.* Et lex pœnalis non extenditur, etiam vbi sit eadem ratio, ex Rod. *cit. ar. 6. fin.*

Non descēdētes per lineam Lateralem.

Septimus, receptio, & professio horum inhabilium est ipso iure nulla. Miranda *cit. q. 19. art. 7. conclu. 2.* Quia in Constitutione Apostolica additur clasula irritans, tam quòad receptionem, quàm quòad officia. *Ibi. decernentes irritum, & inane, si secus super his, &c. Nullius sint roboris, vel momenti, & pro non facta habeatur.* Et adest ratio specialis in ordine nostro, quia recipientes ad habitum, & professionem, protestantur, eos non admissuros ad professionem occultantes talem defectum. Verum tamen est, quod in Statuto inferius adducendo, dum de his, & alijs exceptuatis constitutio loquitur, iubet fieri protestationem. *Quod si aliqua ex memoratis conditionibus* (in quibus est de descendentibus à maculato genere) *Illis defuerit, Statim expellentur, & ad professionem nullatenus admittentur.* Dum verò agit de laborantibus infirmitate contagiosa, &c. Decernit quod *Eorum receptio, & professio etiam irrita, & nulla censeatur.* Ex quo diuerso modo loquendi conijcitur, in primo casu nec irritam de facto, nec irritandam esse professionem, sed solum non esse tales exceptuatos ad professionem admittendos. Quod si admiserint, professio valida erit ad omnem effectum, in secundo verò casu, posse Religionem vti sua libertate, quæ non habuit intentionem se obligandi ad recipiendum illos ad professionem, nec incorporandi illos in Ordine.

Receptio descendētium ex maculato genere, nulla.

Protestatio contra Nouitios.

Et sic in præsentibus Statutis cessat ratio Mirandæ *loco citato* §.*Ratio est.* Quod professio sit nulla ex parte consensus Religionis. Quæ ratio valet in altera familia, vbi etiam in descendentibus maculatis fit protestatio de nullitate. Dictio enim, *Etiam* ampliat dispositionem ad alium casum non expressum, vt fusè ex multis probat Barbosa *dict.*112. *num.* 10. *& seqq.* Hæc autem protestatio valida est, tam si expresse, quàm si tacitè fiat, vt idem Miranda ex Nauar. *conf.*26. *de regul.* & vbi subsistit protestatio, professio nihil operatur, quia non est adimpleta conditio inter recipientes, & receptum, vt idem Nauar. *probat ex c. si pro te. de rescr. in 6. & cap. præterea.* 2. *de appell. Rodrig. tom.* 3. *quæst.* 17. *art.* 9. tenet valere professionem de iure communi. qui licet Conuentus non consensisset si sciuisset, tamen consensit. Cum exemplo desponsatis Mariam putatam diuitem, quam non desponsasset, si pauperem sciuisset. Valet tamen matrimonium. Sed malè, quia consensus Conuentus est conditionatus, qui non ligat nisi adimpleta conditione affert concessionem Leo X. qui concessit hos expelli. Sed nos loquimur de validitate professionis.

Dictio etiã quam vim habeat.

Quare infert Miranda, talem maculatum, occultum, non se prodentem, sicut in conscientia non est professus, ita sine culpa non posse manere in Religione, nec exercere illius officia. Quæ docuit Rodrig. *tom.* 3. *quæst.* 11. *art.* 2. Portel. *V. Nouitius. in addit. à numer.* 19. Villalobos. 2. *part. tractat.* 35. *diffinit.* 11. Hieronymus Rodrig. *citat. resolut.* 101. *num.* 17. *& alij.* Nisi famam amitteret; non enim tenetur se prodere, nec in conscientia lex pœnalis obligat, cum tanto detrimento. Rodrig. *citat. art.* 8. *cum Miranda art.* 5. Peirino *numer. vltimo.* Hieronymus Rodrig. *resolut.* 90. *num.* 26. Qui multos citat in eam sententiam, quod lex pœnalis non obligat in conscientia, ante sententiam Iudicis, vbi requiritur actio Iudicis, & passio delinquentis, & maiorem passionem in Religioso non video, quam cum habitu Religionis exuere, & obtentis officijs priuare. Et hæc sententia probabilior est, vbi cesset præsũptio, super qua fundatur lex, nimirum, quod tales descendentes è maculato genere non recipiãtur ad ordines, & dignitates, quia parentum, vt plurimum cõseruant errores. Si enim hoc in iam possesso omninò cesset, cessare etiam debet legis rigor, vbi defectus remaneat occultus: vt idem *n.*15. discurrit. Si enim in fide tutus non est, neque ei inijciendus est scrupulus constitutionis, quia, *Qui non credit, iam iudicatus est.* Debet tamen eniti quantum modeste poterit, ne ad officia eligatur, & illa efficaciter renunciare, saluis semper fama, & periculo se prodendi.

Octauus, scienter recipientes, siue Superiores sint, siue Diffinitores, aliquem ex tali genere maculatum, sunt ipso facto excommunicati, & priuati officijs, ac inhabiles in perpetuum ad alia. Ita textus expressè. Quod autem comprehendantur etiam Diffinitores, elicio, quia cum Generalis, Prouincialibus, Commissarijs & Guardianis, addit, *Et Fratribus totius Ordinis.* Qui cum esse non possint merè subditi, & qui nullo modo sunt Officiales, quia tales ad ordinem non recipiunt, restat, vt verificetur de Diffinitoribus, & quoquo modo ad ordinem tales recipientibus.

Pœnæ recipientiũ maculatos.

Nonus, istæ pœnæ incurruntur in receptione descendentiũ ex Hebreis, Mauris, & Hæreticis, in recta linea, vsquè ad quartum gradum, dummodò fuerint damnati, vel eorum ossa, &c. Quartus autem gradus accipi debet inclusiuè, argumento *c. Statutum fœlicis record. de Hæret. in 6.* Vbi Hæreticis credentes, eorum

Extenditur vsquò ad quartũ gradum inclusiue.

eorum filij non admittuntur ad beneficia Ecclesiastica, vsquè ad primum gradum in linea materna,& ad secundum in paterna. Vbi si exclusiuè hi gradus numerandi erunt,in linea materna nullus gradus remaneret. Latior tamen est constitutio alterius familiæ, quæ *in tit.de qualitat. recipiend.* non restringit istos ad quartum gradum,vel generationem,vnde rigorosior iudicatur à Miranda *cit.q. 19. art.7. conc.primo.*

STATVTVM V.

Nullus alterius Religionis professus, sine Generalis recipiatur assensu. Ne forte contra dispositiones Apostolicas fieri contingat.

Apostolicæ dispositiones sunt sequentes. Monachi, Benedictini, & Cistercienses non possunt transire ad alios ordines,etiam Carthusianos, sine consensu Capituli Generalis, seu præsidentis, seu maioris partis Visitatorum, nec etiam authoritate Apostolica, nisi fiat mentio de persona, & Religione, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ.ex *Eugenio IV. bulla 9.10.18.21.apud bullar.& Pio II.ex concordia inter eos facta.* *Qui Religio si transire non possunt ad alios.*

Monachi Congregationis S.Benedicti in Hispania,sine licentia Papæ, vel sui Conuentus cum Abbate,vel sui Generalis, non possunt,ad alios, nequè ad Carthusiam transire, sub pœna excommunicationis transeunti,& recipienti.*Eugen. IV. in compendio Cisterciens. tit. fugit.*

Monachi S.Hieronymi, nisi ad Chartusiam, transire non possunt sub eisdem pœnis. *Mart.V. apud Compend. d.Hier.*

Carmelitæ discalceati, nisi causa cognita,transeuntis vitæ, morum, &c. & approbatione Capituli Generalis, non possunt ad arctiorem, ex *Paulo V. anno 1610. 3. Aprilis.*

Iesuitæ ex Pio IV.& V. non possunt,etiam ad arctiorem, transire, sine licentia obtenta. Cum derogatione *capit.6. licet de Regular.*

Mendicantes ad non mendicantes,transire non possunt. *Innoc. IV. Alex. IV. apud bull.*

Minores obseruantes,& Cappuccini ad Minimos transire non possunt. *Iulius II. Pius V. Gregorius XIII. in Compendio Cappuccini,* quod à Sacra Congregatione sub Gregorio XIV. confirmatum fuit,sub priuatione officiorum ipso facto,& vocis actiuę,& passiuæ in perpetuum.

Minimi ad alios ordines transire non possunt, sub pœna excommunicationis transeuntibus,& retinentibus *Leo. X. in bullar.*

Cappuccini sub excommunicatione,priuatione,inhabilitate,&c. non possunt recipere Minores de obseruantia,absque licentia Prouincialium. *Paulus III. Iulius III. Sixtus V. apud bullarium.*

Hæc ex Rodrig. suo Compendiatore, Portel. Sorbo, Miranda, & alijs apud ipsos.

Et cum legitima licentia,adhuc Generali receptio reseruatur, quia res grauis

est,& non facile admittenda,ob tradita a Doctoribus citatis a Hieron.Rodr.*resolut.*123.*num.*55.nisi ex maturo consilio,& deliberatione, pensato spiritu, qui ad mutationem,transeuntem impellit.

Possunt regulares trãsire ad artiorem. In quo aduertendum est, non esse per hæc priuilegia abrogatam dispositionem *cap. licet. de regul.* in quo libera ad arctiorem transeundi licentia conceditur, ea tamen prius petita a suo Generali, vel Prouinciali, licet non obtenta,nisi de eo fuerit facta expræssa mentio; non enim priuilegio in corpore iuris inclusó,eo non nominato,derogari censendum est,& concessa priuilegia,respiciũt Religiones, vel de arctioritate certantes,vel principatum habentes, vnde cessat ratio transitus ad arctiorem. De qua maiori austeritate (vt dictum est, vbi de conditione liberis, actum fuit) non est tam facilis resolutio;eò vel maximè cum non concordent autnores, si illa collocanda sit in austeritatibus exterioribus, silentij,ieiunij, ciliciorum, paupertatis summæ, vt sensit Rodriguez cum Canonistis; vel in melioribus, & potioribus medijs ad acquisitionem perfectionis, vt tenuit Miranda cum Theologis.Hoc tamen puto, iudicio prudentium virorum esse remittendum,qui iudicare poterunt,non Religionem in sua institutione, & veluti metaphysicè,sed in sua obseruantia, & in actu practico, potest enim contingere, vt perfectissima institutio eo tempore, vel in illo Conuentu non seruetur;& sic, licet ad minus perfectam, magis tamen obseruantem transire; quia tunc temporis arctior est. Nec enim Ecclesia concedendo transitum ad arctiorem,considerauit Religionem in sua essentia,sed in sua obseruantia arctiori,cuiusmodi erat Carthusia,quam eandem esse hoc tempore teneri potest.

Arctior religio, quæ dicenda.

Trãsitus fieri non potest cum licẽtia Superioris localis. Concedere autem Superiori locali facultatem licentiandi ad arctiorem, vt fecit Sanchez *lib.6. moral. cap.7. num.59.* Quia decretalis, dicit *cum licentia Prælati*, qui etiam est Prælatus localis; non iudico verum, quia vt optimè Rodriguez, non spectat ad Superiorem localem recipere ad Religionem; ergo nequè dimittere, cum sui iuris non sit soluere iugum obedientiæ, acquisitum iam toti Religioni, quæ prospicere debet in spectantibus ad suam iurisdictionem. Nec enim putandum est, voluisse Pontificem committere Superiori locali negotium tam arduum,in quo iudicium de spiritu,obseruantia, motiuo, &c. institui debet.

STATVTVM VI.

Quia verò Superioribus locorum, vt plurimum, etc. Hæc semper scripto detur,explicatis ibidem,quæ ex Regula, et Constitutionibus seruanda sunt.

Qui si aliquam ex Conditionibus suprapositis,et necessariò requisitis deesse repererint, eis habitum denegare possint, ac debeant, Prouinciali desuper admonito.

Cum

Cum de iure receptio ad ordinem, spectet ad Generales, vel Prouinciales, delegari Superioribus localibus hoc munus, non potuit, nisi scripto, vt concessio habitus, & professionis receptio, validæ, & canonicæ iudicentur. patet ex *cap. ad Apostolicam.de Regul.* vbi dicitur *Abbate per se, vel per alium professionem recipiente Monasticam, & Monachalem habitum concedente.* Et infra *per professionem emissam pariter, & acceptam. & cap. porrectum.eod.*ibi. *ex quo à conuertendo votum emittitur, & recipitur.* Vbi constat posse fieri talem delegationem, & innuitur causa, quod nimirum cum in receptione habitus, & professione fiat quidam contractus obligationis Nouitij, & Religionis ad inuicem, & contractus sine persona legitima fieri non possit, necessariò requiritur authentica delegatio. Scripto, si ad absentem dirigatur, (& in quo sensu loquitur Statutum) Peirin.*formul.cap.2.n.7.l.N.* Verbo autem, si Prælatus Prouincialis in eodem Conuentu reperiatur, tunc enim scripta delegatio non requiritur.

Delegatio ad recipiendum Nouitium fieri debet scripti.

Difficultatem faciunt verba illa, *Explicatis quæ necessariò obseruanda sunt, ex Regula, & Constitutionibus.* Cum enim ex dictis pateat, examen de qualitatibus recipiendorum, fieri debere à Prouincialibus, & Diffinitoribus; superfluum est monere Superiorem localem de talium obseruantia. Sed sufficit, dicere, *Recipias N. quem idoneum ad habitum reperimus.*

Sed respondeo, Monitionem non respicere examen circa qualitates Nouitiorum, quia iam dictum erat, *Vt Sæculares antea probatos, ad probationis habitum recipiant:* Ergo probati mittuntur; Sed obseruantiam Statutorum Apostolicorum, & Religionis crica professionem, vt nimirum fiat liberè, cum consensu Conuentus, cum expropriatione, completo anno, &c.

Examen autem replicari posse, & debere circa Nouitios ad habitum recipiendos, per Superiores locales, & Discretos Conuentus, vt *anno 1565. & 1593. Vallisoleti* in Generalibus comitijs determinatum fuerat, non respicit Bullas Apostolicas iuxta morem vltramontanum, vbi Superiori locali conditionum necessariarum indagatio, vel committitur, vel delegatur. Sed est cautela, vt ea, quæ oculos capituli fortasse effugit, inspici saltem possit à Superiore locali, & Discretis, qui vt immediati cohabitatores, solent Nouitiorum mores acutius intueri. Vnde nec iuridicè fieri debet, quinimò nec potest; quia si apud Prouincialem testimoniales informationes remanserunt, vel aliò demandatæ fuerint conficiendæ; quomodo poterunt in vno Conuentu, authoritatem non habente, iterum iuridicè examinari, & excipi? Examen igitur erit Summarium, & de plano, sine strepitu, & figura iudicij, interrogando Nouitium de omnibus ijs, quę probasse, necessarium fuit, apud Prælatos Superiores quorum aliquo, iuxta Bullas non constito, tunc poterunt habitum denegare, & de defectu admonere Prælatum.

Superior localis an possit explorare qualitates recipiendorum.

Sed quid si clarè constet, deesse Nouitio aliquod necessariò requisitum, pro valida susceptione habitus, & Superior de eò monitus, persistat adhuc, præcipiendo, vt habitus Nouitio concedatur; debet ne tunc Superior localis obedire? Respondeo, non teneri, quia est expresse contra Apostolicas sanctiones; nec tenetur cooperari malo Religionis, & peccato mortali præcipientis, quale esset recipere aliquem contra Apostolicas ordinationes; & sic Limitanda sunt capitula *Cum teneamur, de prebendis, contra morem: d.100. In memoriam: d.19.* vbi enim culpa est, etiam venialis, Deo potius, quàm hominibus est obediendum.

Nō tenetur Superior localis obedire prælato præcipienti, vt recipiat nouitiū, cui aliquod requisitum deest.

diendum. Tab. *V. Obedientia 6* S. Bonauentura *in speculo disciplinæ parte prima, particula prima, cap.4.* Turrecrem. *in Reg. Sancti Benedicti c. 68. tract. 143.* Aluarez *tom.2. de vita Spirituali libro 5. par. 3. c. 13.*

Superior localis recipiens indignum incidit in pœnas, &c.

Quid si constet, deesse aliquod necessariò requisitum, puta quia illegitimus, quia criminosus, quia genere maculatus, &c. & Guardianus id parui pendens, nolit nunciare Prouinciali? Respondeo, peccare mortaliter, tam Superiorem localem, quàm discretos consentientes. Secundo incurrere pœnas in Bulla Sixti, & Statuto Ordinis impositas, contra malè recipientes. Quia eadem pœna mulctandus est ordinarius, & delegatus Leges transgredientes. Quia subrogatus sapit naturam illius, in cuius locum subrogatur. Et ideo si delegans tenetur non dare habitum exceptuato, sub talibus pœnis, ad hoc etiam tenetur Guardianus delegatus. *Abb. in cap. cum in veteri. n.3. de elect.* Baldus *V. delegatus n. 9.* patet ex verbis Statuti. *Illis habitum denegare possint, & debeant.* Et quod in hoc sit delegatus, constat ex commissione, quæ datur, & facultate, quæ conceditur ei, qui ex se recipere ad habitum, & professionem non posset.

STATVTVM VII.

Quibus antea protestentur, quòd si aliqua ex memoratis conditionibus illis defuerit, statim expellentur, et ad professionem nullatenus admittentur. Quæ protestatio, etc.

STATVTVM VIII.

Singulis præterea protestentur, quod si lepra, morbo Gallico, vel caduco, aut alia contagiosa infirmitate laborauerint, et ante professionem ipsam cælauerint, eorum receptio, professio etiam, irrita, et nulla censeatur.

Vide quæ diximus aphor. 7. de non recipiendis filijs Hæbreorum.

STATVTVM IX.

Qui secus quemquam receperit, etc.

Vide supra, vbi de inquisitione Nouitiorum dicto 4.

STA-

STATVTVM X.

Quo die, quis Religionis habitum susceperit alicuius Sancti ei nomen imponatur, etc.

Statutum in Congregatione Generali Neapolitana anno 1590. & Vallisoletana 1593. Vtilitatem nominis breuiter Statutum exponit, *vt eius*(inquit)*rei gratia,& pietatis studio excitatus,cuius nomen habet, eius virtutes, probatos mores, & egregia facta, pie, & sanctè imitetur*. Quæ desumpta videntur ex *Catechismo Romano part.2. cap.2. num.75. Nomen* (inquit) *baptismo imponitur, quodquidem sumendum est ab aliquo, qui in Sanctorum numerum relatus est. Ita enim facile fiet, vt quiuis nominis similitudine, ac virtutis, & sanctitatis imitationem excitetur, ac præterea, quem imitari studeat, eum quoque precetur, & speret sibi aduocatum, tum ad salutem animi, tum corporis defendendum venturum esse*. Habet enim in nomine virtutum imitandarum exemplum, cuius titulum conspiciendum ostentat. *In nomine enim* (inquit Cassiod. lib.6. Var. epist.6.)*cognoscitur,quid sit de moribus iudicandum.quia nominis sui grauitate perfunctus,ornat actibus principatum*. Nobis iuuat dicere, *Monachatum*. Nam si sub insignis Sancti vocabulo, alienos mores induat;Sancto, & nomenclaturæ illudit,Vt idem author alibi ait,*Sumpsisti nomẽ ex moribus.* Ad hunc enim finem Sancti nomen imponitur,*custodi, vt semper lateris veritate vocabuli, nam cum omnis appellatio ad declarandas res videatur imposita, nimis absurdum est portare nomen alienum, & aliud dici,quam possit in moribus inueniri Nomen*(inquit, ex Platone, Cælius Rodig. *lect.antiquit.lib.24.cap.5.in principio*)*Est rei Organum, nec fortè oblatum, sed naturæ congruum; vt quod res discernat, & indicet naturam*. Nomen hoc non ex euentu, vt apud hebræos, non ex mysterio, vt sæpè apud Sacros Scriptores, non casu,vt in plurimum fit,sed ex matura electione,vel ex diuina inspiratione imponitur, vt Nouitius nomini se parem reddere conetur. Considerans *Gloriosa nomina onerosa esse*, vt dixit Lampridius *in Alexand. Seuero, & pueris pulchra nomina imponenda esse*, vt scripsit Plinius ad emulationem virtutis, & imitationis exemplum. Hinc erubescet *habere nomen quod viuat, & mortuus sit*, vt per D. Iaonn. Apocalips.3. improbat Dominus, *Quia nihil prodest nomen Sanctum sine moribus, quia vita a professione discordans, abrogat illustris tituli honorem, per indignorum actuum vtilitatem*, vt *lib.3.de prouidentia*. Saluianus prodidit. *Nomen enim sine actu, atquè officio suo, nihil est. Quid est dignitas in indigno, nisi ornamentum in luto?* Vt discurrit idem *initio lib.4.de prouidentia*, quod breuius, & pressius in fine libri inculcat dicens. *Magis enim damnabilis est malitia, quàm titulus bonitatis accusat; & reatus impij, est bonum nomen.Parce*(inquit Cirillus Ierosol. *Cathed.10.*)*huic nomini, ne propter te blasphemetur*.Et Laur. Iust.*lib.ligni vitæ.tract.2.de contin.cap.3.Christianum nomen ille frustrà sortitur, qui concupitis voluptatibus, Christum minimè imitatur,parum enim prodest solo nominis decorari vocabulo*.

Nominis speciosis vilitas.

Hinc

§. I.

Nominis mutatio quid importet.

Hinc mutatio nominis vbiquè laudata, in baptismo imponitur, & mutatur ex ratione paulò ante recensita. *Vocabula enim commutata* (inquit Hieronymus *in Hierem. libro quarto in fine*) *Significant rerum mutationem.* Et cum in professione Religiosa Nouitius velut denuo baptizatur, hinc meritò Sæculare nomen immutatur. Vt mortuus mundo. Deo viuat, quia vt idem Hieronymus *lib. 4. in Ezech. capit. 16.* in illa verba. *Et ornaui te ornamento*, quod ille ex hebræo transtulit, *& circundedi te trichopto. Rebus nouis noua fingenda sunt nomina.* Quod explicauit, ex alterius authoritate *lib. 3. in Epist. ad Gal. cap. 4* in illud. *Non efficiamur inanis gloriæ, &c.* Et ad rem, *apud nos votiua, & quasi ob virtutis auspicium ponuntur vocabula, v. g. pij, victoris, casti, probi.* Vt idem ait *prologo in Michcam. Quia crescentibus meritis, nomina adduntur noua.* Et vt totam sententiam ex eodem hùc transferam *in psalmo 15.* illis verbis. *Nec memor ero nominum eorum. Mutamur quippe* (inquit) *in lauacro, & ex filijs hominum vocamur filii Dei. Nec memor ero nominum Apostolorum, quæ habuerunt ante fidem, illa non recordabor, quia crescentibus, &c.* Hinc nostrorum exemplo auspicatissima in ordine nominum mutatio. P. Franciscus ex Ioanne; Antonius ex Hernando; Bonauentura ex Eustachio: hinc faustissimæ appellationes à nostro protoparente inditæ, Fratris Ouiculæ, & Fratris Muscæ, ob simplicitatem, & otiositatem: de quo Pater Vuadingus, tom. 1. annal. ad anno 1210. num. 49. fine.

STATVTVM XI.

Nemo alibi, quam in Ecclesia, &c. Ad habitum, & professionem admittatur, nisi ob causam, Generali, vel Prouinciali probatam.

Quo loco fieri debeat Nouitii receptio, et professio.

Non est determinatum in iure, receptionem habitus, & professionis emissionem fieri debere in Ecclesia, vel in alio loco. Certum tamen est, faciendam esse in loco publico, & coram testibus, vnde præcipitur in his Statutis, scripto mandari receptionem ad habitum, & ad professionem cum subscriptione Nouitij, & profitentis, ac etiam Superioris, antiquiorisquè Discreti. Et conseruari in Archiuio ad perpetuam rei memoriam. Et ceremoniale factum in Capitulo Generali Romano, sub Iulio Secundo, ac insertum in illius Statutis Papalibus *tertia, parte firmamenti fol. 58.* Mandat, indutum Nouitium, vel Professum, ab omnibus Fratribus osculo pacis excipiendum. Vbi supponitur tales actus fieri extra Ecclesiam, si quidem decernitur, indutum, vel professum, *Si in capitulo, vel alibi, extra Ecclesiam induatur, deducendum esse processionaliter ad Ecclesiam.* Ex regula autem S. Benedictini *c. 58.* elicitur hæc fieri debere in Ecclesia, & coram altare maiori. *Suscipiendus autem* (inquit) *in Oratorio, coram omnibus, promittat de stabilitate sua, & conuersione morum suorum, & obedientia coram Deo, & Sanctis eius, &c. De qua promissione faciat petitionem ad nomen*

San-

Sanctorum, quorum reliquiæ ibi sunt, & Abbatis præsentis; quam petitionem manu sua subscribat, &c. Et in ordine Romano relato per Melchiorem Hittorpium in *lib. de diuinis Cathedr. Ecclesiæ offic.* impressum Parisijs anno 1624. ponitur forma, & ordo faciendi Monachum, scilicet in Ecclesia, eo in terram prostrato. In regula Camaldulensium *cap. 3.* tradita hæremitis à S. Romualdo, Præcipitur fieri primò professionem in Capitulo, deinde publicari in Ecclesia, inter Missarum solemnia. In iure autem reperitur professionem viduitatis solitam fieri coram Episcopo in Sacrario. *cap. viduitatis. 27. quæst. 1. vbi glos. Sacrarium* (inquit) *locus fortè est, vbi Monachæ accipiunt habitum.* Puto fuisse Ecclesiam, quia capitulo sequenti dicitur. *Omnes fœminæ venientes ad Sanctam Religionem pallio capita sua contegent, conscriptam, roboratamquè professionem faciant.* Hæc autem pallij impositio solemnis, fiebat in Ecclesia, vt dicitur paulò supra *cap. Vidua.* Et faciebat oblationem, & reputabatur professa. Cæterum etiam domi profiteri solitum fuisse, probat *cap. porrectum. de Regularibus,* vbi declaratur Monachus Canonicus quidam, qui professionem emiserat in manibus Episcopi, dum esset infirmitate grauatus.

Quæ etiam causa esse poterit Generali, vel Prouinciali dispensandi super hoc Statuto, Nouitio nimirum existente infirmo; vel ad vitandum scandalum, & incursionem Sæcularium, eum disturbare volentium, vel aliam similem causam rationabilem, in qua dispensatione, si minus rigidè procedatur, nullum peccatum committitur, quia res magnæ considerationis non est, sed merè cerimonialis.

Quare in Ecclesia habitus recipi, & professio emitti debeat.

Vt scilicet ex circunstantia loci Sacratioris, ex adspectu Sanctissimæ Eucharistiæ, ex præsentia Sanctorum Angelorum, & Tutelarium, Nouitius, & Professurus concipiant reuerentiam, deuotionem, compunctionis spiritum, firmitatis affectum, ac stabile perseuerantiæ propositum. Hac ratione Moyses Deutoronomium legis in latere arcæ reposuit, vt esset contra transgressores in testimonium *Deut. 31. num. 26.* & Iosuè sui Magistri exemplo *collocauit lapidem subter quercum, quæ erat in Sanctuario Domini, in testimonium, quod audieritis omnia verba Domini, ne fortè postea negare velitis, & mentiri Domino Deo vestro. Ios. vltimo. n. 27.* & Iacob. *Gen. 31. num. 48. erexit cumulum lapidum in testimonium inter se, & Laban socerum.* Et super locum Iosuè inquit Augustinus apud Glos. ordinariam. *Lapidem illum significasse Christum Statutum in testimonium infidelibus Iudæis, scilicet mentientibus.* Et Liranus magis ad rem, super illa Verba, *Scripsit quoque omnia verba legis Domini. Id est* (inquit) *hanc professionem Populi, & obligationem iteratam, ad fortius adstringendum populum, ad seruiendum Domino in futuro.* Et super illa, *Et tulit lapidem, &c. Applicat* (inquit) *signum sensibile ad memoriam huius facti in futurum.* Et S. Hieronymus epist. 48. arguit Sabinianum Diaconum de impuritate Sancti Præsepij, in quo peccauerat, allegans puritatem. Absoluo commentationem hanc verbis Sancti Ambrosij, monialem lapsam, alloquentis. *lib. ad Virginem lapsam cap. 5.* vbi sit inquit. *Non es memorata diei Sanctæ Dominicæ Resurrectionis, in quo diuino altari te obtulisti velandam? In tanto itaque solemni Conuentu Ecclesiæ Dei, inter lumina illa splendida, inter candidatos Regni Cælisti, quasi Regina Regi nuptura processeras.* Et infra, *Seruare te oportuit fidem, quam sub tantis testibus pollicita es, semper cogitare, cui virginitatem spoponderis.* Et infra, *Nam si inter decem*

tastes,

testes, confectis sponsalibus, nuptijs consummatis, quauis viro fœmina coniuncta mortali, non sine magno periculo perpetrat adulterium, quid putes fore si inter innumerabiles testes Ecclesiæ, coram Angelis, Exercitibus Cœli, facta copula spiritualis, per adulterium soluitur.

STATVTVM XII.

Seruentur cerimoniæ, &c. Benedicantur vestes, &c. Fiat adhortatio.

Habitus benedictio quid operetur. Omnia hęc culpam mortalem non habent, si contemptus absit quia directoria sunt, ad eleuationem mentis in Deum, & ad inculcandam Nouitio, & adstātibus actionis grauitatem; reliqui tamen non debent ob antiquitatem, misteria continentem, præcipuè vestium benedictio; licet enim hæc non sit *constitutiua*, vt loquuntur Caietan. 2.2.*q*.88.*art*.11. Nauarr. *de spol. cleric*. §.18.*n*.9. Suar. *tom*.1. *de relig. tract*.3. *lib*.4. *de Simonia c*.14.*n*.1. Layman. *de Sacr. Ordinis cap*.13. *n*.4. Et infra, quia per illam non constituuntur in gradu tali, vt ad prophanum vsum applicari non possint, sed tantum *Inuocatiua*, qua scilicet inuocatur diuinum auxilium circa vsum talium indumentorum, cuius generis sunt benedictiones ouorum, ciborum, nouæ nauis, domus, &c. Et licet non sit de ijs, quæ à solis Episcopis, vel Episcopalem iurisdictionem habentibus impenduntur, vt benedictio Ecclesiæ, Calicis, Corporalium, &c. Est tamen dependens ab Ordine Sacerdotali, illas enim nisi Sacerdos dare non potest, vt ex ritu Ecclesię patet, concedentis soli Presbytero benedicere dona Dei *cap. perlectis, dist*. 25. & scribunt communi Siluester V. *aqua benedicta*. Suar. *tom*.1. *de relig. citato capit*.15. Vnde (inquit Layman. num. 11.) *Si diaconus iubente Sacerdote benedicat v. g. aquam, benedictio irrita erit, quia facta à non habente authoritatem*. Super omnia consideranda sunt à Nouitio, vel professo misteria, quę in benedictionibus particularibus indicantur, puta humilitatis, & innocentiæ in habitu, memoriæ vinculorum Christi, & puritatis in cingulo, renouationis hominis interioris in tunica, diuini præsidij in capucio, &c. Et alia eius generis multa, quæ in benedictionibus, orationibus, cærimonijsquè, ad hanc functionem destinatis continentur.

Benedictio quotuplex.

Misteria benedictionis habitus. Qua in re conducit huc transcribere ex *Duranto de ritibus libro secundo, capitulo nono, num*.4. Quæ Iuo Carnotensis *Serm. de rebus Ecclesiasticis*, scripsit de Sacris vestibus. *Ornamenta hæc* (inquit) *sunt virtutum insignia, quibus tanquam scripturis vtentes admonētur, quid debeant appetere, quid vitare, & ad quem sua facta dirigere. Prouideat ergo diligenter Episcopus, & attendat Sacerdos studiosè* (inquit Innocent. 3. *lib*.1. *de Myst. Missæ. cap*.64. & nos possumus dicere, attēdat Nouitius, vel Professus) *Vt signum sine significato non ferat, & vestem sine virtute non portet, ne fortè similis sit sepulchro dealbato; quisquis autem sacris* (Religiosis) *indumentis ornatur, & honestis moribus non induitur, quantò venerabilior apparet hominibus, tanto indignior redditur apud Deum*. Hæc ex Duranto supra citato.

* Vltra ea quæ annuit Commentator de Baptismo Professi c.2. Stat.10. §. 1.

&c in

& in præfato Stat.13. de Indulgentia,quam consequitur in Professione; aduertere debemus,quod quilibet Professus post Professionem debitò factam,in statu gratiæ, nedum consequitur plenariam peccatorum remissionem, sed dicitur etiam de nouo renasci, quia tunc iterum moritur propriæ voluntati, & Mundo similiter, propter tria vota: Et sicut in Baptismo moritur peccato: Vnde talis professio dicitur alter Baptismus, vt ostendit Rod. ex diuersis Patribus, & docet præsertim ex Gabr. *in 4.d.38. q.11.* Qui in supplemento limitat ad hunc sēsum, scilicet quod non ipsa Professio solum ex se habeat hanc gratiam; Sed si ei adiungatur vita Regularis sequens, quam quis ibi profitetur. Et hoc sentire videtur B.Bernard. ibi cit. Videatur Corduba.* *Professio dicitur alter Baptismus.*

STATVTVM XIII.

Moneat de plenissima Indulgentia, quam consequitur, qui Religionis habitu induitur.

Eam concessit Sixtus IV. Ordini nostro. Quam certam reddidit, & ad ingressum in Religionem, & ad professionem extēdit Paulus V.anno 1606.quam etiam lucratur in articulo mortis, in celebratione primæ missæ, vel auditionis illius, in exercitio spirituali decem dierum, in missione ad prædicandum, vel conuertendum Infideles, in oratione quadragintarum horarum indicta pro fælici successu Capituli Generalis, vel Visitationis. Spacio saltem duarum horarum, licet non continuatarum. In Festo principali Ordinis, quod apud nos est festum S.P.N. Francisci, in his omnibus est plenissima indulgentia confessis, & sacra communione refectis, ex dicto Paulo V. quem solum citasse sufficiat,quia alias reuocauit, & has plenarias concessit. *Indulgentia plenaria, dū recipitur habitus,fit professio, &c.*

* Pro Indulgentia Plenaria præfati spiritualis exercitij, ad octiduum redacti, emanauit Concessio Alex.VII. ad instantiam Reuerendiss. Sambucæ; in cuius Gener. Stat.1663. impressis, habetur per extensum, pag.374. *Cum sicut nobis, &c.* Vbi Pontifex concedit omnibus, *Qui de suorum Superiorum licentia exercitia prædicta per octiduum, quandocunque peregerint: Et intera temporis verè pænitentes, & confessi, Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, quoties id egerint, plenariam suorum peccatorum Indulgentiam, & remissionem.* * *Indulg. Alexandri VII. pro exercit. spiritualibus*

STATVTVM XIV.

Absoluat Nouitium ab omnibus censuris, & irregularitatibus, iuxta sequens Priuilegium.

Clemens Papa Quartus. Volentibus vestro aggregari consortio, qui suspensionis, aut interdicti, vel excommunicationis sententys, à iure, vel ab homine generaliter sunt ligati, absolutionis beneficium, seruata forma canonica impartiri; ipsosque Fra- *Priuilegium amplissimū, circa absotres*

tres

lutiones, dispensationesque.

tres recipere; ac eos, qui post aßumptum habitum, vel professionem emissam recoluerint, se talibus in sæculo fuisse sententijs innodatos, secundum formam ipsam; vos Generales, vel Prouinciales, Ministri, ac Custodes, vel vices vestras gerentes, absoluere valeatis, & cum eis in irregularitatibus dispensare, si talibus forsan fuerint innodati sententijs: vel in locis interdicto suppositis, diuina præsumpsissent officia celebrare, vel ordines recipere. Ita tamen, quod si aliqui ex eisdem, huiusmodi sentētijs propter debita sint adstricti, eisdem satisfaciãt, prout tenētur. Volumus nihilominus, quod volentes huiusmodi vestro aggregari cõsortio, nisi mox, postquã fuerint absoluti, ordinem vestrum intrauerint, etiamsi ad hoc induciæ à Prælatis eiusdem ordinis concederentur, eo ipso in pristinas sententias, à quibus eos absolui contigerit, relabantur.

Ad cuius amplissimi priuilegij declarationem, sciendum est, ipsum reperiri authenticum in Bulla eiusdem Clementis, qua Mare magnum appellatur, ac incipit. *Virtute conspicuos*, §. 13. *in* firmamento trium Ordinum. *part.2. trac.2. fol.mihi* 15. & replicatur de verbo ad verbũ, *in Mari magno Sixti Quarti, in Bulla, quæ incipit Regimini*, §.14. *apud Rodriguez fol.* 149. Quę fuerat confirmata ab Eugenio IV. inserto in præfato Mari magno Sixti IV. Statuta verò Salmãticensia cap.2. citant hoc priuilegium ex Bonifacio VIII. quod in fonte videre non potui, cum nec in firmamento trium ordinum adducatur, licet dicat insertum in Mari magno Sixti IV. in quo non extat, nec in Bullario Rodriguez, nec apud Vuadignum ad ann.1295. qui eum transcribendũ non censet in regesto, vtpotè collocatum in confirmatoria Sixti IV. Quæ Bulla, si non incipit *Virtute conspicuos*, vt altera Clement.IV. puto errari in citatione. Quam daturum se spondet author in regesto Clem.IV. quod tamen non præstitit.

* Alphons. Cassarub. *v. Absolutio ordinaria, quò ad frates*, §. *idem*. Priuilegium transcripsit non nullis tamen immutatis verbis. *

§. I.

Volentes vestro, &c. qui suspensionis, aut interdicti, vel excommunicationis sententijs à iure, vel ab homine generaliter latis sunt ligati) Dico primò respicit hoc priuilegium Sæculares, Nouitios & professos, vt patet. Itaquè possunt absolui ante susceptionem habitus, & Nouitiatu, & post professionem. Melius tamen est, & secundum mentem Pontificis, ante susceptionem habitus absolui, quia hac ratione purè, & fructuosè ad Dei seruitutem acceditur. Hinc dicit, *post susceptum habitum, &c. recoluerint se.* Vt licitum sit professis in casu obliuionis.

Sæculares, & Nouitij possunt absolui, & dispensari.

Dico secundò, suspensio, interdictum, & excommunicatio tantum nominantur, quia hæc solum sunt censuræ, & absolutioni subiacent. Est Communis opinio. Ex *cap. quærenti, de sent. excomm.* Thesaurus in Praxi Eccles. par.1. initio, vbi alios, pro, & contra citat.

Censura est tantum excõmunicatio suspensio, & interdictum

* Diana *p.3.t.11.R.27.* & si existimet probabilem sententiam affirmatiuam dicentium, vltra suspensionem, Interd. & excommunic. Irregularitatem etiam venire nomine Censuræ, si præsertim fuerit ex delicto, vt est illa, quam contrahit celebrans, vel suscipiens Ordines in excommunicatione maiori, & similia indecentia: ad differentiam illius, quæ incurritur propter similitudinem, qualis

est,

est, quæ ex Bigamia, vel ex sanguinis effusione contrahitur: Probabiliorem tamen putat oppositam sententiam negatiuam. Satis nihilominus conducit ad eas reconciliandas in ea graui materia, illa potissimum distinctio, quam affert idem Doctor *p.4. t.2. R.81.* exemplificans de Irregularitate, quæ est simul pœna & inhabilitas, & quæ ob defectum lenitatis, & repræsentationis contrahitur, qualis est Bigamia, Homicidium iustum, & illegitimitas. Et de Irregularitate, quæ simul est pęna, & inhabilitas, qualis est illa, quæ contrahitur ex homicidio iniusto, voluntario, vel mutilatione. * *Irregularitas an veniat aliquando nomine Censuræ.*

Dico tertiò, possunt absolui, etiam nominatim excommunicati, &c. Satisfacta parte, ita Guttier. *in q. canon cap.6. num.19.* Rod. *in Bullam cruc. §.9. num.52. & infra* Sot. *4. dist.22. quæst.2. art.3.* Henriq. *lib.7. cap.13. numer.2. & lib.8. cap.60. num.4.* Acosta *quæst.50.* Rebuf. *in concordantijs, titulo de foro mandati Apostolici, &c.* & alij quos citat, & sequitur à Cruce *in Cruciat. disput. 1. cap. 4. dub. 1. num.5. qui numer. 6.* citat pro absolutione publicè denunciatorum, satisfacta parte, Ledesmam *1. part. quarti quæst.26. art.1. dub. vltimo.* Medinam, Couar. Sayrum, Angles, *de flor.* Sanchez, Candid. *1. tom. disq.24. art.59. dub.10. & tom.1. disq.3. art.2. & 3. & contra* Sotum, Auilam, Bonac. Filliuc. *apud* Tamburrinum *tom.2. de Iur. Abb. disp.14. quæst.8. num.3.* Alterium *de cens. lib.4. disp.2. cap.5. dub.1.* Ratio est, quia non obstante particula, *Generaliter sunt Ligati*, quæ arctat priuilegium ad cẽsuras generaliter promulgatas, subiungit Pontifex *propter debita sint adstricti*. Per quæ verba ad speciales sententias ampliatur, & per illa non accipiuntur hoc loco excõmunicationes, quæ fulminantur ob furta ad effectum releuandi; quia cum debitor sit, à quo inuito, pecunia extorqueri potest, *l.108. de verb. signif. l.18. §. fideiussor. ff. de fideiuss. apud* Caluinum *in lexico pag.560. num.70.* Et qui reali obligatione conueniri potest, vt probat Barbos. *appellat.69. nu.6.* fit, vt fur occultus, debitoris nomine minimè censeatur, quia potest se perpetua exceptione tueri. Ergo constricti sententijs propter debita sunt, illi qui nominatim ligantur per Cædolones, &c. Quod confirmauit Iulius II. *in Bullario* Rodrig. *pag.266.* qui idem priuilegium concedens Minimis, dixit. *Ita tamen, quod si aliqui ex huiusmodi, eisdem sentẽtijs propter debitum sint adstricti, satisfaciant, vt tenentur.* Quæ verba non solum de obæratis interpretanda sunt, sed etiam de alijs nominatis, inter quos si obærati inueniantur, &c. Absolui possunt, parte tamen prius satisfacta. Et adest maior ratio; quia plus est absoluere debitorem nominatum, quàm alio in genere excommunicatum; nam ibi fit iniuria Iudici, & Creditori, dum in aliquo casu satisfactio fieri non posset, vt dicetur, hic autem soli Iudici. Et cui conceditur plus, conceditur etiam minus, *cap. cui licet de regul. iur. in 6.* *Nominatim excõmunicari possunt absolui.* *Quis debitor.*

.* Quæ Regula licet exceptionem aliquam recipere possit, sicuti regulariter omnes recipiunt; nulla tamen erit contraria, ad quæst. intentum. Consimilis est illa, *Cui licet quod maius est, non debet quod minus est non licere, l. non debet, ff. de Reg. Iur. & l. Marcellus. ff. de donat. causa mortis.* Procedit enim nisi is cui maius licet, a maiori ex causa, prohibeatur à lege. *Vt in l. illicitas §. vniu. ff. de off. Prætor. ibi enim Præses Prouinciæ potest damnare ad Metalla, & non potest deportare, quod minus est.* Quæ exceptiones non veniunt in Regula præfata. *

Ratio est, quia excommunicatio lata ad instãtiam partis, satisfacta parte ab-

solui

ſolui poteſt. Quæ ſufficere poſſunt Bordono citato infra,& 19.neganti, regulares habere facultatem abſoluēdi nominatim excommunicatos, eo quod nullum priuilegium reperiat id affirmans, quod licet verum ſit in terminis, reperitur tamen ex clariſſimis deductionibus,vt probatum eſt.

Quinimò ſibi eſt contrarius, quia in hac reſolutione quæſt. 6. probat poſſe Prælatos regulares abſoluere etiam in foro exteriori. *Quia* (inquit) *in opinione quorundam poſſunt abſoluere nominatim excommunicatum*. Si enim hæc opinio apud ipſum non eſt probabilis, non poteſt inſeruire pro medio ad probandas alias concluſiones. Saltem conijcitur ſcribentis vacillatio.

Si dicas conturbatur Iuriſdictio. Reſpondeo, propterea cauet Clemens IV. immediatè dicens. *Cæterum veſtra diſcretio cautè procedat, vt Apoſtolicæ Sedis, aut legatorum, & ordinariorum locorum in abſolutionibus huiuſmodi ſcādalum euitetur*. Vbi apparet manifeſtè loqui Pontificem de nominatim ligatis, quia ſecus, nullum eſſet ſcandali periculum. Et cum hæc ſit adhortatio, de honeſtate, non de neceſſitate obligat.

Hæc dicta ſint ad declarationem huius priuilegij,etiam ex ſentētia Rod.*tom.* 1.*q.*20.*art.*7.8. qui licet *art.*15. *quæſt.*24. teneat contrarium ex priuilegio Sixti 4. conceſſo Ord. Prædicatorum, quod noſtro eſt ſimile, niſi quod ampliat illud ad Superiores conuentuales, tamen poſtea affirmat ex alio priuilegio nobis ab eodem Sixto IV.conceſſo. Henriq. *lib.*3. *de Indulgent.cap.*3. *lit.R.* Miranda *t.*2. *q.*25.*art.*21. & 22. *Portel.V.prælatus ad abſol.num.*25.27.28. Hieronymus Rodriguez *reſol.*3. *n.*2. Ludouicus à Cruce *diſp.*1. *in bullam cruc.c.*4. *dub.*1. *num.*5. Nam ex alijs conceſſionibus id apparet manifeſtè ex Martino V.& Eugenio IV. Caſinenſibus, & Benedictinis Valliſoleti; quibus accedit Martin. V. qui conceſſerunt, vt poſſent abſoluere quemcumque excommunicatum a iure, vel ab homine, ab excommunicatione quantumcumque reſeruata, & eum ad ordinem recipere. Et nulla ſit diſtinctio de generali, & ſpeciali ſententia; & cum nos diſtinguere non debeamus, vbi lex non diſtinguit; & priuilegia,nulli nocentia, ſint ampliſſimè interpretanda, ſequitur omnes ſententias comprehendi, vt declarat Tambur. *tom.*2. *diſt.*14. *q.*9. *n.*4. & 5. iſta adducens, qui citans Rodrig. *tom.*1.*q.*20.*art.*4. ponderat verba conceſſionis Eugenianæ, ſcilicet, *Vt poſſint abſoluere ab omnibus, qualitercumquè enormibus cenſuris, & ſententijs, à iure, vel ab homine, in genere,vel in ſpecie promulgatis,vel promulgandis*. Paulus item III. conceſſit Societati Ieſu, quod poſſint, *abſoluere ad ſe venientes, à quibuſcumquè excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti,aliſque Eccleſiaſticis,& Secularibus cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quomodolibet latis, & promulgatis*. Promulgatio autem propriè eſt Iudicum. Quod docet Suar. *tom.*4.*de relig.tract.*8. *lib.*2.*c.*25. *num.*5. & 7. Simile priuilegium conceſſit Vrbanus IV. Carmelitis,in mari magno Sixti IV. *num.*42. apud Rodriguez *in bull. fol.*204.

* Quare Lezana trepidando, in dubium reuocare non debuit, vel limitare ampla, & indiſtincta Priuilegij verba,vbi de Nouitijs loquitur *cap.*24.*numer.*8. Qui etiam perpendere debuiſſet verba illimitata, & indiſtincta Pauli III. in conceſſ. facta Societ. Ieſu, in Bulla, *licet debitum*, inter Bullas huius Pontificis *nu.*48. prout ipſe retulit ante *c.*18. *num.*37. Vbi etiam conteſtata probabilitate ſententiæ, quam nos abſolutè defendimus, addit præfatum abſolutionis Priuil. etiam intelligendum eſſe quando aliquis Religionis nominatim denunciatus eſ-

ſet

set. Hoc negat Rodr. &c. *tom.*1. *q.*20. *art.*4. vt visum est supra. Sed cum promulgatio sit propriè iudicium ex eodem Suar. Superius relato, manifestum euadit posse etiam absolui excommunicatos nominatim denunciatos: Quod confessus fuit ipsemet Rodr. in *B. Cruc. eodem dicto* 3. Commentatoris, cum limitatione de parte satisfacta; & comprobatur etiam inferius de denunciatis per publicos Cedolones. * Ex quibus omnibus nullam limitationem addentibus, supposita communicatione priuilegiorum, colligitur intentum.

Excommunicati denunciati an possint absolui.

Dico quartò, possumus absoluere etiam à casibus Bullæ Cęnæ Domini, Conclusio est Alteri *l.*5. *de cens. disp.*22. *c.*2. *in fin.* Tambur. *tom.*2. *pag.* 118. *num.*3. Portel. *de dubijs regul. pag.*8. *numero* 10. Vtriusquè Rodriquez, *resolut.*3. *num.*3. & *tom.*1. *quæst.*20. *art.*9. Suar. *de censuris. pag.* 351. *num.* 4. & *tom.* 4. *de relig. lib.*2. *cap.*21. *tract.*8. *vsquè ad numerum octauum* Bannes 2. 2. *quest.*21. *artic.* 4. *pag.*280. §. *& si quis obijciat.* Molfes. *tract.*7. *cap.*21. *num.*19. & 20. Peirin. *tom.* 1. *priuil. annot. ad constit.* 4. *Sixti IV. nu.*10. Sonsæ *ad Bullam Cœnæ, art.* 10. *con.* 3. *Villalob. tom.*1. *tract.*9. *diffin.*61. *numero* 5. P. Francisci Ortiz in *Summ. cap.* 26. *num.*62. Hi omnes; vel dicunt priuilegia regularium non esse reuocata per publicationem Bullæ Cœnæ, quoad omnes casus, vel quoad particulares, vel non reuocari concessionem Concilij Tridentini factam Episcopis *Sess.* 14. *cap.* 6. præcipuè apud Rod. *art.*10. Enriq. Penna, Medina, Gallus Moya, Soli, Episcopi Segobriensis, Granatensis, Compostellanus, Burgensis, ad quem in hunc sensum rescripsit Cardinalis Carrafa Sacrę Congregationis nomine, & fuit declaratum in Sinodo Toletana anno 1583. vt refert Miranda *tom.*2. *quæst.*7. *art.* 2. *con.*3. §. *sed contrariam.* Vel dicunt non esse reuocatam Bullam cruciatæ, quod postremò neruosè propugnauit P. Aloysius à Cruce, huius Lateranensis Pœnitentiariæ olim Præses bene meritus, *in tractat. de Bulla Cruciatæ quæstione vltima.* Licet enim in hac quæstione ex vtraquè parte doctissimi viri viriliter repugnent, multi tamen reuerentia quadam in modernum stilum Curiæ, & Sacræ Pœnitentiariæ praxim, accedentibus maximè oraculis quibusdam, etiam, & ipsis pugnantibus, quæ Summorum Pontificum pro tempore, mentem declarare videntur, vel pendentes remanent, vt Miranda *tom.* 2. *pagin.* 107. & 108. *de absolut. numer.* 18. Vel in contrariam partem deflectunt, cantata etiam palinodia, vt Candelabrum aureum; propterea ad totius materiæ complementum.

Possumus absoluere à casibus Bullę Cœnę.

Dico quintò, probabile est, posse etiam nunc regulares, virtute priuilegiorũ absoluere suos subditos à casibus Bullæ Cœnæ Domini, non obstãte reuocatione priuilegiorum, quæ quotannis fit in publicatione ipsius, & tuta conscientia, ac sine errore posse in praxim deduci. Subscribunt citati Doctores, qui rem ex integro, & professo tractarunt. Inter quos P. Villalobos hæc habet. *Ambas opiniones* (negantem, quę est prima, & affirmantem, quæ est secunda) *me parecen probables, y esta segunda me parece mas probable, y que se puede seguir en platica.* Bossius *tract. de Iubileo sectio.*1. *casu* 10. §. 2. *nu.*10. Opinionem hanc sequitur, & probabilem vocat. Fagundes *in* 5. *præcepta Ecclesiæ lib.*8. *c.*8. *n.*33. tenet authoritatem Episcoporum absoluendi ab hæresi occulta, & Bullam Cruciatæ non esse reuocatam per Bullam Cęnæ. Et hanc opinionem vocat probabilio-

Doctores affirmãtes posse nũc regulares absoluere à casibus Bullę Cœnę.

F rem

rem oppositam, quam dicit probabilem. Et cum concedatur de principaliori casu Bullæ, ab omnibus exceptuato, nimirum hæresi; probabilius est posse Episcopos super totam Bullam Cœnæ, P. Hieronymus Rodriguez citat. post quam laudauit Villalob. subiungit. *Quæ opinio tanquam magis pia, & animarum saluti prouidens, ex authoritate tantorum, ac doctissimorum virorum, potest absquè scrupulo sequi*. Portel. *V. Abbas num.* 13. post recensitas ambas opiniones ait, *Elige quod placuerit*. Et de Episcopis tenet, quod *Episcopi absque dubio possunt absoluere à casibus Bullę Cœnæ*, Et Iacobus Mancinus *hoc anno* 1640. *in practica visitandi infirmos. Tract.* 4. *dub.* 15. multos citans præcipuè *Nauarrum, Bannes, Azor. Zerolam, &c.* Tenet pro Episcopis, & refert verba Nauarri ad quendam D. Cardinalem dicens. *Non omnes decisiones Rotæ, quæ placent Vrbi, placent toti Orbi*. Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 11. *fine.* Loquens de facultate eadem, Episcopis per Tridentinum concessa, circa absolutionem ab hæresi, fatetur. *Vtrinquè vrgere rationes, & authoritatem grauissimorum Doctorum, quæ vtramquè partem probabilissimam reddere videntur;* licet post paucula verba subiungat, negatiuam sententiam tenendam esse. *Nec in re tam graui* (inquit) *amplectenda est sententia posterior, valde dubia, & parum tuta*. Vbi parum tutam vocat sententiam quam censuerat *probabilissimam:* Dum tuta est, quæ solum sit probabilis, imo minus probabilis, respectu probabilioris, vt post alios P. Lud. à Cruce, post Bullas cruciatæ, & compositionis, latè disputat.

Sanchez notatur.

Censoriam tamē virgam validissimè vibrauit Marchinus *trac.* 1. *de Sacr. Ord. par.* 9. *diffin.* 9. *dum n.* 6. ait. *Quinimò credo, hac nostra ętate oppositam sententiā non sine graui culpa, & periculo animarū practicari posse.* Quippe quæ adeo, *lubrica sit, vt pęnitentes exponat periculo damnationis, & num* 12. loquēs de priuilegijs regularium, ait, *Nullus cordatus Doctor audebit dicere, nunc licere regularibus absoluere ab hęresi occulta per sua priuilegia, quæ per Bullam, & declarationem Clem.* 8. *reuocata fuerūt.* Quod à fortiori fatetur de alijs casibus Bullæ, &c. Et tamen nostra ætate scripserūt Barb. qui in *collectione DD. ad Trid. Sess.* 24. *c.* 6. *n.* 67. Viginti grauissimos DD. hoc asserētes allegat. Diana 1. *par. resol. trac.* 5. *resol.* 2. Qui eosdem, & alios modernos adducens, in fauorem Episcoporum inclinat. P. Ludouicus à Cruce, *qui anno* 1634. Sripsit quiquè non obscitanter, & minus cordatè (vt iste dicit) sed ex professò, & ex animi sententia rem examinauit, *disput.* 1. *in Bullam Cruciatæ c.* 10. *dub.* 4. *nu.* 8. ait *Nihilominus sententia negans dura quidem videtur viris doctissimis, & mihi etiam.* Hieron. Roder. *cit. n.* 5. *citat* Portel. dicētem probabile esse, posse Episcopum absoluere ab hæresi occulta, & adducētem Nauar. & Henriquez idem affirmantes, & alios apud istos: Quibus, & ipse subscribit, licet probabiliorem cōtrariam putet. Iuxta tamen primam sententiam multa dubia soluit. Iste autem Doctor nostra ætate, anno nimirum 1630. scripsit. Peirinus, quis ignorat? Nostra ætate contrariam sententiam tenet, & tamen cordatus est vir: Vt taceam de *Rodriguez, & Miranda* celeberrimis in hac materia, qui vel affirmarunt absolutè, vel vtramq; probabilem indicarūt.

Marchinus notatur.

Tandem P. Candidus *tom. prim. disquisit.* 3. *articul.* 35. Licet in contrarium descendat, non ob rationes, sed ob testimonium aliquorum, qui dicunt, Pontifices itá declarasse; & ob Tribunal Sanctæ Inquisitionis, & stylum Sacræ Pœnitenriariæ, atquè adeò adigatur ad concedendum, sublatam

esse

esse per Bullam Cęnæ facultatem concessam Episcopis in Concilio Tridentino contra id quod dixerat *art.*28.in hæc verba. *Ergo Episcopi virtute Concilij Tridentini poterunt dispensare, & absoluere ab omnibus casibus occultis, etiam si per subsequentem Pontificiam reseruationem reseruantur, nisi adsit clausula specifica derogans.* Et de Tridentino docuerat eodem loco, faciendam esse indiuiduam mentionem,nec sufficere Generales cuiuscumq; Concilij reuocationes dicens. Ex Henriq.Sanchez,Viualdo,&c. *Et tom.*2.*disquis.*24.*art.*59.*dub.*1. Firmat Generales, Prouinciales, & Locales Superiores gaudere erga suos subditos eadem authoritate,qua gaudent Episcopi,&c.Ac proinde dub.2.infert quod poterunt subditi absolui à suis Superioribus, ab omnibus casibus Papalibus, & artic. 11. probat non esse reuocata priuilegia Regularium per decretum Sacræ Congregationis anno 1601. ex quadam declaratione eiusdem Sacræ Congreg. facta ad instantiam Generalis Clericorum regularium quoad regulares, Ex mente eiusdem Clementis VIII.

Nescio igitur quomodo cohærenter Marchinus discurrat; nec lubricum Confessariorum pedibus in animarum periculum sternere, tot grauissimos, & de re litteraria, ac eminenti pietate benemeritissimos, voluisse,vel nolentes putarit, cum, & ipsi, quæ Marchinus adducit,ante illum auctiori oculo viderint,& maturius examinarint. Vt tandem tam rigorosæ censurę locus non remaneat, eò vel maximè cum hac nostra ætate nihil noui Aphrica moralium disputationum attulerit (Nisi demus Bordonum Resolut.3. nu.4. qui contrariam sententiã nulla ratione probat, & ieiunis quibusdam responsionibus rem se confecisse arbitratur) & vltra creditas declarationes Pij Quinti, Gregorij decimi tertij apud Nauar. & Azor. & Clem.Octaui, ex relatione, nescio cuius, Fide digni, & declarationem Congregationis Cardin.apud Sanchez,& Decisionem Supræmi Prætorij Inquisitionis apud Pegnam (quæ benè veteres sunt) noua determinatio à Sancta Sede Apostolica non emanarit. Ne autem censuras censuris,sed rationibus extrudam, quæ Rodriguez, & ex illo alij tradiderunt,breuiter ad conclusionis, probationem adducam.

Bordonus etiam notatur.

Prima est.*Ex Regul.*16.*in sexto,decet concessum à Principe priuilegium esse mãsurum. Et c.quod Semel. eod.* Quod non solum intelligitur de priuilegio, in contractum transacto, in quo Principis tanquam priuata persona obligatur, *l.*2. §. 1.*ff ne quid loc. public. vt ex Felin. Matienzo,Alexand.Ias. Nauar.& alijs firmat Ludouic.à Cruciat. citat.n.*2. Sed etiam in concesso ob meritorum remunerationem; esto sola gratitudinis lege remuneratio deberetur, vnde infert Sanchez *lib.*8.*de matrim. disput.*23. *nu.*4. Non possę Principem sine causa reuocare tale priuilegium, quia censetur per modum contractus concessum. Idem refert Afflict. *decis.* 128. *numer.*10. Tiraquell. *in l. si vnquam V. donatione largitus numer.*11. *C.de reuoc. donat.* Natt. *con.*122. *num.*24. Becc. *consil.* 129. *numer.* 48. Surd. *consil.*419. *num.*51. Bursatt. *consil.*16. *num.*44. *volumin.* 1. Riminald. Iunior *consil.*289. *num.*7. *citati à* Tamburrin. *de iur. Abb. tom.*1.*disp.*16. *quęst.*12. *num.*9.Priuilegia autem mendicantibns concessa sunt in meritorum remunerationem. Do Pontifices, Eugenium IV. in mari magno Sixti V. citatum. *Licet* (inquit) *debitum pastoralis officij,omnibus regularem vitam profitentibus,vt in suis conseruentur priuilegijs nos reddat fauorabiles, & benignos; ad Sacrum tamen Ordinem Fratrum Minorum, quorum pręclara religio,velut ager fertilis in Domino,*

Priuilegium ex cõtractu non reuocatur.

Quare Põtifices concesserũt regularibus priuilegia.

 multi-

multiplices, & vberes fructus animarum ad laudem Dei, & fidei incrementum, semper attulit, & affert quotidie verbo, & exemplo in populo Christiano dirigentes, præcipuè, velut pius pater, oculos mentis nostræ, dignum censeamus, & debitum, vt, &c. Idem præfatur Iulius 2. in Mari magno Minimorum, apud Rod. pag. 266. ibi *Virtute conspicuos Sacri Ordinis vestri professores, qui contemplationi Cœlestium feruenter inuigilant, & piæ vitæ studio, sine intermissione desudant, &c.* De Carmelitis Sixtus IV. pag. 186. ait *Quæ sublimis Ordinis vtriusquè sexus personarum virtutum merita, Deo quidem grata, & in conspectu Apostolicæ Sedis accepta, & digna memoria recensemus.* Et infra plura. De Benedictinis S. Iustinæ apud *Bull. pag.* 81. ait Eugenius IV. *Ob laudabilis vitæ merita, & ob vberiores fructus, quos per eorum labores, & operam diligentem conspicimus in populum Domini prouenire, &c.* De Prædicatoribus Nic. 3. *pag.* 42. ad disseminandum Euangelium infidelibus destinatis, ait eos esse quartam quadrigam portantem Vexillum fidei ad infideles, & multa grauissima ad rem hanc addens subiungit. *Vt ministerium vestrum honoretur plenius, & honorabilius impleatur, &c.* De Societate Iesu *pag.* 355. Paulus 3. in rem nostram multa præfatur, præcipuè. *Multiplices, & vberes fructus animarum, ad summi Regis laudem, & fidei incrementum attulit, &c.* Et vt alia transeam, certum est, concessa fuisse priuilegia regularibus intuitu præcedentium meritorum, in obsequium Ecclesiæ, animarūque impensorum. Quæ afferre volui, non vt affirmem, non posse, aut non debere Summos Pontifices illa reuocare (possunt enim, quia Domini sunt) & de his præcisè meminit Sanctiss. Vrb. viii. in Bulla Cœnæ, quam publicauit anno 1626. §. *Non obstantibus.* ibi *Etiā per viam contractus, & remunerationis.* Sed vt appareat, nō ita faciles fuisse, & esse, qui sine causa, talia priuilegia reuocarint, & tales reuocationes non esse ex leuibus indicijs conijciendas, sed ex claris, & expressis eorumdem Pontificum Sanctionibus, quibus ex regulis Canonici nihil opponi possit adhuc probati.

Secunda, quotidie Pontifices confirmant priuilegia regularium, & vt taceam de confirmatione nostrorum priuilegiorum facta a Clemente Octauo 20. Decembris 1595 & Paulo v. anno 1609. prima Decembris. Sanctissimus Vrbanus Octauus cōfirmauit, & approbauit priuilegia Hospitalis, & Religionis S. Ioānis Ierosolimitani anno 1624. Pontificat. 1. die vigesima nona Martij, qui præcessit Feriam quintam Cœnæ Domini, solum quinquè dies. Et priuilegia Congregationis Io. Dei. eod. anno, die vigesima Iunij 1628. & vigesima octaua confirmauit priuilegia Fratrum Sanctissimæ Trinitatis redemptionis captiuorum &c. Ergo non intenduntur illa reuocare per publicationem Bullę Cœnæ; alias talis frustatoria esset, & illusoria confimatio, si post quinque dies illa reuocare intēdisset. Quod fortius vrget, dum cōceduntur missionarijs speciales facultates absoluendi, &c. Vt fecit Sixtus v. in Bulla. *Pys fideliū votis* Data 9 Aprilis 1588. in qua cōcedit Guardiano Terræ Sāctæ, & Cōfessoribus ab eo approbatis facultatē absoluēdi, *A casibus Sedi Apostolicæ reseruatis, ac etiam coōtentis in literis, die Cœnæ Domini legi consuetis.* Quæ eo anno indicit in diē 17. Aprilis, itaquè à data Bullæ vsque ad diē Cœnæ Domini, quatuor dies intercesserunt. Si abeuntibus illis ad Æthiopicas, & Iaponicas Regiones, paucis ante diebus, quā Bulla Cœnæ publicaretur, eisdem adimeretur concessa facultas per futurā publicationē. Hoc potius appellare debuerat Marchinus illusionē, & periculum animarum, quod

de Sanctissimo animarum pastore, ac amantissimo patre, nefas est cogitare.

* Sed quia aliqualiter deficiunt prefatæ Pontif. cit. aduertere oportet quod Clem. VIII. vltra confirmationes Priuil. Regul. & nostrorum præcipuè, 20. Decembris 1505. *in concess. facta Congregat. de Sommasca, Anno 1593. 6. Kal. Maij, anno suo 2. & in Confirm. Discalc. 1593. 20. Decembr. eodem anno 2.* con similiter 1603. 20. *August. ann. suo* 12. Et vt taceam etiam de confirm. facta à Paulo v. *ann.* 1606. 1. *Ian. ann. suo* 1. Congregat. Fratrum Sanct. Ambros. & S. Barnabæ sub Regul. S. Augustin. & Ordini Beatæ Mariæ de Merc. Red. Capt. eodem *ann.* 10. *Kal. Sept. Pontif.* 2. *Ac etiam Congreg. Sommasc. alias* 5. *Maiol. an.* 1617. 9. *Nouemb. Pontif.* 3. Vrbanus idem supra relatus eadem confirmauit priuilegia apud Peir. *Constit.* 1. Videantur notata ab eo, vbi etiam explicat intelligendam esse concessionem viuente largitore: vnde si successores confirmant Priuil. non amplius intelliguntur reuocari ab eodem. *

Pontifices Priuil. confirmãtes recensentur.

Tertia, per Bullam Cœnæ non reuocantur facultates concessæ à Tridentino Episcopis: per Cruciatam fidelibus, per Bullas Inquisitoribus; ergo nec regularibus, consequentia est clara, quia eadem authoritas concedens, eædem causę impulsiuæ, salus scilicet animarum, & ne Religiosis detur vagandi occasio. Antecedens probatur per grauissimos, doctissimos, sanctissimosq; scriptores, quos recensere superfluum est, & quorum authoritati non adhærere, saltem quoad sufficientissimam probabilitatem, desipere puto.

Nec video, cur stante hac probabilitate, eamquè scientibus Summis Pontificibus, & in contrarium nihil decernentibus, per quod ad vnam partem sine hęsitatione declinari posset: cumquè ex hac sententia summæ authoritati iniuria non inferatur, animarum saluti, vel maximè consulatur, multi sibi, & alijs periculum creare, & manus nectere tam mordicus procurent, cum via salutis debeat quantum fieri poterit, ampliari.

Quarta, Iulius 2. anno 1510. 27. Februarij apud Rod. *fol.* 260. petentibus Prędicatoribus, vt sibi Summus Pontifex declararet, an per clausulas derogatorias positas in Bulla, quæ singulis annis in Cęna Domini publicatur, sit facultas absoluendi Ordini adempta? Respondit in hæc verba. *Nos igitur qui Religiosorum quieti quantum cum Domino possumus, libenter consulimus, volentes occasiones tollere vagandi, attendentesq; quod multa in prædicta declaratione concessa sunt* (nimirum à Sixto Quarto) *quæ in bulla prædicta continentur; eiusdem Sanctæ Sedis authoritate decernimus, quod illi, quibus in prædicta declaratione concessa est potestas absoluendi, & dispensandi, licitè possint perpetuis temporibus absoluere, & dispensare in omnibus, & singulis, ac si prædicta Bulla Cœnæ Domini non esset facta, nec fieret. Prœterquam à conspiratione in Romanum Pontificem, &c.* Fateor equidem ignorantiam meam, qua percipere non valeo, cur stante hac declaratione, ex Catedra, scrupulosi isti, potius credere velint incertis oraculis, & declarationibus, quibus de iure credere non tenemur, etiamsi referantur apud hunc, vel illum Doctorem, quæquè nobis authenticè intimatæ non sunt, sed à nobis quęsitæ, & è latebris, in quibus sub silentio delitescunt, in odium voluntarium erutę, quam perpetuæ determinationi Apostolicę adhęrere; quæ cum specialissima sit, & potius declaratio iuris, quàm priuilegium, non censetur reuocata per publicationem annuam Bullę Cœnę, quę reuocat priuilegia, nõ declarationes. Hęc autem pręferri debet tãquam fax in praxi huius Bullę, vindicatiua authoritatis,

Grauis Põtificia declaratio, circa absolutionẽ à casibus bullæ Cœnæ.

 & so-

& soliditatis Sedis Apostolicæ, & reductiua concessorum priuilegiorum ad suã originem Nimirum, quod per Bullam Cœnæ annullentur priuilegia, quæ specialem concessionem casuum Bullæ non contineant, cuiusmodi declararunt antiquiores Pontifices addentes verba illa. *Nisi in eis etiã casus, præsentibus literis expressi cõprębendantur.* Quæ sub intelligi, etiamsi de hac clausula mentio non fiat, volunt cum Rodr. post eum scribentes; quia *taciti, & expressi idem est indicium. l. cum quid. ff. si certum petit. l. de quibus. fin. ff. de leg.* Et rationem reddit P. Ludou. à Cruce. *citato n.* 5. Quia illa verba non apponebantur, vt necessaria, sed ad maiorẽ declarationẽ; quare eundẽ effectũ operantur, siue apposita, siue nõ apposita.

Prętextus quid sit. Quinta, quia prohibetur absolui sub prætextu priuilegiorum. Prætextus autem est color, quo quis se moueri ad operandum simulat, vt probat Gonzalez *in regul. 8. cancellar. glosa 57. numero secundo.* Regulares autem non prętextu, sed vera facultate absoluunt.

Sed obijcitur Decretum Sacræ Congregationis Regularium sub Clemente Octauo *anno* 1601. *&* 1602. renouatum sub Paulo Quinto *anno* 1617. & sub Sanctissimo D.N. Vrbano Octauo *anno* 1628. in quo præcipitur, ne sub prætextu priuilegiorum Generaliter, & specificè concessorũ, Regulares, vel alij absoluere præsumant a casibus in Bullę Cœnæ, dubiè, vel clarè contentis, sub pœna excommunicationis, priuationis, inhabilitatis, Papę reseruatarum, ipso facto incurrendarum, & nullitatis absolutionis, idquè tam intra, quàm extra Italiam.

Declarationes, & decreta Sacræ Congregationis, quã authoritatem habeant. Respondeo primò. De authoritate declarationum Sacrę Congregationis Regularium, negocijs, vel concilij Tridentini Decretis pręposite anceps est sententia. Barbosa *de Iure Ecclesiastico lib. 1. cap. 4. num.* 81. 82. 83. *pag.* 72. *&* 73. Tredecim Doctores adducit, cum praxi Sacræ Rotæ, qui dicunt eas esse authoritatiuas, & vt leges obseruari debere, & obligare in vtroquè foro. Et decem alios, qui censent eas esse doctrinales, nec obligare, vt leges, nec vt legum declarationes, nec in conscientia; quibus addi possunt, Laiman. *lib. 1. tract. 4. cap. 7. §. 8. num.* 26. Suar. apud Salas *disp. 2. de leg. sect. 9. num.* 50. Molfesius *tract. 9. capit. 13. num.* 44. Qui omnes vim obligandi talibus declarationibus non tribuunt, & ad Summum requirunt (Vt Coriolanus *De casibus reseruatis parte prima, sectione prima, articulo 21. numero quinto*) Quod signatæ sint manu Secretarij, vel alicuius Cardinalis, Cum Sigillo authentico: Quod ferantur consulto Summo Pontifice, quod solùm sint declarationes, non ampliationes, dispensationes, vel reuocationes Concilij (de hoc enim loquitur) quod producantur in forma iuridica, & authenticè publicentur. Aliqua enim istarum conditionum deficiente nihil obligare dicunt. Addo ego, maiorem authoritatem habere Congregationem Concilij, quam Regularium, quia illa ex

Congreg. Cõcilij, & Regular. authoritas. *Constitut. 27. Sixti Quinti, Immensa Aeterni Dei,* Qui istas omnes Congregationes fundauit, concedit Congregationi Concilij facultatem interpretandi illud, se consulto: at Congregationi Regularium concedit tantum, quod componant differentias inter regulares, eorum dubitationibus respondeant, ad strictiorem transeundi licentiam indulgeant, apostatas coerceant, iussa Visitationis Apostolicæ, & Constitutiones põtificias obseruari curent; & tandem sint ipsi Cardinales tutissimum refugium Regularium. Vnde colligi posset, quantum ex iure valeant contra priuilegia regularium.

Sed

Sed Eminentissimo purpuratorum Patrum Senatui, eâ quæ decet reuerentia deferatur, maximè cum de mandato Sanctissimi decernit; Cum istæ declarationes, vel decreta, authenticè cum Sigillo, & Subscriptione nunquam apparuerint, vel appareant, & nullo modo in iuridica forma publicatæ, & intimatæ fuerint, non est cur tantum obligare debeant. Eò vel maximè cum Sacra Congregatio Concilij *29. Aprilis anno 1621. & 1631. 2. Augusti.* Seuerè prohibuerit suas declarationes, imprimi, publicari, &c. Easquè, nisi signatas, & sigillo munitas, in iudicio, vel extra, nullum robur obtiuere declarauerit, eo quod alterari, diminui, immutari, & aliquando confingi occurat. Quam ob causam prohibita sit collectio Bullarum Barbosæ. Quæ ratio militat etiam in decretis Sacre Congregationis Regularium. Videatur hoc decretum in citato Barbosa per extensum. Ne irascatur Marchinus, si Fagundez asserat, de his declarationibus non satis constare, nec nos cogat inuitos credere, quibus ipsa Sacra Congregatio credendum non esse præcæpit: Stante, vel maximè tot acquisitorũ iurium præiudicio, & quod me veluti cogit ad hunc assensum, est praxis Romanæ Curiç, nam infallibiliter, & perpetuo constat, eam publicare, vel publicari mandare, quæ obseruari contendit, vt patet in decreto facto sub Sixto Quinto, de non alloquendis monialibus, quod refero suo loco, quod præcipitur intimari, & publicari Superioribus, vt transgressores afficiat; & postremò in decretis de Celebratione Missarum, & de eiectis, & apostatis, & de obseruantia, & annua publicatione quarumdam Bullarum spectantium ad Sanctum Officium, In ijs enim strictissimè præcipitur, vt bis in anno publicentur, legantur, &c. Sub pœnis, &c. Ergo, cum de declarationibus Sacræ Congregationis Regularium, adductis, talis publicatio mandata non sit, imò nec semel saltem, vt moris est, publicatç, vel procuratoribus Ordinum intimatæ fuerint, signum est quod eas obligare non velint. Et mirum est, quod Regulares ipsi tales declarationes exquirant, Superioribus, vel minimum de ea re cogitantibus. Dices. Barbosa *allegat. 50. de iur. Episc. numero* 188. Refert literas Sacræ Congregationis scriptas eius nomine ab Alexio Cardinali Florentino, anno 1602. 26. Nouembris ad Archiepiscop. Neapolitan. in quibus monet ipsum de edito decreto, illudquè transmittit publicandum in sua diœcesi, & conseruandum in actis, & intimandum Regularibus. Respondeo, hoc non constat authenticè, nec minus, si fuerit intimatum; & si fuit sibi intimatum, eos tantum ligat.

* Diana qui contrariam defendit opinionem *P. 9. T. 6. R.* 51. asserit prefatum Decr. Vrb. afficere, quia notificatum fuit Religionum superioribus; nam ipsi quotidie prçferentes licentiam suis subditis mandandi typis libros, approbant tale Decr. reuocatiuum Priuil. in ijsdem libris, in quibus imprimitur. Reijcitur tamen eius opinio, quia Regularium superiores prçbent licentiam imprimendi libros in quibus consimilia Decreta referuntur, vt appareat qualia sint, & vt cognoscant Regulares Confessarij si fuerint autentica, si habeant clausulas ipsos afficiendi; & quò manus extendere possint. Firmauit post alios Quintanaduerñas sententiam istam *in Theol. Mor. t. 1. tract. 3. sing.* 14. dicendo. Quod sicut lex non obligat ante sufficientem publicationem; sic nec Priuilegij reuocatio, quç est quçdam lex. Sed hçc non fuit sufficienter publicata, nec intimata; ergo. Maior est certa, Minor probatur. Quia vt leges *Legis reuocatio quid requirat.*

Pontificiæ obligent in toto Orbe, necessarium est vt promulgentur in omnibus Diœcesibus,& Prouincijs, vt asserunt grauissimi Canonistæ apud ipsum: quod præsertim habet locum in legibus reuocatorijs Priuil. Cum ergo hæc reuocatio in Diœcesibus non sit promulgata, vt sapientes, & locorum ordinarij fatentur, non obligat in illis: quidquid dixerit Diana cit. qui demum se remittit ad dicta *p.7.t.1. R.vlt.* Non igitur obligare videbitur talis reuocatoria lex,cum non fuerit intimata, & notificata de more &c. Et verè numquam affixa visa est in locis nostris, neque lecta fuisse audiui, neque legi de præsenti, vt alia multa leguntur semel, & bis in anno. Ratio potest esse, eo quod non emanarint ex proprio motu, sed ex mera Sacr. Congreg. declaratione, ipso Vrbano Pontif. Simpliciter approbante, & mandante,vt ab omnibus; ad quos spectet obseruentur, nullo precepto imposito de intimatione, vt per alias sui proprij motus Constitut. mandare consueuit: Et Regulares omnes præscriptis diebus in refectionibus communibus legere semper solent. *

Pontificum Leges quomodo obligent.

Decreta vt obligēt intimari debēt.

Respondeo secundò. Dictæ declarationes, nihil plus continent, quam ipsamet Bulla Cœnæ. Quia in Bulla Cœnæ §. *Cæterum*. Sub pœna excommunicationis prohibetur, ne sub prætextu facultatum, indultorumq; quibuscumquè concessorum absoluant, Non obstantibus priuilegijs, &c. Etiam per viam contractus, aut remunerationis concessis, cum derogatorijs, &c. Id ipsum autem continet Decretum Sacræ Congregationis, nisi quia pluribus verbis ibidem supræmę clausulæ amplificantur. Quinimò ex eo apertissimè colligitur nostra Conclusio, nam in eo dicitur. *Sacerdotibus omnibus tam Sæcularibus, quam Regularibus per vniuersam Italiam, extra vrbem degentibus, &c.* Ergo in Vrbe, & extra Italiam Confessores ante hoc Decretum, & post illud, poterant, & possunt absoluere; ergo cum non sit præsumendum, latum fuisse Decretum contra mentem Bullæ, & Summi Pontificis; sequitur, Bullam non abrogasse priuilegia, quia ijs vti possunt, ex vi Decreti in Vrbe, & extra Italiam, per axioma famosum. *Exceptio firmat Regulam in contrarium*. Quod ex nonnullis notauit Bellochius. *Meus compœnitentiarius in sua praxi casuum reseruat. parte prima, quæstione secunda, numero 77.* Qui tamen non vidit aliud Decretum eiusdem Sacrę Congregationis, anno 1628. 17. Nouembris, in quo additur. *Nec intra, nec extra Italiam*, Non tamen meminit, *Extra Vrbem*, in qua, credendum est etiam nunc, remansisse facultatem absoluendi à casibus Bullę Cœnæ, quia cum non fiat mentio prioris Decreti, remansit intactum, quoad illam particulam, *Extra vrbem*, nec videtur compræhensa in illa, *Intra Italiam*, Licet Vrbs sit intra Italiam, quia cum exceptuata fuerit in primo Decreto, tanquam priuilegiata, & in qua nulli sunt casus ordinario reseruati, præter Papales, debuit fieri de illa specialis mentio. Ex his omnibus patet, Decretum Sacrę Congregationis nihil noui addidisse in odium nostrę conclusionis,quinimò declarasse mentem Sanctissimam Pontificis non fuisse, nec esse, tollere priuilegia specialia, in quibus casus Bullę conceduntur, eo quod extra Italiam, & in Vrbe post primum Decretum, remanserant, & in Vrbe post secundum, aut tertium.

An possimus absoluere a casibus Bullæ in Vrbe,et extra Italiam.

Sed antequam ab hoc Decreto discedamus oritur ex illo difficultas, de qua aliquoties consultus respondi. In fine enim illius habetur. *Ab alijs verò casibus*

bus, & censuris Sedi Apostolicæ reseruatis: si quidem Regulares habent à Sede Apostolica absoluendi facultatem, illam extra Italiam minimè sublatam fuisse ijsdem Sacræ Congregationis Decretis hac de re æditis, iussu sacre memorie Clementis Octaui, &c. Si enim extra Italiam non est sublata facultas absoluendi, ergo intra Italiam est sublata, quia ex collectis à Barbosa *Dict.* 121. particula *extra*, ex diametro opponitur, *Intra*, sicuti dum dicitur in Decreto. *Intra Italiam*, necessariò infertur, non esse dispositum de *extra Italiam*.

Respondeo, hoc vltimum Decretum, non continere nouam ordinationem, sed veteris Decreti confirmationem Præceperat enim Sacra Congregatio anno 1601. *Sacerdotibus per vniuersam Italiam extra Vrbem degentibus*, Ne absoluerent prætextu priuilegiorum.

Sed quia poterat aliquis dubitare, an extra Italiam priuilegia sublata fuissent, quoad absolutionem ab alijs casibus, declarauit non esse sublata. Nec propterea infertur ergo sunt abrogata intra Italiam; quia non est dispositio relatiua *intra, & extra*, sed mera declaratio de extra Italiam, quod posset declarari per illud. *Matth. primo, non cognouit eam donec peperit, non quod postea cognouerit, sed quod factum non fuerat ostendit.* Ex Hieronymo.

Alia adhuc, ex Decreto Sacræ eiusdem Congregationis sub Paulo Quinto, anno 1617. septima Ianuarij, difficultas, soluenda est.

Postquam enim Decretum sub Clem. 8. confirmauit, subiungit, *Ac insuper, vt nulli ex Sacerdotibus prædictis, quibuscumque priuilegijs, &c. Suffulti, ab excommunicationibus, vel à casibus eisdem ordinarijs, vel Sedi Apostolicæ reseruatis tam ad forum contentiosum eorundem ordinariorum deductis, quam non deductis, præterquã in mortis articulo absoluere audeat, vel præsumat, sub ijsdẽ censuris, &c. mandat, & præcipit.* Ergo vigore huius decreti, non possunt nunc regulares absoluere à casibus Papalibus, etiam extra Bullam Cœnæ, & exceptuatos sub Clemente Octauo, quia iam vetauerat prius de his, & postea subiũgit, & insuper, &c. cumulat igitur prohibitionem prohibitioni, & tollit quod concesserat Sacra Congregatio.

Respondeo, quod hęc est declaratio, non recens prohibitio, patet; quia prius de casibus Bullæ, & ordinariorum meminerat, & postea de ijsdem replicat ordinarijs; quibus adiungens, *Vel Sedis Apostolicæ reseruatis*, debet intelligi, de reseruatis in Bulla Cænę, & non de alijs, ne videatur sibi ipsi Sacra Congregatio repugnare.

* Sic inter cęteros cum supra cit. Portel. *ver. Abb. n.* 10. & cum sosa, ibidem relatis, sentit Peir. *in addit. ad Constit. Sixti 4. n.* 37. *

Secunda obiectio. Non videtur relictus locus fugæ, vel tergiuersationi, quia §. cęterum. Dicitur *Nullus, per alium, quam per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo possit.* Omnis alius igitur est exclusus. *Item Etiam prætextu quarumuis facultatum, &c.* Ergo nihil potest opponi.

Respondeo prohibitum esse in casibus publicis, quod ex allatis verbis decreti sub Paulo 5. declarari videtur, *Tam ad forum contentiosum deductis, quam non deductis, vbi non deductis*, Non includit occultos casus, quia non eò ipso quod non est deductum ad forum contentiosum, est omninò occultum, potest enim esse publicum, & non deductum ad forum contentiosum, ergo restat posse absoluere in casibus occultis.

Respondeo secũdo valet prohibitio in illos, quos afficit, quosque legitima, &

non

non exceptuata priuilegia destituunt,& cũ per priuilegiatos impenditur absolutio, impenditur etiam per Romanum Pontificem, cuius sunt delegati, & per se ipsum facere videtur,qui per aliũ facit, vt est vulgati iuris,alia supe ius dicta sũt.

Respondeo tertiò,intelligi debere quod Seculares, non quoad Fratres, patet vno exemplo. Clemens Octauus prohibuit,ex omnibus papalibus casibus,non absoluere in Bulla Cenæ,& alijs, inter quod est percussio Clerici.si quis, &c. At regulares passim ab hac excommunicatione etiam grauissima, & a nece Sacerdotum absoluunt.

* Idem Peir. *n.*38.ad Decret.nouissimum Vrbani 8.adhæret;additque,quod in dubio semper pronunciandum est, quod Priuil.non sint reuocata, vt Grat. multis probat. Concludit tamen (& nos firmare debemus) semper standum esse stylo Curiæ Antonius Carmel. *T.*1.*de Priuil. Regul. T.*2.*disp.*1.*sect.*1.*n.*14. ex modernioribus,de B.Cenæ, ad declarationes oppositas Clem. & Vrb. per contrariam sententiam,Respondet huiusmodi declarationes solum derogare priuilegijs Regul. quò ad seculares;& ità declaratum fuisse à S.Congreg.de mandato Clem.8. Iuxta quam debet intelligi declaratio sub Vrbano 8.firmatq;ex Peir. *t.* 3. *Priuil.c.*2.P.Donatus Ordin. Prædicat. nouissimus omnium *to.*1. *tract.*13. *q.* 17. hanc eandem sententiam contestatur dicens. Quæ quidem Priuilegia ne dũ virtualiter, & tacitè, sed etiam expresse dant Prælatis absoluendi suos subditos, & dispensandi in omnibus Casibus Pap. etiam contentis in B.Cænæ, exceptis tamen illis,qui communiter excipiuntur in mari magno Sixti 4.& conspirat. in Rom.Pont. vt ab alijs Pontificibus excipiuntur, & exceptis Irregularitatibus,& Censuris nonnullis,quæ à Commentatore in hoc eodem statuto 14. c. 2. recensentur.*

Priuilegia Regul.reuocata pro secularibus.

Prælatorũ Regularium potestas pro suis subditis.

* Addendus denique Laurent.de Franchis q. 12. de approbatione Confessariorum,referentis mandatum Innoc.10. quod est confirmatiuum, & magis expressiuum Decreti Vrbani inhibentis, ne dum Confessarijs secularibus, sed etiã Regularibus per quodcumq; Priuilegium, facultatem, absoluendi à Casibus, & Censuris reseruatis Episcopis, & Pontificibus. Eodem enim loco refert Epist. Card.Genetti,scribentis ad Archiepiscopum Neapol.de mandato sanct.suæ,10. Dec.1647.vt prouideat super huiusmodi, & nonnullis alijs abusis, siue temerarijs assertis ex quibus falsò presumentes asserebant posse validè absoluere à Casibus,& Censuris prefatis etiam seculares pœnitentes,petita ab ordinario licentia,& non obtenta.*

Asserta quorundam cõfessariorum damnata.

* Putauerim tale damnatum assertum promanasse ab illatione vitiosa,quam faciebant opinantes à penitentibus Regularibus,ad seculares: illis enim conceditur posse absolui à Confessario non habente facultatem pro reseruatis, petita à superioribus licentia,& non obtenta, iuxta formam Dec. Clem. 8. & Pauli 5. scilicet pro illa vice &c.Falsa inquam illatio, in materia tam graui, de iurisdictione presertim sacramantalium, arguere pro secularibus à Priuilegio, quod prædicti Pontifices sic limitatè Regularibus concesserunt Confessarijs pro eiusdem ordinis penitentibus.Erronea,& insipiẽs deductio,tali digna inhibitione.*

Tertia obiectio stylus Curiæ, praxis Sacre Penitentiarię, & vsus communis sunt in contrarium, vnde temeritas est aliud sentire, quia consuetudo facit legẽ cap.consuetudo. dist.1. eò vel maximè, cum sit Rationabilis. cap. cum dilectus cap.finali.de consuetud.l.de quibus.ff.de leg.Legitimè prescripta, nam excedit

decem

decem annos, immò quadraginta. Miranda. tom. 2. quæst. 28. artic. 3. Suar. de leg. lib. 7. cap. 15. num. 15. introducta ex consensu, & præcepto Principibis, à personis authoritatem habentibus, & grauibus, nimirum Superioribus, Sacerdotibus, quibus Sacramenti Pœnitentię commissa est administratio. Per actus liberos, voluntarios, ordinatos ad introducendam legem, quia fiunt, ac si fierent lege præcipiente. Et certum est non desijsse regulares vti suis priuilegijs, nisi quia firmiter tenuerunt, & tenent Summos Pontifices sic præcipere, ergo cum hæc praxis, & consuetudo habeat vim legis, abrogata sunt priuilegia in contrarium.

Respondeo, licet l. 1. ff. de nundinis, per non vsum decennij priuilegium amittatur, id tamen non intelligitur de Monasterio, & Ecclesia, in quibus requiruntur, secundum ius commune, quadraginta anni; & quoad regulares sexaginta, imò, & centum, per concessionem Eugenij Quarti. Cum ergo hoc in religione probari non possit, sequitur, quod iste non vsus, priuilegia non abstulerit.

Respondeo secundò, consuetudò non introducitur per non vsum, sed per replicatos actus: & cum priuilegia sint permissiua, non coactiua, maximè cum cōmunitati primariò, & per se concessa sint; secundariò autem particularibus, qui sibi, & non communitati præiudicare possunt, vt probat Suarez lib. 8. de leg. c. 35. quia tacita renunciatio priuilegij, quæ virtualiter reperitur in quo libet actu contrariò, non præiudicat nec alteri, nec toti communitati; non debent censeri reuocata priuilegia per istam tacitam renunciationem, sed requiritur legitima præscriptio, vt idem Suar. citatus con. 2. ex Glos. Lopez, & alijs docet, nec potest affirmari, quod non vsus, vel contrarius vsus præscriptionem fecerit, vel consuetudinem introduxerit, cum nec tempus legitimum trāsierit, nec non vsus probetur, nec probari possit, quia nescitur, quid confessarij in foro Pęnitentiæ faciant: factum verò aliquorum siue Superiorum, siue Confessariorum, cum sint particulares, præiudicare non potest; non enim reperitur decretum Capituli Generalis, vel Prouincialis, quo talia priuilegia renuncientur, nam hoc est totam communitatem priuilegijs renunciare, in cuius gratiam sunt concessa cap. ad Apostolicam. de reg. & l. pactum. ff. de pactis. l. quod fauore, C. de leg. cap. si diligenti. l. ius publicum. de pactis.

Respondeo tertiò, hic non vsus, non est voluntatiè introductus, ad effectum introducendi legem, sed ex ignorantia, & timore, vnde nullam inducit renunciationem. Bonac. de leg. disp. 1. q. 3. pun. 8. §. 4. n. 2. nequè oppositum constat per coniecturas. Glos. in cap. pro illorū. de prębēdis. Bart. & alij apud Salas, & Suar. lib. 8. cit. Equidem si aliqui regulares suis ptiuilegijs vsi non sunt vel non vtuntur, id non faciunt, quia intendunt priuilegijs renunciare, sed quia putant ligari per aliquod decretum, cuius validitatem ignorant, ignorantia autem antecedēs, quæ est causa operationis, sencundum omnes, tollit voluntarium, vt multis probat Azor. tom. 1. lib. 1. c. 12. & nemo præsumitur velle suum pręiudicium, nisi clare probetur.

Respondeo quartò, praxis Sacræ Pęnitentiariæ est. Vt communicantes in authoritate Pęnitentiariorum D. PP. sciant, quo possint manus extendere. Pęnitentiarij Minores possint absoluere ab omnibus casibus Papalibus, & Bullæ Cęnæ, exceptis sequentibus.

1 *Hæreticos, vel Schismaticos, manifestos, vel condemnatos, aut in iudicio delatos, vel denunciatos. Nec non eos, qui habent complices, vel fautores, vel receptores; etiam si ij mortui sint. Nisi complices sint nati in regionibus palam infectis, seu in quibus hæreses grassantur, & ibi degant.*

2 *Qui scienter legerint, & retinuerint libros hæreticos, & sortilegos, seu nec romanticos, & alios libros damnatos, contra fidem Catholicam, & Christianam, si habent complices, vel fautores, aut ipsi in iudicio delati sint.*

3 *Apostatæ à fide, qui palam actibus, vel habitu, se Iudęos, Macomettanos, Infideles professi sunt, vel habent complices, vel fautores.*

4 *Qui officium Sanctæ Inquisitionis, & eorum Officiales impediunt, vel offendunt.*

5 *Principes, & Episcopos in casibus publicis, propter quos in Bulla Cœnę excommunicantur.*

6 *Qui per se, vel alios de rebus Catholicę Religionis, vel Status Christiani infideles certiores reddunt.*

7 *Interficientes, mutilantes, offendentes Cardinales, Episcopos, Nuncios, Legatos, &c.*

8 *Conspirantes in Statum Ecclesiæ, vel personam: Summi Pontificis, vel Sedis Apostolicę.*

9 *Qui Presbyteros publicè occidunt.*

10 *Apostatas ab ordine, nisi reassumpserint habitum, & breui proponant se reuersuros ad claustra.*

11 *Regulares introducentes mulieres intra clausuram ad inhonestos vsus.*

12 *Excommunicatos ab homine interdictos, suspensos, vel pro talibus declaratos, vel denunciatos.*

Atque hę sunt restrictiones Pęnitentiariorum Minorum S.D. Papę. Verum tamen est, quod Sanctissimus D. N. Vrbanus Octauus anno 1634. 5. Martij per suum breue, post reformationem à Pio Quarto Sacræ pęnitentiarię factam in const. *In sublimi. in* 2. *tom.* Bullarij Cherubini, ademit eidem Sacræ peniteritiariæ decem, & septem casus, inter quos est pro Bulla Cænæ. *Excommunicatio, & irregularitas ex casu hæresis, Absolutio Principum, &c. prout in Bulla Cœnæ.* Alij casus tangunt beneficia, matrimonia, ordinationes, electionem Pontificis, confessionem per scripta, astrologiam iudiciariam &c. sed hęc concernunt expeditiones, ab ipso sacrę penitentiariæ tribunali prodeuntes, & tangit officiales eiusdem, inter quos non numerantur pęnitentiarij Minores, quia Pius V. *constitut.* 84. *tom.* 2. *Bullar. Cherubini pag.* 281. §. 4. *determinat Officium Pænitentiariæ his verbis. Dehinc. Maiore Pænitentiario, Regente, Datario, vno Correctore, vno Magistro in Theologia, vno Doctore in decretis, duobus procuratoribus, duobus scriptoribus, & vno sigillatore, perpetuo constare volumus.* Inter quos pœnitentiarij Minores non recensentur. Sanctissimus autem solos officiales Sacræ Pœnitentiariæ in sua hac constitutione arctat. Sed quidquid sit de hoc, constat Pœnitentiarios Minores non posse absoluere à casibus hæresis, & aliquibus alijs Bullæ Cænæ; sed si sint publici, &c. Vt patet intuenti. Quorum authoritatem Religiosi Carmelitæ, Generales, Prouinciales, Priores, Confessores, & cum eis communicantes, habent, vt concessit Eugenius Quartus anno 1435. 7. Calend. Maij, apud Mare magnum Sixti Quarti numero 15. & Bullarium

Roderig.

Roderig.pag.195. Licet ex errore, sit 189. idquè solum in foro Sacramentali. Quod priuilegium non est reuocatum, quia neque reuocatur authoritas Penitentiariorum Minorum, ad cuius formam conceditur. *S. Pœnit. praxis non facit legem extra illam.*

Respondeo quintò, licet praxis Sacræ pænitentiariæ maximè sit imitanda, tamen ea non facit legem extra pænitentiariam; & multa pænitētiarijs Minoribus prohibentur, quæ alijs confessarijs non sunt prohibita, Afferro vnum, aut alterum exemplum. Sanctissimus D.N. Vrbanus Octauus in const. in sublimi prohibuit, posse à Sacra pœnitentiaria absolui, qui receperit vltra decem scuta a Regularibus præter medicinalia, & res deuotionis. Et quoad decem scuta non excedentia, posit absolui, dummodo faciat eleemosinam arbitrio Maioris pænitentiarij, vel Confessarij, ab ipso determinandi. Hæc autem non præcipiunt obseruari ab alijs Confessarijs, sed possunt absoluere secundum ius commune. In praxi Sacræ pęnitentiariæ prohibetur absolui apostata antequam suæ Religionis habitum reassumat, &c. At hoc alios Regulares non obligat, qui absoluunt apostatas, antequam habitum reassumant vt aliqui Regulares faciunt in vim suorum Statutorum.

Item nos Minores pænitentiarij non possumus absoluere eos qui docuerint posse fieri confessiones per literas, qui viuente Papa de alios eligendo tractauerint, qui Geneses formauerint de Statu Romanæ Ecclesiæ, Summi Pontificis, & consanguineorum, vt in suo Breui Sanctissimus præcepit; at hoc non ligat Regulares, qui ex vi suorum priuilegiorum possunt absoluere à casibus papalibus, & post decretum Clementis Octaui, qui non fuerint in bulla Cœnæ, item ex eadem praxi nos non possumus absoluere introducentes fœminas intra septa Monasterij ad malum finem. Alij autem Regulares possunt, quia non est ex exceptuatis. Ergo talis praxis in consequentiam non est trahenda.

Obiectio quarta, priuilegia Regularium sunt abrogata per Sacrum Concilium Tridentinum, & Summos pontifices. Ergo &c.

Respondeo, sunt abrogata in ijs tantum, quę repugnant Tridentino in casibus ibi expressis, quos numerat. Hieron. Roder *resolut.* 116. *numero* 14. *&* 15. *ita* Rodr. *tomo primo*, *quæst.* 8. *articulo* 7. Suar. *de leg. capitulo* 18. *numero* 18. Miranda *tomo* 2. *quæst.* 42. *artic.* 3. §. *Sed, & alij* Portel. *V. priuilegij confirmatio*, *num.* 31. iuxta quam doctrinam declarandi sunt Pontifices, quando in confirmatione priuilegiorum dicunt, dummodo decretis Concilij Tridentini non aduersentur. *Priuilegia Regularium an sint abrogata.*

Vt inter alios fecerunt Gregorius 13. & Clemens 8. Circa reuocationes factas ab ijsdem, alijsque Summis Pontificibus: sciendum est, & si aliqui, vel in totum, vel in partem priuilegia reuocarint, postea tamen multi alij nostra concesserunt, & confirmarunt, vt Paulus 2. Sixtus 4. Leo 10. Clemens 7. Iulius 3. Paulus 4. Pius 4. Gregorius 13. Sixtus 5. Clemens 8. & nouissimè Paulus 5. anno 1609. relati à Hieronymo Roder. supra num. 7. vbi multos recenset, qui confirmarunt *ex certa scientia, de Apostolicæ potestatis plenitudine*, quod importat nouam concessionem. Idem num. 8. & 9. Alios autem recenset, qui aliarum Religionum cum ijsdem, & efficacioribus clausulis confirmarunt, & nos supra retulimus ex Sanctissimo D. Vrbano 8. & licet Iulius 3. & Gregorius 13. addiderint, quatenus sunt in vsu, quæ abrogata non resuscitat ex Roder. *art.* 3. *&* 4. *&* *altero* Rodr. *num.* 11. Id tamen non apposuit in sua confirmatione Paulus 5. &

hic

hic non vſus, vt dictum eſt, debet eſſe præſcriptus, ſpacio ſexaginta, vel centum annorum ex Eugenio 4. Bulla 17. apud Roder. num. 15. & Bulla 11 vbi concedit Benedictinis Sanctæ Iuſtinę, poſſe vti priuilegijs, etiam ſi ijs per ignorantiam, vel ſcienter vſi non eſſent; & certum eſt, nunquam tot annos interceſſiſſe inter abrogationes, & cõfirmationes, vt multis idem author probat. Et omninò probari talis non vſus, non poteſt. Præterquamquod nõ noceret communicantibus eò vel maximè cũ non procedat ex expręſſa voluntate, & ſcientia, eis non vtendi, vt requiritur in abrogatione per non vſum. *cap. ſi de terra. V. detrahere voluiſti. de præſcript. vbi Dctores. & Cordub. in addit. ad priuilegia.* §. 15. *Panor. Silueſter, Baldus, Mandoſius, Nauarrus, Suar. Miranda citati loco ſupradicto n.* 12. [illegible] ...idem ſcio noſtros, & alios. vſos eſſe. & vti priuilegijs in hac parte, vnde [illegible] non vſus ceſſat.

Obiectio quinta, In re tam graui eligenda eſt tutior pars, quod faciunt timorati, & Eccleſiæ decreta reuerenter ſuſcipientes. *c. Iuuenis de ſponſal. c. ſi quis de pœnit. 6. 7.*

Reſpondeo, videantur Doctores apud Azor. *tom. 1. lib. 2. c. 13.* per totum. Et difficultas doctè examinata per P. Ludouicum a Cruce ſupra citatum. Ex quorum doctrina dico non eſſe in iure ſtatutum, ſequendam eſſe tutiorem, ſufficit ſequi tutam. Nos dubiam non arripimus, nec in medio hæremus, quod eſſet malum, ſed probabilem, & tutam amplectimur, in quo peccandi periculo non committimur, què ſaluatur, & rectè procedit, qui probabilem, & tutam ſequitur, ac qui probabiliorem & tutiorem. Quod ſecundò propugnauit *Dian. in 4. part. tractat. 4. reſolut. 8. contra Peregrinum, citans Tambur. & Io. Sancium in Selectis diſp. 44. num. 66.* quia ait non ideo appellari opinionem tutiorem, quod in illa ſit minus periculum, nam nec in probabili, nec in probabiliori adeſt periculum errandi. Quinimò ſi tutior eſt, quæ pietati magis fauet, quæquè inter ęquales, cæteris paribus amplecti debeat ex præceptione Azor. cap. 15. puto magis piam eſſe, quam ſcribimus, ac ſolidiori rationis fundamento innixam. Magis pia, quia ſaluti animarum cõſulit, & Sacramentum pœnitentiæ minus aſperum reddit. Rationabilior, quia habet fauores pontificios religionibus factos, quibus ſine euidẽti ratione, nefas eſt derogare. Sequimur enim Summos Pontifices priuilegia cõcedentes, & claſſicos, grauiſſimoſq; Doctores, in regularium negocijs verſatiſſimos, pugnamus pro authoritate pontificia, quæ chariorem portionem Domini, id eſt religionem, decorare voluerunt; putamus nos obſequium præſtare Deo, Chriſto, animabus, Eccleſiæ, rationi, & totam diſputationem debitę correctioni S. Matris Eccleſię reuerenter ſubijcimus.

Dico ſextò, & ſi in generali conceſſione abſoluendis ab omnibus caſibus Papæ reſeruatis, veniant, omnes caſus Bullæ Cœnæ *l. ſi chorus. ff. de Legatis 3. c. odia. de regul. iur. in 6. & beneficium Principis latiſſimè eſt interpretandum: Silueſtr. V. excom. 7. caſu 2. & 39. Ang. abſol. num. 17. Sot. 4. d. 21. q. 2. ar. 3. Cord. caſu 8. Panor. in c. de cætero. de ſenten. excom. apud Couar. de excomm. part.* 1. §. 12. *num.* 15. *& alij recentiores. Tamen quia in generali conceſſione non veniunt ea, quæ Princeps non eſſet ſpecialiter conceſſurus, S. Anton. 3. part. tit. 24. cap. 79. §. 1. & conſtat ex l. in generali. ff. de pignor. & l. ſi quando. C. de inofficioſo teſtam.* Puto abſolui non poſſe à caſu hæreſis in actum exteriorẽ deductę, & ab ijs quibus abſtinere voluerunt Sixtus Quartus, Clemens Quartus, & Iulius Secundus, nimirum à *Con-*

ſpira-

ſpiratione in Romanum Pontificem,Hæreticos relapſos, Schiſmaticos,falſificatores literarum Apoſtolicarum,Deferentes arma,&c.ad Infideles. Hęreſis enim,etiamſi non ſit in relapſu, communiter reſeruatur ad Sacram Inquiſitionem, maximè, ſi ſecundum praxim pœnitentiariæ habeat complices, &c.Alij autem caſus exceptuati, videntur eſſe declaratio, & modificatio conceſſionis Clementis 4.licet in priuilegio, quod declaramus, de hac reſtrictione non fiat mentio, & ex alijs priuilegijs ampliſſima facultas abſoluendi eluceat; tamen quia grauiſſimum ſcelus eſt hæreſis, cuius abſolutio nulli, etiam ſpecialiter, & cum maxima difficultate conceditur, excipiendum puto, cum alijs, ita omnes communiter. Videatur poſt alios P.Lud.à Cruce *in expoſ. Bull. Cruc.diſp.1.c.3. dub.6.per totum.*

Dico ſeptimò,abſolutio hæc regulariter pręſtari debet in foro interiori, quo non ſolum complectitur forum Sacramentale,ſed totum illud,quod contētioſo, & exteriori opponitur.*Sot.4.d.18. art.5.colum.9.Suar.tom.4. de relig.lib. 9. cap. 11.n.27.Armilla V excomm.§.20.Tabiena V.confeſſio.2.§.16.Pedraza lib.2.cap. 1.Henriq.lib.7.cap.13.lit. N.qui alios refert.Auila 2.parte, cap.7. diſput.3.dub 13.Coninch.tom.2.diſp.14.de excommunicatione dub.10.n.253.quos citat,& ſequitur Ludouicus à Cruce diſp.1.cap.4.dub.5.n.3.* Ratio eſt, quia cum priuilegium non diſtinguat,& excommunicatio abſolui poſſit ſine abſolutione à culpa,non eſt cur coarctemus abſolutionem ad forum pœnitentiale.

Dixi regulariter,quia ſic de facto fieri debet,cum ex actu contrario naſceretur conturbatio iuriſdictionis, ſi nimirum ſciente, & reclamante ordinario, in foro exteriori excommunicatus abſolueretur, quia ordinariorum iuriſdictionem ſarctam tectam iura conſeruare ſemper intendunt, vt fecit.*Tridentinum Seſſ.24. cap.6.* concedens Epiſcopis poſſe abſoluere à quacumquè cenſura, exceptis deductis ad forum contentioſum; & cum non nominetur, forum externum in conceſſione,illud conceſſum præſumi non debet.Vnde in iubileis anno 1568.& 74.& 1630.Pius 5. Gregorius 13. Sanctiſſimus Vrbanus Octauus expreſsè cauerunt.*Nō tamen in foro externo,& iudiciali.niſi ſatisfacta parte.* Et ad hanc opinionem, quam ſequitur multos citat à Cruce *cap.4.dub.3.n.3.* Allegans Sacrę Pœnitentiariæ vſum, & Sacræ Rotę ſenſum. Verum in caſu noſtro aliter dicendum cenſeo, quia in aliquo caſu puto poſſe dari abſolutionem etiam in foro externo, & reclamante ordinario, quando ſcilicet fuiſſet quis excommunicatus nominatim in ſubſidium iuris, ſi nimirum Clericum percuſſiſſet, vel per contumaciam iudici non paruiſſet, & ſic per Cędolones publicatus fuiſſet, &c.Tunc enim abſolui poſſet, etiam in foro externo, quia, vt idem à Cruce ſupra dub.1.num.8.docet,non fit iniuria Epiſcopo,quia in abſolutione nulla recipit iura, & ſi reciperet, poteſt illum Pontifex ipſis priuare, propter maius bonum, transferente ſe excommunicato ad purius Dei obſequium. Ratio autem ſpecialis pro noſtro priuilegio, eſt, quia eſt vniuerſale, ampliſſimum, indicitur ſatisfactio partis,& nulla fit iuris ordinarij mentio, ſed ſolum monentur Superiores ad cautè procedendum.Quod ſi quis opponat *extrau.& ſi dominici.2. de pœnit.& remiſſionibus,* Vbi Sixtus Quartus præcipit,ne virtute Cruciatæ,& aliorum priuilegiorum abſoluantur Hæretici poſtquam fuerint de ea ſententialiter condemnati,delati, &c.Reſpondet idem à Cruce *fine.cum* Sanchez, loqui ſolum de crimine hæreſis,de quo nos vltrò concedimus.

Ser-

§. 2.

Seruata forma Canonica impartiri) Est autem forma Canonica, *Vt fiat cum pœnitentiali psalmo, & oratione dominica, ac consueta.cap.à nobis.2. de sent. excommunicationis.* Et exigatur iuramentum prius, de non incurrendo amplius in talem excommunicationem, & adimplendo pœnitentiam impositam. *cap.ex tenore.cap.de cætero. cap.cum desideres.eod.* Quod præstari in maioribus criminibus tantum, vt falsarijs, incendiarijs, Clericorum publicis percussoribus, dicunt Siluest. *absolut.* 3. §. 3. Caiet. *in Summar. Ver.absolut.* Et non esse de essentia ad validitatem absolutionis, sed cerimoniam, Dicunt Glos. *in capitulo cum desideres. Citato.* Siluest.§.*secundo.* Angelus *Ver. Absolut.tertio, numer.* 12.*& apud ipsum Innocet. Ioann. Andr. Abbas.Et fusè* Couar.*capitulo alma mater.*§. 11. *numero septimo.* Vbi valere absolutionem probat etiam si dicatur, *Nullatenus,&c.*Cum Glos.& communi: Et alios citat. Hæc autem adhiberi debent in foro exteriori, vt alij exemplo exterreantur, & absolutus postea inobediens, ad parendum cogi possit non in foro interiori, in quo adesse debet contritio, & propositum non peccandi de cætero. Alter.*de censuris disputat.septima, libro quarto, capitulo secundo, circa medium.* Requiritur etiam satisfactio partis de qua infra.

Super hæc omnia sciendum est, nos non teneri ad istas cerimonias, & solemnitates iuris, ex priuilegio *Leonis Decimi relati, apud* Compendium priuileg. *pag.*32.§.13. *V.absolut.quoad Sæculares primò.*

§. 3.

Absolutio a censuris potest dari, etiam post professionē.

Ac eos, qui post assumptum habitum, vel professionem emissam recoluerint, se talibns fuisse in sæculo sententijs innodatos) Hi possunt absolui, etiamsi ex malitia tacuerint, nec obest, quod dicat, *recoluerint*, quasi ante susceptionem habitus, & professionis emissionem non meminerint: quod si ex malitia reuelare noluerint, in pœnam peccati, videtur, illos priuilegio priuare. *Recolere enim* in materia hac odiosa, & restrictiua iuris communis, strictè interpretari debet. Attamen, vt dictum est, possunt etiam absolui, si ob verecundiam, timorem, vel malitiam occultauerint; Quia adhuc remanet causa, ob quam priuilegium conceditur, nimirum habitus assumptio; ergo produci debet idem effectus, vt in simili dicunt multi apud a Cruce *disp.*1.*c.*3. *dub.* 12. *num.*4. quod, qui in Iubileo, vel in Cruciata adimpleuit conditiones inibi mandatas, & fecit confessionem inualidam, reliquendo aliquod peccatum reseruatum ex culpa, quod potest transacto Iubileo absolui ab illis reseruatis à quocumque confessario, etiamsi talem authoritatem non habeat; quia postquam semel Papa concedit posse aliquem a censura absolui, excludit à suo Tribunali ligamen reseruationis. Nec mouere nos debet verbum, *recoluerint*, quia id ex piæ mentis affectu procedit; non enim suspicari vult Summus Pontifex, quod Nouitius tam mala conscientia laboret, vt habitum cum excommunicatione recipiat, & excommunicatus professionem emittat.

Post Iubileum possumus absolui a reseruatis.

A for-

* A fortiori absolui poterit à quocumq; Confessario, qui peccatum aliquod reseruatum non manifestauit,ne manifestaret complicem,vel ex alia iusta causa, quia tale peccatum habetur,ac si fuisset oblitum,& sic indirectè absolutum.Homob. *p.1.t.5.c.6.q.*38. §. *Notandum*. *

Si quæras,an virtute huius priuilegij possit absolui professus, qui in censuras Papæ reseruatas,post professionem inciderit?

Respondeo negatiuè,quia verbum illud *in Sæculo*, excludit peccata in Religione commissa, & patet ex contextu, quia priuilegium fertur pro, *volentibus nostro aggregari consortio*. In vim tamen aliorum priuilegiorum potest.

§. 4.

Vos Generales, & Prouinciales Ministri, & Custodes,vel vices vestras Gerentes) Quæritur primò, An Custodes, qui modo sunt in nostra obseruantia,possunt ab his censuris absoluere. Et ratio dubitandi est, quia Custodes ante Bullam Leoninam, *Ite,& vos*,præter votum electiuum in Capitulo Generali, habebant Iurisdictionem in sua custodia, & erant verè Prælati, vt de facto remanserunt in Conuentualibus, & Capuccinis, ac etiam in aliquibus nostris Prouincijs,iuxta dispositionem Regulæ: nunc autem non sunt prælati nec actu, nec potentia,vt tenuit Rodr. *tom.4. Sum. cap.* 104. *num.*1. corrigens se, *tom.*1. *quæst.regul.9. quæst.vltima,ar.*2.Portel.*V.Prælatus num.*1.Miranda *tom.2.quæst.* 18.*art.*1.*concl.*2.Dum ait non esse propriè prælatos in actu exercito. Hieronymus Rodr. *qui istos citat, resol.*50. *n.*7.Et ratio videtur in promptu,quia concedit hoc priuilegium ijs,qui possunt Nouitios recipere: illi autem sunt prælati;at Custodes præter merum officium voti in prouincialibus diffinitorijs, & Generalibus Capitulis,nihil aliud obtinent.

Respondeo tamen posse,quia expressè in Bulla nominantur, nec eorum officium est suppressum,licet sit restrictum. Nec obest, quod non habeant iurisdictionem,quia non committitur ipsis, vt habentibus iurisdictionem ad recipiendos Nouitios, nam eis ex regula, & Constitutionibus Apostolicis, & Ordinis, non côuenit Nouitios recipere,nisi vt de corpore Diffinitorij, & ex priuilegio; Sed quia sunt in regula nominati inter cæteros,& sunt prælati, saltem in actu signato,si non in exercito, vt dicit Miranda; & si ipsis non fuisset restricta facultas,essent prælati veri,vt sunt inter patres Conuentuales,vbi visitant custodiam, & iurisdictionem exercent,& in aliquibus prouincijs Vltramontanis. *Custodes possunt absoluere a casibus.*

Quæritur secundò, An delegatio istius facultatis debeat esse specifica, & ad singulos actus; An sufficiat implicita, & Generalis, puta si Generalis, vel Prouincialis constituat suum Commissarium, vel Vicarium, dum è Familia, vel Prouincia discedere oporteat,nulla facta mentione de hac facultate,in indiuiduo.

Respondeo primò, Vicarius Generalis, & Commissarius Generalis secundum Bullam vnionis, & omnes illi Commissarij Generales, qui constituuntur in India, Germania, Belgia, Gallia, cum potestate recipiendi Nouitios: Item Commissarij, seu Vicarij Prouinciales, per mortem prouincialium instituti,qui absolutam prouinciæ administrationem habent, speciali commissione non in- *Cômissarij, & Vicarij quando possunt absoluere.*

 digent,

digent, quia de iure habent omnimodam authoritatem super Nouitiorum receptione,& gubernio prouinciæ.

Respondeo secundò, Alijs debet delegari in indiuiduo, quia *in Generali concessione non veniunt specialia*, Quę non ità facilè concederentur,vt est noti iuris. Absolutio autem à casibus Papæ, & in Bullæ Cœnæ reseruatis, speciali deputatione indigent.

Gratiæ non spirant mortuo delegante, & concedente.

Respondeo tertiò, sufficit semel concessisse Generaliter hanc facultatem, quæ durat etiàm amoto, vel mortuo concedente, quia gratiæ non reuocantur, nisi specialiter,*cap.si super.gratia.de off.deleg.in 6.& cap.cui nulla.de præbendis in 6.Nauar. cons.* 1.*de priuil.*Suar. *de legib.lib.8.cap.*31. Sanchez *de matr. lib.8.disp.*28.*n.*83.Moneta *tract.de Iudicibus conseruatoribus.cap.*10.*n.*328.*& de commutation. vltim.voluntatum*, *cap* 8.*n.*1,*& infra.*Siluest. *V.gratia.q.*2.Nald.*V.gratia n.*4.Rodr.*tom.*1.*q.q.eſt.*9.*art.*1.Hieronymus Rodr.*resol.*116.*n.*25. *qui citat.*Couar. Nan.Siluest.Armillam, Anton.Gabriel Perez, Suar.Henriquez.In cuius doctrinæ vim, concessa semel à Superiore authoritas absoluendi à reseruatis,dispensandi, donandi, eligendi Confessarium, &c.Non expirat per concedentis mortem, aut amotionem, nec opus est à Successore confirmationem habere, nisi successor specialiter reuocaret gratias ab antecessore factas, quod vix accidere potest,cum eas nesciat, & si sciret sine iniuria facere non posset,nisi causa reuocandi adesset.

Successor gratias reuocare non debet.

* Idem expressum fuit, forsan ad scrupulos sedandos,in Gen.stat.Salmantic. his verbis. *Commissa verò facultas à reseruatis absoluendi, tamdiù duret,quò à concedente,vel à successore reuocata fuerit*. An verò teneantur,qui auctoritatem huiusmodi habuerint, repetere quamprimum facultatem à successore,si dubitauerint ipsum reuocasse,vel reuocare velit: Potest enim de Iure, si voluerit, cum succedit dignitati,quod succedat etiam potestati. Dicendum tamen est non teneri,ex Bonac.*to.*1.*de Indulg.p.*246. *num.*7.*&* 8. Ibi enim ait. *Qui inuincibiliter ignorat reuocationem indulti sibi concessi, bona fide confessus est peccata reseruata*, vel censuras,*remanet absolutus virtute indulti*. *

Gratia sine limitatione concessa, sine limitatione est interpretanda.

Quæritur tertiò,An facultas à Prouinciali,vel Generali,de absoluendo Nouitios, &c.Delegata alicui Fratri,talis Prouincię,vel Guardiano Nouitiatus,sine restrictione ad talem locum, possit exerceri in alio Nouitiatu, in alia Prouincia, &c.Respondeo affirmatiuè, quia sine limitatione concessa, sine limitatione interpretari debet,ex Regula,*Priuilegia sunt amplificāda.cap.odia.de reg.iur.in 6.* Itaquè concessa à Generali, potest per totam Religionem exerceri: à Prouinciali, per totam Prouinciam, nisi aliundè constet limitatio ad certam Prouinciam, vel locum, quia in hoc casu, sistendum esset in terminis concessionis.

Sæcularis petens habitū potest absolui, antequam illum suscipiat.

Quæres quartò, An possit impendi absolutio cuicumquè volenti Regularem habitum assumere,siuè antequam adierit Superiores, eisquè suam intentionem publicauerit:siuè postquam conclusum fuerit, illum recipi, & de informationibus necessarijs tractetur: siue postquam omnia completa sunt, & sola habitus traditio remaneat.

Respondeo, non puto expectari debere, quousquè habitum induat, vel informationes faciat,sed sufficere, quod petat habitum, & sit acceptatus à Diffinitorio. Quia Pontifex ait, *Volentibus vestro aggregari consortio*,& postea,*ipsosquè*

que Fratres recipere. Et tandem, *Nisi mox postquā fuerint absoluti, ordinem vestrū intr. uerint, &c.* Ergo totum priuilegium dirigitur ad eos, qui iam declarauerint se apud Superiores velle aggregari nostro consortio, quique in eo Statu sint, vt habitum suscipere statim possint. Qui autem extra Statum huius completę negotiationis fuerint, vtpotè non cogniti, nostro velle aggregari consortio, priuilegij non sunt capaces. Nec sufficit dicere in confessione Ministro, vel Custodi, &c. *Volo fieri vester frater, peto, vt absoluas me tali excommunicatione*, Quia hucusquè legitimè, & iuridicè non constat, cum velle esse Nouitium: Nisi talis persona esset, dę cuius qualitate, resolutione, & sufficientia satis constaret; tunc enim publicata etiam in confessione Prouinciali, vel Custodi, sua voluntate, posset absolui, quia proximè accingendus habetur pro accincto, Clemens Octauus institutione pro receptione Nouitiorum ait, *Statim atquè Nouitij ad habitum recepti, & in locum Nouitiatus introducti fuerint, per generalem confessionem conscientiam discutiant, &c.*

Queres quintò. An sint absoluti, & dispensati in generali absolutione, quę dari solet ante habitus susceptionem, etiamsi in speciali nihil confiteantur?

Respondeo in Statutis Iulij 2. in ordine seruando pro receptione Nouitiorum, præcipitur, vt pręmissa Sacramentali confessione absoluatur publicè, & generaliter, & ponitur absolutionis forma. *Absoluo te primò ab omni excommunicatione, & dispenso, tecum in omni sententia supeusionis, irregularitatis, & interdicti, si quas contraxisti, &c.* Quæ forma nunc non est in vsu, tamen similis est absolutioni, quæ datur ante electionem, vt *in cap. 8. horum st. itutorum.* Hanc absolutionem, dico valere, & suum effectum sortiri, ac tollere censuras, & irregularitates omnes, quantum se extendit Prælati facultas explicita. Peirin. *tom. 2. quæst. 2. c. 5. n. 9. & 46. qui citat.* Nauarr. *c. ap. 27. num.* 254. Paris. *de resign. lib. 4. quæst. 3. numer.* 40. Garz. *de benefic. par. 7. cap.* 13. *numer. 68. &* 71. Ricciul. *lib. 4. cap. 9. num. 9. de Iur. person.* Et Ratio est, quia cum non debeat esse inanis, aliquem effectum sortiri debet; nullum autem, nisi quem verba præseferunt. Et Clemens Octauus 20. Aprilis, anno 1592. Confirmauit similem formam absoluendi, Patribus Sanctissimæ Trinitatis, vt refert ex Roder. *tom. 1. q. 20. art. 26. eius compilator. resol. 3. n. 14.*

Absolutio generalis data ante susceptionem habitus, & electionem, tollit censuras.

§. 5.

Et cum eis in irregularitatibus dispensare)

In tribus irregularitatis generibus dispensare concedit, primum est, *si talibus forsan fuerint innodati sententijs*, Nimirum à iure, vel ab homine latis, secundum si *præsumpsissent diuina officia celebrare, in locis interdicto suppositis*, tertium, ibidem *Ordines suscipere.* Hinc multæ difficultates enodandę sunt.

Prima quæstio Generalis, cum agatur de dispensatione, an dispensare possint Prælati sine causa? Respondeo negatiuè, quia dispensatio est relaxatio iuris communis cum cognitione causę, ab eo, qui potestatem dispensandi habet, vt communis est omnium scribentium sententia. Talis enim est natura dispensationis in omnibus, excepto Summo Pontifice, qui sine causa potest relaxare ius positiuum, non autem diuinum, quia est infra illud; & eius est destruere, cuius

Dispensare sine causa non possumus.

Dispensatio, quid.

est condere, quidquid sit de dispensantis culpa; alij autem sunt infra, ideo sine causa, dispensare non possunt, & dispensantes sine causa, in materia graui iuris communis, & præceptorum Regulæ, peccant mortaliter, & impetrantes, dispensatione vti non possunt, quia nulla, & inualida est. Nauarrus *capitulo 12. num. 76.* Caietanus *in summa Ver. dispensare*. Sotus *libro primo de iust. & iur. quæstion. prima, articulo vltimo.* Valent. *2. part. disputat. 7. quæstion. 5. puncto nono.* Suarez *lib. 6. de legibus. cap. 18. num. 9.* Miranda *tom. 2. quæst. 46. artic. 5. & alij apud istos.* S. Thom. *2. 2. quæst. 88. art. 12. ad 2. vbi* Caiet. Siluester *Ver. Dispen. quæst. 2. num. 4.* Angelus *num. 1.* Armilla *numer. 13.* Tabiena *numer. 10.* Turrecremat. *in Regul. Sancti Benedicti tractat. 139. dub. 5.* Lopez *part. prima, instruction. cap. 4.* Nau. *in sum. prælud. 9. numer. 5.* Salas *de leg. disp. 20. sect. 4.* Vasquez *1. 2. d. 177. cap. 3.*

Causæ ad dispensandum sufficientes. Secunda quæstio. Quæ sunt causæ ad legitimè dispensandum? Respondeo ex Siluestro, Angelo, Armilla, Rosella, Pisanella, *V. dispensatio.* Miranda *articulo quinto*, Salas *section. octaua apud* Peirinum *tomo primo de subdito, quæstion. prima, capitul. 12. Consil. quarto.* Corduba, Reginaldo, Sanchez *apud* Hieronymum Rodriguez *Resolution. 52. num. octauo, cum ipso* Rodriguez Plures esse. Scilicet tempus, vtilitatem, tam publicam, quàm priuatam petentis; qualitatem personæ, meriti, scientiæ, necessitatem, pietatem, euentum rei, qui facit, vt ius aliquando non sit vtile, & Scandalum multitudinis. Quatuor tamen posuit ius commune, *capitulo necessaria, & capitulo quòd pro remedio, primo, quæstio. 7.* Nimirum Charitatem Christianam, Vrgentem necessitatem, Debitam obedientiam, & Reipublicæ vtilitatem; quas omnes ad commune bonum reduci asserit Rodriguez *supra, articulo quinto:* Et iudicio boni viri, iudicandas in particularibus casibus, relinqui, idem affirmat; cum vna Generali Regula minimè comprehendi possint. In casu autem, de quo agimus, vnicam causam inuenio, nimirum Religionis bonum, quia si reciperet irregularem ad habitum, esset non dispensatus, inutilis. Huic adnecti potest vtilitas, & qualitas personæ: quia melius est, & honorabilius recipere in Clericum, aliàs idoneum, & cum illo dispensare, quam inter Laicos irregularem reijcere.

Dispensari potest sine absolutione a censura. Tertia quæstio. An possit impendi dispensatio irregularitatis sine absolutione à cēsura? Respōdeo posse, quia licet prius à censuris absoluendus, & postmodum in irregularitatibus dispensandus, Nouitius Regulariter veniat, etiam ex mente Pontificis, qui prius de absolutione, & deinde de dispensatione loquitur; tamen cum hæc non sint connexa, extra Sacramentum Confessionis, potest quis dispensari, etiam si non sit absolutus ab excommunicatione, vel suspensione.

Excōmunicati quomodo sint gratiæ incapaces, & priuilegij. Contra Gregorius Nonus *capitulo primo de rescriptis in sexto* ait, *Ipso iure rescriptum, vel processus per ipsum habitus non valent, si ab excommunicato super alio, quam excommunicationis, vel appellationis articulo fuerit impetratum.* Quem textum valere de omnibus rescriptis, & gratijs, etiam ab Episcopo obtentis, dicunt Felinus *in rubrica de rescriptis initio.* Glos. *ibidem.* Est enim excommunicatus incapax talis gratiæ. Respondeo si vera est opinio, valet de foro exteriori, non conscientiæ. Quinimò docet Nauarrus *Con. 44. à numer. secundo ad 10. de sentent. excommunicationis,* Non esse ampliandum ad rescripta inferiorum Prælatorum, saltem quoad forum conscientiæ. Tandem dispensatio hæc non est rescriptum.

Et

Et excommunicati multos actus facere,& recipere possunt,vt debitum,& seruitutem contrahere, solutiones recipere;matrimonium celebrare, Religionem ingredi,&c.Quidquid sit, si peccet, vel non peccet, &c.

Quæstio quarta. Si quis occidisset Clericum,an posset dispensari ab irregularitate?Respondeo affirmatiuè,si homicidium fuerit casuale,vel patratum ad defensam, vel ex defectu lenitatis,vel si sit absolutè voluntarium, fuerit tamen occultum. *Irregularitas ex homicidio,quomodo dispensari possit.*

Probatur primo generaliter per verba priuilegij, quo possimus absoluere ab omni excommunicatione,& dispensare ab omni irregularitate ex prædicta prouenientes:est enim gratia vniuersalis,quā extendere,non autē limitare debemus.

Probatur secundo,specialiter per alia priuilegia Martini V.Benedictinis Vallisoletanis, Iulij Secundi Prædicatoribus,vt *in compendio Societatis,Ver.dispensatio* §.1. *& D.Hieronym.* §.4. *& Mendic.* §. 24. *& ex Tridentino Sess.* 24. *capitulo 6.de refomat.* Concedente Episcopis facultatem dispensandi in omnibus irregularitatibus, inter quas recensent etiam prouenientem ex homicidio voluntario, dummodo sit occultum, quia Concilium prohibet de solo homicidio voluntario publico. Rod.*supra articulo octauo*, Nauarrus *in manuali capitulo* 27. *n.*204. *& 7.& consil.*24.*de homicid.*Couar.*de homicidio* §.*quarto*, *n.quarto*, *part.*1.Suarez,Miranda, Pottel. Villalob.*relati à* Hieronymo Rod.*resolut.* 52.*n.* 23.Henriquez,Maiolus,Sayrus, Bonac.*apud* Tambur. *tom.*2.*distint.*13. *quæst.* 6.*n.*3.Barbosa *in remissio.ad Concilium.*Prælati autem Prouinciales,&c.Habent authoritatem quasi Episcopalem.

At dices ista priuilegia respiciunt subditos,& professos,non autem Seculares, qui Nouitij esse volunt,vel de facto sint.

Respondeo etiam isti sunt de proximo futuri subditi, & debemus alia priuilegia interpretari secundum priuilegium Clementis IV. qui concedit posse nos dispensare cum Sæcularibus, qui nostro voluerint aggregari consortio.Nec officit, quæ dicit in contrarium.Rod.*tomo* 3.*quæst.*51.*artic.*12.Quia Nouitij nō sunt Religiosi; Nam absolutiones, & dispensationes Pontifex ad Nouitios extendit,loquitur igitur Rodr.de alijs priuilegijs,non de hoc,&c. Et quod dictum est de homicidio,dicendum est etiam de mutilatione.

Quæstio quinta, An possimus dispensare in irregularitate proueniente ex casu hæresis? Respondeo primò Hæreticus,eius fautor, defensor,& receptator, sunt irregulares, *capitulo Saluberrimum*, *capitulo si quis omnem.*1.*quæst.*7.*& capitulo quicumquè* §. *hæretici.de hæret. in* 6.Vbi dicitur *hæretici autem, credentes receptatores,defensores,& fautores eorum,ipsorumquè filij vsquè ad secundam generationem, & ad nullum Ecclesiasticum beneficium, seu officium publicum admittantur.* Angelus *V.irregularitas.* 1. *num.*26. Siluest. *quæst.*5. Nauar.*cap.* 27.*num.* 205.Henriq. *cap.*4.*num.*6. Quod de Hęreticis, &c.Manifestis, intelligit Auila *de Cens.par.*7.*disp.*4.*conclus.*3.*cum.* Henriq.*num* 6. *contra* Perez, qui tenet esse irregulares, sed dispensabiles ab Episcopo. Quia *cap.ad abolendam.de hæret.* Loquitur de eo, *qui manifestè fuerit in hæresi comprehensus. Et cap. saluberrimum.* Loquitur de abiuratione solemni. *Et cap. quicumquè de hæret.* Id videtur innuere, vbi ait, *non admittantur*, vbi eorum publica notitia præsupponitur. *Hæretici sunt irregulares.*

Respondeo secundò,in sententia eorum,qui concedunt posse, nos absoluere,

Qui potest dispẽsare in crimine, potest in pœna.

ab hæresi occulta, possumus etiam dispensare in irregularitate ob hæresim contracta: Ex communi Canonistarum doctrina refert, & sequitur Suar. *de censuris. disp.* 41. *sect.* 2. *n.* 5. *& disp.* 29. *sect.* 1. *n.* 22. Quod scilicet, qui potest dispensare in crimine, potest dispensare in pœna, & qui potest dispensare in lege, potest à pœna legis, nisi aliud caueatur.

Respondeo tertiò, ab hæresis publicæ irregularitate, dispensare non possumus, quia nec à crimine tali absoluere valemus.

Quæstio sexta. Quid de Bigamia? Respondeo vigore huius priuilegij à bigamia dispensare non possumus, quia loquitur de irregularitatibus contractis ex delicto, & censuris. Hinc neque super defectu natalium, neque super infamia, neque omnino super alijs, quæ ex censuris ortæ non sint. Verum ex priuilegijs alijs possunt Prælati dispensare in bigamia similitudinaria, scilicet quando in Sacris constitutus, vel professus ducit vxorem, & consumat matrimonium. *c. Monacho.* 27. *quæst.* 1. Quia cum conceditur dispensandi facultas in irregularitatibus, excepta bigamia intelligitur de vera, quæ est, quando quis cum duabus vxoribus matrimonium verum, & validum consumat *cap. nuper de bigamis.* Ibi *licet in veritate bigami non existant.* Canonistæ *In rubrica de bigamis.* Est enim bigamus bis coniugatus, & per hanc contrahitur irregularitas. *cap.* 1. *&* 2. *de bigamis cap.* 1. *dist.* 26. *& can.* 16. *Apost.* Quia deficit significatum Christi cum Ecclesia *cap. debitum ibid.* & interpratatiua, quæ consistit, dum viduam, vel corruptam ducit. *cap. si cuius vxorem, & cap. si Laici. dist.* 34. *& cap. curandum. ibidem* Rodr. *tom.* 1. *quæst.* 24. *& art.* 1. *&* 2. Nauar. *cap.* 27. *num.* 197. Henriquez *lib.* 11. *cap.* 15. *num.* 2. Sanchez *de matrim. dist.* 83. *num.* 6. Suarez *de censuris dist.* 49. *sect.* 1. *num.* 1. *& sect.* 6. *num.* 7. Immò posse Generalem, vel Prouincialem dispensare in bigamia vera, & interpratatiua cum suis subditis docent Auila *de censuris par.* 7. *disp.* 8. *dub.* 1. *conclus.* 8. Henriquez *lib.* 22. *cap.* 6. *num.* 11. *lit.* Z. Vbi citat priuilegium Sixti IV. concessum Carthusiensibus *anno* 1481. & Pauli III. Premostratensibus, in quibus indulgetur facultas dispensandi in foro conscientiæ in omnibus casibus, nullo excepto, etiam cum homicida voluntario. Idem Sixtus IV. concessit Monachis S. Hieronymi in Hispania dispensare in quacumquè irregularitate, quomodocumquè contracta & citat titulum 12. priuilegiorum Hieronymorum. Idemquè habere Augustinienses *in suis priuilegijs fol.* 90. *refert* Compendium priuilegiorum mendicantium *V. dispensatio.* 4. Compendium *Bernardinum.* §. 6. Compendium *Societatis Iesu* §. 4. *&* 6. Addi potest priuilegiũ Cistercensium eiusdem Sixti IV. *ann.* 1476. *apud Bull.* Rodr. *fol.* 222. *colum.* 1. Quo omnes Monachos, Nouitios, donatos, conuersos, seruitores, continuos commensales, Procuratores, Nuncios, & alias Ordinis personas, quæ Generali Capitulo interfuerint, & viginti dies post; Confessores à dictis eligendi (dũmodo per Abbates secundum ordinis Statuta approbati sint) ab omnibus censuris, & pœnis absoluere, possint & dispensare, in irregularitatibus quouis modo, & qualitercumquè contractis, & aliud Pauli III. Benedictinis Vallisoletanis, quo possunt dispensare semel in anno primo die Lunæ Quadragesimæ super quibuscunquè irregularitatibus, quauis occasione, vel causa contractis, apud Rod. *fol.* 366. de quo Portel. *V. dispensare. in addit. n.* 5. ait, includi homicidium voluntarium, bigamiam, &c. *Cumquè concessio sit tam ampla, & Generalis, & Papa id possit concedere, nec ab aliquo Successore, reuocatũ inueniamus in specia-*

Bigamia quæ à nobis dispensabilis.

Quis bigamus, & quotuplex.

Amplissimæ dispensandi facultates, & absoluendi.

in speciali, videtur posse Religiosos illa vti, sicuti iacet sine limitatione; quia cum lex non distinguit, nequè, &c. Quod confirmat Hieronymus Roder. *resolut.16.fine*, dicens. *Quæ sentententia tanquam pia, & probabilis potest in praxi sequi, licet opposita sit tutior.* & clarissimè per priuilegium eiusdem Pauli III. Societatis. *pag. 356.n.9.* quo conceditur *Generali, & eius delegatis dispensare cum suis in omni irregularitate ante, vel post ingressum Religionis contracta, & absoluere, &c. Nisi excessus absoluendorum, & dispensandorum adeo graues fuerint, & enormes, quod sint ad Sedem Apostolicam meritò destinandi, & ne sæpè in dubium reuocetur, qui sint ad Sedem prædictam destinandi, declarationem in ea parte per fel.record. Sixtum Papam Quartum in Bulla, quam Mare magnum vocant, factam, confirmamus.* Isti autem casus sunt. *Hæretici relapsi, Schismatici, Falsarij literarum Apostolicarum, & deferentes prohibita ad Infideles.* Ita declarauit Sixtus Quartus in Mare magno, Apud *Bullar.pag.152.n.40.* Cum ergo exceptio firmet Regulam in contrarium, omnes aliæ irregularitates conceduntur. Itaquè ex istorum sententia, cum bigamis, quoquo modo acceptis, possunt Prælati dispensare ad Ordines Sacros, etiam in foro exteriori, cum bigamia sit publica, & notoria, nequè Pontifex aliter distinguit, & arctat. Nam præfactum priuilegium non dirigitur Generali, vt Confessario, sed vt Prælato: licet enim addat, posse absoluere à peccatis, id propterea, non tollit, quin extra confessionem dispensare, & à censuris absoluere valeat. Nec potest opponi, concedi facultatem dispensandi super irregularitatibus prouenientib. ex censuris, quia clarè aduertit, *alijsq; Ecclesiasticis, et Sæcularibus sententijs, censuris, & pœnis, &c.* Et loquitur etiā de *volentibus societatis consortio aggregari.* Cum igitur Sæculares sententiæ, & pœnæ, censuræ non sint, elicitur, posse dispensari etiam super irregularitatibus, quæ sine censuris contractæ fuerint, vt est bigamia, etiam cum Nouitijs. Et licet Peirinus *tom.2. de Prælato.quæst.2. cap.5.* §.8. *n.* 100. Dicat hanc sententiam non esse tutam in praxi, saltem quoad forum externum, & confirmet opinionem negatiuam, quā tenuit *tom.1.priuil.in const.2.Iulij Secundi n.*120. Tamen dubius hæret, & in hanc nostram sententiam, vel iubens inclinat, citans Auilam, & Herniquez, S.Thom. Armil. Suarez, Tabienam, Sarium, Paludanum, Turrecrematam. & Nauarr. qui apud ipsum videri possunt à *n.99.ad finem*

Scio Rodr. *tom.1.quæst.24.art.2.* Tenere, Prælatos Religionum non posse dispensare in bigamia vera, & interpretatiua, quoad Ordines Sacros, benè quidem quoad Minores, cum S.Thoma, & Siluestro ; & in similitudinaria etiam quoad maiores : & refert se tenuisse contra Henriquez *in Summ.tom.* autem 2. *quæst.*105. *art.*1. refutat Nauarr. *libro 1.conf.15. de homicidio voluntario*, Dicentem inferri ex priuilegio Pauli III. Præmonstratensibus concesso, quo possunt dispensare in homicidio voluntario, quod possint etiam in bigamia, idquè sibi non probari, quia hæc solent excipi; & adducit stylum curiæ, & S.Pœnitentiariæ difficultatem impetrandi, &c. Confutat (inquam) quia in claris non est opus coniecturis; & alia ratio est habenda de Regularibus, alia de Clericis; illis enim conceditur, quod negatur Episcopis.

* Magna vtique Episcoporum dignitas, magna potestas, supra superiores quoscumq. Regulares, quibus tamen pro recipiendis ad habitum, & pro receptis sibi subditis aliqua concessa fuere priuilegia, Absolutionis facultatem concernentia à diuersissimis Pontificibus, Regulare Institutum propagare cupientibus. *Episcoporū & Regularium potestas erga sub ditos.*

bus. Quę à iure Episcopis non fuerunt exhibita. Hinc ex Nauarro, & alijs to. 1. tr. 13. q. 1. de Regularium Priuilegijs n. 7. P. Donatus alias relatus asserit, quod Generales, & Prouinciales Regulares præfata facultate polleant pro dictis subditis. Sed ad particularia non descendit. Possumus tamen dicere vltra ea quæ Bonacina scribit to. 1. tract. de Clausura, q. 1. punct. 5. Et vltra quæ retulit noster Commentator c. 2. stat. 14. vbi refert priuilegij verba ex Clem. 4. & alibi, quòd Episcopi non habent à iure communi posse absoluere sibi subditos à casibus Papalibus publicis, vt habent ex Priuilegio Regul. illis exceptis à Sixto 4. & Iulio 2. vt ex Additione ad *stat.* 14. *c.* 2. *post obiect.* 2. notatum est. Possunt enim absoluere à percussione Clerici, etiam enormi, & publica. An verò à nece Sacerdotum, vt ibi Commẽtator supponit; inhiberi videtur ex *stat. Gener. Tolet.* 1663. *c.* 7. §. 4. *pag.* 17. Et verè citati Pontifices excipiunt homicidium volunt. cum Bigam. & mutil. membror. vltra alios exceptos ab ipsis. Sixtus *in Const.* 6. *apud Bull. Cherub. p.* 338. §. 14. Pariformiter Iulius *Const.* 156. *p.* 417. §. 8. *

Papales casus Regularibus inhibiti.

* Sed distinctione faciliter saluari poterit Commentatoris assertum contra manifestam stat. Gen. exceptionem ex cit. Pontificibus. Vel quod loquantur de pub. homic. vel de absolut. ab irregularit. quæ contrahitur, non verò de absol. à peccato: De pœnis, non de delicto. Et aliud vtiq; est absoluere à peccato, & excommunicatione, percussione, & homicidio: Aliud ab Irregularitate, quæ ordinandos impedit à susceptione ordinum; & ordinatos ab exercitio susceptorum: Aliud à pœna priuationis offic. & inhabilit. De quibus præsertim cit. *Bona. n.* 5. *

Absolutio à casibus & cẽsuris, & pœnis.

* Poterunt ergo Regulares absoluere ab Irregularitate homicidij, nedum secreti, & publici casuali; sed etiam à voluntario publico, ob repẽtinam rixam. Sic Marchinus cum alijs affirmat de Episcopis *p* 9. *c.* 1. *d.* 7. Dummodo non sit deductum ab forum contentiosum; vel si deductum fuerit, iam cessauerit strepitum Iudiciale. Et Brunus *p.* 1. *tr.* 5. *cap.* 4. *prop.* 1. affirmat Regulares dispensare etiam posse cum sæcularibus super Irregularitatib. occultis, vti Episcopis per Trident. conceditur: ac consequenter in quibusdam Irregularitatibus ex homicidio voluntario iustè, vel iniustè contractis. *

Irregularitas publica quomodo dispens.

* P. Auersa *q.* 17. *de Sac. Pœnit. sec.* 6. asserit, quod Regul. habent priuil. absol. à casibus Pap. etiam alioquin publicis, exceptis excipiendis: quam facultatem inquit, non habent Episcopi. Intelligendum tamen est, quod Regulares habeant pro suis subditis, vt est percussio publica Clerici, & Sacerdotum neces: de quibus Comment. *c.* 2. *stat.* 14. *obiect.* 2. *in respon.* Quam facultatem non habent Episcopi, nisi in magna necessit. ad ministerium tantummodo susceptorum ordinum. *

* Leander *tract.* 2. *de Irregul. q.* 19. absolutè affirmat, & si aliqui apud ipsum negent de homic. fœtus animati, eò quod perdatur, & corpus, & anima, quod non est de Adultis, qui per contrit. saluari poterunt. Approbat Lezana ex Martini 5. concessione, cum ibi non distinguatur. Ad obiectionem, quæ adducitur per contrariam sent. quod Trident. prohibeat dispensare super Irregul. homic. volunt. occulti, (& multò magis à publicis præfatis) Respondetur, Concil. loqui de homic. non occulto omnino, quale est, quod à solo homicida scitur, vti notauit Dian. *P.* 11. *T.* 2. *R.* 29. sed tantum de illo quod ad iudicium, & notitiam hominũ deduci potest, & probari. Ita cum Miranda asserit cit. Bruno. Nec refert, quod illud homicidium volunt. sit iustum, vel iniustum; quia in vtroq. est

Tridentinũ declaratur.

pat

par ratio. Diana tamen consulere non audet, nec Regularibus, nec Episcopis. *

* Hæc sparsim collecta à Modernioribus satis, vt sciatur ad præsens, qua facultate polleant Episcopi, & Regulares circa absolutionem à Casibus & Censuris Papalibus. *

Tandem concludit articulum, quod illa verba, *quacumquè occasione contracta*, non includant homicidium voluntarium, & bigamiam. Articulo autem sequēti, postquam contra Nauar. tenuit posse nos dispēsare in homicidio facto in bello iusto, & ex defectu lenitatis, concludit. *Vnde infert quod Prouinciales non possunt dispensare in hac irregularitate* (scilicet bigamiæ) *loquendo iuxta ius commune, & stylum curiæ, & hoc mihi videtur securius. Possunt tamen dispensare in ea, si verum est quod Paulus Quartus* (corrige Paulus III.) *hoc concessit, iuxta ea, quæ in articulo Superiori dicta sunt.* Ex quibus verbis, nisi sibi sit contrarius, colligitur retractasse sententiam, & primi, & secundi tomi, & summę. De Miranda *tom.2. quæst.8.art.2.* nihil addendum, quia omnia ad literam ex Rod. transcribit, sicut facit Barbosa, *alleg.49. de officio Episcopi à num.27.* ex Tamburrino, *quem citat.* Qui accipiens à Rod. & Nauarro responsiones, elidere putat Priuilegium concessum à Sixto Quarto minoribus, absoluendi, & dispēsādi in omnibus irregularitatibus, excepto homicidio volūtario, & mutilatione, dicendo. *Non suffragantur, quia in priuilegijs semper intelligitur, excepta bigamia, nisi specialiter explicetur.* Si quis autem huic maximæ aliam opponat, l. Iulia ff. de leg. Glos. in l. Procur. C. Manda: *Qui totum dicit, nihil excludit*, quam fusè authoritatibus firmat Barbosa *axio.168.* videtur clauū clauo trudisse. Hęc enim intelligētia priuilegiorum non est in iure fundata, quia cum sint amplianda, & Summi Pontifices omnes omninò casus includant, quomodolibet ad Sedem Apostolicā pertinentes, nullos exclusisse, censendi sunt. Hanc sententiam, vt probabilem, & tutò sequendam exscribere ex authoribus volui, vt sciāt Prælati, quid agere tutò possint.

Possunt prælati absoluere à simonia & dispensare.

Quæstio septima. Quid de simonia? Respondeo posse Nouitium, & Fratres absolui ab excommunicatione, quæ contrahitur per, simoniam, & dispensari super irregularitate contracta ex hoc vitio, siue post celebrationem cum hac censura, siue ante, siue in beneficio, siue in ordine, &c. Vbi intelligentiam suppono ex communiter scribentibus, simoniam esse *studiosam voluntatem emendi, vel vendendi spirituale, vel illi adnexum*; Committiquè in receptione, vel datione ordinum, beneficiorum, Sacramentorum, habitus regularis, & aliorum similium; Ac se cum afferre pœnas excommunicationis ipso facto, priuationis beneficiorum adeptorum, & perpetuæ inhabilitatis in posterum, vt patet per *extrauag. Pauli Secundi, Cum detestabile. de Simon.* In qua confirmantur omnes pęnæ contra Simoniacos, declarantur suspensi sic ordinati. Simoniaci in beneficijs titulum non acquirunt, nec suos fructus faciunt; inhabilitantur ad alia: & scientes Simoniacos, vel mediatores reuelare tenentur Summo Pontifici, nec (nisi reuelauerint) absolui possunt. Quæ pęnæ non incurruntur à Simoniacis mentalibus, nec conuentionalibus, scilicet ijs, qui non compleuerunt ex vtraquè parte pactum initum dando, & recipiendo, sed solum à simoniacis realibus; quia censuræ non incurruntur, nisi cum effectu fiat, quod fieri prohibetur. Quas pęnas incurrunt etiam confidentiarij, per Bullas Pij IV. *Romanum.* Pij V. *Intollerabilis.* Et Sixti V. *Hodie.* Est autem simonia confidentialis, vel simoniaca confiden-

Quid sit simonia.

Simoniæ pęnæ.

Quæ simonia pęnas infert.

Confidentia beneficialis.

fidentia, cum in gratiam alicuius quis resignat, vel confert beneficium, vel ad illud præsentat, cum occulta vel aperta conuentione, seu obligatione, vt qui prouidetur, aliquod cedat, dimittat, vel soluat in fauorem resignantis, conferentis, præsentantis, vel eius amici, aut consanguinei, vel alterius, vel beneficium, vel fructus, vel partem illorum, vel pensionem; ad quarum pęnarum incursum non sufficere solam intentionem internam, sed requiri aliqua signa efficacia illam declarantia danti, inquit Nauar. *in manual. c.23.n.110.et Azor.tom.3. lib. 12.cap.10.* Vide quæ scripsit inter alios Scortia *Theor.201.202.203.* A censuris igitur, pęnis, & irregularitate quomodoqumquè contractis ob scelus simoniæ possunt Prælati absoluere Nouitium, & dispensare. Ratio est, quia in hoc priuilegio nulla exceptio interponitur. Quoad Fratres autem est expressa concessio Sixti IV. in *Mari magno apud Bullar. Rodrig. fol.152. num.40. in fine*. Vbi dicitur. *In reliquis verò omnibus, etiam Simonię prauitate qualitercumque irretitis, posse per illos, quibus inibi conceditur absolutionis, & dispensationis beneficium impartiri*. Quę priuilegia licet in hac parte reuocata fuerint per Sixt.V. fuerunt tamen postmodum confirmata, & reualidata ex certa scientia per Clementem Octauum, vt docet Hieronymus Roder. *resol.3.num.7.* contra ipsum Rodr. vbi pro nobis citat Portel. *V. Prælatus, ad absoluendum, num.9.* Suarez *de Relig.tom. 1. lib.4. cap.61. à nu.4. & de censuris disp.31. sect.5. à n.4.* Villalob. *2. par.tract. 35. diffin.34. num.4. & 5.* Casus autem particulares, in quibus simonia incurritur in procurandis officijs in Religione, &c. Vide apud Portel. *V. Simonia, & Sorbum eodem*.

Possumus absoluere eos qui fuerunt causa interdicti.

Quæstio Octaua. Cum concedatur facultas dispensandi cum irregularibus, qui celebrauerũt in locis interdicto suppositis, potest dubitari, an gaudere possint hoc priuilegio ij, qui fuerunt causa interdicti? Respondeo affirmatiuè: Quinimò non solum possunt absolui, qui dederunt causam interdicto, vt Senatores, Consules, &c. Sed qui personaliter fuerunt interdicti; conceditur enim posse absolui ab excommunicatione, suspensione, & interdicto; plus enim est esse interdictum, quam esse interdicti causam. Distinctionem interdicti in Generale, & speciale, idquè in locale, & personale, vide apud Schortiam, *Theor. 55. in extrauag. Bonifacij Octaui. Prouidè, de sent. excomm.* Qui authores de hac re scribentes citat.

Interdictum quotuplex.

* Cum gratiæ sint extendendæ ex supradictis, per Regulam commun. Iuris: Et Pontif. concessio pro absolutione ab Interd. Sit Generalis; valet vtique responsis ad quæst. propositam, quod gaudere possint tali priuilegio, qui fuerunt causa interdicti, cum ibi lex Pontificia non excipiat, nec distinguat.*

Possumus absoluere, & peccantes in cõtemptum clauium, & in confidentiam priuilegij.

Quæstio nona. Quid si peccauit in confidentiam priuilegij, vel in contemptum clauium? Respondeo absolui, & dispensari posse. Ita Bellar. Lesma, Nauarr. Sa, Filliuc. Curiel. Rod. Acosta, Corduba; Quos refert, & sequitur Ludouicus a Cruce, *in Bullam Cruciat. disput.1. cap.1. dub.5.num.5. contra* Ioann. Lupo, Couar. Orosi. Balt. Antonin. & Armillam *ab eodem citatos num. 1.* Quibus addi possunt Sylu. *V. priuil. quæst.10.* Panorm. *in capit. licet de regul.* Ber. Diaz. *regul.5912.* Suarez *de leg. lib.8. cap.36.* Salas *distin. 17. sect.23. num.67.* Tuscus *tom.6.lit.P. conf.574.* Tambur. *de Iur. ab. tom. 1. dist. 16. quæst. 14. numer. 12. & 13.* Bonacin. *de leg. disput. 1. quæst.3. part. 8.* & Hieronymus Rod. *resolut.3. nu.9.* Ratio est, quia talis clausula in priuilegio nostro non

apponitur

apponitur, quæ aliquando apponi solet, vt apposuit Eugenius IV. *in Supplem. fol.* 120. Vbi dicitur, *Nisi peccata in contemptum clauium commissa fuerint*; *vel nisi commissa fuerint spe, & fiducia talium priuilegiorum*. Et idem fecit *Bonifat. VIII. ibid.* Vnde exceptio firmat,&c. *c. dominus*, 32. *q.* 7. Et sicut per baptismum, & pœnitentiam remittuntur peccata in illorum confidentiam commissa, ita per priuilegia. Nec debemus distinguere, vbi lex non distinguit, *cap. si Euangelica, distinct.* 55. *capitul. solitæ. de maior. & obedientia, & capit. Saluator. prim. quæst.* 3.

Exceptio firmat regulã in contrariũ

At obijcies quod hoc esse reddere tutiores ad culpam. Respondeo id non prouenit ex priuilegio, sed ex delinquentis arbitrio, quod pœnitere potest.

Item Abusus priuilegij meretur illius ablationem? Respondeo meretur, sed non est de facto priuatus illo.

Qui cognoscit consanguineam spe matrimonij, priuatur dispensatione? Respondeo hoc est speciale decretum Tridentini, quod non reperitur in nostro priuilegio.

Denique Num concederet Pontifex talem gratiam peccanti in illius confidentiam *cap. in generali. de regul. iur. in 6. & cap. si Episcopus de pœnitent. & remissi. ibid.* Respondeo non concederet, quando perseueraret in voluntate peccandi; at ea dimissa concederet. De contemptu clauium, cum quis non vult se submittere potestati Ecclesiæ, putans illam esse intollerabilem,&c. Affirmant ex hoc priuilegio, Rod. *tom.* 1. *q.* 20. *art.* 15. Portel. *V. Prelatus, num.* 31. Hieronym. Rod. *resolut.* 3. *num.* 9. Tambur. *tom.* 2. *disp.* 14. *quæst.* 16. Bordonus *resol.* 3. *quæst.* 15.

Contemptus clauiũ quis sit.

Quæstio decima. An possimus absoluere à suspensione, & dispensare in irregularitate contractis ob susceptionem ordinum ante tempus, sine patrimonio, per saltum, non seruatis interstitijs, absquè dimissorijs à non proprio Episcopo.

Respondeo primò, ab omni suspensione quoquo modo contracta,& ab omni irregularitate absoluere,& dispensare possumus, vt patet ex verbis priuilegij. Portel. *V. Ordinis Sacri suspensio, num.* 14. Suar. *de censuris, dist.* 31. *sect.* 1. *n.* 32. Henriquez *tom.* 2. *lib.* 14. *cap.* 20. *n.* 3. Beia *in respons. mor.* 4. *p. casu* 37. §. *aduertendum, citati à* Hieronymus Rodr. *respons.* 106. *n.* 26. cum suo Rod. *tom.* 1. *quæst.* 20. *art.* 14. *ad fin.* Et vt ad particularia descendam,

Absoluere possumus, et dispẽsare ab omni suspẽsione, & irregularitate.

Respondeo secundò, promoti ante legitimam ætatem, sine licentia, extra tempora à iure Statuta, sine patrimonio, vel beneficio, nisi Apostolica dispensatio adfuerit, sunt ipso facto suspensi à susceptorum ordinum exercitio: & si ministrauerint, irregulares. Ita Pius Secundus, *Cum ex Sacrorum*. Pius V. *Romanus Pontifex*. Sixtus V. *Sanctum, & salutare*. Clemens Octauus, *Romanum Pontificem decet*, iuxta dispositionem *Concilij Tridentini sess.* 23. *cap.* 8. *de reform.* In quo ordinati sine licentia Episcopi, suspenduntur, quamdiu ordinario videbitur. *Et cap.* 10. *& sess.* 7. *cap.* 10. Vbi de dimissorijs. *Et cap.* 11. *&* 13. Vbi de interstitijs. *Et cap.* 12. Vbi de ætate ordinandorum. *Et cap.* 13. Vbi de ordinatis per saltum. *Et sess.* 21. *cap.* 2. *de reform.* Vbi de beneficio, aut patrimonio, quod Pius V. ad regulares, qui non profitentur, extendit. Pœnas enim alias inflictas à Sixto V. citato, reuocauit ad terminos Concilij Tridentini, & Pij 2. Clemens Octauus, etiam supracitatus, intactas solum eas relinquens, contra

Malè promoti sunt suspensi.

Pœna in simoniace promotos, & promotores.

tra

tra simoniacè promotos: pœnè autem sunt suspensio perpetua à susceptis, sine spe ad Superiores ascendendi, priuatio beneficiorum, officiorum, vocis actiuę, & passiuæ, & incapacitas ad alia, quoad ordinatos, reseruata Papæ, absoluendi, & dispensandi facultate, eaquè adempta, Iubileis, Cruciatæ, Maiori, & Minoribus penitentiarijs priuilegiatis, Mari magno, &c. Ordinantibus verò, suspensio à collatione ordinum, etiam primæ tonsuræ, & ab ingressu Ecclesię, interdictum, arbitrio Papæ. Et si contrafecerint, à regimine, & administratione Ecclesiæ, fructuum perceptione, Papæ reseruata. Hæ autem quoad promouentes, & promotos in quocumq; casu, excepto simoniæ, reuocauit (vt dictum est) Clem. VIII. quæ omnia doctè examinat Quaranta *toto titulo, ordo.* Vide quæ diximus in fine quæstionis septimæ huius Commentarij.

Ordinari posse ante tempus, cōcedere Prælati non valent nec ordinem exercere.

Respondeo tertiò, licet possumus dispensare ab irregularitate, & absoluere à suspensione iam contractis, non possumus tamen concedere, vt ordinatus ante ætatem, quæ adhuc completa non sit, exercere possit suum ordinem, quia in hac parte reuocata sunt priuilegia per Concilium Tridentinum *Sess.23. cap.12.* Nec confirmatio de nouo facta ea habilitauit, quia expresse Clemens Octauus, & Paulus V. exceperunt, dummodo non sint contra Concilium Tridentinum. Ita Enriquez *lib.10.cap.19.§.2.* Guttier. *lib.canonic. cap.26. num.8.* Miranda *tom.1. q.39.art.1.* Portel. *V. ordines sacri num.1.* Villalob. *tract.11. diffinit.11. num.8.* Rod. *tom.3. q.23. art.6.*

Respondeo quartò, difficultas ex defectu patrimonij non militat, quia dum est in Religione, patrimonio non indiget. Et interim potest Nouitius ad celebrationem, vel actus aliorum ordinum admitti, relapsurus si habitum dimittat; suppono enim ordinatum sine patrimonio, esse ipso iure suspensum. *Ex cap. Neminem, &c. Sanctorum. dist.70.* Nec sublatam fuisse hanc suspensionem ab Innocentio 3. *cap. cum secundum Apostolum, de præbendis.* Quia etsi dicat, *Licet autem prędecessores nostri ordinationes eorum, qui sine certo titulo promouentur, in iniurias ordinantium, irritas esse voluerint, & inanes; Nos tamen benignius agere cupientes, tandiu per ordinatores, vel eorum successores prouideri volumus ordinatis donec per eos Ecclesia beneficia consequantur.* Ex quibus verbis colligunt Glos. & Alij, ablatam esse suspensionem. Sed puto dispositionem esse in scienter ordinato ab Episcopo sine patrimonio, vt patet, non de ordinato cum ficto patrimonio; quia sicut punitur Episcopus scienter ordinans, ita puniri debet scienter ordinatus; secus reportarent commodum de malitia. Quod confirmauit Tridentinum *Sess.21. de reform. cap.2.* dicens *Antiquorum canonum pęnas super his innouando,* quæ verba licet grauissimi Doctores in diuersos sensus adducant dicentibus alijs, innouatos esse canones, *Neminem, & Sanctorum;* alijs solum *cap. cum secundum Apostolum;* Puto tamen innouatas esse pœnas omnium canonum, suspensionem imponentium, tum quia loquitur in numero plurali, & vnus canon numerum talem non adimplet; tum quia ordinati nullam pœnam subirent, & tamen Concilium pœnas subire vult, etiam malè promotos. Tum quia hanc suspensionem à sæcularibus ad regulares Clericos Pius V. extendit; quam si nulla esset, extendere non potuisset: quidquid dicat Marchinus *in fin. diff.6. tract.2. p.6.* Quasi peculiari ratione motus voluerit Pius exterrere nouitios qui sine patrimonio promoueri se fecerant. Quia aliud est eos suspendere; aliud est ad illos suspensionem extendere. Hoc fecit, non illud

Ordinatus sine patrimonio est suspēsus.

illud. Dicere autem nesciuisse Pontificem an talis suspensio in iure fuerit, nimis audax præsumptio esset, *De eo, qui censetur habere scrinium legum in pectore.* Vide Nauarrum, *con.45. de tempor. ordin.* Suar. *disp.31. sect.1. num.35.* Fornar. *lib. de ordin. c.8. num.9.* Comitolum *lib.6. q.38.* Bonac. *de sac. disp.8. q.1. punc.5. n.24.* citatos à Scortia *Theor.379.*

Respondeo quintò, cum ordinatis per saltum non possumus dispensare, nec vt ordinem non susceptum exerceant, nec etiam susceptum, puta si recepissent Diaconatum, sine Subdiaconatu. Hæc enim suspensio lata *in c. vnico. de clerico per saltum promoto.* Reseruata est Episcopo ex Tridentino *Sess.23. de refor. c.14.* Illis verbis, *Cum promotis per saltum, si non ministrauerint, Episcopus ex legitima causa possit dispensare.* Et nos, quibus per Pium V. concessa est facultas Episcoporum, idem possumus, & cum Nouitijs per priuilegium, quod declaramus. Non posse autem, nisi ordinem intermissum, recipiant, probatur ex citato capitulo *de cler. per saltum promoto*, Vbi precipitur recipere Diaconatum, qui ad Sacerdotium, eo relicto, conuolauerat, ijs verbis. *Ipsum in Diaconatu ordinare procures, et sic de misericordia eumdem ministrare permittas in ordine Sacerdotis.* Itaquè non potest exercere ordinem, quem non habet, in quo intrat dispositio tituli. *De Clerico non ordinato ministrante.* Vbi ministrans in ordine non suscepto, fit irregularis: & licet de solo baptizante in 1. c. & secundo de celebrante fiat mentio, tamen fieri irregularem sollemniter exercendo non susceptum ordinem, tenent Vgolin. Suar. Reginaldus, Bonac. Henriq. citati à Barbosa *hoc titulo. cap.1. n.4.* Mitto disputationem, an character Superioris ordinis, inferioris characterem contineat, itaut qui Diaconatum accepit, receperit etiam characterem Subdiaconatus; & qui Presbyteratum, Diaconatus, & qui Episcopatum (si est ordo) cęterorum ordinum: & tenendo cum communi, non esse essentialiter subordinatos, de re, quam tractamus, saltem iure canonico certum est, recipiendos esse relictos ordines, vt patet expresè *dist.52. c. sollicitudo.* Vnde etsi possimus dispensare, vt in ritè susceptis se exercere possint, & ad alios non susceptos promoueri, non possumus tamen defectum ordinis supplere. Vide Peirinum *de Prælato quæst.3. cap.7. n.12.13.14. & 15.*

Dispensare possumus cū ordinatis per saltum.

Ministrans in non suscepto fit irregularis.

Ordo Superior an contineat inferioris characterem.

Respondeo vltimo, super interstitijs intermissis, superquè à suo Episcopo ordinato, cum dimissorijs fictis, dispensare possumus. In his enim suspensio (si in non seruatis interstitijs est, quam multi graues Doctores negant, apud Marchin. *tract.1. part.7. cap.2. n.12. & collect.* Barbos. *in cap.13. Sess.23. Con. Tridentin.*) Et irregularitates, cū censuræ sint, vel ex censuris oriantur, plenè in nostro priuilegio continentur. Quod etiam dicendum est, de eo, qui duos ordines Sacros, vel minores, & Sacrum vno die suscepisset, ex quo suspensionem ipso facto contraxit, *cap. literas, cap. dilectus, de tempor. ordin. de quo* Rod. *tom.3. q.27. art.7.* Suar. *de cens. dist.31. sect.1. n.41.* Sayrus *de censur. lib.4. c.14. n.23.* Nauar. *in Summ. cap.25. num.71.*

Dispensare possumus super defectu interstitiorū & ordinatis cum fictis literis.

Quæstio vndecima. An possint abstergi maculæ infamiæ, & inhabilitatis. Respondeo. Vltra dicta c.7. Stat.1. §.2. & c.2. Stat.1. §.10. infamiam iuris, id est consequentem ex infami delicto, & in iure irrogante infamiam, vt hæresis, delicti nefandi, &c. Non possunt tollere Prælati regulares, & nequè Episcopi, sed ad solum Papam pertinet, benè tamen infamiam facti, scilicet procedentem ex graui aliquo peccato notorio, quo emendato tolli potest infamia, sicuti tolleretur

Quam infamiā tollere possint prælati.

leretur per ipsam vitæ emendationem per multos annos Rodr. *tom.1.q.24.art.6.* Miranda *tom.2. q 7. artic. 5. conclus.1.* Portel. *V. dispensare num. 6.* Suarez *de censuris, dis.48. sectio. 2. à num.5.* Nauar. *in Manuali cap.25. num. 75. & alibi.*

Non possũt dispẽsare in defectibus animæ et corporis. Neque possunt dispensare in defectibus corporis, vel animæ, vt si esset claudus, manchus, cæcus, amens, furiosus, lunaticus, dæmoniacus. Quia in plerisq; ipsorum, neque Summus Pontifex potest, cum repugnent ordinum exercitio, de iure naturæ; alia maximam deformitatem ostentent; & cum lunaticis præcipuè, si spumam emittant, & frendeant dentibus, vt patet ex titulo *de corpore vitiatis, vbi* Siluester *quæst.8. & alij* Summistæ, Couar. *in Clem. si furiosus, 1. par. §.2. num.7. & alij supra citati.*

Irregularitatis dispẽsabiles. * Obijcies ex Rod. *tom.1.q.24. art.6.* Sixtus 4. concessit Generalibus, & eorum Vicarijs facultatem ad dispensandum super quibuscumque Irregularitatibus, *excepto homicidio volunt. membrorum mutilatione, & Bigamia.* Ergo excipiendo has irregularitates, videtur concedere licentiam ad reliquas dispensandas. Respondet Rod. quod etsi præfatus Pontifex excipiat supradictas Irregularitates, non videtur tamen concedere quod possint dispensare in Irregularitate, quæ procedit ex enormi corporis vitio, sicut dictum est in Superioribus: Propter Scandalum quod generatur fidelibus per notorietatem dictæ enormitatis. Et cum de similibus idem sit iudicium, videtur quod etiam non concesserit auctoritatem ad dispensandum cum notorio iuridicè infamato: Et sic pro eis ad Papam est recurrendum, licet in Iure vbi sunt expresſæ, non sit talis reseruatio Papæ, vt *ar.3.* idem Rod. asserit de corporis defectibus.*

§. 6.

Ita tamen, quod si huiusmodi sententijs propter debita, sint adstricti, satisfaciant, vt tenentur)

Quæstio prima. Quid nomine debitorum hic veniat? Respondeo venire ea, quæ titulo iustitiæ debentur, & restitutioni obnoxia sunt, vt mutuata, ablata pignorata, hypothecata, donata, vendita commodata, &c. Quæuè ex offensione, contracta, negotiatione, emergunt; vt si quis domum incenderit, fructus contribuere teneatur, damnum emergens, vel lucrum cessans resarcire debeat: Vulnus inflixerit, mortem intulerit, &c. ex omni enim eo, quod alteri debetur, & ad cuius contemplationem excommunicatus, vel suspensus fuerit, intelligendus est adstrictus propter debita. *Debita quæ appellantur*

Si dicas, etiam qui alium iniurijs affecit, qui famam abstulit, qui libellum famosum composuit, est debitor restituendæ famę. Respondeo verum est, & propter hæc debita, posset etiam excommunicari. Item qui excommunicatur ob contumaciam, est debitor obedientiæ suo Prælato. Attamen hi debitores non veniunt in hoc priuilegio, quia debitum absolutè prolatum in constitutionibus Apostolicis intelligitur de pecunijs, iuxta allegatam legem. *Debitor intelligitur is, à quo inuito exigi pecunia potest. l. debitor, ff. de verb. significat.* Quam declarare oportet iuxta *l. pecuniæ. cod. tit. § hoc verbum,* vbi dicitur, *Hoc verbum, debitor, omnem omninò actionem comprehẽdere intelligitur, siue ciuili, siue honoraria,*

fiue fideicommiſſi fuerit perſecutio. Vnde verbum reſtituendi, quod debito conuenit, importat *Poſseſsorem facere, fructuſquè reddere*. Vt dicitur *l. plus eſt, & l. reſtituere, eod. tit.* Quo etiam adducitur ſignificatio vocis, Creditor, *l. Creditores, & l. Creditorum*, Immediatè ſequenti. Qui ſunt correlatiui debitoris. *Creditores* (inquit) *accipiendos eſse conſtat, quibus debetur ex quacumque actione vel perſecutione, vel iure ciuili, vel honorario, vel extraordinario; & creditorum appellatione, non hi tantum accipiuntur, qui pecuniam crediderunt, ſed omnes, quibus ex aliqua cauſa debetur*, & Panor. *in cap. Parochianos, n. 3.* Confutans Hoſtienſem, qui dixerat. Illud propriè dicitur debitum, quod nobis debetur ex contractu, ſecus ex quaſi contractu, vel ex maleficio, Ait. *Sed, dic, quod ex lato ſignificato quiſq; poteſt appellari creditor, qui ex aliqua actione petere poteſt*: & citat Bart. *in l. 1. ff. ſi certum petatur*. Vbi plenè tractat, quis propriè dicatur creditor.

Quæſtio ſecunda. An ad validitatem abſolutionis, neceſſe ſit ſatisfactionem realem, & actualem pręmitti? Reſpondeo primò, ſi commodè fieri poteſt, præmitti debet.

Reſpondeo ſecundo caſu, quo pęnitens non ſit potens ſoluendi, vel quia non habet in bonis, vel quia commodè non poteſt, ob diſtantiam, bonorum magnam iacturam, famæ periculum; tunc poteſt abſolui, præmiſſa pignorantia, vel fideiuſſoria, vel iuratoria cautione, vel ſi omninò ſit impotens, & per ingreſſum Religionis, nulla ei remanet nouæ acquiſitionis ſpes, abſolui poterit, ſine aliqua ex præmiſſis. Ita Sanchez *tom. 1. moral. lib. 2. c. 20. n. 19. apud quem* Gloſ. Imola, Card. Bonifacius, Antonin. Sulueſter, Tabiena, Nau. Molina, Emanuel, Enriq. *qui citantur à* P. Ludou. à Cruce *in bull. cruciatæ diſp. 1. c 4. dub. 2. num. 7.* apud quem Couar. Petrus, Sotus, Armilla, Vaſquez, Coninch. Filliuc. Villalob. Auila, Io. a Cruce, Sayrus, Reginaldus. Quibus addi poſſunt Lanorius, de *Iubileo par. 2. cap. 28. num. 42. & infra*, Hieron. Roder. *reſolut. 3. num. 36.* Peirinus *in formulario cap. 1.* Tambur. *tom. 2. diſp. 16. q. 8. fine.* Ratio eſt, quia non eſt credibile, velle Pontificem rem impoſſibilem, vel difficilem, quæ impoſſibili æquiualet; Nec pęnitens grauari debet ſupra ius diuinum, & naturale, quę impotentes excuſant. Et patet, mens Pontificis dum ait, *ſatisfaciant vt tenentur*; tenentur autem ſi commodè poſſunt: & ſi voluiſſet, abſolutionem non valere, appoſuiſſet verba annullatiua, vt fecit Clem. Octauus in bulla de largitione munerum Gregorius XIII. in bulla de datis, & promiſſis, Sixtus Quartus in extrauaganti, *& ſi dominici gregis*; & quolibet anno ſit in bulla cœnæ. *Poteſt abſolui ante ſatiſfactionē debiti ob cauſas legitimas*

Si dicas. Satisfactio eſt forma actus ligans omnes debitores. Reſpondeo quod talia verba Pontificis ſunt directio; & admonitio facta confeſſario ne erret. De iure enim naturæ fieri debet ſatisfactio; ſi commodè poteſt. Hoc, cum de iure inſit, non cenſetur noua forma, Couar. *c. alma mater, §. 11. & 57. num. fin.* & ponitur ad maiorem expreſſionem.

Si addas, limitatur facultas abſoluentis, vt non extendatur vltra caſum permiſſum. Reſpondeo non limitatur, ſed dirigitur, & monetur recordari iuris communis.

Si vrgeas, aliquid plus intelligi debet ex verbis appoſitis, *dummodo parti ſatiſfaciat*, quā ſi nō apponerentur: Sed ſi non eſſent appoſita in iure cōmuni, poſſet abſolui, præſtita cautione, vel iuramento, vel ſola promiſſione verbali: ergo ad extorquendam abſolutionem nō ſufficit hoc in caſu Papæ reſeruato. Reſpōdeo

illud

illud plus, est declaratio iuris communis, non noua obligatio. Vnde si omninò daretur absolutio non satisfacta parte, in casu, quo fieri posset, valeret absolutio talis excommunicationis, licet, & absoluens, & absolutus peccarent, vt notat Idem P. à Cruce *n.2. ex* Siluestro *absol.3.* §.3.*&* 6.Caiet. *eod.tit.c.4.* Nau.*in manual.c.27.n.37.*Cou.*c.alma mater.*§.11.*n.7.*

Pars, cui satisfaciendũ sit, quæ est. Quęstio tertia. Quid nomine partis intelligatur? Respondeo illum, qui minus in bonis suis habet; quam habebat, cuiquè ex iustitia fieri debet restitutio. Non vero Iudicem, Notarium, qui acta descripsit: Physicum, qui medicinas adhibuit, Episcopum, cui facta est contumacia. Lauorius *supra n.46. qui citat* Sotum *in 4. d.22.q.2.art.3.* Lud.à Cruce *citatus, fine. qui citat.* Guittierez *in quæstion. canon. c.5.num.29.*Ledesmam *2.p.q.26.ar.1.*Cordubam *de Indulg.q.93.dub.3.* Rodrig. *in bullam cruciatæ* §. *9. num.* 33. Ratio est, quia excommunicatio lata est in fauorem eius, cui de iustitia aliquid debetur: Attamen si pars offensa, vel vulnerata, &c. Expensas fecerit, ad redimendam suam vexationem, recuperandam sanitatem, &c. Tunc arbitror ad omnia teneri, quia hoc casu est eius debitor de omnibus.

Quęstio quarta. Si excommunicatus, vel suspensus esset, eo quod aliquem iniurijs affecisset, & iussus famam restituere, renitens permaneret, posset ne absolui? Respondeo, si potest commodè, id est, sine suo maiori damno, & periculo, restituere, tunc non esset absoluẽdus; si satisfacere renuerit: quia licet dixerimus, hoc non venire nomine debitorum, tamen ex qualitate materię, incapax est absolutionis, cum permaneat in actuali contumacia, & peccato mortali, ob quod fuit excomunicatus; nec ad habitum admittendus est, talis contumacis iniustitiæ vir.

§. 7.

Mox, quid importat. Volumus nihilominus, &c.) Quæstio prima. Quantum temporis importat illud, *Nisi mox, postquam absoluti fuerint, ordinem intrauerint, &c. Relabantur?*

Respondeo, est quæstio grammaticalis. Ex qua duos, ad rem nostram, dictio, *Mox*, pati potest sensus; primus est, *Statim* Secundus est, *paulò post*, vt videre est apud Calepinum cum suis exemplis. Certum enim est, significare modicum interuallum, non quidem determinatum, sed determinandum iudicio boni viri, Vt plena manu probat Barbosa *dict.*203.& secundum subiectam materiam. Aliqui illud accipiunt, pro quam primum fieri potest. Aliquando pro spacio decem dierum, Aliquando pro triduo, Aliquando pro duobus mensibus, Aliquando pro anno sequenti, & etiam pro triennio. Mitto citationes legum, & Doctorum quia videri possunt apud eundem Barbosam, & Ioann. Caluinum *in lexico Iuridico*. Mihi arridet spacium trium, vel decem dierum (nam de annis est contra mentem Pontificis) iuxta materiam, & occasiones, quæ contingere poterunt. Puta si futurus nouitius, post acceptam absolutionem, vellet satisfactionem facere, pœnitentiam, & ieiunia adimplere domui suæ disponere inimicitias aliquas componere; si infirmaretur, si habitus, & indumenta interim parentur, & è longinquo accerseantur. Totum tandem relinquitur prudenti Seperioris iudicio.

Quæstio secunda. Si iam paratis omnibus, acceptaq; absolutione, futurum nouitium

uitium pœniteat propositi, perseueretque aliquod tempus in retractatione actus, puta per horam, vel diem, poterit ne postea habitum recipere sine noua absolutione? Videtur enim negandum, quia supponimus elapsum tempus, in il. lo, *mox*, inclusum. Attamē Respondeo non indigere noua absolutione, quia pœnitum, pro nihilo reputatur, & non intrare ordinem, includit actum aliquem exteriorem, quo talis retractatio significetur Prælato, Opponitur enim voluntati recipiendi habitum, quæ publicata fuit, & notoria recipienti, secundum quam postea fuit absolutus, ergo debet esse actus oppositus, & notorius. Qui si adsit, currit dispositio annullatiua absolutionis.

Quid si propositi Nonitiū mox futurum pœniteat, an data absolutio valeat.

Quæstio tertia. Quid sibi, velint illa verba, *Etiamsi ad hoc induciæ à Prælatis eiusdem ordinis concederentur.*

Respondeo induciæ sunt pax Castrensis, seu belli feriæ paucorum dierum, secundum *Varronem apud Gellium lib. 1. cap. 25.* Licet ab eodem reprehensum, eò quod etiam horarum induciæ esse possint, cuiusmodi C. Pontius Samnites à Dictatore Romano sex horarum inducias poposcit. Quod attinet ad forum. Io. Bellonus *in etym.* distinguit inducias in restitutorias, præparatorias, citatorias, deliberatorias, & executorias. Restitutoriæ sunt ad arbitrium Iudicis; citatoriæ sunt vnius, vel duorum vel trium mensium. Quę ad verbum rescripsit ex *Glos. in Summ. c. quanto tempore. 3. q. 2.* Equidem de inducijs habemus *3. q. 3. per quinq. capitula*, vbi *c. vltimo fusè* Gratianus. *& in c. 1. de plus petit. & c. 1. Vt lite non contestata. & c. 2. de dilationibus.* Ac etiam in legibus ciuilibus. Proprius ad rem nostram accedit vsurpatio induciarum, pro qualibet dilatione: hinc induciæ quadrimestres *in l. 3. C. de Vsuris rei iudicatæ*, ijs verbis. *Saucimus, si quis condemnatus fuerit post datas à nobis quadrimestres inducias, &c.* Vnde in *li. 4. dial. S. Greg. c. 38.* Leguntur voces morientis Crisaorij *Inducias, vel vsq. mane.* Dico igitur, inducias hoc loco sumi pro dilatione, quam daret Prælatus venienti ad habitū, post factas informationes, vel tractatum, & conclusionem de ipso recipiendo, puta si concederet mēses duos, vel quatuor sine causa ordinata ad susceptionem actualem habitus, sed pro negotijs ad hoc impertinentibus, vel mera voluntate, &c. In quo casu contineri censeo, si quis acceptaretur initio veris, & timens calores, & habitus mutationem, expectare vellet vsq; ad autumnum. Vel peteret redire ad patriam, & ibi aliquot menses, vel mensem morari ad suorum solatium; &c. Collatum enim illud, *Mox*, cum *Inducijs*, videtur elici sensus quidam moralis, vt proximè accingendus ad habitus receptionem, habeatur pro accincto; nec impertinenti dilatione, negotium differatur ingressus. Quia in re boni viri est prudens consilium attendendum, Conferendo habitum Religiosi propositum cum verbis Domini *Luc. 9. sine mortuos sepelire mortuos suos*, Ei qui dixerat, *Domine permitte mihi primùm ire, & sepelire patrem meum.* Quo loco Ambrosius, *docet* (inquit) *humana posthabenda diuinis, prius sunt obeunda, quæ maxima*, Et Chrysostomus. *Diabolus per modicam negligentiam plurimum obest.* Et cum alio, qui eodem tempore dixerat, *sequar te Domine, sed permitte mihi primùm renunciare, his qui domi sunt.* Cui Dominus non consensit, Exemplo aratoris apposito, *Nemo mittens manum ad aratrum, &c.* Super quo Cyrillus. *Qui habet affectum sequendi, tamen respicit retrò, qui dilationem petit, occasione redeundi domum, & cum propinquis conferendi.* Sed hæc satis.

Induciæ quid sint, & quotuplices

Quæstio quarta. An verè relabantur in censuras, si non intrauerint, &c. Re-

spondeo primò affirmatiuè secundum hoc priuilegium.

Absolutus, & postea nō suscipiēs habitum nō relabitur.

Respondeo secundò. Ex priuilegio tamen Clem. VII. concesso Prædicatoribus, & Pauli III. Iesuitis, in quibus hæc clausula non apponitur, non reincidūt & sufficit voluisse intrare. Et refert Hieronym. Roder. *resol. 3. n. 12. citans* Io. Cruc. *in Epitom. lib. 1. c. 6. dub. 16. con. 4.* Villal. *tom. 1. tract. 16. diff. 19. num. 4.*

Respondeo tertiò. In priuilegio Clem. IV. non est necesse profiteri, sed sufficit suscipere habitum. Ait enim *Ordinem vestrum intrauerint,* Non autem professi sint. Ergo ita intelligi debent; licet in Statutis Iulij II. c. 2. particula prima referatur ex Bonifacio VIII. hoc idem priuilegium, cum additione, seu declaratione. *Quod si absoluti non intrarent, vel ordinem (redeundo ad sęculum) deseruerint in prædictas sententias relabantur.* Attamen cum in hoc priuilegio, relato in Statutis Salmaticensibus hęc particula non reperiatur, & sit declaratio addita in capitulo, licet de scientia Iulij II. non inducit nouam legem, cum illa Statuta abrogata sint.

STATVTVM XV.

De tempore, & loco, à quo item habitum susceperit, de patria, ætate, nomine, cognomine, in libro ad hoc parato, in archiuioquè Conuentus asseruando, cum suscriptione Nouitij, Superioris, et antiquioris discreti memoria fiat.

STATVTVM XVI.

Quorum omnium certior reddatur Minister, qui in Prouinciali archiuio, libris authenticis, exaratum huiusmodi redigat testimonium.

Nouitij nomen, cognomen, patria, & c. describantur.

Ita Sixtus V. constitutione *Cum de omnibus*, §. 5. *Nec non Religiosi sic recepti nomen, & cognomen, quibus in sæculo vtebantur, & patria in actis ipsius capituli describantur, & notentur*. Clem. item VIII. in institutione Nouitiorum, loquens de emissa professione ait, *Superior cuiuslibet conuentus, in quo Nouitiatus fuerit constitutus, particularem librum habeat, in quo vniscuisq; Nouitij professio registretur, illamquè Nouitius professus propria manu, & duo testes, qui præsentes fuerint, subscribant. Conuersus verò, vel litterarum ignarus, professus, in eorumdem testium, qui se subscripserint præsentia, propria manu signum crucis apponat; asseruetur què liber, & custodiatur in Archiuio, vbi scripturæ, ad monasterium pertinentes reponi consueuerunt.* Et est iuris communis, *c. Vidua 20. q. 3.* Vbi ad literam hęc præcipiuntur. Alex. *de Neuo in c. rursus, n. 14. & ibi* Præpos. *num. 8. Qui clerici vel vouentes.* Zerad. *direct. Theol. p. 2. c. 26. n. 14.* Panorm. Armill. Siluest. & alij citati à Barth.

à Barth. *de Vecch. in praxi obser. & c. Disp. 31. dub. 2. n. 3.* Sanchez *de opere moral. lib. 5. cap. 3. n. 3. apud quem* Tabiena, & Rosella.

De antiquitate autem huius statuti, constat, sancitũ fuisse in statutis Salmant. c. 2. his verbis. *Fratrum autem professiones, & ętas profitentium, iuridicè, & manu profitentis conscribantur, & in arca Conuentus concludantur.* Idq; anno 1544. *Et quare.*

Finis verò, vt publica fide, priuataq; suscriptione, ac consignatione res gesta facilius per scripta constet, & probetur, vt dicit Vulpianus *l. 1. §. editiones, ff. de eden.* Scriptura enim alterius animæ cogitata declarat, nobisquè tanquam cum præsente absens alloquitur, vt dicit Connanus *commun. de Iur. ciuili lib. 3. c. 6. n. 6.* Vt inquam publico, authenticoq; testimonio constet, professum Religioni esse obnoxium, & Religionem professo; ne vllo vnquam tempore possint ab hac solemni conuentione resilire. Quod præcepit S. *Benedictus in regula, cap. 58. Suscipiendus autem, in Oratorio coram omnibus promittat de stabilitate sua, & conuersione morum, & obedientia coram Deo, & Sanctis eius; vt si aliquando aliter fecerit, ab eo se damnandum sciat, quem irridet: de qua promissione faciat petitionem, & manu sua scribat aut scribere faciat.*

STATVTVM XVII.

Ne Religio grauetur, singulis quatuor quibusquè mensibus, Nouitij Fratribus capitulariter congregatis proponantur.

STATVTVM XVIII.

Qui prima, et secũda vice, quid singuli de Nouitijs, sentiant, palam pronuncient; tertia verò secretò, hoc est per scrutinium, seu ballottationem suffragia ferant.

Religioni, ac nouitio proficuum est, vt sępius de eius conuersatione in anno probationis exquiratur. Ne scilicet infructuosa planta ordinis campum diu occupet, nèuè in terra Sanctorum nocuam protrahat mansionem. Hinc Sanct. Benedictus *in c. 58. Regulæ*, quater in anno probationis Nouitij propositũ pręcipit expediri in principio scilicet, post duos mẽses, post sex, & post reliquos quatuor *Nouitius suffragijs ter exponendus & quare.*

Duplex autem est finis huius propositionis: vnus, ne religio grauetur expellendis tandem Nouitijs: Alter, vt ijdemmet Nouitij triplicatæ disquisitionis metu, cautius in probatione procedant.

Congregari verò Fratres capitulariter ad acceptandos, vel reprobandos ad professione Nouitios, actionis forma est, qua deficiente, annullatur: Quia licet de iure communi receptio Nouitiorum ad professionem, ad Superiorem localem spectet cum consilio conuentus, in quo fuerit annus Nouitiatus exactus: non tamen cum consensu, vt dicunt. Panorm. *in c. ad Apostolicam de regul. numer. 11.* Felin. *in c. quoniam. de Simonia, n. 3.* Siluest. *V. religio. 3. quæst. 13. & 18.* *Suffragatores in admissione Nouitiorũ congregari debent.*

Tab.*eod.num.*8 Nauarr.*com.*3.*de regul.nu.*5. Angelus *V.porefessiu.num.*1. Rosella *V.Nouitius.num.*20. Azor.*lib.* 12. *cap.* 5. *quæst.*3. Passarel. *in scholijs ex Barcinonensi,num.*12.Vega 2.*part.summ.cap.*50. *casu* 4.*notab.*1. *quos citat*, *& sequitur* Peirinus *de subdito quæst.*1. *cap.*24. §.2.*dicto* 4. Miranda *in expositione regulæ cap.*47. *difficultat.*2. *apud quem* Nauarr. *lib.*3.*consil. consil.* 76. *num.* 2. Rodr. *in summ.*2.*part.cap.*8.*con.*7.*licet.*Rodr.*tom.*3. 99. *regul.quæst.*17. *art.*70. *citans.* Glosam *in cap.fin.de regul.in* 6. Lapum, Philippum, Monacum, dicat contrarium; nimirum hoc munus spectare ad Abbatem, qui exquirere, & sequi tenetur consilium Conuentus, tanquam collegæ, aliàs professio erit nulla, idquè de iure communi. Cuius sententiæ fuerunt Ancharanus, Spin.Lorich. Cessius, Menochius, Miranda *in manuali tom.*1.*quæst.*24.*art.*4. Sanchez, Barthol.de Vecchis citati à Barbosa *in cap.si ad solum.de regul.in* 6.*n.* 4. *vbi num.*6. *cum.* Glos. *citata* à Rodr.ait, Creationem Monachorum spectare de iure communi ad Abbatem & Conuentum.

Non apparet quomodo ad conuẽtũ receptio ad professionem spectet.

Attamen, vt ingenuè fatear, non apparet in iure, quomodo ad Conuentum receptio ad professionem spectet. *Nam in c.ad Apostolicam* : *de regul.* contrarium, dicit, ibi *& professionem emittit. Abbate per se, vel per alium professionem recipientem monasticã, & monachalẽ habitum concedente.* Et infra *Prohibendũ est Abbatibus, ne passim ante tempus probationis quoslibet ad professionem recipiant*, *&c.* Solis igitur Abbatibus ad professionem recipiendi facultas datur. *In cap. autem fin.de regul.in* 6.dicitur. *Si ad solum Abbatem pertineat creatio Monachorum, eo defuncto, nequibit nonus Monachus à Conuentu creari: aliàs poterit*; *si eorum creatio spectat simul ad vtrumquè* Vbi licet possit de consuetudine ad vtrũquè spectare, non prohibetur tamen quin etiam ad solum Abbatem spectare possit. De iure igitur nihil haberi potest pro includendo conuentu, cessante cõsuetudine, vel statuto. Sed videtur repugnare *cap.quoniã. de simonia.* Vbi dicitur *Quoniam simoniaca labes adeò plerasquè moniales infecit, vt vix aliquas sine precio recipiant in sorores.* Super quo notat Felinus verbum, *Moniales* Verum, si verbum *Moniales*, probat receptionem ad ipsas spectare, excluderetur Abbatissa, de qua non fit mentio: quod si includitur, corrigendum est, ex alijs iuribus, in quibus ad Abbates receptio huiusmodi demandatur. Fertur enim lex ad omnes recipientes; quę cum plures sint Abbatissæ in diuersis monasterijs, mirum non est, si moniales appellentur; quod videtur declarari ex sequentibus. *Tam recipientes, quàm recepta, siue sit subdita, siue prælata.* Vbi prælata se tenet ex parte recipientium; sed recepta, quæcumquè illa sit, expellatur, &c. Et dato, quod moniales professas creent, & moniales faciant, id tamen limitandum est vbi fuerit consuetudo ex supradictis, vel statutum, &c.

Habitus in iure multoties significat professionem.

Qua in re obiter noto *concedere habitum, vel recipere ad habitũ*, multoties in iure significare professionem, quia habitus propriè est professorũ, & regulariter distinguitur ab habitu Nouitiorum, qui verè habitus regularis appellari nõ potest, cum deseri possit, & sit contradistinctus ab habitu. Nouitiorum, præcipuè in Religione Seraphica. Faciunt iura *cap.meminimus.* Ibi *habitu suscepto professionem fecit.* Et infra, *si nec habitum suscepit, nec professionem, sed votum solummodo fecit, &c.* Consuluit, ibi *mutauit habitum, &c. Nec super altare professa est.* Et cap. veniens, ibi *Non tamen locum, aut vestem mutauit. cap. qui clerici, vel vouentes.* Vt pateat, quam extra scientiam canonicam censuerint quidam

dum

dum consulti de quodam dubio incorporationis, senserunt Nouitios præcedere debere illos professos, qui ex aliena Prouincia incorporantur, decepti ex verbis statutorum reformatorum regularis obseruantiæ, capitulo secundo, fine, dicentium, *Incorporato precedere solo, quelli che saran' vestiti dopò la sua incorporatione*. Accipientes, *Vestiti*, Pro materiali indumento, non distinguentes de vestitu Nouitiorum, & professorum, prout necessario distinguendum erat; quia non fit comparatio inter Nouitios, & professos, sed inter professos existentes tempore suæ incorporationis, & post ipsam venturos. Et sic contra euidentem partis iustitiam consulerunt, quod non fecissent, si ad secundum caput Regulæ respexissent, vbi clarissimè vterque habitus distinguitur. *Et illi qui iā promiserunt obedientiam*(inquit textus)*habeant vnam tunicā, &c.* determināte regula habitum, post professionem, cum nouitijs alium concessisset. *Vt more antiquiorum Religiosorum*(inquit Sanctus Bonauentura)*distinguatur habitus Nouitiorum, ab habitu professorum.*

Sed quidquid de iure communi, certum est, professionem esse nullam, quę fuerit emissa sine receptione votorum conuentus, in quo Nouitius moratus sit. Fundatur non solum *in cap. Nouit. & capitulo quanto. de his quæ fiunt à Prælato sine consensus Capituli*. In quibus Alexander Tertius annullat institutiones, & destitutiones, & alia Ecclesię negotia facta à Prælato sine Consilio Fratrum. Quod Consilium ne dum exquirendum, sed & sequendum dicit Rodriguez citatus, quia est tanquam à collegis: Sed maximè in Statuto Ordinis, & consuetudine. Statutum enim totam receptionem ad professionem remittit scrutinio secreto, & votis capituli conuentualis, cuius maiori, vel minori suffragio, Nouitiorum professio, vel eiectio committitur. Nęc est in hac partę petere consiliū, quia cum dentur secreta suffragia, cessat ratio consilij. Siquidem consilium dictum est à consulendo, vel quod in vnam sententiam plurium mentes consiliant, & tandem expensis rationibus conueniant ad statuendum id quod rectum est, vt ex *Spiegelio, & Prattæio affirmant Ioan. Calninus in lexico*. Et licet suffragium etiam importet vocem, qua vnusquisque suam declarat voluntatem, de aliquo ad Magistratum eligendo, vt ait Pomponius *in l. 2. §. eiusdem temporibus, ff. de orig. iuris*; Tamen ad vitandas contentiones, scripto dari consueuit: vnde lex tabellaria lata à Gabinio, & Cassia, & Carbonia, à Lucio Cassio, & à Carbone confirmata, vt alibi dictum est. Et vt omnis dubitandi adimiretur occasio, additum fuit in statuto. *Ferantur tacita suffragia, vt singuli Fratres nullo affectu, vel respectu impediti libere, &c.* Quare cum hæc sit forma intrinseca actus, sine illa, nequit subsistere.

Receptio ad professionem spectat ad capitulū localem.

Consilium quid importet.

Suffragium quid importet.

Quæres qui sunt legitimi vocales ad suffragandum pro Nouitij professione? Respondeo omnes, & soli Fratres professi, qui de familia commorantur in conuentu vbi Nouitius, vel totum annum, vel pro maiori parte illius Nouitiatum fecerit. Ita ad verbum statutum inferius citandum. Ex quo infertur, quod hospites, vel qui de familia non sunt in conuentu Nouitiatus, non habent votum in Capitulo conuentuali pro acceptando nouitio ad professionem. Ratio est, quia non sunt de corpore capituli. Et fundatur in iure *cap. Nouit. de his, quæ fiunt à Prælato sine consensu capituli*, ibi, *Non decet te omissis membris, aliorum consilio in Ecclesia tua negotijs vti*. Ijs enim tantummodo de iure conceditur de acceptatio ad professionem.

Legitimi suffragatores ad acceptādum ad professionem.

Colligitur ſecundò, non ſufficere quodcumquè tempus, moræ protractæ in illo conuentu, ſed requiritur, vt annum, vel maiorem anni partem, ibidem fuerit de familia commoratus, puta aliquem diem, vel horam vltra ſex menſes, qui legitimè ſuffragari voluerit. Ratio eſt, quia in minori tempore non cenſetur Frater habere perfectam notitiam de conuerſatione, & moribus nouitiorũ. Si quæ tamen non eſſet conſuetudo in cõtrarium, ſuffragandi nimirum pro minori tẽpore, vt fiebat in electione diſcretorum localium, in qua ſufficiebat commoratũ antea fuiſſe per menſem de familia in illo conuentu. Licet hoc, breue tempus mortaliter cenſeatur, ad coniectandam naturam, & mores, nouitij, cum cor hominum prauum, & inſcrutabile ſit. Sed hac conſideratione omiſſa, ſi alicubi rationabilis conſuetudo fuerit in contrarium, illi ſtandum cenſeo.

Suffragaturi ad profeſſionem, debent eſſe de familia conuẽtus pro maiori parte nouitiatus.

Si obijcias; ſequi ex his quod neq; Prouincialis, & Generalis, tranſeuntes per conuentum nouitiatus, poterunt ferre ſuffragium, &c. Quia nec ſunt de familia, nec conuixerunt nouitijs, nec illorũ mores agnoſcunt? Reſpondeo ius acceptãdi nouitios ad profeſſionem, non competit Prælatis maioribus, ex collocatione vel mora tracta in conuentu nouitiatus, vel ex notitia practica, quam habeant de nouitijs, ſicuti competit capitulo locali, ſed ex ratione officiorum, quę habẽt, vnde in 2. *cap. Regulæ* dicitur, *Mittant eos ad Miniſtros prouinciales, quibus ſolummodo, & non alijs recipiendi Fratres licentia concedatur*. Et de Generali à maioritate rationis, declarat *Nicol. III. in cap. exijt. de verb. ſignif. in 6. §. ſed quoniam,* dicens, *Præſenti ſtatuto firmamus, licere non ſolum Generali, ſed etiã Prouincialibus Miniſtris perſonas fugientes à ſæculo in Fratres recipere*. Eminentiori enim modo reſidet in căpite, quod membris reperitur eſſe conceſſum. Aduerto tamen peccare Generalem, vel Prouincialem, ſi collato ſuffragio acceptet ad profeſſionẽ, cuius conuerſationem non eſt expertus, vel ex aliorum relatu nõ didicit. Quippe acceptat in Fratrem, quem neſcit, & ideo conſultum eſt à ſacris canonibus, & ſtatutis ordinis, vt id faciat, ex conſilio, & aſſenſu Fratrum Portel. *in add. ad dub. V. Nouitia*. Peir. *tom. 2. q. 3. art. 1. §. 3. n. 116.*

Quid ſi Prouincialis, vel Generalis adfuerint.

Colligitur tertiò, Fratres collocatos de familia in conuentu nouitiatus, qui licet maiori anni parte ibidem collocationem habuerint, minimè tamen in conuentu reſederint, vel notabiliter abſfuerint, non poſſe tuta conſcientia ſuffragari, vel refragari ad nouitiorum profeſsionem. Ratio eſt, quia ignorantes nouitiorum conuerſationem, ad delectionem deſcendunt, contra naturale principium, quod electio cognitionem ſupponit. Cum tali autem culpa acceptatio valet, quia multa facta tenent, quæ fieri prohibentur. Licet non negauerim, poſſe vnum ex capitulo, qui vel diem commoratus fuerit in cõuentu, negare votum nouitio, ſi in illo breui tẽpore, aliquam malam actionem à nouitio fieri cognoſceret, quia malum ex ſingulis defectibus emergit, bonũ autem ex integra cauſa.

STATVTVM XIX.

Textus

Et ſi prima vice, tres ex quatuor, ſecunda verò duas ex tribus non tulerint, abſquè recurſu, & mora, religionis habitu priuentur.

Quæres

Queres cum in electione canonica Prælatorum,in qua cura animarum committitur,qua maius in Ecclesia Dei non reperitur, sufficiat, quilibet excessus supra medietatem suffragiorum.*c.quia propter de elect.Clem.exivi.de paradiso.§.& siquidem.de verb.signif.*& alibi,communiter;Cur in hac suffragatione ad professionem nouitiorum tanta varietas;& absonantia reperiatur a iure.

Respondeo primò,etiam in iure eligendi forma diuersificatur, vt in *cap. licet de electione*. Vbi electionem Summi Pontificis a duabus saltem partibus fieri mandatus,idquè factum est,quia agitur de re grauissima,ideo.

Respondeo secundò,cum receptio ad professionem sit conseruatio Religionis, & cum adolescentium educatio sit fundamentum totius Reipublicæ, vt ex Diotogene scripsit Lezana *de reformat.regul.cap.* 18. *n.*1. ac veluti cibus, qui stomaco ingeritur ad sustentationem vitę, pendeatquè salus, vel infirmitas corporis ex qualitate ciborum, qui ingesti difficilè egeruntur; & concocti non nisi maximis, violentisquè remedijs corriguntur; hinc fit, vt inter omnia Religionis negotia,oculatissima esse debeat receptio ad professionem;vnde salus,& morbus in tam vasto corpore oriuntur. Ac propterea maiorem suffragiorum excessum ordo desiderat,quam in Superiorum electione requirat.

Nouitiorū bona receptio, quam considerabilis.

Respondeo tertiò maiorem excessum in primis quatuor mensibus requiri, suadet nouitas spiritus,qui in principio feruens esse supponitur, cum experientia teste,tractu temporis paulatim consuetudine, vel familiaritate flaccescat, vt dixit Sanctus Dorotheus doctrina quinta. *A principio feruentissimus ad ieiunia, ad vigilias, ad quietem, ad obedientiam, & quęcumquè cætera bona; paulo post extincto feruore desiccatur, & cadit.* igitur in principio nouitiatus maiori suffragiorum numero commendari debent,secus,vtpotè sterilem spiritus prouentum promittentes in posterum,fructuosius eijciuntur, quam cum onere, & nouitiorum,& ordinis retineantur. Et licet ex Ægypto fugientibus aliqua imperfectio condonanda sit,maximè,cū Religionē suscipiant,vt in illa,tāquā in schola,perfectionem addiscant,& irrationabile sit,velle à discipulo in principio exigere quæ in fine vix præstare potest;hoc tamen magistris nouitiorum imponitur,vt scilicet fugientem à sæculo *cum charitate suscipiant, & blandis per omnia consolationibus refoueant*, vt inquit S.Bonauentura *lib.*1.*pharetr.cap.*29. *& militem recenter positum in monasterio spirituali reficiant exhortationis pabulo, & salutari recreent poculo.antequam mentis patiatur ariditatem,et immundorum spirituum patiatur insultus*, vt scripsit S. Laur. Iustin. *de disciplina monast.cap.* 8. Attamen postquam adhibita magistri disciplina prudenti, per quatuor, vel octo menses, vel leues, vel singulares, vel malis moribus imbuti reperientur, eijciendi sunt,sublata spe proficiendi. *Si quidem in ijs, qui istius modi sunt* (inquit Sanctus Basilius *in regul.fusè disp.int* 10. *apud* Lezanam citatum *num.*17.) *Magnopere suspecta haberi debet inconstantia, qui præter id, quod nullam ipsi vtilitatem inueniunt,cæteris etiam sunt detrimento;quod institutum nostrum falsis probris, & nequissimis maledictis magnopere infament.* Et S. Bernardinus Senensis *ser.* 24.apud eundem. *Non sicut quidam,qui inconsideratè recipiunt omnes, quorum fructus est,infamia,&c.*Et infra *Experientia teste,quidam ad religionem venientes in principio videntur agni, et modico elapso tempore reperiuntur lupi.* Ac tandem S.Bonauentura *in speculo ad Nouitios.par.* 2. *cap.* 5. inquit.*si quis sufficienter expectatus,et monitus mores corrigere, ac religionis formam induere negligit, præser-*

Spiritus in principio nouitiatus feruentior.

Nouitiorū magister debet blādè fouere, spiritū illorum.

 tim si

tim si rebellis, et contentiosus fuerit, non est proficientium numero aggregandus. Et parum antea dixerat *Sæculari dumtaxat deposito habitu, non affectu, quoniam adhuc in moribus, in verbis in gestibus, & propriarum pertinacia voluntatum sæculo fidem seruant, vt monstro mirabilius, sub religiosa veste hominem vides sæcularem*, & quia vt idem totum capitulum concludit, *Peruersus, & insolens, non nisi in onus religionis, et dissolutionem admittitur*, melius est talem à principio ab arca relig. emittere, quam diutius in vtriusq; perniciem retinere.

STATVTVM XX.

Tertia verò vice, si suffragiorum tertia pars Nouitio defuerit, ad professionem non admittatur, sed illius receptio suspecta sit, & tamdiù differatur, quod Prouincialis desuper admonitus, quid pro sua pietate sentiat agendum suffragiorum qualitate pensata, prout iura disponunt, declarauerit.

Prima difficultas, An numerus iste suffragiorum sit essentialiter necessarius ad professionem, itaut aliter facta sit nulla, vel annullanda?

Ad professionē sufficit habuisse maiorē partem suffragiorum.

Respondeo negatiuè, quia de necessitate sufficit habuisse maiorem partem suffragiorum, vt fit in electionibus, quia ipsamet statuta post hæc verba addunt *quod si maior pars illi suffragata nō fuerit, siue alia dilatione expellatur*. Et Prouinciali remittunt Iudicium, vel admittendi, vel reijciendi talem Nouitium; ergo non est absolutè necessarium, quod duas, ex tribus suffragiorum partibus obtineat. Adde quod non annullatur professio, cui tertia pars suffragata non fuerit, sed *suspectam haberi* decernitur vsquequò Prouincialis Iudicium accesserit. Equidem sufficere maiorem partem capituli, senserunt multi Glos. *in cap. porrectum*. 13. *de regular. V. non faciat*. Ant. Cuch. *lib. 3. instit. titul. 1. num. 65*. Nau. *de consl. cons. 9. à num. 19. et Comm. 3. de regul. num. 5*. Spin. *in speculo testament*. Glos. 12. *num. 2. 3*. Azor. *lib. 12. cap. 20. quæst. vlt*. Menoch. *lib. 3. præsump. 83. num. 9*. Less. *de iust. lib. 2. cap. 41. dub. 7. numero 61*. Sanchez *lib. 5. cap. 4. numero 66*. Rodrig. *tom. 3. quæst. 17. art. 7*. Vbi communem omnium Religionum obseruantiam esse dicit, Cum communi, & non annullare professionem emissam, vbi non sit clausula irritans, etiam Sede Apostolica confirmata, tenent Mirand. *tom. 1. q. 24. artic. 2. con. 2*. Peirin. *de subdito. cap. 16. §. 5*. Sanch. *supra n. 4*. Bar. *alleg. 101. n. 15. Sà V. Religio n. 65*.

Secunda difficultas, An Prouincialis possit ad libitum nouitium cui suffragata sit maior pars conuentus, non tamen vltra tertiam suffragiorum obtinuerit, eijcere?

Respondeo negatiuè, quia dicitur. *Pensata suffragiorum qualitate, prout iura disponunt*. Iura autem disponunt valere resolutiones capituli, si fiant à maiori parte vocalium, *cap. cum in cunctis. cap. ex parte de his quæ fiunt à maiori parte*

capi-

capituli. In quibus obtinet firmitatem sententia plurimorum. Et prævalet semper, summquè sortitur effectum, quod à maiori, & saniori parte capituli fuerit constitutum. Nec à iure communi discendendum est, sine euidenti ratione. Hieronym. Rodriguez *resolut.* 101. *numer.* 59. *versus finem.* Nec vanum euadit statutum, decernens, duas partes vocalium accedere debere professuro, si maior pars sufficiat, quia primum respicit capitulum, secundum Superiorem, cui talis professionis iudicium demandatur, quiquè maiori capituli parte accedens, illam efficit firmiorem. *De prudentia enim Ministri amplius præsumitur, quod arte sciat piscatoria bonos in vasa sua eligere, malis, & non idoneis foras missis*, inquit S. Bonauentura *in cap. 2. regulæ.* Præterquam quod Nouitij cautiores hac ordinatione redduntur.

Sed quid, si Prouincialis in negatiuam partem inclinet, poterit ne Nouitius, apud Superiorem instare pro professione? Et an Prouincialis peccet, illum excludendo.

Respondeo quoad primum negatiuè, quia non habet ius in professione, nequè ad professionem, nisi iuxta ordinis statuta, quæ non innouare, sed obseruare venit, ac tenetur. Et aliud est loqui de æquitate, aliud de iustitia; poterit quidē rogare Generalem, non tamen cogere, si noluerit. Vnde ad secundum, dico, Prouincialem non peccare, si pēsata suffragiorum qualitate nouitium excludat, quia iure suo vtitur, nec cogendus est, ad inclinandum ad fauorem professionis, cum hoc in statutis, vel in iure non sit cautum. Si autem talem suffragiorum pensationem omittat, omninò peccare, siue affirmet, siue neget, quia sine ratione ad vtramlibet partem inclinat. Vniuersaliter autem, nisi euidenti ratione in oppositum trahatur, debet in professionem propendere, quia nouitius in hac re habetur tanquam reus, & propterea in eius fauorem inclinare debet, cum *iura promptiora sint ad absoluendum, quam ad condemnandum, & reo fauendum sit potius quam actori.*

Nouitius tamen instare non poterit, vt admittatur, sed rogare.

Sed hic oritur tertia difficultas, cum statutum dicat, *Prima, & secunda vice, quid vocales de Nouitio sentiant, palam pronuncient, tertia verò secretè.* Qui fieri poterit, vt in hac tertia vice Prouincialis suffragiorum sibi ignotorum qualitatem consideret?

Respondeo primò, priores discussiones publicè fieri, vt omnibus innotescat nouitij qualitas, quam omnes melius noscunt, quàm singuli, & alius alium consulando illuminat, dum particulares Nouitij inclinationes ponderat, & recenset. Respondeo secundò, hinc oritur vt possit apud aliquos innotescere, qui nouitio suffragatus fuerit, quicq. ille sit, cuiusquè zeli, & qualitatis existat. Vel poterit Prouincialis, per se, vel per alium singulos Fratres secretò interrogare, de moribus Nouitij, & ex illorum relatione decernere. Ideo subiungit Statutum.

STATVTVM XXI.

Si autem laudabile testimonium suæ conuersationis habuerit, & vltra duas ex tribus partibus suffragiorum tulerit, scrutinio secreto, tunc de Generalis, vel Pro-

vel Prouincialis ſcripta licentia, ad profeſſionem admitti poteſt.

Quæritur primò. An valeat profeſſio facta in manibus Guardiani nouitiatus, poſt debitam ſuffragiorum acceſſionem, inconſultis Generali, vel prouinciali?

Profeſſio facta ſine licẽtia Generalis, vel Prouincialis nõ valet.

Reſpondeo negatiuè. Quia ex *regula c.2.* generalibus, & Prouincialibus, priuatiuè quoad alios, recipiendi Fratre licentia conceſſa eſt. Vnde Iulius II. *in conſtitut. Papalibus c.2.par.1.* citans Nicolaum III. *c.exijt qui ſeminat*, Ait. *Nec quacumque authoritate minor Prælatus, coram maiore etiam commiſſionem recipiendi ad ordinem habente, ad ordinem, vel profeſſionem recipiat, ſine conſenſu talis ſui maioris.* Cui, contra Hugonem de Dina aliter opinantem, ſubſcribit Piſanus *in c.2.regulæ* dicens. *Et ſi regula non ponat expreſsè, à quo debeat ad profeſſionem recipi, tamen pro ſolis Miniſtris intelligitur, quia ſi ſolis Miniſtris ingreßus, & receptio reſeruatur, multò fortius eſt, ad talium profeſſionem receptio.* Et quidem ſecundum ius, *cap. porrectum.de regul.* Quia profeſſio fieri debet in manibus eius, qui poteſt Religioni incorporare; cuiuſmodi eſt Abbas, Prouincialis, & Generalis. Et in hanc communem ſententiam ſcribunt multi Azor. *1.p.l.12.c.5.q.3.* Reginal. *in praxi lib.18.n.385.* Sanch. *lib.5.c.4.n.26.* De Vecch. *in praxi diſ. 13 dub.2. n.5. apud* Barboſ. *Iur.Ecc. lib.1.c.42. n.141. qui & alios citat.* Et licet Sorb. *apud* Io.Rouſſerium *in c.2.regul.pag.216.* Se remittat conſuetudini Prouinciarum, tamen de iure ad Generales, vel Prouinciales ſpectat, præcipuè vbi Statutum accedat, vt in noſtro Sacro Ordine.

Quæritur ſecundò. An talis licentia oretenus indulta, vel præſumpta, & tacita ſufficiat: an vero requiratur ad ſingulas profeſſiones acceptandas.

Sufficit licẽtia non ſcripta.

Reſpondeo dari ſcriptam, non eſt neceſſarium ad profeſſionis validitatem, ſed ad firmiorem procedẽdi modum, & faciliorem probationem, non ad actus ſubſtantiam *l.contrahitur.ff.de pignoribus.* Nauarr. *lib.3.conſ.59. de regul.num.9.* Scriptura enim non eſt de ſubſtantia gratiæ, & quoad rem, de qua agimus, eſt leuis ſolemnitas, quæ ſine culpa omitti poteſt. In quem ſenſum ſcripſit Souſa *in declaratione Bullæ de largitione munerum Clemetis* VIII. Qui præcepit, non poſſe regulares donare minima ſine licentia, ſcriptis obtenta, ait enim non obligare hanc leuem ſolemnitatem ad culpam mortalem; & licet hæc regula non ſit vera vniuerſaliter, quia aliquando defectus ſcripturæ requiſitæ à lege facit actum nullum, vt fusè probat Sanchez *de matr.lib.6.c.16.quæſt.3.num.29. & infra*, tamen cum hæc ſit res parui momenti, & praxi non vniuerſaliter obſeruata, puto ſufficere licentiam Prouincialis oretenus datam, in capitulo, vel in viſitatione, ſemel pro toto tempore, quo fuerit talis Guardianus nouitiatus: Et aliquando ſufficere tacitam, vbi conſuetudo, vel longa Prouincialis abſentia id ſuadeat, cuiuſmodi ſenſerunt Hugo de Dina, & Sorbus *ſupracitati.* Et hoc maximè in foro cõſcientiæ, licet in foro exteriori, poſſet agi cõtra factam profeſſionem, vtpotè emiſſam ſine expreſſa licentia, niſi indicia conſenſus euidentia adeſſent, vel ratihabitio Superioris accederet, quæ profeſſionem, ſine ſuò conſenſu factam, validam poteſt efficere. Rod. *tom.3.q.17. ar. 12.* Vt in ſimili Lamas *in methodo curationis, in appendice quam ponit in fin. §. 6. poſt principium.* Et Sanchez *lib. 6.de matr.c.16. citato num 32.* eum adducens, dicunt de licentia in ſcri-

Scripturæ defectus aliquando nullitatẽ actus inducit.

in scriptis concedenda ad ingressum in Monasterium Monialium, iuxta *Tridentinum Sess. 25. de regul. c. 5.* dicentes, non esse necessariam scripturam, quando causa est clara, vel quando esset periculum in mora, repentinaque necessitas occurrere. Necessitas autem in casu nostro est, quia *Concilium Tridentinum Sess. 25. de regul. cap. 16.* Ait, *finito tempore nouitiatus, Superiores, Nouitios, quos habiles inuenerint ad profitendum admittant, aut è Monasterio eos eijciant,* Superiorum autem nomine hoc loco veniunt etiam Guardiani Nouitiatus; quia illis imponitur eijcere Nouitios, qui suffragia sufficientia non tulerint: vt igitur sine causa professio prorogetur, poterit sufficere tacitus Prouincialis assensus Lege Rodr. *tom. 3. q. 17. ar. 10.*

Scriptura pro ingressu in monasterium, quando necessaria.

Queritur tertiò. An possit Generalis, vel Prouincialis in aliquo casu acceptare Nouitium ad professionem sine consensu capituli?

Respondeo, Rodrig. *tom. 3. q. 17. ar. 7.* Ait, talem professionem de iure *non esse ipso facto nullam, sed annullundam, si constiterit, iustè maiorem partem Conuentus tali professioni minimè consensisse.* Quam responsionem à Sanchez impugnatam tuetur Hieronymus Rodericus *resolut. 101. num. 59.* Non enim absolutè ait, non esse nullam ipso iure, sed si iustè Conuentus suum negasset consensum, quia poenalem hanc sententiam, necesse est praecedat declaratio nullitatis, qua incognita, adhuc professio sustineri potuit. Et Peirinus *de subdito q. 1. c. 26. §. 2.* Ait, de iure communi non esse nullam, sed de consuetudine, quia in iure, Capituli consensus non requiritur, sed consilium. Quinimò, in sua Religione Minimorum, tenet, professionem factam in manu Prelati, absquè consensu Capituli, Consilio tamen explorato, valere, quia licet prohibeatur aliter fieri, facta tamen non irritatur, & multa facta tenent, quae fieri prohibentur. *c. ad Apostolicam. de regul.* Quae doctrina nostrę etiam Religioni applicari poterit, in cuius Statutis non ponitur clausula irritans aliter factam professionem. Quod roboratur ex eodem docente, superioribus transgredientibus Statutum, de non admittendis ad professionem Nouitijs, sine consensu Capituli, imponitur poena suspensionis ab officio. Quod signum est, non irritari actum gestum, vt docent communiter scribentes, *in l. non dubium. C. de legibus.* & tradunt Sanchez. *lib. 5. in decal. c. 4. n. 6.* Felinus *c. dilecte. de except. n. 4.* Azor. *lib. 1. cap. 17. num. 10. in Summ.* Et Legistę, ac Canonistae communiter affirmant, legem poenalem nō esse extendendam vltra proprietatem verborum. Hoc autem reperitur etiam in Ordine Seraphico, in quo Statutum habetur. *Qui verò secus aliquem receperit, aut ad professionem admiserit, praeter poenas in constitutionibus Apostolicis inflictas, officio eò ipso priuatus, omni suffragiorum iure perpetuò careat.* Quod si instes, Statutum ait, *Quod si maior pars Nouitio suffragata non fuerit, tunc absquè alio recursu expellatur, & Religionis habitu omninò priuetur.* Hoc autem habet vim conditionis annullantis.

Prouincialis potest ad professionē recipere, sine consensu capituli.

Respondeo negando assumptum, quia hoc est merum preceptum, non annullatio actus.

Si quaeras, quid si capitulum, talem professionem fieri videns nō contradicat?

Respondeo haberi debet pro consensu, secundum regulam iuris, *Qui tacet consentire videtur. de regul. iur. in 6. c. qui tacet.*

Consensus tacitus quando valeat in professione acceptanda.

Et quid si capitulum per metum, & coactè consentiat, vel per praeces habentes vim praecepti.

Re-

Metus excludit cõsensum. Respondet idem Peirin. neutrum vitiare professionem, quia metus non excludit consensum, nisi vbi requiritur consensus liber. Sed non placet, quia consensus ex parte capituli debet esse liber, metus autem tollit libertatem. præces autem in Superiore, qui austerus, vel ferus sit, metum incutiunt.

Quæritur quartò, An saltem possit legitimè aliquem ad professionem admittere Prouincialis, sine consensu maioris partis, si sibi constet vocales: iniustè negare nouitio suffragium?

Prouincialis potest acceptare ad professionẽ, si capitulum iniustè neget assensum. Respondeo, casus iste in nostro S. Ordine non est possibilis, quia ad professionem nouitiorum dantur secreta suffragia, at posito casu, prout petitur, dico Prouincialem posse acceptare talem professum. Ratio est, quia Fratres conuentus nouitiatus, postquam viderint conuersationem Notitij dignam, cui ad professionem suffragentur, tenentur ex iustitia illum acceptare, itaut, aliter facientes, non solum peccent contra charitatem, sed etiam contra iustitiam. Lezana *tom.1.c.24.n.18.* Vbi ait. Nouitius expulsus sine causa iusta, ius habet agendi contra Religionem; tum quia impediuit opus eius bonum, tum quia inde resultat aliqua nota Nouitio, quod est contra iustitiam. Et citat Caiet. *2.2.q.vlt.art.4.dub.3.* Passarel. *in priuil. minim. c.43. Idem docet* Peirin. *de Præl.q.3.c.1.§.3.n.111.* Ex quo Lezana desumpsit. Et citat Sanchez, *lib.5.in decal.c.4.n.59.* Vecch. *de Nouit.disp 21.dub.3.q.9.*

Nouitiatus est quidam contractus. Moueor primò. Ex natura nouitiatus, qui est quidam veluti contractus inter religionem, & nouitium, quo religio habet ius acceptandi, vel expellendi bonum, vel malum, & nouitius habet ius ad religionem, dum bene se gesserit. Aliàs captiosa esset receptio; & illusoria, & sicuti peccant mortaliter recipientes ad professionem indignum, & tenentur ad damnum, religioni illatum, ita peccant reijcientes dignum.

Auertentes nouitium à religione ad quid teneantur. Secundò, quia vi, fraude, vel dolo auertentes aliquem nouitium à religione peccant contra iustitiam, & tenentur secundum aliquos ipsi ingredi religionem; vel illatum damnum resarcire, vt omnes affirmant. Adrian. *q. de restit.§. ex causa.* Sotus *l.4. de iustitia. q.6.ar.3.* Petrus Nau. *lib.2. de restit.c.2. num.15.* Solon. *q.62.ar.2.* Lessius *de Iust.lib.2.c.8.dub.3.n.16.* Qui autem iniustè negat suum suffragium, nouitium fraude, & dolo expellit à religione, ergo multò magis tenetur ex iustitia.

Suffragium digno negantes, peccant contra iustitiam. Tertiò, quia ex communi doctrina, suffragantes indigno, vel negantes suffragium digno, vel digniori, in electionibus, vel examine, peccant contra iustitiam. Nauar. *cap.17.num.69.* Lessius *lib.2.c.12.num.123.* quia infertur damnum ex iniuria. Fratres autem vocales in capitulo, ad receptionem nouitiorum, eiusdem sunt considerationis, ergo, &c. & in hanc sententiam scribunt Miranda *tom.1.q.25.art.7.* Corduba *in c.2.reg.c.1.& 11.* Vbi probat teneri Fratres ex iure diuino naturali, & regulę acceptare nouitios dignos ad professionem. Nam inquit regula. *Finito anno probationis recipiantur ad obedientiam.* Et hoc est præceptum obligans ad peccatum mortale, ex Clemente v. & expositoribus regulæ, quos adducit idem Corduba.

His omnibus addo minorem, sed Prælatus potest præstare, quod debebat præstare subditus, & ipsius vel negligentiam supplere, vel malitiam emendare, vt patet *toto titulo de supplenda negligentia Prælatorum.* Quinimò Trid. *Sess.25. de regul.c.16.* ait; *finito tempore nouitiatus, Superiores nouitios, quos habiles inuenerint, ad profes-*

ad professionem admittant , aut è Monasterio eijciant. Vbi notanda sunt verba, *Superiores quos habiles inuenerint,&c.* quia licet habilitatis huius cognitio accedere debeat Superiori à capitulo, tamen si euidenter sibi constet habilitas Nouitij, & perfidia capitularium, potest talem habilem ad professionem solus admittere. Saltem hæc sententia sustineri poterit ex Superiori conclusione.

STATVTVM XXII.

Nemini liceat à Nouitijs quidquam accipere. qui secus fecerit, Prælatus priuetur officio. Alij Fratres, vt proprietarij puniantur.

Tridentinum *Seß.25.c.16.* pręcipit, *Ne ante professionem præter victum, & vestitum aliquid à Nouitio, vel eius propinquis in tempore probationis recipiatur, sub pœna excommunicationis dantibus, & recipientibus.*

Prima quæstio. Qualis est ista excommunicatio? Respondeo ex declaratione concilij apud Barbosam, Non est ipso facto, nec reseruata Papæ.

Secunda quæstio. Si dantes, & recipientes, incurrant censuras, & pœnas, ignorantes illos ordines? Respondeo, ignorantia excusat ab incursu censurę, & pœnarũ, quæ supponunt pręsumptionẽ, & malitiã, quæ sine scientia esse nõ possũt.

Tertia quæstio. Quæ quantitas erit sufficiens ad incurrendas has pœnas? Respondeo, moraliter mensuranda est, iuxta ęstimationem bonorum nam, in ordine ad hanc restitutionem fertur prohibitio, ait enim concillium, Ne hac occasione discedere nequeat, quod totam, vel maiorem partem substantiæ suæ, Monasterium possideat, nec facilè si discesserit, id recuperare possit. Igitur ad libertatem professionis inductum est, vt notabilis pars substantiæ nouitium in religione detineat, notabilem autem partem insinuat Concilium, vel totam, vel maiorem partem bonorum, infrà enim hoc, non videtur moraliter posse aliquem cogere, vt professionem emittat.

Si dicas, præcipit Concilium, nihil accipiendum esse, ibi neque aliquid ex bonis eiusdem tribuatur, & vt abeuntibus omnia restituantur, quæ sua erant. Omne enim, & nihil cuncta amplectuntur etiam modica, neque interpretationi locum relinquunt?

Excommunicatio in recipientes à nouitijs, non est ipso facto, nec reseruata.

Eam ignorãtes non contrahunt.

Accepta debent esse vel tota, vel maior pars bonorum, vt censuram inferant.

Respondeo, ly aliquid, modificatur statim, per totum, vel maiorem partem bonorum. Vnde ly omnia quę sua erant, interpretari debent, de toto, & maiori parte, prout impeditiuum libertatis in habitus dimissione. Sicut à simili in prohibitione Pauli II. quæ incipit Muneră, lata ann. 1466. sub pœna excommunicationis Papæ reseruatę, iniungitur ne Iudices recipiant munera, vel ab alijs illis largiantur, exceptis esculentis, & poculentis, & tamen non incurrunt hanc excommunicationem, si sportulas recipiunt, & Xenia, & ratio est, quia non est verisimile, per hæc parua, velle Iudicem à iustitia deuiare c. etsi quæstionis. extra de Simonia. quia pro re modica non datur actio de dolo. *l. si oleum. & l. id est. ff. de dolo malo*. Xenia autem sunt munuscula, quę à Prouincialibus Rectoribus, eorumquè Comitibus offerebantur. *l.6. ff. de offic. proconsulis. l. vnî nè damna*

Xenia quid sint.

damna Prouincialibus infligant. in C.Theodos. Sportulæ vero sunt pecuniæ, quæ dantur iudicibus. *Rub. de Sportulis iudicum. l. 31. §. executoribus. ff. de Episcopis, & Cler. & alibi sæpè.* Vndè Suarez *tom. 3. de relig. tract. 7. c. 16. num. 11.* ait, Testamenta, & donationes Nouitiorū facta ante ingressum, valere secuta professione, vel morte, & quando donationes non sunt magni momenti, vel bonorum immobilium, *nam* (inquit) *si donatio fit de re parui momenti, & quæ non excedit expensas nouitiatus, non videtur à concilio reuocata.* Fauet ratio prohibitionis, quia, vt notauit Miranda *tom. 2. q. 23. ar. 2.* prohibuit concilium tales donationes, ne Nouitij depauperati, compellantur ob ægestatem, remanere in religione: non depauperantur autem ob minimam partem bonorum, quæ donent religioni. Quæ autem præcisè quantitas donari possit, sine violatione Concilij, relinquitur iudicio prudentis viri, nam iuxta facultates Nouitij, tales expensæ mensurandæ sunt. Si enim esset vir satis diues, v. g. Dominus Castelli, Baro &c. tunc parum esset illi donare parmū pro induendis fratribus, obsonia, pro eisdem, vestes Sacerdotales, aliquem calicem &c. hæ enim nullam violentiam suæ libertati facere possunt; eò vel maximè si consueuisset ante religionis ingressum eleemosynas erogare, quia tunc hæc facere censeretur pro eleemosyna, non verò in ordine ad nouitiatum, vel professionem. Sic firmat Sanchez *l. 7. in decal. c. 5. num. 22.* Garzia *de benef. par. 11. c. 10. n. 17.* Vecch. *disp. 8. dub. 7. n. 19.* Rodrig. *tom. 2. Sum. c. 7. n. 2.*

Sportulæ quid.

Quæ munera à nouitijs recipi possint.

Quæstio quarta. An liceat accipere aliquid à nouitio, antequam suscipiat habitum, mediatè, vel immediatè.

Datum vel receptū pro habitu, vel professione, est simoniacum.

Respondeo primò, quoquo modo detur, vel recipiatur, si id fiat in ordine ad facilitandam, vel vt recipiatur, est simoniacum, est communis. *c. quam pio. c. nullus Abbas 1. q. 2. c. cum in Ecclesia. c. venientes de regularibus. c. quoniam simoniaca. de simo. c. eos qui. 1. q. 1. c. si quis præbendas. 2. q. 3.* D. Thom. *2. 2. q. 100. ar. 3. ad vltimum.* Siluester. *V. simonia. q. 15.* Soto *lib. 9. de iust. q. 6. ar. 2. ad 4.* Nauar. *de reddit. Ecc. q. 1. monit. 26. & alij.* Debet tamen id quod datur, dari vt prætium receptionis, siue tacitum, siue expræssum, non tamen vt eleemosyna, ex liberalitate, siue pro victu, vestitu. Nauar. *de datis, & promissis num. 31. & alij passim.*

Nouitius antequā religionem ingrediatur potest facere testamentum.

Respondeo secundò, Nouitius potest donare inter viuos, vel causa mortis, & facere testamentum validum antequam ingrediatur religionem etiam ad fauorem ipsius religionis, siue prius de religione cogitauerit, siue non. *c. quia ingredientibus. c. si qua mulier. 19. q. 3.*

Opponitur Tridentinum supra *Sess. 25. c. 16.* dicens *Nulla renunciatio, aut obligatio antea facta, etiam cum iuramento, in fauorem cuiuscumque causæ piæ valeat, nisi cum licentia Episcopi, intra duos menses proximos ante professionem & non aliàs intelligatur effectum suum sortiri, &c.*

Respondeo, loquitur de facto à iam ingresso religionem, & Ly, *antea*, se tenet respectu duorum mensium vltimorum, non susceptionis habitus, Vt declarauit S. *Congregatio Concilij apud* Ioan. Gallemart. *& apud* Marzillam, *qui in decisione* 227. *citat* S. Congregationem dicentem, *Decretum Concilij c. 16. Sess. 25. de regul. non vendicare sibi locum in donationibus, & renunciationibus ante habitus susceptionem, etiam animo, proposito religionem ingrediendi, factis.* Qui addit, eandem Congregationem declarauisse. *Sed si donatio, vel renunciatio*

fiat

fiat intuitu religionis ingrediendæ, tanquam factam in fraudem huius canonis, videtur subesse huic dispositioni. Et Passarellus *in compendio priuil.* Addit Miranda citatus *q.23.ar.2.*(licet hanc non sequatur sententia) concilium agere de regularibus,non de sæcularibus eo loco,vt titulus præsefert, maximè cum addat, *Nulla quoquè renunciatio*. Quæ connectit priora capitula de Nouitijs, & regularibus cum sequentibus. Cui rationi debiliter ipse respondet, nihil solidi afferens in contrarium. Nostræ tamen opinionis sunt Azor, Confectius, A S.Fausto, Rodrig.Garzia, Gratianus,Naldus,Vecch.(quos citat,& sequitur Peirinus *de Prælato. q.3.c.1.§.8. n.207.*) Sorbus,Nau. *con.7.8.de donat.lib.3. citati à* Io. Rousserio *in cap.2. regulæ S.Francisci.* Et de conditione testamenti, vel donatione causa mortis,quæ fieri possunt à Nouitio sine solemnitatibus,à Concilio requisitis, firmat idem numero sequenti ex permultis Doctoribus,quia nullo iure vetitum reperitur.

STATVTVM XXIII.

Si verò ante, vel post receptionem habitus, Nouitijs aliquid, Fratribus, vel Conuentibus legare, aut donare placuerit, non recipiatur, nisi post professionem,iuxta Concilium Tridentinum.

Videtur Statutum opponi quartæ, conclusionis secundæ, responsioni; nam prohibet recipi legatum ante receptionem habitus.

Respondeo, quinimo fauet, quia validam dicit donationem factam ante susceptionem habitus,sed vetat recipi,nisi secuta professione.

An hoc sit contra regulam dicentem c.2.*Caueant Frates,& eorum Ministri,ne sollicitj sint de rebus suis temporalibus*. Et clarius in prima regula. *Caueant Fratres,& Ministri Fratrum,quod de negocijs suis nullatenus se intromittant, nec accipiant aliquam pecuniam per se,vel per interpositam personam?* Respondeo, minimè,quia regula sollicitudinem interdicit, nouitiorum charitatem non impedit. *Nec videtur*(inquit *Clem.exiui de paradiso. de verb.sign.*) *quando liceat eis recipere,consideratis scilicet necessitatibus, & moderaminibus declarationis iam dictæ. Si quid de bonis suis intrans, sicuti, & cæteris pauperibus per modum eleemosynæ liberè velit dare.* Hoc autem est *ne accipiant denarios,vel pecuniam, per se, vel per interpositam personam*. Quod Fratres non faciunt, sed per sindici manus expediunt. Vt in eodem Statuto habetur, dicente.

Fratres è bonis nouitij eleemosinæ nomine recipere possũt.

STATVTVM XXIV.

Procuratoribus Apostolicis liceat de rebus legatis, aut donatis, in Fratrum vtilitates disponere, etc.

Sed

Etiam ante professionē, si dona fuerint mobiliū paucorum.

Sed quid si donauerint obsonia, pannos, &c. An expectandum sit post professionem? Respondeo, non, quia Statutum, & Concilium loquuntur de testamentis, & donationibus rerum notabilium, quæ intrant in dispositionem supra designatam, non de ijs, quæ donari, & recipi possunt in anno nouitiatus.

STATVTVM XXV.

Qui professionem tanquam laicus fecerit, ad Clericatum ascendere non possit, sine licentia Generalis capituli, et nisi Patrum iudicio idoneus repertus fuerit.

Laici ad Clericatum trāsire non possunt.

Clemens VIII. in institutione nouitiorum decernit, *Sed qui ad conuersorum habitum recepti fuerint, ad Clericorum Statum transire, etiam durante tempore probationis, non possunt.* Hoc enim vt plurimum à superbia, & ambitione dependet, quæ tales ab humilis vocationis cardine conuellunt. Ideo perpetua religionis sententia hunc ascensum semper abhorruit. In compendio enim nostrorum priuilegiorum, quique capitula generalia citantur, quæ ordinationem Laicorum vetuerunt, quibus addenda sunt Salmanticense, Vallisoletanum, Neapolitanum, Toletanum, & alia; ac insuper determinatio Leonis x. apud Rodrig. *tom.1.p.43.ar.19.* quæ talis est, *Quando aliquis Frater Laicus ad Clericatum ascenderit, extra obedientiam Prælatorum ordinis, etiamsi vsque ad Sacerdotium ascenderit, omni honore clericali priuetur, nec permittatur Canonicum persoluere officium, sed Laicorum officium persoluens, ad merum statum Laicalem reducatur. Quæ determinatio publicata fuit in generali Capitulo Lugdunensi.* Quæ pœna irrogatur etiam per statuta, quæ commentamur.

Promoti sine licentia, à Clericatu deijciuntur

Hinc difficultas, si est determinatio Apostolica, cur remittitur Capitulo generali dispensatio, cum illud non possit supra Statutum factum in vim mandati Apostolici, inconsulta Sede Apostolica? vt docet Rod. citatus; sed patet responsio. Aliud enim est concedere licentiam Laico transeundi ad Clericatum, quod potest Generalis, vel Capitulum, iuxta Rodrig. & Collectorem. *V. Laici Fratres.* Verum etiam in hoc secundo puto habere authoritatem Generalem, & Capitulum, tum quia talis constitutio non est vsu recepta, tum quia dispositio Leonis x. potuit esse per viuæ vocis oraculum (videre enim talem authenticam ordinationem non potui, nisi apud collectorem) expeditum per D. Cardinalem Aracæli, in illo Capitulo Præsidentem, Oracula enim hodie vim non habent. Ex Constitutione Vrbana.

Id potest cōcedere Generalis.

Laici sine licentia ordinati, sunt suspensi, & irregulares.

Et vt hoc loco totam hanc materiam congeram, In veteri iure *c. Lugdunensis; 9.q.2.cap. eos qui de temporibus ordin. in 6.* Et iure nouo, in *Constit. Pij II. cum Sacrorum. Et Tridentino Sess. 23.c.8. de reform.* Et iure nouissimo per Constitutionem *Sanctissimi D. Vrbani VIII. Secretis.* Ordinati sine legitimis facultatibus, suspenduntur, & irregulares declarantur. Hinc patet quam probabiliter his diebus scripserit Thesaurus *in praxi Ecclesiastica Ver. Apostata c. 2. num. 2. & 3. Ex* Bonaccin. *de Clausura. q. 2. pun. 11. §. 4. num. 10. & 11.* Ordinatos in Sacris in apostasia, non esse suspensos, quatenus suspensio est censura, sed quatenus est impedi-

pedimentum. Vnde celebrantes, habitu retento, non esse irr egulares. Cuius doctrinæ occasionem dedit Glos. *in c. eos qui. cit. V. statuunt.* Dicens, *illam non esse suspensionem, quę irregularitatem inducat.* Et citat stilum S. Pœnitentiariæ dum dicit, *Ipso ab ordinum executione suspenso. Quæ suspensio* (inquit Filliuc. *disput.* 20. *cap.* 8. *q.* 11.) *non est censura, sed simplex prohibitio ministrandi.* Attamen idem *disp* 17. *c.* 5. *q.* 3. ait. *Quidquid sit de iure antiquo, certum est ex iure nouo in Bulla Pij II. Cum ex Sacrorum, Incurri suspensionem ipso iure, quæ est vera censura, & consequenter erit irregularis, qui sic suspensus ministrat.* Et citat Nauarr. *c.* 27. *n.* 115. & 241. Diaz. *in praxi c.* 26. & *alios apud* Suar. *disp*-31. *sect.* 1. *n.* 14. *cui accinit idem* Bonac. *de censur. disp.* 7. *quæ.* 3. *pun.* 4. *n.* 5. & 6. dicens esse suspensum, & irregularem, qui ordines furtiuè suscipit, id est, qui ficto titulo, aut sine veris dimissorijs ordines suscipit. Et talem verè suspensum esse, docet ex communi. Et certum est, Apostatam ordinari sine veris dimissorijs.

Et etiam id verum esse in iure antiquo, probo ex citato capitulo, *eos qui.* In quo suspenditur Episcopus, scienter ordinans alienum, per annum à collatione ordinum. Et addit. *His quæ iura statuũt contra taliter ordinatos in suo robore duraturis* Iura autem, quę citat *Glosa*, sunt *multa capit.* 9. *q.* 2. *per totum*, & *d.* 71. *c.* 1. dicitur. *Non sit rata eius ordinatio.* Et in *cap.* 7. *Irrita sit eius ordinatio.* In illa autem *c. nullum Episcopum. Et cap. Episcopum*, decernitur Episcoporum ordinationem in alienis Ecclesijs factam, esse vacuam, inanem, & irritam. Vbi Glos. *in cap. nullum. V. Vacua*, ait. *Quantum ad executionem altaris.* Et in *cap. Lugdunensis*, V. *Moderatio tua*, ait *permittitur huic Episcopo dispensatio canonis.* Quem sequitur Barbosa hoc loco, multos alios congerens. Equidem ordinationem irritam, vacuam, inanem esse, nil aliud significat nisi suspensionem à susceptis, quæ non solum est pœna, sed etiam censura, cuiusmodi interpretati sunt iura recentiora, Concilij, & Pontificum: Quæ non addiderunt super ius commune, sed illud declarauerunt. Super quibus possunt dispensare Generales, vt scribit Rodrig. *tom.* 1. *quæst.* 20. *art. vltim. con.* 5. *qui pro se citat* Cordubam *in compend. priuil. V. dispensatio* §. 24. Ex amplissima nimirum authoritate concessa à Clemente, & Sixto Quartis, Idque etiamsi occulta non sint, quia lex non distinguit de occulto, & de notorio, vt ait citatus Corduba. Eò vel maximè cum hæc suspensio sit reseruata ordinario, ob iniuriam illi factam; ordinarius autem noster est Generalis, qui suã iniuriã remittere potest. Non enim puto in hac parte posse Prouincialem, quia transferendi Laicum ad ordinem Clericalem, facultate non gaudet, sed solus Generalis per tradita à Collectore *citato V. Laici Fratres*, ergo Generali fit iniuria; ergo Generali illam condonare conceditur. Adde, quod ista suspensio non est perpetua, vt notauit Rodriguez, nullius, iurisdictio perturbatur, vt aduertit à Cruce *Ergo*, &c.

Nec obest *cap. finale de Apost.* In quo dicitur, Monachus ordinatus in apostasia non potest in susceptis ministrare sinè dispensatione Papæ; Quia hodie per priuilegia, religioni concessa vacat dispositio iuris communis, vt ita Rod. Quidquid dicat idem Thesaurus *de pœnis Ecclesiasticis V. apostasia c.* 1. *n.* 2. & 3.

Constitutio autem Vrbana (vt pretercam Sixtinam, *Sãctum, & salutare*, reductam ad terminos iuris per Clementinam, *Romanum Pontificem*, Nõ includit regulares, de quibus nec verbum quidem dicit, vt nouissimè tenuit Marchinus *de Sacr. Ordin. tract.* 1. *part.* 5. *cap.* 9. *fine.* Secundum quam opinionem satis probabi-

lem,& fauori religionis maximè conducentem,Respondi in casu quodam simili Reuerendissimo P.N.P.Io: Merinero totius Seraphici Ordinis Ministro Generali optimo.

Si quæras, quomodo possit Generalis transferre Laicum ad Clericatum, si hoc remittitur à Statuto ordinis Capitulo generali? Dico,remitti etiam Generali ab alijs Statutis Ordinis. *Qui Laicus sine licentia Reuerendissimi P.Generalis Sacros ordines susceperit,&c.* Vt in Capitulo generali Rom. 1615.

Alia difficultas.Statutum prohibet hunc transitum,post professionem: An in anno nouitiatus possit Prouincialis,vel solus, vel cum diffinitorio, vel Guardianus nouitiatus transferre nouitium Laicum ad clericatum?

Respondeo primo. Guardianus non potest, quia ei receptio nouitiorum non conuenit.

In anno nouitiatus potest Prouincialis transferre Laicū ad Clericatum.

Respondeo secundo.Nec puto Prouincialem solum posse, quia ipsi soli non committitur nouitiorum receptio, sed cum Diffinitorio, vt dictum est; & examen Clericatus nec ipsi soli conuenit, sed examinatoribus, & Patribus. Verum tamen est, quod si clarè staret, receptum pro Laico habere sufficientem literaturam, & alias conditiones, ad Clericatum requisitas,poterit, per quamdam epicheiam hoc facere: Eò vel maximè cum Prouincialis habeat authoritatem quasi Episcopalem,& propterea possit Laicos ad Clericatum transferre. Non ordinis initiatione, sed adscriptione militiæ. Roboratur ex eò, quod Panor.*in cap.4.de consec.n.9.*Archid.*in cap.nullus Episcopus.de temporibus ordinan.*Hugo, & Innoc.*in eodem cap.* dicunt posse etiam Parochum primam conferre tonsuram.Quam authoritatem extendit ad Guardianos,& Priores locales Franciscus Marchidelphinas *Decis.* 1082.*n.9.lib.*1. & licet non sit communis opinio, & à quampluribus exemplodatur apud Marchinum *de Sac. Ordinis tract.* 2.*part.* 2. *capit.*10.*n.*3.4.*&* 5.Tamen non est improbabilis,& potest sustineri,vtpotè,quā classici Doctores affirmant.Tandem,cum in anno probationis nouitius non sit determinatus inflexibiliter ad hunc,vel illum statum,poterit à Prælato declarari clericus,& aliquibus experimentis mihi compertum est.

Respondeo tertiò.Prouincialem cum Diffinitorio posse Laicum ad clericalem classem transferre, omninò tenendum est, Et sic declarari allegatum Clementis VIII.decretum in principio huius Commentarij,vt scilicet non possint, sine legitima authoritate,& ex se ipsis, non autem per facultatem prẹlati, Bordon.*resolut.*29.*n.*95.

STATVTVM XXVI.

Si aliter fecerit, omni Clericali, et Sacerdotali honore priuetur, neque Canonicum officium persoluere permittatur,sed Laicale recitare teneatur, et ad Laicalem statum reducatur, ac per biennium sine capucio ad coquinam deputetur.

Vt à typo Superbiæ, quem assumpserant, deijciantur inquit Collector priuileg. *V. Laici Fratres num.* 4.) idemquè fuit decretum *in Congregatione generali Romana ann.* 1625.

Verum liberare tales temerarios ab obligatione recitandi officium, ad quod tenentur de iure, videtur Sacris canonibus repugnare: Maior enim obligatio minorem absorbet, & maior videtur ex ordine, quam ex professione, quia multæ Religiones non imponunt suis professis talem obligationem: & non sufficit dicere, dari illis in pœnam, quia hoc dicendum etiam esset de irregularibus suspensis, & degradatis, &c. In quibus remanet obligatio recitandi officium, licet eis exercitium ordinum sit negatum, ne scilicet reportent commodum de malitia. Cum igitur onus recitationis possit illis relinqui in pœnam, non est cur ab illo releuentur.

Respondeo, In quinto capitulo generali Barcinonensi. Vbi fuit electus secundus Vicarius generalis; in Capitulo Montis Lucis, in quo fuit electus octauus Vicarius generalis; & in alio ibidem celebrato, in quo electus fuit decimus tertius V. generalis, Statutum fuit, vt tales Laici furtiuè ordinati, ab ordinum exercitio essent perpetuò suspensi, vt apud Collectorem *V. Laici Fratres. n.* 4. Attamen Leo x. concessit, ne diuinum officium persoluere finerentur, & nullum Clericatus honorem retinerent: itaquè legitimè factum fuit, nimirum per authoritatem Apostolicam, vt ibidem recensetur. Hoc autem, fauor non est, sed pœna. Et accedit ratio, quia cum professi fuerint tanquam Laici, id est ad Religionis seruitium, & recitatio diuini officij sit talis muneris impeditiua, iure in pristinum reducuntur, vt promissam exhibeant seruitutem. Fauent *c. seruorum. de seruis non ordin. cap. serui c. nulli. cap. quicumque. cap. de seruili. cap. nullus Episcoporum. d.* 54. in quibus seruus ordinatus nolente, & nesciente Domino deponitur, & redditur seruituti. Licet enim Laici serui non sint, quomodo seruus in iure accipitur, tamen tenentur Religioni plusquam seruus Domino, quia magis obligat professio, & votum, quæ sunt de iure diuino, quam seruitus, quę est violenta, & contra ius naturæ. Vnde seruus ordinatus potest se redimere, at Laicus ordinatus, nullo modo potest se à potestate religionis, & à Laicatu eximere. Nauar. *in manual. cap.* 25. *n.* 103. §. 16. Henriq. *de irregul. cap.* 8. *num.* 7. Auila *de censuris p.* 7. *disp.* 3. *dub. vlt.*

Laici ordinati, & eiecti, non tenētur recitare officium clericalem.

Sed hic se offert alia difficultas, An Laicus taliter ordinatus, & ad Laicalem statum redactus, si accidat è religione expelli, vel suam professionem probare nullam, possit effectus sæcularis celebrare, vel teneatur diuinum officium recitare, & si suus ordinarius possit cum illo dispensare?

Respondeo, manere suspensum, ex supra citatis Apostolicis cōstitutionibus, & à nullo ordinario dispensabilem, argum. *decreti de eiectis, & Apost.* ijs verbis, *Itē vt eiecti, extra religionem degentes, sint perpetuò suspensi ab exercitio ordinum, sublata ordinarijs locorum facultate, dictam suspensionem moderandi, aut relaxandi.* Quę determinatio licet non tangat Laicum, qui egressus sit, professionis nullitate probata, quia loquitur de expulsis, tamen in bulla Sanctissimi D. N. Vrbani VIII. *Secretis*, decernitur, *Promotos verò perpetuæ suspensionis pœnam, absquè spe dispensationis à Sede Apostolica obtinēdæ incurrere eò ipso.* Et de promotis ad minores ordines. *Italos vero, si quos in posterum charactere Clericali insigniri, vel ad minores ordines promoueri ab alieno Episcopo, cum falsis dimissorijs contigerit*

Etiam si a relictione eyciantur.

dem non parum decoris addiderunt. Vtinam adamussim Statutum hoc obseruatum fuisset, non enim è fæce plebis emersissent aliqui, qui Religionis maiestatem obscurant. Ideo in generali Romano cap. anno 1612. Statutum est, *Nullus Tertiarius, aut conuersus nostræ Religionis ad habitum Clericorum, aut Laicorum admittatur, quod sine dispensatione obseruetur.*

STATVTVM XXVIII.

Loca pro educandis Nouitijs iuxta Vrbani Papæ VIII. etc. In quibus Magistri, cum Nouitijs commorentur.

Hæc omnia ex institutione, & educatione Nouitiorum Clementis VIII. Et quidem apposité ad probam nouitiorum educationem, vt sub Magistri oculis semper manentes, melius in officio Sæculares passiones, habitusquè contineant.

Quæret autem aliquis, an expediat educari nouitios in Vrbibus, an verò in locis remotis, & asperitatibus obnoxijs? Respondeo, concessis cuiquè Religioni suis institutis, Monachis nimirum, & Eremitis, quæ ab hominum commercio semota sunt: alijs autem, qui ex scopo sui ordinis, sæcularium conuersationes affectant; vt diuersificatis medijs, vel sibi præcipuè, vel alijs vtiles se præstent, ac perfectioni studeant. De Minorico Sodalitio, quod Martę, & Magdalenę vitam, mira sedulitate complectitur, Dico, Conuentus pro educandis nouitijs, ab hominum commercio segregatos, & austeritatem redolentes esse debere. Ita statuta Neapolitana c. 10. *Loca Nouitiorum, quoad eius fieri potest à frequentiore Sæcularium concursu remota deligantur.* Mitto laudes solitudinis, de qua Augustinus *de singularitate Clericorum.* Hieronymus *contra Iouinianum, Epistola ad Hæliodorum, & Rusticum.* Gregorius *lib. 20. mor.* Bernardus *ad Sophiam Virginem.* Nilus *in Ascetico pag. 362. n. 5. tomo. Bibliot. Veter. patr.* S. Basil. *in tract. de Landibus Eremi,* vbi mira de solitudine dicit. S. Bernardus *Ep. ad Fratres de Mõte Dei Et tract. de modo benè viuendi, ad sororem. c.* 58. est enim solitudo *imitatio diuinæ essentiæ* (vt inquit Philo *lib. de Abraham*) & Theca thesauri, *Nam sicut in magna domo* (inquit Eucherius *Epistola ad Hilarium de laudibus Eremi*) *Prætiosa quæquè claustris obsignata, in remotis habentur; ita magnificentia illa Sanctorum abditorum Eremo, quam difficultatibus suis natura obseruauit, deponitur intra quoddam conclaue deserti, ne conseruationis humanæ vsu obsolescat.* Et vt inquit Hieronymus *ad Heliodorum. Familiarius Deo gaudens, Christi floribus vernans. Persequentis mundi fælix effugium, laborantium quies, cælestis doctrinæ scola, paradisus deliciarum, Sanctarum mentium delectatio &c.* vt ait Naz. citatus.

Conuentus pro educandis nouitijs segregati, et asperi esse debent.

Solitudinis laudes.

Nec enim solitudinem, & desertum intendo, in quo homo, vel bestia, vel Deus euadit ex Arist. 1. *polit. cap. 2. &* Heraclito *apud Stobeum ser. 3. vel vt retulit* Guillelmus Parisiensis. *lib. 2. de vniuerso cap. 91. Vita sine socio, vita Leonis, aut Lupi est,* Sed Conuentus ab hominum perturbatione semotos, in quibus Deus ad cor loquatur, & Sanctę deuotionis lacte enutriat; vbi abalienatis mundi concursibus, sensus purificentur, mens illuminetur, asperitates addiscantur; vbi noui-

Non tamen in desertis.

tiones ex visceribus charitatis Pauli, subdens. O quam mollia viscera gestabat Paulus, quando circa filios suos tanto æstu amoris inhiabat: recensetque quando *ad Philip.* 1. dicebat. Nos viuimus, si vos statis in domino *Et ad Rom.* 1. desidero enim videre vos *&* 2. *ad Timot.* 1. Sine intermissione habeam tui memoriam. *&* 1. *ad Thessal.* 2. Nos autem Fratres desolati à vobis ad tempus horæ, aspectu, non corde. *& ad Eph.* 3. Peto ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis. Et subdit Sanctus Doctor. Minus dolebat in tormentis, sed magis filijs de tormentorum suorum tentatione timebat: paruì pendebat in se plagas corporis, dum formidaret in filijs plagas cordis. Respiciat magister ad authorem, & consumatorem fidei, qui se magistrum vocari passus est, & audiat S. Antonium, *qui 3. parte. tit. 16. c. 7. §. 4. ex Io. Dominico Cardinali, libro de possessionibus.* Elicit formam educandorum Nouitiorum à duodecim, quæ fecit Christus cum suis discipulis, tempore quo cum eo, vt nouitij conuixerunt. Nimirum eos à sæculo abstraxit, Præmij cœlestis spe inflammauit, Regula perfectionis donauit, Exemplis vitæ firmauit, Eis se affabilem præbuit, Discretione magna circa eos vsus est, Crebrò eisdem datas lectiones morum, & disciplinæ repetebat: si ab ipsis se ad orationes ad momentum separabat, statim tamen ad illos reuertebatur, verbo, & exemplo discipulos instruens. Sinebat aliquando ad modicum eos pati penuria victus, maris tempestates, frequentissimè orationibus exercebat; Dubia illis proponebat, vt instrueret; Futura pericula, & legis Euangelicæ altitudinem enunciabat. Eius enim magistri vices gerunt, qui eius discipulos vitam Euangelicam docent. Legendus post alios Lezana *de refor. regular. c.* 18. *& vltimo per totum.* qui multa ex Sanctis Patribus, Doctoribus, & philosophis circa iuniorum educationem collegit. Obseruent suis numeris maximam obligationem, de qua S. Laurentius Iustin. *lib. de obedientia c.* 20. ait *Magnum supera se pondus arbitror, illos ferre, qui introducendorum Nouitiorum suscipiunt regimen, si detenti pigritia, siue experientia minus imbuti, aut discretionis virtute priuati, eosdem neglexerint arguere, corrigere, erudire, exhortari, & nutrire. Vinea quippe spiritualis Domini Sabaoth est incohantium noua plantatio, quæ vt fructum afferat, solerti est excolenda peritia; nam si inculta remanserit, dilatat quidem palmites suos, sed nulla vtiquè bonorum vbertate fœcundos. Proinde omni sedulitate exercendi sunt in religione rudes, ne pereffluant, ne torpeant, ne obdurescant, ne suo innitantur sensui, proprioquè ducantur arbitrio, sed tanquam oraculo, suo in omnibus credant pædagogo, & ipsius in cunctis obtemperent voluntati, &c. Et in lib. de disciplina, & perfectione Monasticæ conuersationis, cap.* 8. Comparans nouitios exeuntibus ex Ægypto, qui deficientibus alimentis murmurabant, & nisi manna subuentum fuisset, redire volebant. Inquit. *Humana etenim mens, temporalibus assueta delicijs, nequaquam illis priuari patitur, nisi spiritualia vtcumquè degustet. quæ verò istis caret, & illa non habet, facile ac pristinam cupit remeare sæculi conuersationem. Igitur his præmoniti animarum patres, & Christi ouium rationabilium pastores solerter inuigilent, quamprimum susceperint nouum militem, recenter ablatum de Ægypto, & positum in Monasterio, ipsum spirituali reficere exhortationis pabulo, & salutari recreare deuotionis poculo antequam mentis patiatur ariditatem, & immundorum spirituum patiatur insultus. Qui autem hoc agere neglexerint, sibi ipsi graue iudicium, & subdito graue inducit dispendiũ.* quæ autem, & quomodo nouitios doceat, discat à Sancto Benedicto *in Regula cap.*

Magisterij ideã à Christo cõcipiat

Sui muneris obligationi studeant.

Quæ, & qualia docturus sit nouitios, discat.

la cap.58.vbi ait *Senior ei talis deputatur, qui aptus sit ad lucrandas animas, qui super eum omninò curiosè intendat, & sollicitus sit, si verè Deum quærit, si sollicitus ad opus Dei, ad obedientiam, ad opprobria, prædicentur ei dura, & aspera, per quæ itur ad Deum.* Et à Concilio Prouinciali Coloniensi anno 1536. par. 10. cap. 5. dicitur *Habendus est in virorum Monasterys vir prius, ac doctus, qui doceat Monachos meditari ab adolescentia in lege Dei, die, ac nocte, ad quod munus in monialium monasterijs, cæteris vita, & doctrina præstantior eligatur.* Malas Nouitiorum inclinationes frangat, sed patientia, & charitate, vnde Palladius *in Lausiaca historia.c.2.* vocat Magistrum Nouitiorum, pullorum domitorem, loquens de Isidoro hospitum exceptore *Is* (inquit) *tanquam bonus domitorum pullorum duxit me extra ciuitatē, &c.* & S.Greg. *lib.5.regist. indict.24.c.149.* apud S.Bonau. *in pharetra lib.1.c.29.nouitius* (inquit) *ita cum charitate suscipiendus est, & blandus per omnia cōsolationibus fouēdus est, vt in ea, quam elegit, deo adiuuante, delectetur modis omnibus, conuersatione persistere.* & S.Isidorus *de summo bono lib.2.c.8.* apud eundem, inquit. *Primordia conuersorum blandis resouenda sunt modis, ne si ab asperitate incipiant, exterriti ad priores lapsus recurrant. Qui enim conuersum sine lenitate erudit, exasperare potius quam erudire nouit.* Bernardinus *libro de natura, & dignit. maioris diuini c.3.circa medium* apud eundem *Feruorem* (inquit) *nouitiorum non decent illæ misericordes in seipsos discretiones, & discretionum dispensationes, facilesque indulgētiæ, suo iudicio tribuēdæ, non tamen resecandæ sunt alieno iudicio.* Et infra. *A nouitio in seipsū rigida debet esse cēsura, & districta seueritas ad regentē autem, vel consulentem spectat paterna, vel fraterna charitas, & pietas.* Et ad Fratres de Monte Dei. *Docendus est nouitius, sic habere corpus suum, sicut ægrum commendatum, cui etiam multum volenti, inutilia sunt neganda, vtilia verò etiā nolenti ingerenda. Sic de corpore suo agere, sicuti de non suo, sed eius, à quo pretio magno empti sumus, vt glorificemus eum in corpore nostro.* Doceat, quam animi, quam corporis curam debeat habere nouitius ex D.Bernardo *ser.63. in cant. Placet* (inquit) *in nouitijs, quantum ad ea, quæ in facie sunt, neglectior vtiquè is, qui foris apparet, corporum cultum, & vestium minor cura, sermo rarior, vultus hilarior, aspectus verecundior, incessus maturior.* Et ideò Magister debet esse expertus, vt doceat: nam S. Bonauentura *in libro determinationum quæstionum circa Regulam Sancti Francisci.q.19.* quærens cur religionis à perfectione deficiāt, tertiam caussam assignat, quod nouitiorum instructores, experti non sint. *Tertia* (inquit) *causa est, quod quilibet, quę non didicit, nescit docere, ideo cum regimen ordinis deuoluitur ad istos iuuenes, tales nutriuntur, quales ipsi sunt: ita quod iam prior Fratrum in fabulam vertitur, non trahitur in exemplum.* Et primam caussam dixerat esse. *Multitudinem intrantium, quia multi non possunt tam facilè flecti, sicut pauci. Sicut nauis magna difficilius gubernatur, quam parua.* Doctrina, inquam in primam per exempla probata. Et ideò idem *in lib. de Sex alis Seraphim.c.6.* docet vnā alam, Prælatorū, esse vitā exēplarē. *Ipse* (inquit) *nāq. debet cæteris esse norma viuēdi, vt quæ docet verbis, ostēdat actionū figuris, sicut qui geometriam docet, pingit in sabulo demonstrationes, vt quod dicit, melius capiatur. & c.7. circa medium, Prælatus* (inquit) *gerit vicem capitis in corpore fraternitatis, vt cum alia membra debita sunt actionibus sibi competentibus, caput omnibus præsidens prouideat, &c. Omnibus enim proficit, pro omnibus audit, odorat gustat, & loquitur sic, & Prælatus sibi commissis. Ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro animabus vestris*

Nouitij studia patiētia frangat, vt pullum domitor.

Animi, & corporis curam nouitiū doceat.

Nouitius inexpertus ab inexperto magistro.

Exemplis doceat.

*vestris reddituri.ad heb.*13. Super omnia discipulos doceat, propriam voluntatem mortificare, ex aurea doctrina Cassiani *lib.4. de institutione renunciautium c.8.*dicentis *Renunciaturus sæculo, in monasterio primitus docetur suas vincere voluntates, & ea illi sepius imperare student, quę censerint animo eius esse contraria. Pronunciant enim, nullatenus posse Monachum prævalere iræ, vel tristitiæ, aut spiritui fornicationis, nisi prius didicerit mortificare per obedientiam suas voluntates Sed nec humilitatem cordis veram, nec cum Fratribus concordiam firmam posse retinere, nec in monasterio diutius permanere eum, qui voluntates suas non didicerit superare.* Laboribus etiam externis illos exerceat exemplo Pachomij, qui in regula sibi ab Angelo tradita, *in Vitis Patrum lib.1. c.32.* iussit nouitios operari manibus, & opera sua facere, eosquè à studijs literarum arceri. Pinufius Abbas apud *Cassianum lib.4. de inst.c.32. apud Vitas Patrum lib.4.c.31.* docet nouitium imitari, & induere Iesum Christum Crucifixum, vt in timore Dei, tanquam in Cruce iugiter confixus sit, ibiquè suos crucifigat appetitus, *Crux nostra*(inquit) *timor Dei est. Sicut enim qui est crucifixus, iam non pro animi sui motu membra sua quoquam mouendi habet potestatem, ita & nos voluntates nostras, ac desideria, non secundum id, quod nos delectat ad præsens, sed secundum præceptum Domini, quo nos constrinxit, applicare debemus. Et sicut ille, qui patibulo crucis affigitur, non iam præsentia contemplatur, nec de suis affectionibus cogitat nulla possidendi cupiditate permouetur, sequè, cum adhuc spirat in corpore cunctis elementis credit esse defunctum; ita et nos timore Domini oportet esse crucifixos omnibus cardinalibus vitijs.* Ideo sibi omninò, & mundo mori nouitios assuefaciat, illustri exemplo *in lib.5. in Vitis Patrum. libello 15. de humilitate*, vbi Abbas Nestero dixit Abbati Pastori. *Quando ego intraui initio in Congregatione, dixi animo meo, Tu & Asinus vnum estote. Sicut enim Asinus vapulat, & non loquitur, iniuriam patitur, & non respondet, sic & tu, vt in psalmo 72. Vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum*, Ac secundum institutionem Cassiani *lib.2.c.3. relatum vitis Patrum lib.4.c.16.* de monachis Ægypti, & Thebaidæ ad primæuam infantiam reduci procuret. *Qui ingressus*(inquit)*in Congregationē fuerit, sic obedire cogitur cūctis, vt redeundū sibi, secundum sententiam Domini, ad infantiā pristinam, nouerit, nihil sibi ætatis, vel annorum numerositate præsumens, quam in sæculo inaniter consumptam, se reputat perdidisse. Sed pro rudimentorum merito, & tyrocinij nouitate, quā se gerere in Christi militia recognoscit, subdere se etiam iunioribus compellitur.* quod est implere illud, *quasi modo geniti infantes.* Et aliud *vt mortuus mundo Deo viuas.* Probet exemplo S. P. Francisci, per stultam herbarum plantationem, Nouitiorum propositum, secundum Seniorum oracula in ijsdem *Vitis Patrum lib.5. libello 10. de discretione num.30.* vbi dicebat Abbas Ioseph. *Patres Seniores non loquuntur ab initio Fratribus recta, sed magis distorta, vt si viderint, quia ex quæ torta sunt, faciunt, iam eis non loquuntur, nisi quæ expediunt, cognoscentes, quoniam in omnibus obedientes sunt.* Seuerus Sulpitius *dial.1.c.1.* relatus *in Vitis Patrum lib.3. cap.10.* ait de Monachis Orientalibus. *Nequè enim ibi aliter quis adueniens, à Monasterij Abbate suscipitur, quam qui tentatus fuerit, & probatus, nullum vnquam recusaturus, licet arduum, & difficile, indignumquè Abbatis imperiū.* Iuxta quod exactissimā obedientiam, & omnibus numeris absolutam, nouitios doceat obseruare; tenax, nedum exemplorum nostri, & aliorū ordinum, sed in primis præceptionis Cassiani, qui pro

Instruat Nouitium suā voluntatem mortificare.

Laboribus exerceat.

Cruci eum affigat.

Sibi & mundo mori, instituat.

Ad primæuam infantiam reducat.

Per stultam sapientiam experiatur.

Exactissimæ obedientiæ assuefaciat.

pro instituendis tyronibus quotidie manibus teri debet. Is enim apud *Vitas Patrum lib.4.c.22.* ait. *Iuniores absquè præpositi sui scientia, vel permissu, nec ad ipsas quidem naturales necessitates progredi præsumunt. Et sic vniuersa præcepta, quæ eis fuerint imperata complere festinant, tanquam si à Deo sint cælitus ædita, vt aliquando etiam impossibilia sibimet imperata, ea fide, & deuotione suscipiant, vt tota virtute perficere ea, & consummare nitantur.* Pro quo satis conducit monitum, quod sibi quotidie dabat Bernardus *Ad quid venisti?* Primo enim propositi tenax consilium vegetam reddit, ac veluti humidum radicale, viuificat vitam religiosi, Vnde Abbas Agatho interrogatus à quodam adolescente, quomodo permanere deberet cum Fratribus? respondit, *Obserua præ omnibus hoc, vt qualis primo die ingrederis apud ipsos, talis reliquum peragas temporis, & cum quiete ad implebis peregrinationem tuam. In Vitis Patrum lib. 7. cap. 42.*

Primi propositi memores, & tenaces reddat.

In Statutis autem Generalibus, hæc de Magistro Nouitiorum sancita reperiuntur. Sub Iulio Secundo *c. 1. particula 2. Ad quos etiam diligenter informandos assignetur eis in capitulo prouinciali Frater probus moribus grauis, religiosus in ordine probatus; & circumspectus, qui cum spiritus feruore, atquè ardore, & discretione, verbo, & exemplo doceat eos orare, & meditari, & orationis spiritum ante omnia habere, sine quo nimis est difficile, aliquem in ordine proficere, & perseuerare posse.* Statuta Salmanticensia *c. 2. Magistrum nouitiorum assignet, virum in eadem religione probatum, maturum, prouidum, deuotum, & discretum, qui huiusmodi nouitiorum continuam curam gerat, viam Dei ipsos doceat, & sæpè eos pure confiteri faciat, & ad seruandam corporis, & cordis puritatem informet.* Quæ verba replicantur in Statutis Vallisoletanis ann. 1565. æditis ex mandato Pij Papæ IV. Neapolitana anno 1590. cap. 18. *Magistri nouitiorum sint ætatis, vel minimum, quadraginta annorum, totius anteactæ vitæ innocentia, & moribus castissimis probati, humanioribus literis, cantusq; Ecclesiastici scientia præditi, qui magno pietatis, & religionis zelo nouitios Sanctè instituat, puritatem cordis seruare, & Ecclesiæ Sacramenta frequentare.* Toletana ann. 1633. titulo de obseruatione regulæ. *Nouitiorum Magistri deligantur, viri graues, pij, prudentes, deuoti, probati, maturi, prouidi, & discreti.* Quibus alia multa ad nouitiorum instructionem adduntur, ex Sanctis Patribus, & citatis ordinis constitutionibus collecta. Adde Clementem VIII. *in istitutione Nouit. §. Tam nouitiorum magister.*

STATVTVM XXIX.

Ad locum nouitiatus nemini, nostri, vel alterius ordinis aditus pateat, præterquam Magistro, eius socio, & Superiori Conuentus, etc.

STA-

STATVTVM XXX.

Nec nouitij professorum, nec professi nouitiorum cællas ingrediantur.

Statutum descriptum est de verbo ad verbum ex Institutione nouitiorum Clementis VIII. §. *ad huiusmodi locum nouitiatus,&c.* & §. *non liceat eis.* Desumptum ex Sanctis Patribus. In regula 61. S. Pachonij *Ad alterius cællam intrare nullus audebit.* B. Esaias Abbas orat 1. *Nemo in Fratris sui cællam ingrediatur.* Et orat. 4. *Si in monasterium ignotum ingrediaris, vbi tibi manere permittetur, ibi mane.* S. Ephrem. *ser. de timore Dei. Monachus iunior per Fratrum cællas oberrans, non solum otium addiscit, sed etiam nugator, & curiosus multa loquitur, quæ non oportet. Sanctus idem Pachonius relatus in vitis Patrum lib.8. cap.38.* in sua regula sibi ab Angelo tradita, ait. *si venerit hospes alterius Monasterij, quod habet aliam formam, cum eis nec comedat, nec bibat, & nec ingrediatur in monasterium.* De quo reprehensus à Dionisio Presbytero *lib. 1. cap. 33.* excusatur adducens rationem, *Accipe* (inquit) *satisfactionem meam, quod non velut vitans, & spernens eos, qui huc veniunt, facio, sed quia in cœnobio Congregationem suscepi, plurimos, qui nuper conuersi sunt, & diuersos eorum mores esse cognosco; nonnullos autem noui intantum ipsius conuersationis ignaros, vt nec Monachorum habitum nouerint, inter quos sunt paruuli tanta simplicitate viuentes, vt nec dexteram valeant scire, nequè sinistram, idcirco credidi esse commodius, vt superuenientes Fratres seorsim susciperentur.* *Nouitij vagari non permittantur.*

Finis statuti est curiositatis fuga, puritatis conseruatio, deuotionis cautela, spiritus in Deum eleuatio. *Cælla* enim (vt S. Bernardus *lib. de vita solitaria ait) Debet esse Religioso pro Cælo.* Et vt S. Antonius Abbas dicebat in vitis Patrum *Monachus extra cællam, est tanquam piscis extra aquam.* Et impossibile est, vt in vagatione, & curiositate, nouitiorum corda, non sordescant.

STATVTVM XXXI.

Nouitiatus tempore non exeant è Conuentu, nisi publicæ, vrgentisquè necessitatis causa, &c.

Clemens VIII. in Inst. Nouit. §. Non licet eis durante Nouitiatu, &c. Rationem statuti copiosè reddit S. Bonauentura de Instructione Nouitiorum *par. 1. cap. 34.* In domo (inquit) consistere, & turbæ ac hominibus absconditum latere, semper est vtile religioso, qui sibi desiderat, & Deo vacare. Quidquid deuotionis in domo colligis, hæc foris egrediens, spargis potius quam augeas, & conserues. Vnde sæpe experti sumus, tam in nobis, quā in alijs, quod frequens exitus, & conuersatio cum sæculo, deuotionē mentis extinguit, feruorē spiritus tepefacit, forte virtutis propositum emollit, cor dissoluit, studium proficiēdi debilitat, deli- *Nouitij domi contineātur, & vagationis damna.*

delicias docet amare, sine fructu tempus expendere, verba otiosa multiplicare, iocis,& truffis intendere, orationes negligere,horas canonicas desidiosè,& incursu dicere, &c. Cui specialem rationem adiungit S.Basilius *Serm.1.de institut. Monachorum.* Plerumq; in adolescentium corporibus,tametsi summoperè continentia colenda, macerare se studeant,nescio quo modo ætati illi,naturalis coloris quasi decor quidam efflorescit,in quē, qui inspexerint, ij libidinum stimulis plerumq; solent permoueri. Exemplo esse possunt S.Bernardus,& S.Bernardinus, alijquè permulti apud Nigronum *in regulas : communes regul.43.n.25.& 26.* qui in inutili ætate multas à mulieribus passi sunt insidias,&c. Hinc S.Arsenio interroganti *in vitis Patrum lib.3. n. 190.* Domine ostende mihi viam,per quam possim saluari, respondit Angelus. Arseni fuge homines, & saluaberis. Et denuò eandem petitionem facienti,responsum fuit. Arseni fuge,tace,& quiesce, hæc sunt principia salutis. Et Abbas Paulus ibidem *n.72.* dicebat. Qui frequenter cogitur de cęlla egredi, à dęmonio decipitur. Vt accidit cuidam monacho, qui specie humilitatis deceptus,sæpè exiens è Monasterio,& cursitans ad ciuitatem, incidit in fornicationem. *Ibidem lib.5. libellum. 5. num.41. & libello 17.n.5.* interrogatus B.Arsenius. Quare nos fugis? respondit. Quia non possum esse cum Deo, & cum hominibus. Quod ingenuè confessus est Seneca *ep.7.* Ego (inquit) confiteor imbecillitatem meam, nunquam mores, quos extuli, refero: aliquid ex eo, quod composui turbatur: aliquid ex his,quæ fugaui, redit. Quod ægris euenit, quos longa imbecillitas, vsq; eò affecit, vt nunquam sine offensa proferantur; hoc accidit nobis,quorum animi ex longo morbo reficiuntur. Memorabiliquè monito scripsit S. Basilius *lib. de abdicatione rerum;* dicens *Quantum in te est,omnem in publicum proditionem semper deuitato,ac mentis hoc modo distractionem fugito.* Essentiale etenim probę nouitiorum instructioni est, nouitios intra Monasterij septa compescere, à Sæcularibus negotijs omninò segregare, conceptæquè deuotionis spiritum, sequestratione mundialium rerum fouere, cito conceptus calor frigidæ regioni expositus tepescit; bene olentis vasis suauitas vanescit aperti: constrictum vulnus, vel suo loco dimotum os, agitatum tamen nunquam firmatur; plantula si hinc inde asportetur, radices firmas non iaciet; & experimento clamante perpetuo, mores vix incepti, si oppositis vitijs exponantur, radicari non poterunt. Et miraculum esset, si nouitius, sępè in ciuitates missus, sæpè Sæcularibus negotijs applicatus, scintillam concepti spiritus non extingueret, his lenocinijs prouectæ, stabilesquè virtutes effæminantur: his machinis bellicis proficientes, quinimò & perfectæ, acquisitarum virtutum turres arietantur: his ictibus proceræ cædrus ceduntur, & cadunt, quid facient arbusta? quid domunculæ? quid molles adhuc sæculares? Crede mihi (inquit Augustinus *apud Sanctum Bonauenturam in regula nouitiorum cap.10.*) Episcopus sum,veritatem loquor in Christo,non mentior, cedros libani, & gregum arietes sub hac specie corruisse vidi, de quorum casu non magis præsumebam, quam Gregorij Nazianzeni, & Ambrosij. Fuge ergo laqueos mulierum, quia non es Dauid Sanctior, nec Sampsone fortior, nec sapientior Salomone.

STATVTVM XXXII.

Vrgente necessitate, aut petendæ eleemosinæ causa, mitti possint Nouitij, sed cum religioso ętate, et moribus prouecto.

In rem hanc doctè, & copiosè scripsit P. Nigronus *reg.* 43. *a num.* 9. Ex quo nonnulla huc adducam, quæ etiam pro alijs infraponendis statutis deseruire poterunt.

Societas, ne dum nouitijs, verum, & professis Vtilis, Honorabilis, & Necessaria est.

Vtilis, quia habet societatis emolumentum, si ceciderit ab altero fulcietur, si frigescet, fouebitur, si impetetur, duo resistent ei *Ecclesiastici* 49. Frater enim qui adiuuatur à Fratre, quasi ciuitas firma erit. *prouer.* 18. *& negotium*, quod à duobus assumitur gerendum, simul, & tutius, & firmius geritur; Sanctus Basilius *in regul.cap.*83. Quia, vt inquit Iuo Carnutensis *epist* 93. cum soli ad pugnam prodeunt, in tentationibus facilè superantur: Nam solitudo omnia mala nobis persuadet, vt scripsit Seneca *epist.*25. Cuius rei reddit rationem. Prodest (inquit) sine dubio, custodem sibi imposuisse, & habere quem respicias, quem interesse cogitationibus tuis Iudices. Sic fac omnia, tanquam spectet te aliquis. Quam sententiam cum ab Epicuro citasset, memorabiliorem adiunxit. Qua voce custodem nobis, & pædagogum dedit. Magna siquidem pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis assistat, vt idem scripsit *epist.*11. quoniam fecisse scelus creditur, qui potuisse facere perhibetur. Et errorem creditur fouisse solitudo, & profundam nequitiam incomitatus admittere. Qui enim testes adhibet, vult probari: malè deprehensa iudicatur conuersatio, quæ non optat agnosci, vt inquit Ennodius in præcepto de cællulanis. Hinc Monachum solum, esse dæmonium solitarium, dicere solitum Sanctum Thom. refert Ferdinandus Castell. 1.*par.hist. prædic. lib.*3.*cap.*37. Quia licet absit culpa, vt plurimum adest suspicio; multi enim non dederunt errori locũ, & dederunt suspicioni, vt ex S. Ambrosio refert citatus Ennodius. A qua suspicione, & à periculo cadendi, Socium socius liberat, vnde, & custodis nomen apud Sanctos commeruit. S. Augustinus *in regula c.*12. dicebat. Quando simul estis in Ecclesia, & vbicumquè fœminæ sunt, inuicem pudicitiam vestram custodite: Deus enim, qui habitat in vobis, etiam isto modo, custodiet vos ex vobis. Cuius præcepti oppositum obseruauit ad alliciendum S. Ioseph Putifaris vxor *Gen.*39. Cum scilicet quodam die intraret domum, & operis quidquam absque arbitris faceret. *Socius vtilis.*

Honorabilis, quia ad propriam reputationem sustentandam nil melius socio. Si propter officium clericatus, aut vidua visitatur, aut virgo, nunquam solus domum introeas. Solus cum sola, secretò, & absquè arbitrio, vel teste nõ sedeas. Scripsit Sanctus Hieronymus *ad Nepotianum epist.* 2. Nec solus colloquere cum Monachà, aut sęculari, nisi necessitas trahat, idq; cum duabus, ex vtraquè parte personis astantibus. Testatus est moriens B. Theodorus studites. Cui *Socius honorabilis.*

accinit S. Ambroſius *lib.1.offic.cap.20.* dicens Viduarum, ac Virginum domos, niſi viſitandi gratia, iuniores adire non eſt opus; & hoc cum ſenioribus, hoc eſt, vel cum Epſcopo, vel (ſi grauior eſt cauſa) cum presbyteris. Et Hieronimus *aduerſus Vigilantium*. Quid facit Monachus in cællulis fœminarum? quid ſibi volunt ſola, & priuata colloquia, & arbitros fugientes oculi? Et Auguſtinus ex *Poſsidonio in eius vita cap. 26.* Nunquam ſine Clericis teſtibus ad mulieres intrabat, vel ſolus cum ſolis, vnquam eſt loquutus; nec ſi ſecretorum aliquid intereſſet. Quem imitatus S. Carolus fœminas ſine arbitris non alloquebatur, vt in bulla canonizationis ipſius. Nam (vt ſcribit Nicolaus Primus ad Bulgaros *cap.59.*) vbi maſculus, & fœmina pariter conuerſantur, difficile eſt, inſidias hoſtis antiqui deeſſe, quæ nimirum non defuere, vbi ſolitaria Fratris, & ſororis, Ammonis ſcilicet, & Thamar extitit paruiſſimo ſpacio commoratio. Hinc ad malum, ſolitudo, & tenebrę affectantur. Quis me videt? tenebræ circundant me, & parietes cooperiunt me, & nemo circumſpicit me, quem vereor? dicebat adulter *Eccleſiaſtici* 23. ſicut, & alter apud *Iob.* 24. Oculus adulteri obſeruat caliginem, dicens, non me videbit oculus, & operiet vultum ſuum. Et quidem ex generali principio, Omnis qui malè agit odit lucem, vt non arguantur opera eius. *Io.*3. Hinc Iuſtinianus *Nouell.* 133. voluit Monachos, Inuicem teſtes eſſe mutuæ honeſtatis. Et *Authent. coll.1. tit.5. cap.4.* Teſtes alterutris eſſe honeſtatis, & caſtitatis, & S.Baſil. *in regulis fuſius explicatis cap.32.* præcepit, Ne ſimulatione propinquorum viſendorum à reliquis Fratribus diſcedant, ac vitam in obſcuro ſine teſtibus agant. Vnde Sanctus Bernardus *apud Trullum lib.4.in regul. S. Auguſtini cap.10. §.2.* conſuluit Eugenio Papę Bonos contubernales habeto, qui vitæ, & honeſtatis tuæ ſint cuſtodes, & teſtes, Quod feciſſe conſtat ſanctum Lodouicum Epiſcopum Tholoſanum, de quo legitur in officio, Fratres intantum duo, & aliquando tres in ſua camera dormiebant, in teſtimonio ſuæ nitidę puritatis. Et fuit pręceptum à Papa Lucio Primo Epiſcopis occidentis, Vt ſemper teſtes vobiſcum ſacerdotes, & diaconos habeatis. Et licet conſcientia ſufficere poſſit propria, tamen propter maleuolos, iuxta Apoſtolum 1.*Tim.*3. etiam teſtimonium vos oportet habere bonum ab ijs, qui foris ſunt. Et Petrus Bleſſenſis *in Inuect.de ſe*, ait, Diù à retroactis temporibus aliquem tui ordinis virum ſemper mecum habui, meę conuerſationis teſtem, meiquè corporis, & animæ Angelum, & Cuſtodem. Quia, vt ſanctus Theodorus ſtudites *in ſuo teſtamento* dicebat, *Vnius facilis eſt calumnia*. Et propterea dixit ſanctus Ambroſius *lib.2. in Lucam, Ioſeph. locupletior teſtis pudoris maritus adhibetur*.

Solitudo, & tenebræ malorum fomẽta.

Socius neceſſarius

Neceſſaria, Quia per canones, & ordinis ſtatuta præcipitur. *cap. Monachi. de ſtato Monach. Ne ſoli inter ſæculares homines ſpiritualium hoſtium conflictum expectent. cap. in omnibus. d.81. Certè ſolum ad ſolam accedere nulla religionis ratio permittit. Melius enim eſt eſſe duos ſimul, quam vnum, ſimul enim, & fidelius, & tutius res geritur. Væ vni, quia ſi ceciderit non eſt, qui erigat eum.* Idequè *ex regula S. Baſilij*, In concilio Aquenſi, coacto in cauſa Monachorum S.Benedicti anno 819. *Vt Monachi, ſoli vedelicet, & ſine alio Fratre in via non dirigantur.* Clemens Octauus 25. *Iunij* 1599. *de reform. regularium*, decreuit. *Nullus è Conuentu egredi audeat, niſi ex cauſa, & cum Socio, licentiaquè ſingulis vicibus impetrata à Superiore, qui non aliter eam concedat, niſi cauſa probata, ſociumquè exituro*

adiun-

adiungat, non petentis rogatu, sed arbitrio suo, neque eundem sæpius. Statuta Salmanticensia *c.2. Nec portam Conuentus exeant, nisi causa translationis, vel Generalis processionis, vel alia iusta, seu rationabili causa, per Guardianum, & Magistrũ iudicanda*. Statuta item ordinis id seuerissimè sanxerunt. Nam sub Iulio secundo *in cap.2. regulæ partic. 2.* decretum fuit. *Nec tempore Nouitiatus mittantur foras extra Conuentum, nisi ratione alicuius processionis, in villa, vel Ciuitate, vel Castro, vel nisi pro causa rationabili, & necessitate vrgente interdum aliquando mittantur cum Guardiano, vel eorum Magistro, aut aliquo probo Patre, citò reuersuri*. Et postea de professis *in cap.3. regulę particula 15. Nullus Frater vadat foras pedes, aut eques, nec sine socio Fratre alicubi commoretur, alias grauiter puniatur: Et Fratres insolentes similiter non mittantur foras, vel in Villam, aut Ciuitatem, vbi morantur, sed si causa vrgente aliquando tales oporteat mittere separatim, cum bono, & honesto Fratre mittantur*. Anno autem 1590. in generali Congregatione Neapolitana *cap.27.* statutum fuit. Religiosæ honestatis gratia, & laudabilis, ac probatæ consuetudinis conseruandæ studio. Decernimus, vt nemini Fratrum, quouis prætextu de loco ad locum, sine socio abire liceat, sub apostasiæ nota, ipso facto incurrenda. Et anno 1603. in Generali Conuentu Romano, ordinatum est, Assignetur cuilibet mittendo socius, iuxta qualitatem personæ, sicuti pluries institutum est, secundum doctrinam, & documenta Sanctorum Patrum. Inter quos præcipuè gloriosus Sanctus Gregorius scribens Ioan. Diacono Rauennensi, grauis criminis condemnat Abbatem Cõstantium, qui solus absquè socio pergerat ad Monasterium in Picena situm Prouincia, ex qua sanctissimi Doctoris, & Papæ sententia cognoscimus, quod religiosus ille, qui ambulat sine teste suarum actionum, rectè non viuit. In statutis Vallisoletanis *cap.3. pag.69.* ordinatum fuit in hæc verba, Publicæ, ac religiosæ honestatis conseruandæ gratia, perpetuæ consuetudini inhærentes, statuimus, vt nulli Fratrum sine socio iter facere liceat, sine apostasiæ nota, ipso facto incurrenda, &c. Quæ omnia à sacræ scripturæ fonte, & sanctorum exemplis deriuant. Christus enim Dominus discipulos suos, binos, misit ante faciem suam, *Luc. 16.* Et nunquam legitur Apostolos solos ab eo missos. Alia multa exempla idem Nigronus recenset à *num.16. ad 17.*

STATVTVM XXXIII.

Cum Sæcularibus, etiam parentibus, ac cum quibusuis alijs Religiosis, Nouitium loqui non liceat, nisi cum licentia, &c.

Clemens Octauus in Institutione Nouitiorum ait. Si quis Nouitiorum quempiam alloqui voluerit, Magistro præsente, & non aliter alloquatur. Statuta Papalia Iulij secundi *cap. 2. particula 2.* sic ordinant. Tempore Nouitiatus non loquantur nouitij cum aliquo sęculari, vel religiosis alterius religionis, sine licentia Guardiani, vel Magistri sui, & in alterius eorum præsentia, vel alicuius probi Patris, per Guardianum deputati. *Salmanticensia capit.2.* *Nouitius cum exteris nõ loquatur.*

pit. 2. Non loquantur Nouitij cum aliqua persona sęculari, aut religioso alterius ordinis, nisi suo præsente Magistro, vel alio, per ipsum, aut à Guardiano deputato.

Familiaritates deuitet. Rationem statuti reddidit Sanctus Basilius *in regulis fusius explicatis cap.* 15. Nam facillimè labitur, & difficulter informatur animus adolescentis, qui huc, illucquè discurrens, diuersa cum Fratribus profert eloquia, & varia percipit documenta virtutum. Ideo monebat S. Bonauentura *in Regula Nouitiorum capit.* 11. Toto tempore vitæ tuæ studeas, quantum poteris familiaritates sæcularium deuitare, generatio enim infidelis est, & peruersa. Ad cautionem tuam animaduerte quæ dico, si non vis decipi in via Domini, fuge consortia hominum sæcularium, caue occasiones tentationum, & non videas, nec audias quæ mundi sūt, ne corpore associatus eis, etiam mente coinquineris. Vt ergo melius vincas, & tutius viuas, fuge, tace, quiesce, abscondere, elongare, ama nesciri, disce mori, luge præterita, sperne præsentia, meditare futura. Thom. de Chempis *in dialog. nouitiorum cap.* 4. *n.* 3. *qui n.* 4. subiungit. *Nam rarò diù bonus permanebit, qui sæcularibus personis libenter se immiscet. Citò deuotionem suam perdet, qui sollicitè eam non custodit, sed varia amicorum solatia petit.*

STATVTVM XXXIV.

Nouitij studijs operam non nauent, sed deuotioni, Regulæ, diuino officio, orationi post matutinum, & completorium, &c.

Nouitij non studeāt, nisi orationi, & regulæ. De oratione, Regulę intelligētia, & spiritualibus exercitijs. Clemens Octauus in Institutione *Nouitiorum* §. *Curam adhibeant* & §. *Quilibet*. *Nouitius*. Et Iulius Secundus *in Statutis generalibus, & Papalibus cap.* 2. *part.* 1. Et de studio literarū vetito ibid. *Et vt prædictis efficacius vacare possint, ordinamus, iuxta etiam antiqua ordinis statuta, quod toto tempore suæ probationis, studio literarum non intendant*. Statuta autem antiqua hic citata sunt Farineria, Barcinonensia, Narbonensia à Sancto Bonauentura composita, & replicata in Statutis Salmanticensibus c. 2. vbi sic dicitur. *Nouitij suæ probationis tempore, studio Scholastico non intendant, sed diuinum addiscentes officium, ac omnia suo statuti conuenientia, studio orationis, & deuotionis vigilanter insistant*. Vallisolet. anno 1565. de mandato Pij Quarti per Cardinalem Crebellum publicato. *Eiusmodi autem Nouitij suę probationis tempore, studio Scholastico non intendant; Sed diuinum officium, & omnia suo statui conuenientia addiscentes, studio deuotionis, & orationis vigilanter insistant*, ac à principio nascentis religionis vsui commendata; Beati Patri Fräcisci exemplo, & præcepto: nam cap. 10. Regulæ ait. *Non curent nescientes literas, literas discere, sed attendant, quod super omnia habere debent, spiritum Domini, &c.* Quæ etsi de Laicis interpætentur, tamen multò magis intelligenda esse de nouitijs, patet exemplo eiusdem Seraphici Patris, qui nouitio psalterium petenti ex licentia Vicarij generalis, illud retinendi, noluit assensum præbere, eiq; in pęnam, cinere caput adspersit, vt post alios refert P. Vuadingus *an.* 1220. *num.* 25.

n. 25. qui in fine addit memorabile dictum Sanctissimi Patriarchæ *Tantum habet homo de scientia, quantum operatur; et Religiosus tantum est bonus orator, quantum operatur.* Vnde Sanctus Bonauentura *par.* 1. *Inst. nou. cap.* 14. ait nouitio *Lege Sanctorum uitam, & doctrinam, vt in comparatione eorum semper humilieris, & instruaris, & accendaris ad deuotionem. Nec leges, quæ non ædificant, quia uana lectio, uanas generat cogitationes, & extinguit mentis deuotionem.* Nouitij enim inter cæteros (vt apud Cassianum *lib.* 3. *de Inst.* dicebat *Sanctus Theodorus Monachus) Plus in vitijs extirpandis, quam in libris euoluendis operæ ponere debent.* Et vt Hugo *de Claustro animæ lib.* 3. *Ieiunijs, & flectibus insistere, non autem philosophari, quia simplicitas Nouitij philosophia eius est.* Et satis profecisse credendus est nouitius, si (vt dicebat Beatus Ægidius, Sancti Patris Francisci discipulus) *Scientiam acquirat benè, beatèque viuendi.* Cui allusit Thomas de Kempis *lib.* 1. *de imit. Christi cap.* 3. *nu.* 3. dum dixit. *Hoc debet esse negotium nostrum, vincere videlicet se ipsum, & quotidie se ipso fortiorem fieri, atque in melius aliquid proficere.* Et in fine, *Verè doctus est, qui Dei voluntatem faciat, & suam relinquit. Isti enim sunt docibiles Dei Io.* 6. *num.* 45. id est vt *Isaias* 54. ait, *Doctis à Domino,* qui in anno nouitiatus, non ab Aristotile, vel ab alio temporali magistro, sed à Deo, per magistrum sibi constitutum, doceri debent spiritus incunabula; quia vt ait *S. Leo. ser. de Pentecoste, Vbi Deus est magister, citò discitur, quod docetur.* Quia ex Augustino *in Epist.* Ioann. *tract.* 3. *Quos Spiritus Sanctus intus non docet, indocti redeunt.* Nec humanas scientias acquisituri, religionis habitum Nouitij suscipiunt, sed *scientiam salutis,* mortificationem passionum, vitiorum expugnationem, virtutum lucra. Nam vt aduertit Ioann. Mangurgus Abbas *in Dietario exercitiorum tit.* 4. *alphabeto* 13. *membro* 2. *lit. M.* Religionem Sacram scolam esse, non tam illuminandi intellectus, quàm affectus inflammandi, & bonorum morum conquirendorum. Vnde omne Religiosorum studium maximè in mores conuertendum est, & in affectu. Et infra. *Nouitijs non multum vacat lectioni, ac studio immorari, sed ante omnia ea, quæ ordinis sunt oportebit addiscere.* Et citat S. Bonauenturam dicentem. *Nouitiorum studium in orationis instantia, & in diuini exercitio officij, maximè debet esse.*

STATVTVM XXXV.

Nouitium, vel ad aliam Religionem transire, vel ad Sæculum redire volentem, nullus impedire: vel ad profitendum cogere præsumat. Qui eius voluntatem quoquo modo, ne professionem emittat, impedierit Anathema sit.

Cogētes virū ad habitum, vel professionem an excommunicati sint.

Cogens mulierem ad ingrediendum monasterium, ad suscipiendum habitum, vel ad professionem emittendam, nisi in casibus a iure permissis, peccat mortaliter, & est ipso iure excommunicatus. *Trid. Sess.* 25. *cap.* 18. *de regular.* quæ dispositio non extenditur ad mares; tum quia de illis non fit mentio, vt fit *cap.* 9.

K *Sess.*

non eorum sunt, qui eos proferunt, sed illos suggerentis: non dubites horum ore diabolum esse loquutum: Vt refert Io. Monac. *lib.* 1. *vitæ S. Odonis cap.* 13. *& Sur.* 18. *Nouembris*. Similibus verbis incurrerent excommunicationem, quia sunt valdè impeditiua voluntatis.

Sed an si vera dicens, nouitij voluntatem auerteret à professione, puta, quia inibi regula non obseruatur, incurreret excommunicationem? Respondeo negatiuè, quia excommunicatio sine peccato non incurritur, at non est peccatum dicere nouitio, ne profiteatur regulam, quam non obseruabit, cuiusquè professione, se in periculum damnationis inijciet.

Quid si conetur auertere nouitium à professione, & faciat quantum poterit, non tamen fiat voti compos, erit ne excommunicatus? Respondeo negatiuè, quia non incurritur, nisi sequatur effectus. Et non prohibetur sub hac pęna conatus, sed ipsum actuale impedimentum. Ita vt verè non profiteatur; ait enim statutum. *Quo minus professionem emittat*.

Cæterum totius statuti mens est libertatem nouitij asserere, nec illam vel tantillum lædere, quod est sacrorum canonum, sacriquè Tridentini Concilij præcipuum intentum: ob hoc enim *Sess.* 25. *de regul. cap.* 16. præcipit bona nouitiorum non dari conuentui intra annum nouitiatus, *Ne* (inquit) *hac occasione discedere nequeat, & c.* 17. vult virgines examinari ab ordinario, *Prospiciens libertati professionis Virginum, Deo dicandarum, & c.* 18. excommunicat cogentes mulieres ad ingressum Monasterij. *cap.* 19. datur modus reclamandi contra professiones factas per vim, & metum. *Et toto tit. de his, quæ vi, metusuè causa fiunt*: præcipuè *cap. perlatum*, in quo inualidatur professio mulieris facta per metum; est enim professio actus voluntatis omninò liber, quo profitens Deo, se per votum obligat. Ergo nullo modo cogi potest, aut debet. Hinc non excluditur suasio charitatiua, qua Nouitius discedere paratus ad bonam frugem reducitur, quia hæc non est coactio, nec est peccatum, sed est persuasio ad perseuerantiam; & actus charitatis, extant infinita, & quotidiana exempla. Statuta Papalia Iulij secundi. *cap.* 2. *particula* 2. aliam causam reddunt. *Nec* (inquiunt) *redire volentes, importunè ad sæculum, impediantur, quia nouit Dominus, qui sunt eius*. Et Salmanticensia cap. 2. *Caueant Guardiani, & ipsorum Nouitiorum Magistri, ac Fratres alij ne quem infra annum probationis aliquatenus impedire præsumant, sub pœna priuationis suorum officiorum, quo minus, vel ad aliam religionem, quam maluerit, transeant, vel omninò ad sæculum reuertatur, sicut de sua processerit voluntate*.

Professio liberè fieri debet.

STATVTVM XXXVI.

NOVITIORVM MAGISTRI

Eligantur in caputulo per diffinitorium, saltem ad triennium. Et si interim defecerint, per idem Diffinitorium subrogentur.

Nouitiorũ Magister in capitulis eligatur. Quæ sunt verba Clementis VIII. in sua *Instruct. Nouit.* §. *Nouitiorum Magistri.* Antiquitus in ordine constituta, in *Salmant. cap.* 2. *Vallisolet. anno* 1565. *Neapolit. cap.* 18. *Papalia Iulij II. cap. 2. par.* 1. *Ad quos diligenter informandos assignetur eis in capitulo Prouinciali Frater probus, & circumspectus, qui &c. Toletana, anno* 1633. *Titulo de obseruatione Regulæ,* §. *quia verò parum esset.*

STATVTVM XXXVII.

Qui sint annorum quadraginta, aut amplius.

Magistri ætas. Clemens Octauus aliquid minus designat inquiens. *Ipse Magister Sacerdotali ordine sit initiatus, & in quinto saltem supra trigesimum ætatis suæ anno constitutus, & per decennium à proffessione emissa in religione perstiterit.* Licet enim in moribus senectus existat, & ętas senectutis sit vità immaculata, Vt ex *Sap.* 4. didicimus: Vnde Anacletus Papa relatus *cap. fin. d.* 84. præsbyteros vocatos ait, *Non propter senectutem, sed propter sapientiam.* Et S. Isidorus *in Chronicis,* Senatores, *Præsbyter vnde dictus, & qui veri senes.* & Patres Reipublicæ appellari dixit, qui in consilijs, & sententijs aderant, non ab ætate, sed à prudentia, & sollicitudine. Cuius oppositum repræsentant senes canitie, non moribus, qui *bis pueri* apud Philonem in principio libri, *Resipuit Noe,* veteri prouerbio appellantur. Et *Isaias cap.* 65. *Puerum centum annorum,* Et 1. *Cor.* 14. *Pueros sensibus.* Nobis ostendunt. Non enim qui multum alto iactatur, & huc illucq; ventorum impetu rapitur, ille magis nauigat; sed qui portum attingit, vt inquit Seneca *de breuit. vitæ, cap.* 8. Ita nec qui multum viuit Senior dicendus est, sed qui multum sapit. Senior fuit Daniel præsbyteris improbis, & Salacibus, vt tradit S. Basil. *hom.* 12. *in princip. prouerb.*

Senectutis laudes. Verum enimuero, licet in magistratu bonitas, prudentiaquè cæteris partibus præferatur, *Et antiquior Frater in ordine, vel alius in officio præeminens, licet ætate sit iunior, Senior appellatur.* S. Bonauentura *in speculo disciplinæ Nouit.* 1. *part. cap.* 5. Attamen, quia Maturitas ætatis suo iure authoritatem conciliat, vt inquit Cicero *in Orator.* ideo de ætate præcipua ratio habenda est, quæ vel senectus sit, vel ad senectutem approprieт. *Seniores enim* (vt dicebat Æschines *contra Ctesiphontem*) *ob experientiam, optima consilia dare solent. Crescentes sapientia, ætate fiunt doctiores.* Ex Hieronymo *ep. ad Nepot. Iis decreta Patrum sanxerunt reuerentiam,* ex Zosimo Papa relato. *cap. contra statuta* 25. *quæst.* 5. *Vigor deuotionis, & fide (corpore etiam senescente) non deficit. Sed vrgente deorsum conditione corporea, feruor spiritus in sublimiora conscendit.* Ex Alex. 3. *cap.* 1. *de renunciat.* Quibus vt dixit Innocentius Tertius *cap. nisi cum de renunciat. Senilis debilitas aliquando operatur, quod ait Apostolus* 2. *cor.* 12. *Cum infirmor, tunc fortior sum, quia nonnunquam corporis infirmitas fortitudinem cordis augmentat.*

Magister nouitiorum debet esse patiens. Equidem compertum est, Magistrum Nouitiorum, vel in primis patientem esse debere, vt ad perfectum suos discipulos conducat *Patientia enim opus perfectum habet. Iac. cap.* 1. & inter pręcipuas virtutes senum, patientia numeratur, vt *ad Titum* scripsit Apostolus *cap.* 2. *Vt sint prudentes, Sani in fide, in dilectione, & patientia.*

Vitijs, & concupiſcentijs, vel carere, vel efferbuiſſe, quod non niſi in ſenibus reperitur. Nam vt dixit Seneca *de Senectute*. *Non ſenſio in animo ætatis iniuriam, cum ſenſiam in corpore, tantum vitia, & vitiorum miniſteria ſenuerunt: viget animus, & gaudet, non multum ſibi eſſe cum corpore, magnam partem oneris ſui depoſuit.* *Abſq; cōcupiſcentijs.*

Sapientia præditum. Et *Sapientia ætas condimentum eſt, ſapiens ętati cibus eſt*. Ex Plauto *in Trinummo*. Et S. Hieronymus *ad Nepotem*. *In ſenibus creſcit ſapientia.* *Sapiens.*

Experimento didiciſſe, vt practicè doceat: & nulli dubium eſt, experientiam in ſenibus reperiri, vt cecinit Euripides in Phenis. *Huic* (ſenectuti) *temporis longinquitas tribuit experientiam: acrior hinc ſenum, quàm iuniorum orationis vigor.* *Expertus.*

Exemplaris, quod debeat eſſe exemplum Nouitijs regularis diſciplinæ, vel ipſa docet experientia: mouent enim magis exempla quam verba. Et Sanctus Ambroſius philoſophatus eſt, *Senes ob experientiam anteactæ vitæ alios exemplo ſuo docent, illa omnia contemnere.* Et Tito ſuo quem ob bonitatem, Eccleſię pręfecerat, ſcribit Apoſtol. *c.2. In omnibus præbe teipſum exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in grauitate morum.* Quæ vel ipſum adoleſcentem ſenem efficiunt. Verebitur ſiquidem Magiſter religioſus, & Longæuus, canitiei ſuæ crimen inferre, exemplo Eleazari, qui 2. *Machab.6.* dicebat, *ætatis noſtrę dignum non eſt fingere, cum vita pariter exceſſurus, nihil indignum hac ſenectute de beam committere.* *Exemplaris.*

Cæterum deſtinari Magiſter nouitiorum, qui tempore, iuxta Clementis VIII. præſcriptum ſit inſtructus, legitimè poterit, quia ſtatuta ordinis, etſi ſtrictiora, nec vtantur, ob Clementinam inſtructionem obſeruari, nec vrgente neceſſitate, reduci ad terminos Clementinos, dummodo circa mores pręcipua ratio habeatur.

STATVTVM XXXVIII.

Qui triennio ſaltem Guardianatus officio laudabiliter functi ſint.

Vt experimento ſciat nouellas plantas excolere; & intelligamus quam graue munus ſit Nouitios inſtituere, cum Guardianatus, qui eſt ordinaria prælatura ordinis, & ad quem totius diſciplinæ regularis conſeruandæ norma committitur, eſt diſpoſitio, ac præludium ad magiſterium nouitiorum. *Magiſter ſit antea Guardianus.*

Quia verò per ſtatuta ordinis, ad Guardianatum nullus aſſumi poteſt, niſi decem annos in religione tranſierit, conuincitur, adimpleri noſtro ſolidatio allegata in Superiori §. Inſtitutio Clementina.

Verum dubitare quis poſſet, an Magiſter nouitiorum eſſe poſſit, qui non ſit Sacerdos, cùm Guardiani inſtituantur aliquando non Sacerdotes.

Reſpondeo negatiuè, quia id expræſsè præcipit Clemens VIII. ſupra relatus, dicens. *Ipſe Magiſter Sacerdotali ordine ſit inſignitus, & §. quilibet Nouitius,* præcipit. *Ipſi autem Magiſtro ſoli Nouitiorum confeſſiones audiendi cura* *Sacerdos.*

committuntur. Quod facere nisi Sacerdotes possunt.

Vnde colligitur, Laicos, qui aliquando nouitijs Laicis præficiuntur, vt illos inferiora ordinis seruitia doceant, non esse, nec vocari posse, Magistros nouitiorum, cũ idem Clemens Octauus etiam Laicorum nouitiorum institutionem vni soli magistro Sacerdoti committat, §.*cum autem*, & abusus iste, etiam nomine tenus eliminandus est,

STATVTVM XXXIX.

Humanioribus literis præditi, ac Ecclesiastici cantus scientia instructi sint, graues, prudentes, maturi, et discreti.

Scientiam habeat.

Hęc omnia ex supradictis, solùm tango scientiam, quæ vel ex officio, & nomine magistri necessaria apparet, itaut tali nomine indignus sit, qui literas nesciat. Probat hoc Sanctus Thomas commentans *cap.9.5. politic. Arist. Oportet* (inquit) *quod habeant scientiam Principes, & in ducatu exercitus, & in regimine ciuitatis, alter enim* (nota hanc rationem ad rem præsentem) *non possunt dirigere in finem intentum ea quæ sunt ad finem*, & vt idem ait 1. 2. *quæst.76. art.2. Singuli scire tenentur ea, quæ ad eorum statum, vel officium spectant*. Et Sanctus Bernardus *lib.1.de consid. cap.1. officia* (inquit) *bonos facilius recipiuntur, quam faciant; quare ad ea viros probatos oportet deligi, non probandos*. Et non est dubium, quod Magistri nouitiorum habeant curam animarum, quia sunt illorum Superiores, & veluti Parochi, & propterea tenentur illos dirigere in viam salutis, & perfectionis, eis dubia tollendo, veritatem infundendo, morum probitatem proponendo. Hinc de pastoribus dicitur. *Hier.3. dabo vobis pastores iuxta cor meum, qui pascant vos scientia, & doctrina*. Et *Ier.32. Non vocabitur vltra is, qui est insipiens Princeps*. Et *cap.56. Pastores ignorauerunt intelligentiam*. Quia vt dicit Bernardus *ser.76.in cant. Quomodo in pascua diuinorum eloquiorum educet greges domesticos pastor idiota?* Et notanda est ad rem de qua agimus metaphora Apostol.1. *cor.3. Vt sapiens Architectus fundamentum posui, quod est Christus Iesus*. Et hoc non fit, nisi destruendo vitia, & amputando inordinatas passiones iuxta sẽtentiam Magni Greg.3.*p.pastor.c.35. Quia nisi prius peruersa destrueret, ædificare vtiliter recta non posset*. Et si quis est Architectus, qui in religione fundamẽta collocet, is est nouitiorum Magister, qui nouos discipulos, Christum Crucifixum debet verbo, & exemplo docere, ideo sapiens esse debet omninò.

Qualis sciẽtia in magistro requiratur.

Et licet ex scopo officij doctrina horum magistrorum, debeat esse tanta, & talis, quæ ducat nouitios in agnitionem perfectionis, cui toto vitæ tempore studere tenentur, eaq; consistere possit sine humanioribus literis, vt in B.Francisco minimorum parente, & alijs patuit, qui discipulos instruxerunt, perfectosquè reddiderunt absquè eo quod talibus studijs operam nauassent; desidereturquè in illis scientia non humana, sed quam vocat Euangelium, *Scientiam Sanctorum*, quæ in humilitate, oratione, charitate, alijsquè virtutibus consistit, quæquè è nostro Seraphico Parente summis votis optabatur, & omnibus neruis intendebatur;

debatur: attamen, cum debeamus instituta media ad hunc finem arripere, debemus etiam humanioribus, sacrisquè literis esse imbuti, vt malè legentes nouitios emendare, malè intelligentes instruere, malè operantes corrigere valeamus: vt quotidianis sermonibus, & collationibus eosdem spiritu perfectionis accendere, ad mundi contemptum inflammare, ac passiones domandas, tentationesquè vincendas accingere possimus. hæc enim vix, aut pœnè vix, sine studio pro dignitate, & vtilitate præstari possunt. Ideo spirituali habilitati Magistri, aliqualis competensquè eruditio copulari debet; maximè cum soleant, & quidem sæpius, admitti ad habitum nouitij, humanioribus, & Sacris, etiam literis imbuti, quos idioto magistro subijci graue est, &c.

STATVTVM XL.

Qui Magisterium nouitiorum sine causa recusauerit, ad religionis officia sexennio sit inhabilis, &c.

STATVTVM XLI.

Qui illud triennio dignè obierit, ad omnia religionis officia promoueri possit.

Vt spe, metuquè, per virtutis amorem, & pœnæ formidinem religioni inseruiat: sciatquè humilitatis insigne esse, *In omnibus præceptis seruare obedientiæ mansuetudinem, & patientiæ constantiam*, vt Abbas Paphnutius cuidam adolescenti dixerat *apud Cassian. in Institut. lib. 4. cap. 39.* Renunciare enim huic magisterio, vel fit propter humilitatem; sed hæc, dum pertinaciter resistit, superbia est, non humilitas, vt doctè, sapienterquè respondit Innocentius Tertius Episcopo Arelatensi. *cap. Nisi cum pridem. de renunciat. Quod si forsan* (inquit) *humilitatis causa de culmine quæris pontificali descendere, eo ipso humilitatis videris eligere malè verticem, quod te nimis in resignandi proposito exhibes pertinacem, quia tunc in te veram humilitatem custodes, cum & per eam locum sublimem fugies, & per obedientiam non dimittes.* Et licet ex Sancto Bonauentura. *de profectu religios. lib. 2. cap. 41. Infimus gradus obedientiæ sit obedire ex timore supplicij*; & huic proximus sit *Pro spe præmij potius, quam pro timore supplicij ad iniunctæ voluntariè obedire.* attamen ex eodem, *in speculo disciplinæ nouit. par. 1. cap. 5.* omninò *Cauendum, ne dum nimis vitatur præsumptio, inordinationis accedat confusio. Vitanda est absquè disconuenientiæ nota, maximè in Congregatione. Locus verò Superior, ad quem necessitas, vel Superiorum trahit inductio, præsumptionis vitium non inducit: porrò molesta est humilitas, quę contentioni deseruit.* Rem omnem absoluit S. Thomas 2. 2. *quæst.* 185. *art.* 2. *in corpor.* dicens, *Ad inordinationem voluntatis pertinet, quod aliquis omninò contra Superioris iniunctionem gubernationis officium finaliter recuset, propter duo. Primò quia repugnat charitati proximorum, quorum vtilitati se aliquis debet exponere pro loco, &*

Humilitas pertinax, est superbia.

ro, & tempore, vnde dicit Augustinus 19. de ciuit. Dei, cap. 19. Negotium iustum suscipit necessitas charitatis. Secundò, quia hoc repugnat humilitati, per quam aliquis, Superiori mandato se subijcit. Vnde Gregorius dicit in pastorali par. 1. cap. 6. Tunc ante Dei oculos vera est humilitas, cum ad respuendum hoc, quod vtiliter subire præcipitur, pertinax non est. Et cum nulli dubium sit, pertinaciter renitentem ad iustum Superioris præceptum in re tam graui, peccare mortaliter, ideo non est mirum, si tam rigorosè puniatur.

Quod autem additur, *promoueri posse ad omnia religionis officia qui magisteriũ nouitiorũ per triennium rectè obierit.* non est de remota potentia intelligendum, sed proxima, quia omnes Fratres, qui exceptione non laborant, ad ordinis dignitates promoueri possunt, vnde nil operaretur nouitiorum magisterium dignè exercitum. Si de sola remota potentia acciperetur, quod omninò tantorum patrum sanctioni repugnat. est igitur mens ordinis, vt tales cæteris præferantur; deque ipsis præcipua ratio habeatur. Particula enim, *Possunt*, inquit (ex Rota Barbosa) *dict. 268. n. 4.* importat necessitatem, & obligationem ratione subiectę materiæ. Licet enim ex proprietate verborum non necessitatem, sed simplicem potentiam significet, ab ea tamen ex coniectura mentis quandoquè receditur. Exempla ponit Aliciatus *in l. nepos proculo suo. de verb. signif.* igitur & necessitatis interdum nota est, *vt l. sæpè. de officio præsidis.* illis verbis. *sæpè audiui Cæsarem nostrum dicentem, hac rescriptione. Eum qui prouinciæ præest, adire potes, non imponi necessitatem Proconsuli, sed Præsidi prouinciæ suscipiendæ cognitionis. Sed eum æstimare debere ipse cognoscere, an iudicem dare debeat. Et l. non potest. ff. de Iudicijs, & vbi quisquè agere vel conueniri potest. Et l. non potest. ff. de diuisione rerum, & qualitate. l. si mandauero. ff. mandati.* vbi *potest.* ponitur pro, debet. vt in suo Lexico dicit Io. Caluin. *V. posse. pag. mihi* 1551. Debet igitur ad officia ordinis, sibi conuenientia promoueri, si requisitis qualitatibus reperiatur instructus, cuius rei indicium electoribus reseruatur.

Possunt, aliquando necessitatẽ importat.

STATVTVM XLII.

De Nouitijs ad professionem admittendis.

Ante quam professionem emittant, exproprientur, quia sibi aliquid reseruare, regulę puritati repugnat.

Proprietas enim voto paupertatis est ex directo contraria; nam vt Vulteius ait *in l. 2. tit. 4. §. 1. nu. 3. in comment. institutionum. Proprietas propriè est Ius, quo res ipsa perfectè mea est, non ratione iuris alicuius in illa constituti.* Et dicit dominium, quod essentialiter includit, quod habens illud, possit rem liberè, & suo arbitratu vsurpare absquè alterius iniuria, libereque ea vti independen-

Proprietas est paupertati contraria.

pendenter ab alterius voluntate. Valentia *tom.3.disput.10.qu.4.pun.3.* & communis. Et ex altera parte paupertas religiosa est abdicatio omnium rerum temporalium opere, & voluntate propter Deum, & perfectionis desiderium, vt Aluarez tradit hinc colligunt Doctores cum S.Thom. 2.2. *q.* 186. *ar.* 1. cum paupertatis votum sit essentiale religioni, non posse religiosum esse proprietarium, quo fundamento innixus Innocen.111.*cap.cum ad Monasterium.de statu monachorum*, declarat, *Quod abdicatio proprietatis, sicut, & custodia castitatis, adeo est adnexa regulæ Monachali, vt contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere*. Et ratio est, quia proprietarius, & Monachus contradictoriè opponuntur. Hinc *cap. Monachi. Eodem tit. Prohibetur districtè in virtute Sanctæ obedientiæ, & sub obtestatione diuini iudicij, ne quis monachorum proprium aliquo modo possideat.* quod replicatur in *Concil. Trid. Sess.25.de regul. cap. 2. Nemini regularium liceat bona mobilia, vel immobilia, cuiuscumquè qualitatis fuerint, etiam quouis modo ab eis acquisita, tanquam propria, aut etiam nomine conuentus possidere, vel tenere, &c.* Et licet non repugnet, posse Nouitium sibi reseruare vsumfructum, sibi aliquo modo competentem de licentia Superioris quia hæc licentia eximit illum à propietate, vt ex Bart.*in Authent. Ingressi.de Sacros. Eccles.n.*20. Graffio.*de casib.reser.cap.*4. *n.*51.*&* Nauar.*com.*2.*de regul.num.*38.*firmat* Peirin.*tom.*1. *quæst.*2.*cap.*2.§.1.*V. Colligitur* 7.*& ante illum* Rodrig.*tom.*3. *quæst.*17. *art.*6.*apud* eius Abbreuiat.*resol.*101.*num.*58.*apud quem* Couar.Salsedo.Ber. Diaz.Mencha.Cucus, Spinos, Grat.Zanol. Azor.Sanchez: Transit enim talis vsusfructus ad monasterium in persona monachi, quam sustentare monasterium aliàs teneretur. Attamen hoc minoricæ religioni repugnat, cui nec in communi, nec in particulari proprium habere permittitur.*cap. Exijt, qui seminat.*§.*porrò.de verb signif.in* 6. Et omnes alij scribentes cum *Trid.Sess.*25. *de regul.cap.*2.*& circa declar. Greg.*9.*art.*4.ait enim regula.*Fratres nihil sibi approprient.*

Paupertas religiosa quid sit.

Nouitius potest reseruare sibi vsumfructum cũ licentia prelati in professione.

STATVTVM XLIII.

Guardiani, Nouitiorum Magistri, & alij Fratres caueant, ne Nouitium inducant, vt sibi, vel conuentui aliquid in testamento relinquant, sub pœna proprietariorum, & priuationis officiorum.

Sic regula *cap.2.Caueant Fratres, & eorum Ministri, ne solliciti sint de rebus suis temporalibus, vt liberè faciant de rebus suis quidquid Dominus inspirauerit eis. Si tamen consilium requiratur, licentiam habeant ministri mittendi eos ad aliquos Deum timentes, quorum consilio bona sua pauperibus erogentur.* Quod ex prima regula Sanctissimus paupertatis amator correxit.in illa enim sic dicebatur.*Caueant Fratres, & Ministri, quod de negotijs suis nullo modo se intromittãt, vel accipiant aliquam pecuniã per se, vel per interpositam personam. Si tamen indiguerint, alia necessaria corporis, præter pecuniam recipere possint Fratres cau-*

Nouitios ad sibi aliquid relinquendũ nõ suadeãt.

sa ne-

sa necessitatis, sicuti alij pauperes. Erat enim hoc iuri communi *c.certè ergo. 12. quæst.1.* citato à S.Bonauentura *in exposit.regul.cap.2.* Et paupertatis rationi conforme; vnde S.Bened. *in regul.cap.58.* ordinat. *Res quas habet, aut eroget prius pauperibus, aut facta solemniter donatione, conferat monasterio, nihil sibi reseruans quippe qui ex illo die nec proprij corporis potestatem se habiturum sciat.* Quia tamen Euangelicæ paupertatis candor, nouitiorum donationibus obfuscari poterat, etiam quę ab alijs petere possumus, à nouitijs recipi non permisit. Idque intelligitur, nedum antequam ordinem ingrediantur, sed multò magis post susceptum habitum, & tempore expropriationis, vt declarauit Clemen. V. *cap.exiui.de verbor.signif.§.dubitauerunt, & dubitant.* Citatus ab Hugone de Dina *in expos.regul. c.2.* Et à Statutis Papalibus sub *Iulio II.cap.2.partic.1.* & Salmanticensibus, *cap.2.pag.8.* Vbi proposito dubio respondet. *Dicimus de cætero debet tam ministros, quàm Fratres cæteros à dictis inductionibus. ad sibi dandum, & suasionibus, nec non à dandis circa distributionem consilijs abstinere.* Quibus verbis, persuasio ad dandum Fratribus, secernitur à dando consilio.

Possunt tamen in aliquo casu dare cõsilium.

Quæres primò. An peccent Fratres consulendo de distributione bonorum? Politius affirmat. Negat Ciprianus Cappuccinus *lect.3.in c.2.* probabile Iudicat Hugo. quia non colligitur peccatum mortale, neque ex vi verborum, neque ex Clemen.

Quæres secundò. An si Nouitius debeat facere restitutionem, & petat consilium, an confessarius possit? Respondetur ita, quia loquitur ex officio, & ista non est distributio, sed restitutio.

STATVTVM XLIV.

Annus integer nouitiatus sit continuatus, non interruptus: in quo si nouitius quauis causa siue cum habitu, siue sine illo exierit è conuentu, & postea redierit, incipiat denuò annum probationis; et amplius ad habitum non admittatur, si sine causa rationabili egressus fuerit.

Annus integer requiritur ad nouitiatum.

Certum est, nullam esse professionem, nisi pręcesserit integer annus probationis. *Trid.Sess.25.c.15.de regul.* post vetera iura *cap.Gonsaldus.17.quæst.3.cap.ad Apostolicam. de regul. cap. non solum. cap. constitutionem de regul. in 6.* cui subscribunt omnia statuta ordinis, *Vltramontana cap.1. Vallisolet. an.1593. Salmanticensia cap.2. Papalia Iul.II.cap.2.par.3.* ijs verbis. *Nullus ad professione recipiatur, nisi expleuerit totum annum probationis continuatum, non interruptum. Nam si voluntariè, non cogente causa legitima interrumperetur, professio nulla esset.* Habentquè omnia hæc fundamentum in Ragula *cap. 2. ibi, finito anno probationis recipiantur ad obedientiam.* Itaquè, quidquid sit de antiquis iuribus, & religionibus, vt de S.Pachomio, qui in regula ab Angelo acce-

acceptâ, tres annos nouitiatus indixit. Niceph. *lib. 9. cap.* 14. S. Gregorio *lib. 7. regist. ep.* 11. qui idem ordinauit de militib. & Papa Bonifacius *cap. si quis incognitus.* 17. *q.* 2. de incognitis. vniuersaliter tamen præcipit de omnibus per duos annos. *lib. 8. ep. 23. & cap. Monasterys.* 19. *quæst.* 3. Quidquid (inquam) sit de hac diuersitate, certum est, tempus probationis durare debere per annum integrum, vt vtrinquè, & religio nouitium, & nouitius religionem experiatur; ne in tam graui, per totam vitam duraturo negotio sine prudenti consilio procedatur. quia tamen nonnullæ à scribentibus mouentur quæstiones circa annum nouitiatus, breuiter recensitas resoluemus.

Queritur primò, qualis debet esse integritas huius anni. Respondetur non per festa mobilia, vt de Paschate, ad Pascha, &c. Sed per fixam dierum reuolutionem, vt à primò Decembris, ad primum Decembris anni sequentis. quod est dicere per annum naturalem, non Euangelicum Rodrig. *tom. 3. quæst.* 15. *art.* 4. Henriq. *tom. 1. lib.* 13. *cap.* 40. Sanchez *in decal. lib. 4. cap. 4. numer.* 4. Lessius *de Iust. lib. 2. cap. 41. dub. 7. num.* 59. Hieron. Roder. *resol.* 101. *numer.* 38. Ciprianus Crouserus *lect.* 2. *in cap.* 2. *regulæ circa fin.* Hugo de Dina *in cap. 2. regulæ V. finito anno probationis.* Peirin. *tom. 2. quæst. 3. cap. 1. §. 4. numer.* 46. *qui citat* Sanchez, Lessium, Mirand. Vecch. Politium, Suar. A. S. Fausto, Portel. Sorbum, Ledesmam. Lezana *tom. 1. cap. 2. num.* 10. *apud quem* Diana *tract. 2. de dub. regul. resol.* 57. Ratio est, quia cum Consilium Tridentinum *Sess.* 25. *de regul. cap.* 15. dicat. *Nullus ad professionem admittatur, qui minori tempore, quam per annum in probatione steterit, professio autem antea facta sit nulla, nullosquè habeat effectus.* Casus decisus *in l. denique dicens. ff. de minoribus* 25. *ann. §. minorem.* Vbi dicitur *Minorum autem* 25. *ann. natu vidẽdum, an etiam diem naturalis sui adhuc dicimus ante horam, qua natus est, vt si captus sit restituatur, & cum non dum compleuerit, ita erit dicendum, vt à momento in momentum tempus spectetur. proinde etsi bisexto natus est, siue priore, siue posteriore die, Celsus scripsit nihil referre, nam id biduum pro vno die habetur, & posterior dies Kalendarum intercalatur.* Ergo quilibet temporis defectus vitiat annum nouitiatus, etiam si fuerit hora vel quadrans.

Per fixam dierum reuolutionem.

Nec valet regula, *Parum pro nihilo, &c.* vel *dies inceptus habetur pro completo.* Quia lex resistit, & praxis, licet improbabilem non esse oppositam sententiam Henrici, Rodrig. Gratiani, Ricci, *ab eodem* Peirino citatorum, quibus, & ipse subscribit; attamen in ordine nostro omninò falsa est, quia nobis regula *cap.* 2. præcipit. *Finito vero anno probationis recipiantur ad obedientiam.* Ergo lex non impletur, nisi annus sit finitus. Finitus autẽ non est, cui aliqua, vel minima pars deest. Et vniuersaliter, nec placet ratio oppositæ sẽtẽtiæ, quod dies inceptus habetur pro completo, nam etiam posset hoc dici de vna hebdomada, quæ parum est respectu vnius anni, imò, & de toto anno, quia in suscipiendis ordinibus, vtimur hac maxima, *annus inceptus, &c.*

* Ad remouendam verò omnem ambiguitatem circa examinatam quæstionem, & ad opinionem Comment. comprobandam de tempore completo, finito &c. quæ in idem coincidunt. Videatur Diana in summa nouissima v. Professio n. 13. vbi exponens legitimam Profitentis ætatem, ait. *Legitima ætas ex Trident. cap. 15. est initium anni 17. Et non datur in ea paruitas materię.* Vnde testatur Villalobos tom. 2. tract. 35. Diff. 20. Doctores Salmanticenses declarasse

Professionis annus qualis esse debeat.

nullam

nullam quandam Professionem emissam sex horis ante finem anni 16. Quod etiam determinauit Rota p.2.decis. 175. n.7.p.3.tr.2.Res.57. §.*sed queres*.& p. 5.tr.5. res.18. *

Nec renunciari potest. An autem possit renunciari anno nouitiatus, cum fuerit concessus ad fauorem nouitij, & religionis, Et iuri suo quilibet renunciare potest? Responsio communis est negatiua, iure nouo Conc.Tridentini, licet inueteri fieri poterat. Nauar.*de regul.consil.33. apud* Portel.*V. Nouitij annus. num.46.* Quia est priuilegium totius ordinis, & omnium nouitiorum, vnde Tridentinum prohibet professionem emitti posse, nisi completo anno nouitiatus. Et annullat aliter factam.

Quid sentiendum sit de anno bisextili. Quid si esset annus bisextilis? Iam ex citata lege, complendus est, quia duo dies pro vno computatur. Hinc refert Portel.*supra num.* 48. post intercalationem decem dierum factam sub Gregorio Decimotertio ortam esse difficultatem, si ordinandi deinceps, tempus illud expectare deberent vel complere, & responsum fuisse sub Sixto Quinto, minimè, sed absquè illis decem diebus esse integrum annum.

Quæritur secũdò. An interruptio vitiet annum nouitiatus, & supposito quod interruptio fieri possit, vel cum habitu, vel sine, vel intra conuentum, vel extra: vel de licentia Superioris, vel non: vel longo tempore, vel breui?

Quę dimissio habitus nouitiatum vitiet. Respondeo primo, causa infirmitatis, timoris, commoditatis, iræ, voluptatis, per modicum tempus, habitum dimittere, non vitiat nouitiatum, quia hæc non est formalis, sed materialis dimissio, non facta animo relinquendi religionem, sed occultandi se Prælato, vel Magistro, &c. Vindicandi se ab infirmitate, capiendi somnum, auram, &c. Transeundi ne ab hostibus videatur, excandescentiæ. &c. Sanchez *lib.5.in decal.cap.4.n.24.* Vecch.*disp.12.dub.3.n.15.*

Respondeo secundò, si per iram Superior nouitium habitu spoliaret, animo illum expellendi, vel si nouitius subitanea passione motus illum deponeret, sequè vestibus secularibus indueret, cum voluntate discendendi; tamen in se reuersi retractarent actum ante egressum à conuentu, non inrrumperetur nouitiatus. Suar.*tom.3.de relig.lib.5. cap.15.n.7.* Vecch.*supra.num.8.* Nauarr.*de regul. cons.33.num.1.* Lessius *lib.2.cap.41. dub.7.n.59.* Naldus *V. Nouitius.n.4.* Quia expoliatio illa habitus cum effectu egressionis coniuncta non fuit, & inuoluntarij latis habuit.

Respondeo tertiò, si causa infirmitatis dimitteretur nouitius ad domum paternam curandus, cum licentia Superioris: vel ad aliquod negotium peragendum, aut ad inuisendos coniunctos, etiam si per aliquot dies, & mensem (licet aliqui ad tres menses extendant) & in illo tempore, ob æstum, vel febrim de medicorum licentia habitum exueret, non interrumperetur nouitiatus. Quia qui cum obedientia ambulat, à potestate Superioris non est alienus. ita *Suarez, Nauar. Sorbus, Miranda. Vecch. Campan. Sà, Barb. à S. Fausto, Graff. quos citat, & sequitur* Peirinus.*tom.2.quæst.3. cap.1. §.4.num.101.* Cum quo stat, quod si egressus iste talis, vel tantus esset, qui probationem notabiliter impediret, cuiusmodi esse putarem, si per tres, vel quatuor menses extra conuentum moraretur, nouitiatum interrumperet, quia opponeretur immediatè ipsi fini probationis, cum in tam longo tempore, experimentum maximè impeditur. Et ea, quę sunt de forma iuris, cuiusmodi est integritas nouitiatus, rigorosè seruanda sunt.

sunt. In quem sensum resoluisse Rotam, ex Farin. idem Peirinus refert: Et sensisse Sanchez. a S. Fausto, &c.

Respondeo quartò, si dimitteret habitum, cum firmo proposito illum amplius non reassumendi, religionemquè deserendi; etiam si intra eundem diem poeniteret, nouitiatum interrumperet. Ita Portel. *V. Nouit. n.* 50. à S. Fausto *lib.* 5. *Thesau. quæ.* 164. 2. *n. & alij*. Quia iam suum statum deseruit.

Respondeo quintò. Si Nouitius in ordine Minorum sine licentia, siue cum habitu, siue sine illo, exeat è Conuentu, etiamsi ad modicum tempus, perdit totum nouitiatum transactum: Quia ita in descripto statuto decernitur. Portel. *V. Nouitius* allegat statuta generalia Toletana. V. Nouit. num. 50. Addo Papalia Iulij II. cap. 2. part. 3. *Nullus ad professionem recipiatur, nisi expleuerit totum annum probationis, continuatum, non interruptum. Nam si voluntariè, non cogente causa legitima interrumperetur, professio nulla esset*. Quibus verbis omnes præfatæ, conclusiones continentur. Modicum autem tempus, puto moraliter intelligendum, sicuti in alijs materijs moralibus, in quibus parum pro nihilo reputatur. Si enim animi, non fugæ gratia, ad duas vel tres horas exiret, dummodo voluntatem dimittendi habitum non habeat, sentio non esse interruptum nouitiatum, etiam in religone Minorum, saltem in foro conscientiæ, quia statutum non potest fieri contra rationem naturalem. Vnde Portel. supra, citans Mirandam *tom.* 1. *quæst.* 12. *art.* 5. *ad* 3. dicit, valere professionem aliter factam.

Quæritur tertiò, quæ sit causa rationabilis egressionis è Nouitiatu sine licentia, ob quam recipi iterum, vel non recipi possit nouitius?

Respon deo, talis furtiui egressus nullam rationabilem causam inuenio, quia à recto deuiare, obliqui est quapropter, rationabilem, hic sumi puto respectiuè, in ordine scilicet ad minus malum: Si enim exiset ob fornicationem, ob furtum, ad videndas comedias, ad lusum, ad tripudia, vel quid simile, cum istæ causæ grauem culpam contineant, indicesquè sint animi ad religionem non propensi, optimo iure ab habitu repellendus esset: si autem ob animi leuitatem, vt ad videndum spectaculum, vel ingressum Principis, ad se lauandum in flumine, ad visendos parentes, &c. Cum istæ causæ malignitatem animi non ostendant, merentur, vt collata pœna amissionis transacti nouitiatus, iterum ad habitum recipiatur.

Nouitius dimissus, ob quas causas iterum recipi posset.

STATVTVM XLV.

Superiores, Guardiani, Magistri, in suffragatione ad professionem, nec primi suffragentur, nec ante suffragiorum receptionem Nouitium laudent, aut vituperent.

Ordo suffragandi in professione nouitiorum.

Libertati consulitur, Ex Statutis *Vltramontanis cap.* 1. *Vallisoletanisquè ann.* 1593. Intelligiturquè non de collatione suffragiorum, quia supra decretum est, debere esse secretam, in qua parum refert. Si Superior prius, vel posterius

suffra-

suffragetur : sed de collocatione ante suffragiorum præstationem. Solent enim aliqua præfari Superiores, vel à Magistris sciscitari, quomodo se gesserint Nouitij, vt valeant capitula res sua vota dirigere: hoc autem fieri non permittitur in vltima receptione votorum, ne plus persuasioni, quam meritis tribuatur. Quod statutum, pro Vltramontana familia, etiam in Capitulo generali Toletano receptum, citat Rodrig. *tom.2. quæst.45. art.3. fine*, vbi probat ex legibus, & doctoribus, secreta suffragia incipienda esse à maioribus ad minores, publica autem è conuerso, quia minores verebuntur maiorum sententiæ contraire : vnde & libertas suffragij non subsistet.

STATVTVM XLVI.

Nouitijs profiteri non liceat, nisi coram Fratribus capitulariter congregatis, memoriter recitent doctrinam Christianam, Regulam, eiusquè præcepta, &c. Et Clerici sciant insuper diuinum officium ordinare: aliter differatur professio, vsquèquò supradicta addiscant.

Nouitij ante professionem de quibus examinandi.

Sic etiam statuunt *Vltramontan. cap.1. Neapol. cap.18. Vallisolet. de ann. 1593. Papalia Iul.2. cap.2. par.3. & Romana ann.1612. §. de Nouit. recipiendis V. Nullus ad professionem*. Congruit institutio Nouitiorum Clemen. VIII. ordinatum *in con. Aquisgranensi sub Paschal I. in causa regula benedictinæ, to.6. can. pag.* 297. ibi enim *can.2.* dicitur, *Vt monachi omnes qui possunt regulam memoriter discant.* Quia temerarium est, artem profiteri quam nescias, quamquè in exercitium quotidie educere tenearis. *Ex necessitate enim finis* (inquit Corduba *quæst. 4. introdut. in regulam) oritur necessitas mediorum necessariorum ad finem.* Ita omnes ex Aristotele, & S.Thom. quia sine medijs finem assequi non valemus. Si ergo professus tenetur ad obseruantiam regulę, & hoc præstare non potest, nisi sciat vota, præcepta, æquipollentia, ordinare officium, &c. Ergo peccat, mortaliter, si hęc ignorans profiteatur, quia contingere potest, vt aliò mittatur, & secū magistrum non habeat, vnde se peccādi periculo committet. Ita senserunt Quatuor Magistri *in prologo super Regulam.* Ioann. Peyrinus, *& docuit* S.P. Franciscus suo exemplo, vt idem Corduba docet. Non enim potest esse hæc ignorantia, vt notat Cipr. *Lect.1. regul. fin.* nisi affectata, vel crassa, & temeraria, quia cum sub magistro per annum tali scientię studuerit, eius notitiam, quæ non in speculatione, vel in humanę sapientiæ verbis consistit, sed in materiali quadam praxi, discere vel neglexerit, vel distulerit, vel non curarit. *Non omnis ignorans* (inquit Augustinus *lib. qq. Euangelij) immunis est à culpa: ille enim ignorans excusari poterit à culpa, qui quod disceret non inuenit: illis autem hoc ignosci non poterit, qui habentes à quo discerent, operam non dederunt.* Et Gregorius *lib. 15. mor. in illud scentiam viarum tuarum nolumus.* *Nescit* (inquit) *qui apprehendere vellet, & non valet:*

Ignorantia affectata nō excusat.

qui

qui autem vt nesciat, aurem à voce veritatis auertit, iste non nesciens, sed contemptor dicitur. Nec tales ignorantes excusantur, *Sed, si sine lege peccauerunt, sine lege peribunt. Rom. 2.*

Excusari tamen possent à mortali, si rudes, & incapaces omninò essent, quod in Laicis euenire poterit, non in Clericis, & si facerent quantum in se esset, vt discerent; nec per illos stetit, quin docerentur.

Nec tamen (vt citatus Corduba aduertit) omnes tenentur sub eadem intensione perdiscere, vel omnia scire, quæ in regula, & expositionibus continentur: hoc enim prouectorum, & doctiorum est. Sufficit cuiq. sua sedulitas, & desiderium noscendi, quæ obseruare tenetur, & saltem nosse, quæ post professionem obuia esse possunt. Nam iuuenibus non incumbit electiones superiorum percallere, eorumdem munia nosse, &c. Sat est si suo tempore practicanda addiscant. Paupertatis rigorem, orationis exercitium, obedientiæ promptitudinem, castitatis cautelam, perfectionis studium, & his similia omninò scire tenentur, quia præ manibus semper habentur.

Professio ex causa proro gari poterit.

Hinc rationabiliter sancitum, vt professio differatur: & patet etiam ad illam quæstionem, An post annum professio prorogari poterit? Nulli enim dubium est, quin possit ex rationabili causa. non obstante, quod Conc. Tridentinum *sess. 25. de regul. c. 16.* dicat, *finito anno probationis, superiores nouitios, quos habiles inuenerint ad profitendum admittant, aut è monasterio eyciant.* Quia intelligitur de repertis habilibus, & inhabilibus sine spe profectus. Declaratio concilij referente Cardinali Carauallensi *die 19. Iul.* 1570. quod tempus nouitiatus est arbitrarium. Grillamart. *Declarat. Concilij, &c.* Et si inhabilitas ex infirmitate prouenerit, poterit prorogari tempus, donec duret probabilis spes recuperandæ salutis. ibid. Sorbus *enim in compendio V. Nouitius.* ait Pium Quintum per S. Congregationem Concilij respondisse, posse prorogari nouitiatum ad sex menses, vt inhabiles discant, si spes profectus effulgeat. Passarellus *item de priuil. fol. 230.* refert idem sibi responsum fuisse à S. Congregatione Concilij 8. *Nouembris 1569. Et* ipse in praxi id factum esse, multoties vidi.

STATVTVM XLVII.

De Iuuenibus professis.

Iuuenes professi, præsertim Clerici, per triennium in eodem nouitiatu, sub eiusdem Magistri disciplina permaneant: si autem angustia loci non permittat, ad alium transferantur, vbi sub eisdem obseruantijs vsq; ad triennium perseuerent.

Iuuentus ad malum prona.

Non erit abs re, iuuentutis disciplinā, occasione huius statuti iterum refricare. Cōcilium enim *Toletanū 4. to. 4. conc. pag.* 588. *can.* 23. ait. *Prona est omnis ætas ab adole-*

adoleſcentia in malum, Gen.6. nihil enim eſt incertius , quam vita adoleſcentium prou.30.ob hoc conſtituendũ vt ſi qui in clero puberes, aut adoloſcentes exiſtunt,omnes in vno conclaui commorentur , vt lubricæ ętatis annos in diſciplinis Eccleſiaſticis agant deputati probatiſſimo ſeniorum, quem, & Magiſtrum diſciplinæ, & teſtem vitę habeãt. Concilium Aquiſgranen- *ſub Stephano Papa V.c.135.in 6.tom.conc. pag.286.*ait.*Solerter rectores Eccleſiarum vigilare oportet vt pueri, & adoleſcẽtes, qui in Congregtione ſibi commiſſa nutriũtur, ita iugibus Eccleſiaſticis diſciplinis corrigantur, vt eorum ætas ad peccandum valdè procliuis, nullum poſſit peccati locum reperire.quapropter in huiuſcemodi cuſtodiendis, & erudiendis, talis à Prælati conſtituendus eſt vitę probabilis Frater, qui eorum curam ſumma gerat induſtria*(& citat ad vnum verba Con.Tolet.cit.(*His ita pręmiſſis, oportet vt probatiſſimo ſeniori,pueri ad cuſtodiendum deputentur.* Quæ omnia tandem in Trid.*ſeſſ.23.c.18.de refor.*relata fuere,quorumq. contemplatione collegia fieri,ordinatum fuit. Vnde & ſtatuta generalia Neapolitana *c.19.*præcipiunt , fieri tales iuuenum,ſub probis Magiſtris reductiones:Plãta enim,quę radices nonfixit, facilè euellitur: domus,quę ſupra petram ſtabilita non fuerit,primò ventorum impetu corruet. virtutis ſemina etiamſi in terram bonã iactata, ſi non colãtur, ſi non cuſtodiantur,ex naturæ impetu herbis noxijs ſuffocantur,& inimici actu perniciofis zizanijs implicantur.Quod etſi in naturalib.quotidie experimur,multò magis exemplo,& documento metuẽdũ eſt in ſpiritualibus diſciplinis, quæ continua colluctatione carnis,& ſpiritus,vel eradicãtur,vel roborãtur.*Torpeſcit virtus* (inquit Chriſoſt.*ho.de Adam,& Aeua to.1.pag.421.)vbi certamẽ deſuerit,& facilè hoſtis malitia coaleſcit , ſi pigreſcat animus repugnantis , ſine labore vincitur inimicus, ſi ſit qui dimicat vigilans, & intẽtus,adeò roborantur vires exercitatione frequenti.* Hug.de S.Vict.*de inſt.Nou.in prolo.*ait.*Ad beatitudinẽ nemo venire poteſt, niſi per virtutem,& virtus nõ appręhenditur niſi per diſciplinam* & applicans illud *pſ.118.* bonitatem , & diſciplina, & ſcientiam doce me, ſubiungit. *per bonitatem itur ad beatitudinem,& ad bonitatem per diſciplinam , ideo ait , bonitatem , &c.eſt enim* (vt inquit idem *c.10.)diſciplinam compes cupiditatis, malorum deſideriorum carcer. frænum laſciuię,elationis iugum,vinculum iracundię; quę domat intemperantiam,leuitatem ligat , & omnes innordinatos motus mentis , atque illicitos appetitus ſuffocat.Per diſciplinam corpus ſtringitur,animus ad conſtantiam ſolidatur .*

Iuuenibus deputetur magiſter.

Spirituales plantę aſſiduè colẽdæ.

Diſciplinæ encomia.

Ratio duplex aſſignari poteſt , naturalis vna, ſpiritualis altera. Docet enim Ariſt.in prædicamentis,diſpoſitiones facilè mobiles eſſe à ſubiecto,è contra vero,habitum,eſſe de difficili mobilem.hic autem actuum frequentatione perficitur;vt ergo radicentur in Iuuenibus diſpoſitiones virtutum,fiantquè habitus,neceſſariò requirunt exercitationẽ, & vt rectè fiant,Magiſtros. Impoſſibile ſiquidem eſt, perfici poſſe vnius ãnni ſpacio, habitus virtutum in Nouitio, tum quia breue eſt , tum quia reſiſtentiam faciunt habitus vitiorum oppoſiti . Et ideò oportet,ordinatũ hoc diſciplinæ regularis exercitium per aliquot annos extendi.Experimur enim repugnantiam carnis, & ſpiritus, & inter hæc continuã pugnam,quam morti Apoſtolus cõparabat, *Quis me liberabit de corpore mortis huius?*Et licet ſupernaturalis paſſionum victoria ſine diuino auxilio non procedat, attamẽ tantò magis in hac ſpirituali pugna directore indigemus, quãtò periculoſiores ſunt contẽtiones ſpiritus colluctationibus naturalibus. Cuius optimum exemplum affert Plutar. *in moralibus.Vt terra* (inquit) *quò melior eſt natura,hoc*

Quare neceſſaria.

magis

magis corrumpitur, si negligatur; ita ingenia si rectè non excolantur, quò sunt fælicio-ra, hoc pluribus vitijs obducuntur; & grauiter S.Hieronymus ad Nepotianum. *Sicut* (inquit) *ignis in lignis viridibus suffocatur, ita sapientia in adolescentia, tentationibus, & libidine non explicat suum fulgorem, nisi labore, & studio, & oratione incentiua iuuentutis intra repellantur*. Tandem Statuta Papalia *Iul. II. cap. 2. par. 4.* grauiter ad rem. *Et quia* (inquiunt) *nouiter professi, quam maximè indigent prouido directore, & strenuo sollicitatore, qui eos velut noua, ardua, & inexperta certamina aggressos, in viam rectam dirigere, stimulare, & præmunire sciant*, ideo statuimus, &c.

* In statutis Gener. Tolet. 1658. impressis Romæ 1663. pag. 4. n. 14. habetur alia dispositio præfati Stat. Commentati ex Innoc. 10. Constit. *Ad Propagandam*. *Prædicti Nouitij Clerici post quam in Professorum numerum recepti fuerint, statim in Conuentu Professorij collocentur, in quo quidem Professorio degant sub regulis, & modo viuendi adhuc strictiori, quàm seruent antiquiores Professi: ibique maneant quousque ad ætatem sac. Ordinibus suscipiendis sufficientem peruenerint; vel saltem per triennium post professionem. Quo tempore debebunt studijs operam nauare sub directione, & regimine superioris, qui eas qualitates habeat, quibus Magister Nouitiorum præditum esse oportet.* * *Professorii noua dispositio.*

STATVTVM XLVIII.

Clerici quòusquè ad Sacerdotium ascenderint, sub Magistri disciplina permaneant, de ijs, quæ in nouitiatu aguntur, &c. ab ipso instituendi.

Dictum est supra, & disponunt statuta Papalia loco proximè citato.

STATVTVM XLIX.

In qualibet Prouincia vnum aut alterum Clericorum seminarium instituatur.

In quo linguæ Latinæ rudimenta habentes: religioniq; vtilitatem, & splendorem promittentes collocentur.

Ex quo remoueri sine legitima causa non possint.

Quibus Magister morum assignetur ætate, eruditione, & probitate grauis, conuentusquè Vicarius.

Hic, eos doceat christianæ pietatis, &c. Sacram Scripturam, &c. Grammaticam, cantum, &c.

Hæc omnia ex Concilijs, & Statutis Papalibus mox citatis.

STATVTVM L.

Transacto triennio iuxta singulorum ætatem, ac profectum, vel liberalibus disciplinis, vel conuentuum seruitio applicentur.

Vt scilicet alijs locum cedant.

STATVTVM LI.

Cui moderando Guardianus præficiatur grauis, &c.

Vt muneri par sit, speique conceptæ dignos fructus exhibeat.

STATVTVM LII.

Vt autem iuuenes studijs vacare possint, ab oneribus extra conuentum, præter quæstam vini, & frumenti eximimus.

Et hoc modo speculationi, & actioni operam nauabunt; quotidianæ occupationes, & diuagationes iuuenilem spiritum exhinaniunt: literarumquè studium (quod totos homines exposcit) deperdunt. Vanum enim esset seminarium, si media necessaria ad virtutum acquisitionem non præstaret.

Iuuenes quęstuationi assuescant. Ex altera autem parte, quia prius sunt Minores pauperes, quam studentes, debent promissæ paupertati assuescere, ne magnos per literas effectos pudeat postmodum mendicare; & memores sint paterni consilij *cap.6. regulæ. Vadant pro eleemosyna confidenter, nec oportet eos verecondari, quia Dominus se fecit pauperem in hoc sæculo.* Et ex antiqua historia Vuadingus *ad ann.* 1210. *n.* 45. *&* 46. refert Sanctissimum Patriarcham dicere solitum Fratribus, *Charissimi Fratres, & filioli mei, nolite verecundari ire pro eleemosina, quia Dominus se pro nobis fecit pauperem in hoc mundo, cuius exemplo elegimus viam verissimæ paupertatis. Si enim pro suo amore viam paupertatis eligimus, non debemus confundi pro eleemosinis ire, arrham cælestis hæreditatis erubescere, nequaquam conuenit regni cælestis hęredibus, &c.*

Mendicationis elogium, & exempla.

Vnde reuertenti cuidam Fratri à quæstuatione, cum eum lætabundum intrasse cernisset, pera ab illius in suos humeros translata, humerum in quo mantiam detulerat osculatus est, vt ibidem citatus Author enarrat. Et quod ad rem præsentem facit, est reciprocæ seruitutis obsequium, vt scilicet senibus

nibus

nibus iuuenes præstent, quod senes, dum essent iuuenes, suis senibus præstiterunt.

STATVTVM LIII.

Qui præter diuinum offitium, die noctuquè in Ecclesia persoluendum, & orationem mentalem, vnius horæ spatio quotidie fiendam, septem quoquè psalmos pœnitentiales singulis diebus hora competenti, iuxta laudabilem religionis consuetudinem, recitare teneantur: à quibus nemini sine causa abesse liceat.

De his infra, vbi de oratione c.v.

STATVTVM LIV.

Pro, huius Collegij institutione, ac conseruatione, Diffinitorium, vel per annuam contributionem singulorum locorum, vel eleemosinarum applicationem inuigilet, sub pœnis, &c.

Idem Neapolitana statuta cap. 19. decernunt. Et sicuti Triden. citatum decreuit, seminaria Clericorum sæcularium sustentari ex fructibus mensę Episcopalis, & beneficiorum, applicationequè prębendarum, & pensionum, &c. Ita debet quęlibet Prouincia ex annua contributione conuentum, vel eleemosinarum applicatione, sua seminaria substentare: Vt quod omnes tangit, ab omnibus approbetur, & quæ habet commodum, etiam experiatur incommodum. Nihil enim melius prouincias, & religionem ędificat, quam seminarium Clericorum probè institutum, ac Sanctè gubernatum. Nam vt Tridentini citati verbis vtar, *Nunquam perfectè, & sine maximo, ac singulari proponendum Dei omnipotentis auxilio in disciplina Ecclesiastica perseuerat iuuentus,* nisi in seminario vitia eradicentur, & virtutes adolescant.

STATVTVM LV.

Sacris non initientur, nisi prius per Guardianum, et discretos suæ familiæ de vita, et moribus bonum habeant testimonium.

Omnia ex Tridentino *Sess.* 23. *cap.* 5. *de reform.* vbi *ad minores promouendos à Parocho, & Magistro scholæ bonum habere testimonium: ad maiores autem, per mensem ante ordinationem adire Episcopum, & publicè in Ecclesia proponi, vt de ipsorum natalibus, ætate, vita, moribus, testimoniales literæ fiant*, præcipitur. Quo loco S. Congregatio Concilij, relata à Grillemart, declarauit, *Regulares non obligari, desiderium, & nomen suum in Ecclesia publicè proponi facere, & testimonium deferre ad præscriptum huius capituli, sed sufficit testimonium à suis Suporioribus allatum.* Concinunt Superiorum temporum annalia Ecclesiastica, in quibus maxima quæ adhibebatur, & adhiberi debet cura, in conferendis ordinibus demonstratur. Vt *cap. ex par. de Scrutinio in ordine faciendo.* Innoc. III. resoluit quæstionem, an respondēte Diacono, ordinandum esse dignum, *quantum humana fragilitas patitur*, nesciens illum esse dignum, peccet taliter respondendo? Et *toto titulo sequenti de ætate, & qualitate ordinandorum.* præscribuntur necessariæ ipsorum qualitates. Et *dist.* 24. *cap. Nullus.* vbi dicitur. *Nullus ordinetur Clericus, nisi prius probatus fuerit, vel examine Episcoporum, vel populari testimonio.* Et fusius *cap. quando Episcopus. dist. eadem.* precipuè ibi. *Alias aut sine Clericorum videlicet Concilio, & populi testimonio nullum Episcopus ordinare præsumat.* Quæ doctrina elicitur ex Sanctis Patribus. Cypriano *Epistola ad Hispanos. Videmus de diuina authoritate descendere, vt Sacerdos presente plebe, sub omnium oculis deligatur, & dignus, atquè idoneus publico iudicio, & testimonio comprobetur.* Et citat *cap.* 10. *Num. de electione Aaron, &c.* Et *actorum cap.* 2. *de electione Matthiæ*, Orig. *lib.* 8. *contra Celsum. In posteriori ordine ordinati sunt aliqui, qui inquirant in vitam, & mores accedentium vt non concessa facientes, candidatos religionis arceant à suis conuentibus*, &c. Chrisost. *lib.* 4. *de Sacerdotio*, vbi postquam exemplo eius, qui mancipium vult emere, rem hanc grauiter inculcauit, subdit. *Non igitur temere, atque vt casus tulit, et nulla prorsus alia discussione facta, eligendus, et promouendus est aliquis: nequè electores subleuare quidquam poterit, si postquam elegerint aliquem indignum, dicant se ignorasse eum, quem elegerunt: hec enim quæ excusatio illis videtur, accusationem auget; tenebantur enim, quem eligere voluerunt, prius benè cognouisse.* Gregor. *lib.* 7. *Epist.* 10. qui præmisso exemplo domus non ędificandæ super viridibus lignis, ait, *Rationi igitur consentaneum est, nequè ad Sacrum ordinem eum admitti, quem S. Paulus Neophitum appellat, qui probatæ admodum virtutis non est.* Leone Papa *Epist.* 85. *ad Episcopos Aphricanos, & relato cap miramur. dist.* 61. explicante illud Pauli ad Titum, *Nemini citò manum imposueris*, ait, *Quid est, citò manus imponere, nisi ante maturitatem ętatis, ante tempus ęxaminis, ante meritum laboris, ante experientiam disciplinæ, Sacerdotalem honorem tribuere non probatis?* vbi & plura, ac mira huc spectantia, de quo Sancto legitur apud S. Antoni *in Summ. par.* 3. *tit.* 20. *cap.* 2. §. 1. postquam per 40. dies orasset ad sepulchrum Apostolorum, vt sibi peccata dimitterentur, apparuit ei Petrus Apostolus dicens. *Oraui pro te, & dimissa sunt tibi peccata, preterquam impositionis manuum: hoc enim solum à te requiretur, siue benè, siue fortasse aliter egeris.* Quinimò præter vetus testamentum *Num.* 17. vbi Aaron eligitur indicio florentis virgę. 2. *paralipom.* 26. vbi de percussione Ozię, qui adoleuit incensum, cū nō esset Sacerdos. *Num.* 16. de supplicio Dathan, & Abirō, Habemus noui clarissimas authoritates *Act.* 6. *Considerate Fratres, viros ex vobis boni testimonij septem, plenos Spiritu Sancto, & sa-*

Ordinandi, antea probētur in moribus.

Mala ordinatio quantum Deo displiceat.

& sapientia, quos constituamus super hoc opus. & 1. ad Timot. 3. Diaconos similiter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos non, turpelucrum sectantes. &c. Hi autem probentur primum, & sic ministrent, nullum crimen habentes. Tandem Statuta Papalia sub *Iul. II. cap. 2. par. 5. Qui nulli licentiam ad ordines dare debeant, nisi habito consilio, & assensu, ac bono testimonio aliquorum Patrum, vel Fratrum, aut Guardiani sui conuentus, vbi tales fratres morantur.* Ac etiam Statuta generalia *Parisiensia de an. 1579. sub Illustrissimo Gongaza. §. Clericos professos.* Satis fusè, & ad rem.

Sed an peccet mortaliter Prouincialis aliter concedens licentiam, ordines suscipiendi?

Respondeo affirmatiuè, tum quia id strictè præcipiunt Statuta Papalia Iul. II. citata, quibus dicitur. *Non accedant Fratres ad ordines ante debitam ætatem, & sine assensu ministri, &c. Et de consilio discretorum suorum, & quicunquè contrafecerit, sine debita licentia se ingerere præsumendo, à suscepto ordine suspendatur.* Quod confirmant statuta *Neapolitana cap. 20. Qui vero sine licentia eiusmodi, & literis dimissorijs ad aliquem ordinem promotus fuerit, is ab executione suscepti iam muneris ex decreto Iulij II. suspensus, spe quoquè futuri muneris decennio careat, ac præterea grauius puniatur ad constitutionis Sixti V. præscriptum.* Pœnæ autem istæ sine dubio culpam mortalem inducunt. De suspensione autem puto procedere quoad defectum dimissoriarum, & ætatis, non ad testimonium vitæ, & morum. Hoc enim clarè sancit Sixtus V. & iura decernunt.

Licentians ad ordines non probatos in moribus, vt peccet.

STATVTVM LVI.

A Patribus specialiter in Capitulo deputatis de scientia, & idoneitate prius approbentur, quos Prouincialis per se, aut per alios iterum examinare teneatur.

Ita & *Neapolitana cap. 20. & Papalia Iul. II. cap. 2. part. 5. in fin.* Habetquè suam originem in Sacris Canonibus; nam de examine ordinandorum sparsim agit *Con. Trid. Sess. 23. cap. 7. de reform. & cap. 11. & 12. 13. 14. Concilium Brachar. can. 10. con. Nauat. vel Nannat. relatum cap. quando Episcopus. dist. 24. & cap. si quis Presbyter. eod. Con. Nicænum cap. 60. 1. tom. concili. pag. 444. & can. 60. pag. 419.* Et licet hæc consilia loquantur de examine, quod fieri debet ab Episcopo; attamen cum Prælati regularium authoritatem quasi Episcopalem obtineant, & dimissorias concedere debeant suis subditis, ex officij necessitate debent suos examinatores instituere.

Ordinandi examinentur circa doctrinam.

Quæritur primò. An clerici nostri si non examinati ad ordinationem mittantur, ritè ordinentur?

Respondeo affirmatiuè, tum quia in statutis ordinis clausula irritans non apponitur; tum etiã quia nõ propterea ordinabuntur non examinati, quia munus examinãdi ordinãdos Episcopis positiuè præcipitur *in S. Con. Trid. Sess. 23. cap. 12. de refor.* ibi. *Regulares quoquè, nec in minori ætate, nec sine diligenti Episcopi exa-*

Licentiar. ad ordin. non appr. batos, q. culpa, & p. na.

examine ordinentur. Quod si in dimissorijs affirmaretur eos esse examinatos, & propterea Episcopus reputaret idoneos, illosquè non examinaret, vt facere potest, tunc Prouincialis peccaret mortaliter non solùm ob transgressionem statuti, quod infra præcipit. *Sine præfato autẽ approbationis testimonio Prouincialis dimissorias pro suscipiendis ordinibus nemini det, sub pœna, Superioris arbitrio taxanda:* in re graui; sed etiam ratione mendacij. Excusarem tamen illud a culpa graui, quando non haberet examinatores præsentes, vel oridinandus esset satis distans, & de illo sufficientia præsumeretur, &c.

Quæritur secundò, an teneatur sub culpa graui eosdem iterum per se, vel per alios Prouincialis examinare.

An approbatum, ab examinatoribus, teneatur prouincialis examinare?

Respondeo negatiuè ex praxi, quia nullus Clericus examinari potest nisi vel præsente Prouinciali, vel de ipsius mandato. Nullus enim examinatorum suum officium exercere potest, nisi iussus, ergo non potest dari casus, quo iterum examinentur à Prouinciali: nisi dicamus, adhibitam esse cautelam ad cautius procedendum. Et casu quo examinarentur non coram Prouinciali, & ipse vellet sufficientiæ cognitionem habere.

Quæritur tertiò, An hoc examen requirat vnionem examinatorum?

Examẽ hoc non requirit vnionẽ examinatorum.

Respondeo negatiuè, quiè ex vi verborum, non apparet capitulum, aut Congregatio. Licet enim praxis sit, eos examinari coram Prouinciali, & Examinatoribus simul vnitis, attamen si aliter fiat non fit contra leges.

Si vrgeas Gregorius XIII. *in bulla pro iniuncti, ædita* 1596. 12. *Octobr.* §. 7. præcipit, vt in singulis capitulis custodialibus eligantur saltem tres, qui Prædicatores, Confessarios, Lectores, & ordinandos, *simul & vnà cum custode examinent.* ergo requirit vnionem: tantum enim importat illa particula *simul, & vna cum custode.*

Nisi in reformatis.

Respondeo constitutio illa afficit solos reformatos, pro quibus emanauit. secundò, *simul, & vna,* solum ponitur in ordine ad Prædicatores, Lectores, & Confessarios, non verò pro ordinandis, de quibus postea subiungitur, *horum etiam cura sit examinare, & approbare ordinandos, &c.* vbi tales particulę non ponuntur; nec dicit potest, quod modificent etiã subsequẽtia, quia natura illorũ est modificare antecedentia, non subsequentia. Nec itẽ, quod dicendo, *Horũ etiã* intelligat de ijs vnitis quia, de ijs vnitis, iã egerat, ergo dicendo, horum, etiã velit, horum vnitorum; Quia verba illa referuntur ad examinatores, non ad vnionem: & cum sit odiosum, rigorosè tenenda est proprietas verborum. Quòd replicauit postea Clem. VIII. *in decret. pro reform. regular. num.* 37. ibi *Eligantur in capitulo generali, vel prouinciali aliquot periti, & graues ex partibus cuiuslibet prouinciæ, saltem tres, qui admittendos ad prædicationem, vel ad audiendas confessiones, etiam ipsorum Fratrum, & Lectores publicos simul examinent: Horum etiam curę sit examinare, &c. ordinandos.*

Si vrgeas secundò, in his statutis parum infra, & *c.* 8. *pag.* 225. præcipitur collocari simul examinatore in vno, aut pluribus conuentibus, vt necessitati prętò sint; ergo signum est, mentem religionis esse, quod congregari debeant?

Respondeo, iam dixi, esse praxim illos congregandi simul, dum examen initur; attamen non propterea fit, vt separati esse non possint, vt accidit aliquãdo.

Quæritur quartò, quot esse debeant examinatores?

Respõdeo, saltem, duo cũ Prouinciali. Sic statuta hæc, & Neapolitana cap 20.

Exami-

Examinatores huiusmodi, si fieri potest, quatuor, tres, aut duo, vel minimum, semper simul collecentur. Adde citatam constitutionem Greg. XIII. *Saltem tres, qui vnà cum custode, admittendos, &c. simul examinent.* Quæ verba arctant numerum, vt minor quaternario esse non possit. Verum si vnus deesset, non putarem contraueniri dispositioni Apostolicæ, quia non dicit, *Qui omnes;* Et sufficit verificari pro maiori parte, cuiusmodi cum dicitur, capitulares eligant, intelligitur de maiori parte.

Examinatores, quot esse debeant.

Quæritur quintò, an in hoc examine committi possit simonia?

Respondeo affirmatiuè. ex Tridentino *Sess. 21. cap. 1. de refor. Episcopi, & alij ordinum collatores, aut eorum ministri, nihil quouis pretextu accipiant.* Et loquitur de simonia. Nomine autem ministrorum, etiam examinatores continentur, quia verè sunt ministri Episcoporum ad collationem ordinum. Et Ratio est, quia datur ius ad suscipiendos ordines, qui sunt res spirituales.

In examine ordinãdorũ posset committi simonia.

Quæritur sextò, quanta debeat esse scientia ordinandorum, ne examinatores peccent?

Respondeo, S. Concilium Tridentinum *Sess. 23. in citatis capitulis* diuersum scientiæ gradum requirit, pro excessu ordinum. Nam *cap. 4.* ad primam tonsuram requirit peritiam legendi, & scribendi: ad minores ordines linguæ latinæ intelligentiam, *cap. 11.* ad Subdiaconatum, & Diaconatum, peritiam eorum, quæ ad dictos ordines spectant. *c. 13.* ad presbyteratum, vt possint prædicare, & sciat, quæ ad sacramenta administranda requiruntur. *c. 14.* At in regularibus minor scientia sufficit, & possunt, ne dum à Fratribus, verum etiam ab Episcopis (licet linguam latinã non probè teneant) approbari, sufficeret enim, si rectè legere, & canere nossent, quia regulares ob continuum commercium, & exercitium cum Fratribus doctis, spem profectus ostendunt, & facilè errare non possunt, sicuti posset sæcularis. Ita Rodriguez, Miranda, Siluester Graffius, Barbosa, Maiolus, Henriquez, Turrecremata, Menochius, Rebuffus, Geminianus, Innocentius, Hieron. Rodrig. Peirinus, Diana, & Tambur. quos citat, & sequitur Marchinus *Tract. 1. de Sac. ordinis par. 5. cap. 1. num. 9. 10. 11.* Ideo statuta Pap. *Iul. II. cap. 2. par. 5.* dum agunt de hoc examine, dicunt. *Nec nimis ignorantes, & illiterati, ad ordines admittantur.* Principale enim religiosorum studium est, humilitas, deuotio, mortificatio. his accessoriæ sunt literæ exquisitæ.

Sciẽtia, quæ ad singulos ordines est necessaria.

STATVTVM LVII.

Qui confirmationis sacramento muniti non sunt, vel in suscepto ordine per annum non permanserint, ad Superiores promoueri non possint:

Confirmationis Sacramentum non esse necessarium ad salutem patet ex vsu occidentalis Ecclesiæ, quæ illud, vt plurimum adultis confert. Vnde multi infantes, & pueri sine illo moriuntur, & certum est non damnari; Sufficit enim baptismus. *Mar. vlt. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.* Non debet tamen contemni: Contemnitur autem, si non suscipiatur, dum adest opportunitas,

Confirmatio non est necessaria ad salutem, & quomodo.

tunitas, vt ait Scotus 4.*d*.7.*quæst*.2 *&* *d*.17. *quæst*.1. D.Tho. 3.*par*. *quæst*.65. *art*. 4. *ad* 3.*&* *quæst*.72.*art*.1.*ad* 3. & hoc est, *esse plenos christianos ex Epistola decretali* Vrbani I.Papæ.*tom*.1. *Conc.pag*.106. *fiu.de consec d*.5.*cap.omnes fideles*. Et quod dicitur *cap. vt Ieiuni. eod.* nunquam erit christianus nisi in confirmatione Episcopalis fuerit chrismatus, vt refertur ex *Conc. Aurelianensi*. Eandem patitur declarationem, nimirum peccabit, si contemnat.

Neque ad ordines. Neque esse necessarium ad validam ordinationem, dicunt Sanctus Thom. 3. *par.quæst*.35.*art*.4. Siluest. *V.ordo*.2.*quæst*.1.Nauarr. *in Summar. cap*.22. *num*.9. Henriq. *lib*.1. *cap*.14. *n*.2. *&* *alij communiter*. Et ratio est, quia character ordinis dependet solum à Sacramento baptismi, sine quo non ordinaretur; non autē à pœnitentia, ab Eucharistia, & alijs: patet ex vsu; Non solum ex præcepto diuino, sed neque ex iure positiuo obligante ad peccatum mortale. *Concilium enim Trid.Sess*.23.*cap*.4. dum ait. *Prima tonsura non initientur, qui Sacramentum confirmationis non susceperint, & fidei rudimenta edocti non fuerint.* non imponit præceptum, sed decentiam, vt aiunt *Nauar.Viualdus, Victor.Suar. Aegidius de coninch.Reginal.apud* Barbosam *in remissionibus concilij ad hoc Capitulum.& Sotus, Sairus, Azor.Molsesius, Homobonus, Auila, Valētia, Diana contra Salzedo, Rodrig. Toletum, & Camarotam*, aliter opinatos apud Marchin.*de Sac. ordin. tract*.1.*p*. 4.*cap*.3. *proposit*.2. iuxta quem sensum intelligi debet *can*. 48. *Conc. Laodiceni*, qui dicit *Oportet baptizatos, chrismatis cælestis participes fieri*. & dictum Melchiadis Pap. *Epist*.1. *Quamuis continuò morituris sufficiant regenerationis beneficia, victuris tamen necessaria esse confirmationis auxilia*. Quia ista necessitas est decentiæ, non præcepti, vt notat in hunc canonem Seuer.Binius, *tom*.1.*pap*.308. qui addit, solum peccare venialiter qui scienter illud non susciperet, secluso comtemptu, ex Scoto. Nec vllam incurrere irregularitatem, eum qui scienter, & ex contemptu confirmationem relinqueret, & ordinari se faceret; quia in iure talis irregularitas non reperitur, nec conijcienda est dum non constet.

Confirmationem pluries suscipere nō inducit irregularitatē. Quam nec incurreret, qui bis vel amplius se confirmari permitteret, ob eandem rationem; quia pœna, quæ bis baptizatis imponitur, *de consec. d*. 4.*cap. qui bis*. non debet ad confirmationem extendi, cum in pœnalibus non fiat extensio. *cap.odia.de reg.iur.in* 6.& citat ad hoc authoritates supra recēsitas contra Maiolum, & Toletum. Itaque quo ad hanc partem statutum non plus obligare, quam canones, affirmant.

Bis baptizari, inducit irregularitatem.

Interstitia seruanda. De interstitijs sic decernit *Conc.Trid.Sess*.23.*cap*.11. *Minores ordines per temporum interstitia conferantur, nisi aliud Episcopo magis expedire videretur, &c. Hi verò non nisi post annum à susceptione postremi gradus minorum ordinum ad sacros ordines promoueantur, nisi necessitas, aut Ecclesiæ vtilitas, iudicio Episcopi aliud exposcat.& cap*.14. Loquens de ascensu ad presbyterium, ait. *Ad presbyteratus ordinem non assumantur, nisi qui ad minus per annum integrum in diaconatu ministrauerint, nisi ob Ecclesiæ vtilitatem, ac necessitatem, aliud Episcopo videbitur*. Ex quo apparet diuersitas temporis requisiti inter hos ordines. Inter Minores nullum est determinatum; inter Sacros intercedere debet annus completus, qui sufficit esse Ecclesiasticus, vt omnes dicunt id est à pascha. Et ab vltimo ordine minorum ad Subdiaconatum, & à Subdiaconatu ad Diaconatū, licet annus intercedere debeat, potest tamen Episcopus dispensare, siue ob necessitatē siue ob vtilitatē Ecclesię: ad presbyteratum verò nō disiunctiuè, sed copulatiuè

Quantū.

vtra-

vtraquè requiritur. Hęc ex Concilio Tridentino.

Attamen priscis temporibus feuerior viguit disciplina.*in Con.*etiam *Romano secundo sub S.Siluestro,in epilogo,eiusdem Concil.Tom.1.can.pag.*315.decretum fuit. *Si quis desideraret in Ecclesia militare, aut proficere, vt esset prius ostiarius, deinde Lector,& postea exorcista, per tempora,quæ Episcopus constituerit:deinde Acolytus annis quinquè, Subdiaconus quinquè annis, Custos martyrum annis quinquè,Diaconus annis quinquè, Presbyter annis tribus, probatus ex omni parte.* Et in corpore concilij.*actione 2.cap.*11. *pag.*319. *Vt nullus ex Laica persona ad honorem acholyti vsquè ad Episcopatum subleuaretur,nisi prius fuisset Lector annis triginta, deinde vna die exorcista, & postea caperet onus acholyti,& faceret in eodem ordine acholytatus annis decem, & acciperet onus Subdiaconi, & in subdiaconatus esset annis quinquè.*idquè replicatum fuit à Zosimo Papa *Ep.*1.*ad Isachium cap.* 3.referturquè *d.*27.*cap.in singulis.* Verum hæc antiquata sunt, & Concilij Tridentini decretis standum; & ad claritatem materiæ sunt soluenda aliqua dubia, quæ passim ab omnibus examinantur.

Ex veteri iure.

Primum dubium,quod tempus requiritur inter ordines minores?

Respondeo nullum determinatum. Glos.*in cap.de eo.de temporibus ordin.* in illa verba Alex. 111.*Licitum est Episcopo,Dominicis, & alijs festiuis diebus vnum, aut duos ad minores ordines promouere*; item posse plures, ac omnes ordines minores vno die conferri. *Quia*(inquit)*indeterminatè dixit ad minores.*& cum Glosa sentiunt *Mandosius, Rebuffus, Guttier. & Bonacc.citati à* Barbosa *in hoc capitulum num.* 7. Verum standum est consuetudini, & arbitrio Episcopi. *Suar. Campanilis, Guttier.Rodrig.Ceneda, Bonacc.& Armed. citati à* Barbos. *ibidem fin.*qui potest dare ordines cum interstitio sibi benè viso, puta ab vno die festo, ad alium. Campanilis *Dub.6.cap.*13.*num.*13. vel ab vna ordinatione Generali, ad aliam Vgolin.*de pot. Episcopi cap. 26.*§. 27. *num.*4. Maiolus *de irregul. lib.*3. *cap.* 24. *num.*13. Ipse vidi in multis diecæsibus omnes minores ordines vno die dari:& ab illustrissimo Domino Petro Ruiz de Valdeuiejo Archiepiscopo Messanensi, cuius memoria in benedictione sit, in generalibus, quas tenuit ordinationes in Castro Regali,suscepi die Veneris quatuor minores ordines, & die Sabbathi Subdiaconatum:Erat enim hic Prælatus eximiæ literaturæ, ac pietatis vir;noueratquè probabilem opinionem Nauar.*in manuali cap.*25.*nu.*71.*& cap.* 27.*num.*241.Glos.*communiter recept. & supra citat.& in cap.2.de eo,qui furt.ord.* S.Anton. 3.*par. tit.*14.*cap.*16. Armillæ *V.ordo* §.6.Mirand. *infra art.*4. *conc.*2. Consuetudines enim, nec Concilium Tridentinum nec Sixtus V. contra malè promotos abstulit,Sed solum priuilegia.Sorb.*V.ordines sacri* §.*an autem de rigore.*

Inter minores, ordines non sunt certa interstitia.

Secundum Dubium.Quę causa sufficit ad dispensandum in interstitijs?

Respondeo in minoribns, quelibet, vel leuis causa:in maioribus vtilitas,vel necessitas, vel vtraquè simul. Vtilitas est,dum sunt pauci Sacerdotes, & Ministri, & melius erit, si alij ordinentur. Necessitas, quando deficiunt, vel defecturi sunt idonei: Suntquè iudicio prudentis viri mensurandæ, & moraliter, quod suscipit magis, & minus. Miranda 1.*par.quæst.*38.*art.*9.*fin.* qui monet, Prælatum prudentem, non debere esse nimis rigorosum. Itaquè facile erit in ordine super interstitijs dispensare, etiam ad Sacerdotium, quia sunt multi conuentus,& pauci Sacerdotes,qui suo muneri pares esse possint, quorum ministerio

Causa dispēsandi super interstitijs in minoribus.

rio tot vrbibus,ac locis ſatisfaciendum eſt,ac diſciplina regularis, multitudine conſeruanda.

Tertium Dubium. Cui competit ſuper interſtitijs diſpenſare?

Epiſcopo cõuenit diſpenſare in interſtitijs.

Reſpondeo,ſoli Epiſcopo, non Prælatis regularibus, quia ita clarè diſponit Concilium Tridentinum. Aſſignare autem cauſam vtilitatis, & neceſſitatis, ſpectat ad Superiorẽ regularem, qui ſolus illam ſcire poteſt. Miranda *ſupra art.* 7. Sorbus *V. ordines Sacri* §. *quoad ſecundum.* & alijs per multi apud Marchin. *cit. part.7.cap.2.n.2.* & ita in terminis reſolutum fuiſſe à S. Congregatione Concilij referunt Idem Marchinus, Peirinus *de priu.con.1. Sixti IV.* §. *22.n.35.* Diana *parte 2.tract. 2.reſolutio. 12.* Paſſarel. *in compendio priuileg.* Sorbus *ſupra* §. *etſi concludi poteſt.* Miranda *ſupra art.7.con.1.*

Dubium quartum. An ſit aliquod priuilegium, quo non ſeruatis interſtitijs ordinari poſſint regulares?

Regulares ordinari poſſunt ſeruatis interſtitijs.

Reſpondeo, adeſt conceſſum Societati Ieſu à Gregorio XIII. & Congregationi S. Ioan. Euangeliſtæ in Luſitania à Clem. VIII. 23. *Nouem.* 1596. relata à Rodriguez *tom.2.quæſt.23.art.5.* & Villobos *apud* Hieron. Rodrig. *reſolut.106. n.20.* & *à* Portel. *V. ordines ſac.n.4.* vbi ſe, dictum priuilegium vidiſſe teſtatur: Et Marchino *citato num.4.* qui Dianam etiam citat. *tom. 2. tract.2.reſolut. 112.* quod ſcilicet poſſint recipi ordines non ſeruatis temporum interſtitijs, & etiam extra tempora. Quæ priuilegia vſui eſſe poſſunt omnibus regularibus communicãtibus, vt ex iiſdem authoribus firmat idem Marchinus, & Hieron. Rodr. qui ſi ob cautionẽ Villalobos dicentis, regulares debere cõformari conſuetudini ob conſtitutiones contra malè promotos, dicat, *Mihi videtur tutiùs, & conſultius*; tamen ſubiungit, *licitum tamen & tutum erit vti dicto priuilegio, quod non eſt reuocatum, ſed potiùs confirmatum.* in quam ſententiam libens ſubſcribo. Eò vel maximè, cum Portel. *citatus*, contra *Mirandam*, dicat, *Video opinionem Rodriguez eſſe in praxi, & eam tenet Ioann. à Cruce in opitome lib.2.cap.8. dub.1.* accedit Barboſa *de off. Epiſcopi alleg. 17.n.6.* Homobonus *de examine Eccleſiaſtico tom.1. tract.2.cap.1.quæſt.13.*

Itaquè (inquit Marchinus *cit.par.8. cap.7. initio*) *poſſunt Epiſcopi abſquè ſcrupulo, regulares, virtute ſuorum priuilegiorum, per extra tempora, quibuſuis ordinibus initiare.* Et licet Gregorius XIII. vetuerit, hoc priuilegium, Societati Ieſu conceſſum, alijs cõmunicari, vnde eſſe illius proprium aſſerũt ſua *lib.8. de legib.c.17. n.8.* & Vaſquez *to.3.in 3.p.diſp.246.c.5.n.5.* attamen per ſubſequentes communicationes factas Bernabitis, & Theatinis, abſolutè conceſſa ſunt Ieſuitarum priuilegia, vt in fine notauit Marchin. cum Diana, & compendio priuilegiorum Theatinorum, uc Peirino.

Cæterum præſens ſtatutum, confirmatum etiam fuit per *capitulum generale Rom. ann.* 1587. cum pœna priuationis officiorum Miniſtris, *Ne ſuos Clericos ad ordines ſacros promoueant, niſi poſt annum à Subdiaconatu, & poſt duos annos à diaconatu.* Quod puto intelligendum eſſe iuxta poſitam doctrinam, quia sancitur ad obſeruantiam S. Con. Tridentini.

Quod ſi ſine cauſa diſpenſetur, puto peccari mortaliter, quia contraitur graniſſime ordinationi Eccleſiaſticæ, & regulari.

STA-

STATVTVM LVIII.

Nullus ad Subdiaconatum, nisi post biennium: ad presbyteratum, nisi post quinquennium à professione licentietur; nisi ob necessitatem, Generalis aliquando alter fieri iudicauerit: Sub priuationis pœna, vel suspensionis ab officio.

Hæc fuit perpetua religionis minoricæ disciplina, stabilita in *Vltramontanis statutis c.1.Salmanticensibus c.2.Romanis ann.*1587.*Vallisoleta.*1593. quæ humilitatem firmat, Conuentum seruitio prospicit, & Ecclesiasticas consuetudines diù meditandas, appræhendendasque proponit. Quò enim tardiùs ad Sacerdotium conuolatur, eò profundiùs humilitatis fundamenta iaciuntur: nam cum sit Sacerdotium, non solum *par Regibus* (vt dixit Philo. *l. de Sacerdotij honore, & lib.2.de Monarchia*) verum *summa omnium honorum, qui in hominibus consistunt*, vt scripsit *S.Martyr.Ignatius, Ep.ad Smirnenses, & quo solus Deus maior est*, ex S. Ephrem *to.1.ser. de Sacer.& res potiùs diuina, quàm humana*, vt censuit Nissl. *lib.de vita Moysis.Vnde* S.P.Franciscus, & se Sacerdotio indignum, & suos Sacerdotes monendos censuit, dicens *in Epistol.quam ad Generalem, & Sacerdotes nostræ fraternitatis direxit apud* Vuad.*an.*1626.*n.*10.*Videte dignitatem vestram Fratres Sacerdotes, & estote Sancti, quia ipse Sanctus est; & sicut super omnes, propter hoc mysteriū honorauit vos Dominus Deus, ita, &c.* Cum sit (inquā) tam magnum Sacerdotum munus, optimo consilio vsa est religio humiliando, & exercendo suos filios in vilioribus monasteriorum seruitijs ne postmodū elati corruant. Quam mentē habuit B.Benedictus *in reg.c.60.* præcipiens Sacerdotibus, qui venerint in monasterio habitare. *Nullatenus aliqua præsumat, sciēs se disciplinæ regulari subditū, & magis humilitatis exēpla omnibus det.* et *c.62.* ordinatus *autē in sacerdotem caueat elationē, aut superbiā, nec quidquam præsumat, nisi quod ei ab Abbate præcipitur, sciens se multò magis disciplinæ regulari subditum; nec occasione Sacerdotij obliuiscatur regulæ obedientiam, & disciplinam: Et si fortè electio Congregationis, & voluntas Abbatis pro vitæ merito cum promouere voluerit, qui tamen regulam à decanis constitutam, sibi seruandam sciat; quod si aliter præsumpserit, non sacerdos, sed rebellio iudicetur.* Habet autem lex ista fundamentum idem, quod inducta interstitia temporum, vt scilicet ritibus, disciplinæ, ad moribus assuescant, & euadant probi Ecclesiastici, & Sacerdotes.

Iuuenes non statim ordinandi.

Sacerdotij encomia.

Cuius transgressio peccatum mortale est, quia in Reipublicæ detrimentum tendit, & in aliorum præiudicium; puniturque pœna tam graui. Clerici enim vsquequò Sacerdotes fiunt, Conuentus onera subeunt, alijsquè inseruiunt; igitur submouetur commune seruitium, fitquè acceptio personarum, dum sine causa aliqui à talibus oneribus subducuntur. Debet igitur subesse legitima causa ad dispensandū in hoc statuto; nimirū, vel debilitas promouendi, vel necessitas, aut vtilitas Conuētus, vel personæ insignis qualitas. Quibus addi potest gratificari

Dispensare sine causa peccatū est.

cari

cari alicui grauissimo, ac nobili benefactori, qui desideraret videre filium, aut Nepotem suum, Sacerdotem. Cedit enim hoc in religionis vtilitatem, & gratitudinis virtutem, dum accepta, vel accipienda beneficia, spirituali satisfactione compensantur. In quo cautè procedendum arbitror, ne sub consolatione sęcularium, Fratris ambitio delitescat.

STATVTVM LIX.

Qui sine licentia huiusmodi, aut furtiuè, aut per saltum promotus fuerit, aut in Subdiaconatus, aut Diaconatus ordinibus, eis non insignitus, sollemniter se ingesserit, puniatur iuxta constitutiones Pij II. & Sixti V. decennioquè spe futuri muneris careat.

Hæc omnia in iure communi, *c. vnico, de cler. promotis per saltum*. Pius II. *Cum ex sacrorum*. Sixtus V. *Sanctum, & salutare*. Clem. VIII. *Romanum Pontificem*. Verum quia Sixtina per Clementinam omninò reuocata est, quoad pęnas, pręter latas in simoniacè ordinantes: Et sancita per Sixtum, vel in iure, vel in constitutione Pij II. continentur, nonnullas conclusiones statuemus ex iure communi, & Pio ad materiam hanc pertinentes.

Malè ordinati sunt suspensi. Prima Conclusio. Promoti sine licentia, seu dimissorijs sui ordinarij, qui apud nos est Prouincialis, & Generalis, vel ante legitimam ætatem sunt eò ipso suspēsi ab exercitio ordinum, & si exerceant, sunt irregulares, ita *Pius II. supra Trident. Sess. 6. cap. 5. & 23. cap. 8. de reform.* Dixi, Prouincialis, & Generalis, nam licet ordinarius Prouinciæ sit Prouincialis, vnde videri poterit alicui, non posse Generalem (qui est veluti metropolita, & primas) in ordinarij munus se intromittere secundum iura *cap. saluo. 9. q. 3. c. 1. de tempor. ordin. in 6.* Attamen, cum Generalis supra suos subditos habeat immediatam iurisdictionem ex voto obedientiæ, quam non habet metropolita in suffraganeos, & ei per statuta ordinis non sit restricta, sine dubio potest tales dimissorias concedere, quod & aliquando faciunt secundum occasiones, licet rarò, ne ordinariorum authoritatem confundant.

Metropolita non potest se ingerere in officio Episcopi.

Visitatores ad ordines licētiare non possint. Secunda Conclusio. Ordinati per dimissorias sibi à Commissario Visitatore concessas sunt ipso facto suspensi, per extrauagantem, *cum sacrorum*. quia talibus commissarijs Visitatoribus (nisi illis expressè concedatur à Generalibus) facultas hæc interdicitur in his statutis *c. 8. circa finem*. *Quibus commissarijs Visitatoribus interdicitur, ne quempiam ad sacros ordines suscipiendos admittant, sed hoc Prouincialium dispositioni relinquantur, quibus iuuenum mores, & merita magis perspecta sunt.*

Quādo suspēsio de facto incurritur. Tertia Conclusio. Promoti ad primam tonsuram, & ordines minores per saltum, non seruatis interstitijs, vel sine, vel cum falsis dimissorijs, vel ad eosdem licen-

licentiati à Commissario Visitatore, hanc suspensionem de facto non incurrũt. ita Nau. *cum Archid. apud* Miran. *tom.1.q.39.art.7.con.1.* Thesaur. *in praxi Ecclesiast. par.2.V. ordo c.1. n.3. qui multos citat. & §. vnde putant multi*. Quia in iure communi non fulminatur ipso facto suspensio, sed potest fulminari, *c. vel non est compos. c. quod ad transaltationem, de tempor. ordin. c. Lugdune. 9. q. 2. & tota qu. eß.* nec in extrauaganti, *cum sacrorum*, fit mentio de ordinibus minoribus, sed *si aliqui sacris ordinibus se fecerint promoueri*. Quam interpretationem patitur etiam citatum statutum, in quo solum agitur de Sacris Ordinibus. Neq; ipso facto incurritur per Sixtinam, vt sensit Miranda *ibidem conclusion. secunda*, quia illa omninò reuocata fuit per Clem. VIII. quod ipse videre debuerat. Sicut & Marchinus *Tract. 1. par. 5. cap. 11. n. 8.* vbi dicit esse impositam ipso iure pœnam suspensionis ordinatis prima tonsura, & minoribus ante legitimam ętatem, sine dimissorijs, &c. Vigore Tridentini; citatque *Quaranta. V. ordo* §. 3. *Limita* qui tamen tale non dicit, nec in locis Tridentini, ab ipso citatis *num.* 4. Id reperitur; nam *Sess. 6. cap.* 5. est sermo de Episcopo exercente Pontificalia in aliena Diœcesi. *Sess.* 17. quam citat, nil aliud continet præter decretum de celebrando concilio. *Sess. autem* 23. *c.* 8. dicit, *quamdiu proprio ordinario videbitur expedire sit suspensus*, citantur autem antiqua iura, ex quibus decretum hoc extractum est, nimirum. *9. q. c. 1. & 2. de tempor. ordin. in 6. Concil. Aurelia 3. cap. 15. c. 1. 21. qu. eß.* quibus locis non imponitur ipso facto suspensio, sed fulminari potest. Quo autem ad constitutionem Sanctissimi Vrbani VIII. *Secretis*, §. *Italos verò*, patet loqui de priuilegio fori, non de suspensione, quæ de facto incurratur. Et certum est, in pœnis non fieri extensionem, vt aduertit post alios Thesaurus *part. 2. V. ordo, n. 9. §. Nota quod aliqui Tridentinum verò Sess. 14. c. 2. de reform.* Suspendit ipso facto etiam minoribus insignitos: Sed ab Episcopo titulari, cathedram non habente, non autem loquitur vniuersaliter. *In pœnis nõ fit extensio.*

Quarta Conclusio. Promotus ante legitimam ætatem, sine veris dimissorijs, per saltum, sed ignoranter, bona fide, non per dolum, puta quia credebat habere ętatem, bonas dimissorias, recepisse alium ordinem, &c. non est suspensus, nec suspendendus. Nauarr. citatus à Miranda, qui eum sequitur, supra *quæstio. 39. art. 6. fin.* Quaranta *V. ordo*, §. *quibus sic specialiter, pag. 376.* Marchinus *tract. 1. par. 5. c. 11. num. 6. cum* Toleto *lib. 1. cap. 48.* Thesaurus *supra num. V. limit. 3.* Ratio est, non quia hæc pęna fulminatur contra præsumentes, & præsumptio requirit scientiam, vnde Hieronymus Roder. *resolut. 106. n. 10. cum* Nauarro, Villalob. Miranda, & alijs: quiquè *num.* 27. extendit doctrinam ad eum, qui dubitans non habere legitimam ætatem, inquirit quantum potest; & licet euidenter veritatem non assequatur, deponit tamen dubium, & putat posse legitimè ordinari, tunc enim, quia temerè non processit, non incurrit suspensionem. Et citat Rodrig. *tom. 3. addit. summæ cap. 25. num. 7.* Sanchez Portel. & Villalobos; sed quia vt aduertit Lezana *tom. 1. cap. 14. num. 40.* Pius II. non dicit, qui præsumpserint se promoueri, sed qui præsumpserint in ordinibus ministrare. Ratio igitur est, quia ignorantia facti excusat ab incursu pœnarum, vt cum Nauarro dicit Quaranta *V. ordo, citato* §. *quib. sic specialiter*, qui citat Lopez, Couar. & ampliat doctrinam ad eum, qui dolo ordinari se fecisset, postea verò putans se per pęnitentiam deleuisse peccatum, ordines exerceret, putãs incensuram non incurrere; tunc enim ex illa simplicitate excusaretur, vt affirmat Nauarr. *Malè promotus, sed bona fide, non est suspensus.* *Præsumptio requirit sciẽtiam.* *Ignorantia facti excusat à pęnis.*

Nauarr. licet Fuscus, & Toletus *ab eodem citati,* non à toto excusent, sed à tanto; ideft mereretur impetrare dispensationem. Communis tamen opinio sustineri potest, quia Pius II. ait, *Nos eorumdem temeritatem tali castigatione reprimentes, &c.* ecce igitur præsumptio.

Regulares non compræhendũtur in extrauagante Pij II. Quinta conclusio. Probabilis est sententia, quod in extrauag. Pij II. non includantur regulares, contra quod senserunt Mirand. *citat. art. 6. con. vnica.* Barbosa *de potest. Episcopi, alleg. 16. num. 24.* Rodrig. *tom. 4. quæst. 24. art. 8.* Rodr. *alter. resol. 106. n. 10.* Marchin. *tract. 1. par. 5. n. 6.* Quaranta *V. ordo, pag. 376. §. quibus sic specialiter,* qui citat Mandosium; dicitq; esse rem indubitatam. Portel. *V. ordines Sacri num. 13.* Ratio est, quia in ea non fit mentio de regularibus, & in odiosis, nomine Clerici non veniunt Monachi, vel regulares, vt latè idem Miranda in oppositum adducit.

Nomine clerici nõ venit monachus, in odiosis. Nec eorum responsio peruincit, quod etiam regulares sunt Clerici, & materia ordinum est communis. Quia si hoc valeret, in multis compræhenderentur regulares, in quibus ex allato principio non compræhenduntur. Nec etiam valet aliorum responsio, quod Sixtus V. confirmando bullam Pij II. illam expresse ad regulares extendit: Quia vt dictum est, fuit reuocata in omnibus, & redacta ad terminos iuris, & bullæ Pij II. in quibus non fit mentio de regularibus, & ita cessauit extensio, sicuti, & censuræ, vnde Clem. VIII. illam reuocans, ait. *Supradictas literas ad terminos sacrorum canonum, ac constitutionis re. mem. Pij Papæ II. & ad dispositionem decretorum S. Conc. Trid. restringimus, & reducimus. Nec non censuras, & pœnas, in ijsdem Sixti litteris contra quoscumq; &c. moderamus, & abolemus.*

Prouincialis nõ potest cõcedere dimissorias nõ suo subdito, nisi per domicilium. Sexta Conclusio. legitimè ordinatur, qui dimissorias obtinet à Prouinciali, non suæ Prouinciæ, sed apud quem, vel in cuius Prouincia cum legitima licentia moraretur: puta missus à suo Prouinciali ob aliquod negotium, à Generali ob studium, ob suam quietem, &c. non quidem vt hospes per transitum, sed de familia, iuxta leges religionis. Ratio est, quia tunc ille est subditus talis Prouincialis, & obtinet in illius Prouincia domicilium, est textus expressus in *cap. cum nullus, de tempor. ordin. in 6.* in quo declaratur superior Episcopus *Originis, beneficij, vel domicilij* ordinandi, & in fine subnectit, *Religiosi verò à suis Superioribus in non exemptis prioratibus deputati Priores, & eorum Socij, possunt à locorum diœcesanis, quandiu morantur in ipsis prioratibus ordinari licitè, licet non sint de eorum diœcesibus oriundi.* Et licet in regularibus non verificentur conditiones eligentis domicilium, siue multum, siue parum temporis moretur, siue habeat, siue non habeat secundum leges, intentionem perpetuò, vel ad tẽpus alicubi permanendi; quia cum nihil habeant proprij, *Nec locum, nec domum, nec aliquam rem,* vt regula nostra dicit, & merè ab obedientia dependeant, ibi dicentur habere domicilium, vbi fuerint à legitimo Superiore collocati de familia; id est, vbi fixam habuerint sedem, iuxta Superioris intentionem: Vt excludam eos, qui per transitum morarentur, & tanquam hospites; Tunc enim domicilium habere non dicerentur, nec absolutè subditi censerentur, sed solum ad tempus, & ex communi disciplina, quæ cogit Fratres, vbicumquè fuerint, obedire Guardianis, & Prouincialibus, in quorum Conuentibus, & Prouincijs peregrinantur.

Superior originis beneficij, & domicilij.

Et nihilominus posset etiam ordinari cũ dimissorijs sui proprij Prouincialis, qui

qui est Superior originis ob habitus susceptionem, eo modo quo baptizatus sumit originem à loco baptismi, vt notauit Rebuff. *de pacif. poss. num.* 217. Gonzalez *ad reg.* 8. *can.* Glos. §. 1. *num.* 105. *ad* 115. Nec est absonum à iure, quia etiam aliquis habere potest duo domicilia in diuersis Episcopatibus, & ab vtroque ordines, sacramenta, matrimonium suscipere, Sanchez *de matr. lib.* 3. *disp.* 24. *n.* 4. Riccius *in praxi de Sacramento ord. decis.* 304. *&* 305. Molf. *tract.* 2. *cap.* 2. *num.* 6.

Potest subditus ordinari cum dimissorijs sui Prouincialis in aliena prouintia.

Septima Conlusio. Suspensionem incurret, si quis, eo quod sit notus Episcopo tamquam habilis, ordinaretur sine dimissorijs; Quia dimissorię requiruntur tanquam forma iuris, sine qua nec scientia, nec ratificatio sufficeret, licet ratihabitionem excusare doceant (contra Salsedo, Rebuf. Madinm, Banc. Barbosam, *citatos à* March. *supra n.* 12. eo quod *Ratihabitio retrotrahatur, & mandato comparetur.* regul. *Iur.* 10.) *Mandosius, Fornarius, Suarez, Franciscus Marcus, Tuscus, Maiolus, Cherubinus, Diana. ibid.* Et est casus expressus 9. *q.* 2. *cap. vlt.* Mandosius *ad regul.* 24. *Cancell. q.* 3. *&* 4. Cherubinus *ad const.* 40. *Clem. VIII. Scol* 1. *&* 2. Quaranta *V. ordo* §. *Ampliat hanc extrauagantem, qui citat Decium, Lopez, Nau. Maiolum, Parisium.* Sed si adesset Superior, vel quocumque modo certiorem faceret Episcopum de licentia, quam suo subdito concedit, vt promoueatur ab illo, non esset necessaria, tanquam forma, sollemnitas dimissoriarum sigillatarum, &c. quia, etsi iura tales dimissorias requirantur, ne ordinariorum iurisdictio confundatur, & ne Episcopus alienum promoueat subditum, attamē cum certò constaret de voluntate sui Superioris, cessaret omnis suspicio, & dispositio iuris, hoc fine obtento. Durum est enim dicere, quod requiratur licentia scripta, dum v. g. adesset ipse Prouincialis, suam voluntatem exponens, & licentia, vt ita dicam, viua. Thesaurus *supra V. ordo cap.* 16. *n.* 3. §. *aduertendum est.*

Duo domicilia haberi possunt.

Notus Episcopo, si absque superioris licētia ordinatur, est suspensus.

Ratihabitio retrotrahitur.

Octaua Conclusio. suspensio contracta ob receptionem ordinum ante tēpus, sine dimissorijs, &c. non cessat, nisi per absolutionem non verò per accessum temporis, & ratihabitionem proprij Prælati. Est communis apud Barbosam *de offic. & pot. Episcopi allegat.* 16. *num.* 10. qui multos citat. Et *allegat.* 17 Scortia *Theor.* 109. §. *quærenti etiam.* Licet rationes quibus probat conclusio, non satis vrgeant; Quia Pius II. *Cum Sacrorum.* ait, *Et si huiusmodi suspensione durante, eisdem ordinibus ministrare præsumpserint, eò ipso irregularitatem incurrant.* Verum hæc verba non vrgent, quia durare hæc suspensio potest vsquè ad ætatem perfectam, vel ratihabitionem. iuxta *cap. Lugdunensis* 9. *quæst.* 2. & notata à Thesauro *citato V. ordo cap.* 16. *num.* 1. *cap. eos. de temporibus ordin.* Cum ergo non dicat Pontifex, *sit perpetuò suspensus,* non debemus illud asserere, nam sicut volens idem Pius II. tollere controuersiam inter doctores, de suspensione fulminata, vel fulminanda, porut diuersimodè ex diuersis canonibus eliciebant *ex cap. illud capit. si quis ausus. d.* 71. *& cap. nullus* 9. *quæst.* 2. *& cap. cum quidem. capit. quod traslationem. c. literas. cap. vel non est compos. & capitulo consultationi. de tempor. ordin.* prout illis legebatur, *Irrita sit, irrita habeatur, irrita erit, interdicenda ordinis executio.* Et ideo Pius II. decreuit, esse ipso iure suspensos, ita cum in iure atiquo, talis suspensio non sit perpetua, nec Sedi Apostolicæ reseruata, si voluisset hoc etiam corrigere, dixisset *perpetuò sint suspensi.* Vnde Corduba *casu* 144. Sotus 4. *dist.* 5. *dub.* 7. *notab.* 8. *&* 9. Nauarr. *cap.* 27. *n.* 155. Sayrus *lib.* 4. *cap.* 14. *n.* 14. *citati à* Scorzia *supra in fin.* dicunt hanc

Suspēsio hęc tolitur per solam dispēsationem.

suspen-

suspensionem cessare sine absolutione, & sic solui posset ratio Barbosæ *alleg.17. num.15. & 16.* Quod cum Papa non determinauerit tempus censetur esse perpetua. Friuola enim ratio est, quia hic Pontifex non fundat nouum ius, sed antiquum corrigit: quod remanere incorrectum censeri debet, si correctio non appareat, & in hunc sensum explicandæ sunt decisiones Rotæ, & leges, quas adducit nimirum, *Lex penam imponens sine determinatione temporis censetur perpetua*, si lex tunc primò feratur, non autem quando corrigit legem iam latam, patere potest ex forma verborum, dicit enim, *si huiusmodi suspensione durante, &c.* Non autem antequam ab hac suspensione absolutus fuerit, durare siquidem potest in terminis iuris communis. Quia tamen communior opinio ait, suspensionem hanc absolutione remoueri, sto in posita conclusione.

Lex penam imponēs, est perpetua, nisi aliud dicatur.

Nona Conclusio. Hæc suspensio non est Papæ reseruata. Ita ex ipsa bulla elliciunt Bonac. *de suspens. particul. quæst.1. pun. 1. num. 11.* Siluest. *V. suspensio, num.8.* Armilla *ibid. num.22.*

Suspēsio hęc nō est Papæ reseruata.

Decima conclusio. Potest à Prouincialis, & Generali dispensari. Colligitur ex Superiori, & ex dictis supra de absolutione; &c. contra id quod sentit Barb. *citatus num.16. & 17.*

Potest dispēsari a Generali, & Prouinciali.

Vndecima Conclusio. In vim statuti, nulla punitio dari posset, quia bulla Pij II. nec de promotis furtiuè, neque per saltum, nec de exercentibus ordines Subdiaconatus, & Diaconatus antequam illis initientur, loquitur, & Sixtina, iam reuocata fuit. Sed in verbo, *furtiuè*, continentur interstitia, dimissoriæ, extra tempora, ætas, de quibus disponitur. Nam qui in ijs deficit, furtiuè ordines suscipit, intrudit enim se, vel non recognitus, vel non approbatus, vel non admissus, sed vltrò, & temerè, vt tenent Maiolus *lib.5. cap.8.* Filliuc. *tract.20. .... num.195.* Sayrus *lib.7. cap.10. num.37. & est communis apud* Suar. *disput.42. de censur. sect.3. nu.5. cum* Glos. *in cap.1. de eò, qui furtiuè ordines, quem citat* Barbos. *ibid. num.6.*

Nulla pena ex statuto, in taliter ordinatos.

Ordinari furtiue quid sit.

Verum taliter ordinatus, &c. à Superiore puniri poterit iuxta tenorem constitutionum Pij, & Sixti, quia in illos earumdem pœnas religio extendit, non quidem fulminatiuè, sed comminatiuè, cum adiuncta pœna, *quod decennio careat spe suscipiendi vlteriorem ordinem*, ex quo apparet, tum rigidior disciplina, tum intellectus bullę Pij II. quod scilicet suspensio non sit perpetua, quia post decennium, ad alios ordines licentiari poterit, ac etiam, quod ad religionem talis dispensatio spectet.

Duodecima Conclusio. Ordinatus per saltum est irregularis ipso facto. *cap. vnico, de Clerico per saltum promoto.* ibi *Ipsum in Diaconum ordinare procures, & sic de misericordia eundem ministrare permittas in ordine Sacerdotis.* ita Diaz *in praxi cap.24.* Henriq. *lib.14. cap.6. num.3.* Sayrus *lib.7. cap.10. num.39. cum alus ab eodem adductis.* Licet Innoc. Archid. Turrecrem. Præposit. Gemin. apud Tolet. *lib.1. cap.71. num.7.* Angelus, Armilla, Tab. V. *irregul.* dicant nec esse irregularem, nec suspensum, sed suspendendum, & Nauarr. *cap.27. num.242.* Salsed. ad Diaz. Suar. *de censur. disp.31. sect.1. num.45.* Alter *de susp. dis.10. cap.5.* Barbosa *alleg.47. num.1.* Layman. *lib.5. cap.10. num.9.* dicant non esse irregularem, sed ipso iure suspensum, vsquequò absoluatur, & ordinetur; quę opiniones omnes suam habent probabilitatem: Potestquè super tali censura, vel impedimento, Episcopus, & ordinarius regularis dispensare, si non ministrauerit. Ex

Ordinatus per saltū fit irregularis.

Concil.

*Concil. Trid. Seß.*23.*cap*.14. *fin*. Et ex traditis alibi, etiamsi ministrauit. Saltus autem intelligitur etiam in minoribus, & prima tonsura, per declarationem S. Cong. Concilij, quam refert *Gallemart. in conc. loco citato*.

Decimatertia. Subdiaconatus, & Diaconatus ordines, quos non habent solemniter exercentes, sunt irregulares, per 3. *capitula, de cleric. non ordinato ministrante*. Dixi solemniter, quia legere epistolam sine manipulo, vel alia facere, quæ talibus ordinibus necessariò non sunt annexa, non inducit hanc pœnam. ita *Rod. Nau. Villalob. Innoc. Panor. Suar. Mirand. Portel. apud* Hieron. Rod. *resol*. 106. *Sacros ordines quos nõ habet exercens fit irregulatis.*

De exercente Sacerdotium, non ordinato, non loquuntur statuta, quia hic casus spectat ad S. Officium, & est tradendus curiæ sæculari, vltimo supplicio afficiendus. Greg. XIII. *Officij nostri*. Clem. VIII. *& si alias*. Sanctissimi Vrbani VIII. *Apostolatus officium*. *Et si exercet sacerdotium est vltimo supplicio afficiẽdus.*

STATVTVM LX.

Ordinati afferant testimonium Episcopi, vel Guardiani Conuentus, vbi ordinem susceperunt. Aliàs suspensi sint ab exercitio, quousquè constet, etc.

De dimissorijs, eisquè varijs, agitur *d*. 72. *&* 73. sunt enim necessariæ tum ad suscipiendos, tum ad testificandum susceptos, ne in re tanti momenti erretur. Suspensio autem hæc non est censura, cuius violatio irregularitatem inducat: Sed est præceptum, quod sine mortali culpa, violari non posset. Sufficeret etiam si Socij ordinati id affirmarent, vel alij, quia non requiritur, nisi ad certificandum de suscepto ordine. Quinimo si ordinatus esset persona grauis, & proba, cui credi posset, nec in tali casu peccatum committi putarem. *De dimißorijs vbi agatur.*

STATVTVM LXI.

Ordinetur intra limites Prouinciæ, et à proprio Episcopo, vel eo ordinationes non habente, ab alio, sed intra Prouinciam.

Prima pars est restrictio authoritatis Prouincialis, vt extra Prouinciam mittere non possit ad ordinationes, imò ad aliud vllum negotium, nisi Prouinciæ, vt decretum fuit in Capitulo generali. Rom. 1603. *Ministris omnibus tollitur facultas mittendi Fratres extra Prouinciam, nisi pro negotijs Prouinciæ propriæ*.

Secunda Pars est declaratio Congregationis Concilij sub Clem. VIII. apud Quarant. *V. ordo in fin.* qua conceditur regularibus dare posse dimissorias, sed ad Diœcesanum illius Monasterij in quo est de familia ordinãdus vel eo ordinationes non tenente, ad alium. Vult tamen à Diœcesano prius examinari de doctri-

na: hoc tamen non est in vsu. Et quod non differant Superiores de industria tales dimissorias concedere, tempore, quo Diœcesanus non est habiturus ordinationes sub priuatione officij,& inhabilitatis,&c. Talis autem declaratio congruit *c.7.Sess.23. Tridentini*, in quo quilibet à proprio Episcopo ordinari præcipitur, ac etiam priscis canonibus. Quod tamen decretum reuocatum fuit per Pium Quintum bulla 11. apud bullar. Rodrig. quoad Regulares. ita Hieron. Roder. *resol. 106. num.10. vbi alij*.

Huius autem decreti transgressio culpa mortalis est, vbi notificata, & vsu sit, inualiditatem tamen ordinationis non importat,aut censuram.

Sicuti missio ordinandi extra Prouinciam, nisi in illa Prouincia esset solus vnus Episcopus; tunc enim non obligaret: Et nisi licentiam haberet à Generali mittendi illum extra Prouinciam. Et cum possint Prouinciales mittere suos subditos ad viciniorem Prouinciam per statuta.

Infertur, quod sicut potest ob alia negotia, possit etiam ad suscipiendos ordines; eò vel maximè, cum promotio subditorum, sit negotium propriæ Prouinciæ.

Sed an stante hoc statuto, missus esset apostata, vtpotè ambulans sine legitima obedientia, & consequenter per leges ordinis excommunicatus, ac tandem irregularis, si sic irretitus ordinaretur?

Respondeo,quod si dolo fiat, & ordinandus id sciat,irregularem fieri. Si bona fide, minimè, quia cessaret præsumptio, & temeritas.

STATVTVM LXII.

In Missis nouellis oblationes pecuniariæ non fiant. Superior, & celebrans transgredientes, vt proprietarij puniantur.

Ita Clem. *exiui. de verb. signif. in 6.* his verbis. *Quò circa quæstus omnis pecuniæ, ac oblationum pecuniarum receptio in Ecclesia, vel alibi, &c. Sunt simpliciter interdicta*. Est enim expressè contra Regulam cap.4. *Fratres nullo modo denarios, vel pecuniam recipiant, &c.* Adestquè scandalum, dum Fratres, quibus interdicta est pecunia, in celebratione Missæ, quæ omni puritate peragenda est, rem, sibi omnibus modis prohibitam recipi faciant, &c. itaque est peccatum mortale, & grauissima pœna dignum. Hinc statuta Salmanticensia *cap. 4. fin.* aiunt. *Oblationes pecuniarias in Missis nouellis Fratres nullo modo recipiant aut recipi permittant, qui autem contrafecerint, tribus diebus infra 15. dies in pane, & aqua ieiunent*. Et statuta Vallisolet. *de ann.* 1593. & Romana, *anno* 1612. *&* 1618. *quinimò, &* Papalia Iulij 11. *cap. 4. part. 5. Caueant Fratres ab omni quæstu pecuniæ in prædicationibus,& alibi,& ab omnium oblationum pecuniarum in Ecclesia, vel alibi receptione, vt Clemens cap. exiui, de verb. signif. in 6. expressè dicit, &c.*

Exceptis pecunijs, aliæ oblationes spontaneæ, quæ fierent, recipi possent, vt su-

vt sudariorum strophiolorum, panis, vini, fructuum, &c. Hæc enim antiquis etiam temporibus, commendataque consuetudine offerebantur in Ecclesijs, & nunc etiam offeruntur.

STATVTVM LXIII.

De Apostatis.

Primum, omnes Apostatas authoritate Apostolica, et vi præsentis statuti excommunicamus.

Apostasia quotuplex. *Habitus dimissionem in voluit.* *Aliquando etiam cũ habitu.*

Non loquitur hic de Apostasia à fide, vel ab ordine minori, vel maiori, sed à religione; quæ contingit, vel cum habitu, vel sine; vel cum animo redeundi, vel minimè. Sola enim dimissio habitus cum voluntate ad illum non redeundi est vera apostasia, de qua agitur *de Apostatis, cap.*1.3.5. *& vlt.* Licet etiam intentio dimittendi religionem, cum obsirmato animo, ad illam amplius non redeundi, etiam si retineat habitum, faciat etiam verum Apostatam, etsi non ita completum, vt si habitum etiam dimitteret. Abb. in *cap.*1. *de apost. n.*2. Caiet. 2.2.*q.*12.*art.*1. Nauar. *lib.*5. *consil. tit. de apost. consf.*11. *num.*8.

Apostasia quid significet.

Hinc colligitur eum qui fugit, vel etiam dimittit habitum, animo tamen non rebelli à Religione, sed propter timorem, vel suas voluptates, esse fugitiuum, non verò apostatam, qui puniendus veniat pœnis canonicis, in apostatas fulminatis. Bonac. *de clausura q.*2.*punct.*11.*n.*5. cum allegatis ab ipso: tamen per statuta ordinis contra tales fugitiuos, & nomen, & pœna apostatarum extenduntur. Apostasia enim discessionem, vel retrocessionem significat à sua professione, & in hoc præcisè concepta apostasiæ consistit essentia. Et propterea *Conc. Trid. Sess.*25. *de regula. c.*4. regulares sine mandato Superiorum vagare repertos, *tanquam desertores sui instituti* puniri mandat. Et *cap.*19. qui ante obtentam sententiam de inualiditate professionis habitum spontè dimiserit, *tanquam apostata*, puniri præcipitur, quibus locis non simpliciter desertorem, & apostatam, sed *tanquam*, id est similitudinariè. Et in priori loco Congregatio Concilij censuit, tales esse puniendos, sed non esse excommunicatos per Concilium Tridentinum. Et iuxtà hunc sensum, in nostro S. Ordine, quocumq; modo fugitiui, appellantur Apostatæ, & tanquam apostatæ puniri præcipiuntur. Stat. Papalia Iul. 11. *cap.*7. *p.*31. Salmant. *cap.*2. Vallisol. *an.*1565. *&* 1593. *citant* Stat. Aquilana & Romana *anno.* 1575. *&* 1587. 1603. Parisiensia *ann.*1579. Neapolit. *cap.* 29.

Excommunicantur Apostatæ.

Authoritas Apostolica, est *Innoc. IV. bull.*7. *in bullario Rodr. pag.*15. *Vt apostatas ordinis vestri, excommunicare, ligare, capere, mancipare, si videbitur expedire, possitis, authoritate præsentium concedimus facultatem, &* *pag.*16. *bulla* 10. præcipit ordinarijs, *Vt discedentes ab eis post factam professionem, præsertim excommunicatione notatos ab ipsis, euitetis omninò: ac requisiti, eosdem excommunicatos denunciare curetis.* Et Clem. IV. *bulla* 15. *pag.*39. *numer.*20. idem repetit, addens

participare in crimine criminoso, qui Apostatas nostros, iam excomunicatos retinuerint, & non eiecerint. *Sixtus IV. bull.33. pag.168.* Concedit Prædicatoribus, vt apostatas suos excommunicare possint, ac esse excommunicatos, eos detinentes. Idem concessit Eremitis S.August. *bull.34. n.15.pag.177.* Idem concessit *Alexander IV. Carmelitis,* quod confirmat *Sixtus IV.bull.35.num.28. pag.199.* & traditur in *c.ne religiosi,de regul.in fin.* Cum quibus,& ordo Minorum communicat. Quinimò in iure communi, qui temerè habitum dimittit, est ipso iure excommunicatus. *cap.vt periculosa. ne Clerici,vel Monachi sæcularibus.in 6.* temerè autem dimittere, est sine causa. Hinc si ad suam defensionem, vt hostes effugiat, vt iter inter infideles arripiat: vt meliùs dormiat,vel studeat: vel etiam ad turpem, & minus honestum finem, ad aliquod breue spacium, habitum dimittit,non incurrit hanc excommunicationem. Suar. *tom.5.de relig.disp.23.sect. 4.n.27. & 26.Sanchez in decal. lib.6. c.8. n.41.43.55.56.* Sayrus *de censur. lib.3. cap.33. n.13.* Rodrig. *tom.2. quæst. 76. art.6. & alij apud* Barbos. *in citat. capitulum. vsquè ad num.9.* Quam excommunicationem extendunt ad eum, qui ita habitum occultat, vt pro tali religioso non cognoscatur. *Mandosius, Clarus, Nauar. Bannes, Rodrig.Valentia, Sanchez Santarellus contra Sayrum, Filliucium, Suar. apud* Barbos. *supra num.6.* Ac etiam contra eum, qui temerè habitum dimittit, etiamsi apostatandi animum non habeat. *Nauar. Rodrig. Lessius,Valentia, Sanchez, num. item 6.* Quod intelligi volunt, si dimisso, vel occultato habitu vagari incipiat, & hominibus sine habitu appareat; nam si non vagetur,non incurrit,ex proemio eiusdem capituli,*Vt periculosa religiosis euagandi materia subtrahatur.Tabiena,Suar.Sanch.Sayrus n.7.* An autem incurratur,si habitum deponat vbi non est cognitus pro religioso: vel vbi non videatur, putà si vagetur in silua, in deserto, si sine habitu temerè maneat in cælla, affirmat Sanchez *supra num.61.* & quidem benè,quia Bonifacius VIII. in dicto *cap.* vagandi materiam subtrahere volēs, præcipit ne habitus deponatur, non distinguens de hominum conspectibus,vel de locis solitarijs: Et expresè adiungit. *In scolis,velalibi temerè habitum suæ religionis dimittat.* & in fine excommunicat *Doctores, qui scienter docuerint physicam,vel leges,tales apostatas.* Ergo isti Religiosi sunt excommunicati antequam à Doctoribus cognoscantur.

Verùm excommunicatio statutaria cotra apostatas latiùs se extendit, nimirum in eos, qui & cum habitu, & sine illo: cum animo contra professionem obfirmato, & cum sola voluntate ad tempus fugiendi, conuentus sæpta, sine licentia egressi fuerint. Vt diffinierunt Statuta Papalia *Iul.II.cap.7.par.31.Intelligimus autem apostatantem omnem, qui sine licentia, vel contra obedientiam suorum Prælatorum per terras loca seu patrias, cum habitu, vel sine habitu, cum socio, vel sine illo iuerit, atquè quomodolibet discedentem.* Estequè latæ sententiæ, etiam à nullo alio absolubilis, nisi ab ijs, quibus per nostras leges commissum est, vt infra dicetur. Et est casus reseruatus per Clem. VIII. vnde est peccatum mortale. Lezana *tom.1. cap.16. num.3. & citat.*Suar. *de relig. tom.4. tract.8.l.1.cap. 6. num. 7.*

Temerè habitum dimittens est excommunicatus.

Apostata est excōmunicatus etiā si redeundi animum habeat.

STATV-

STATVTVM LXIV.

Præcipimus Superioribus localibus; vt in refectione immediatè sequenti, et singulis sextis Ferijs primi mensis, tales APostatas excomunicatos denuncient.

Talis mos semper in Religione viguit, firmatus in capitulis generalibus *Rom.* 1575. *Parisiensi* 1579. *Vallisolet.* 1593. *Vltram. cap. 6. & statut. Pap. Iulij II. cap. 7. par. 31. postquam aliquis apostatauerit, Guardianus ipsum denunciet, vel denunciari publicè coram Fratribus in Capitulo excommunicatum faciat, qualibet sexta Feria primi mensis, suæ apostasiæ.* *Denũciatur excommunicati, & quã do.*

Circa hoc est prima difficultas. Si iubetur denunciari, ergo non est ipso facto excommunicatus.

Respondetur non præcipitur excommunicari, sed denunciari excommunicatus, vt alijs innotescat. Sic qui Clericùm percutit est ipso facto excommunicatus, denunciatur tamen postea per cædolones.

Secunda Difficultas in his, & alijs statutis ordinis decretum est, nullam censuram ligare, nisi post sententiam, etiamsi dicatur, sit ipso facto excommunicatus. Ergo valet hoc etiam cum apostatis?

Respondetur negando sequelam, quia apostasia habet peculiarem respectum in ordine, cui summè est prejudicialis, ac consueuit semper secum ferre excommunicationem latæ sententiæ. Vnde redeuntes apostatæ statim ab excommunicatione publicè absoluuntur, quare ab illa regula generali eximitur apostasia, & perpetua praxis statutum declarauit, quod sint ipso facto excommunicati.

Tertia Difficultas. Martiniana *Ad euitanda*. edita *in Concilio Constansiensi*, decreuit non esse vitandos, nisi publicos percussores Clericorum, & nominatim denunciatos. Quæritur modo an essent vitandi Apostatæ, qui casu aliquo non denunciarentur. Et quomodo Sæculares vitare teneantur apostatas, iuxta citatas constitutiones, cum nesciant si sint denunciati, nec ne? *Excommunicati vitandi qui sint.*

Respondeo si non denuncientur, non esse vitandos, etiamsi eorum apostasia esset notoria, quia notorietas solum afficit percussores Clericorum. Receptatores autem apostatarum non tenentur illos vitare, nisi sciant eos esse denunciatos: vel Superior eos moneat, vel illis denunciatos esse significet, excusantur enim ex ignorantia. Quinimò etiamsi scirent, si tamen reciperent apostatas amicitiæ, consanguinitatis, aut pietatis causa, non inciderent in excommunicationem sicuti dicunt doctores de recipientibus hæreticos ex eisdem causis. Rodrig. *tomo* 1. *quæst.* 30. *art.* 9. Nauar. *cap.* 27. *num.* 55. *& consil.* 69. *de regul. num.* 1. Miranda *tomo* 1. *quæst.* 51. *art.* 2. Portel. *V. apostatæ nu.* 4. *citati à* Hieronymo Rod. *resolut.* 11. *num.* 7. *fine*. *Apostatæ etiam notorij non vitandi nisi denunciati.*

Quarta difficultas, si teneatur sub mortali Superior localis denunciare apostatam iuxta formam statuti?

Respondeo si differat ex contemptu, vel diu, sine causa legitima peccat mortaliter, quia in re graui delinquit. Si tamen id ad aliam refectionem proferret,

M 3 quia

quia parum est, puto non peccare grauiter. Singulis autem sextis ferijs primi mensis denunciare illos, cum sit potius ad terrorem, quam ad iustitiæ complementum, non credo peccare grauiter, qui id non exequeretur. Ad afficiendum enim apostatam, sufficit vna denunciatio. Et nequè est in vsu.

STATVTVM LXV.

Quando aliquis, etc.

Ponuntur multi casus grauis, grauioris, vel grauissimæ apostasiæ: item leuis, leuioris, leuissimæ, cum suis pœnis proportionatis. Quibus commentaria non adiungimus, quia voluntariæ sunt; nec in iure reperiuntur expresæ, nisi in illo communi principio, *iuxta mensuram delicti erit, & plagarum modus*.

Aduerto tamen in vniuersum, nomine leuis, vel leuissimæ apostasiæ non intelligere nos peccata venialia, quasi diminutio materiæ grauitatem culpæ excludat, cuiusmodi dicitur, *Parum pro nihilo reputari*. Nam omnes istæ sunt peccata mortalia, quia omnes excommunicationem maiorem inducunt, quæ non nisi ob mortalem culpam incurritur: Sed dicuntur leues, vel leuissimæ respectiuè, ad alias nimirum grauiores, & grauissimas.

Si tamen quæras, An detur apostasia ita leuis, vt mortalem culpam, & excommunicationem excludat?

Respondeo cum apostasia sit inobedientia cum exitu extra Conuentum, & dari possit inobedientia venialis, & exitus per aliquos passus à quibus reuertatur in Conuentum, sequitur quod etiam apostasia possit esse venialis. Nauarr. *tit. de apost. cons.* 11. *nu.* 8. Rod. *tom.* 1. *quæst.* 30. *art.* 1. Graff. *lib.* 3. *de casibus reser. c.* 2. *num.* 34. *citati à* Peirino *tom.* 1. *q.* 1. *cap.* 26. §. *ex quibus vlterius*. Lezana *tom.* 1. *cap.* 16. *n.* 2. Nam in omni materia exiguitas excusat S. Thom. 2. 2. *quæst.* 59. *art.* 4. *ad* 2.

Excusaretur etiam fugitiuus à mortali, si valdè grauatus à suo Prælato, ad superiorem confugeret, vt multi apud Peirinum citatum affirmant, quia hoc non est fugere, sed se defendere.

STATVTVM LXVI.

Nullus hospes recipiatur, nisi obedientiales literas ostẽdat exceptis Patribus grauibus, ac notis.

Ita Sixtus V. in constitutione. *Cum de omnibus Ecclesiasticis ordinibus*, §. 7. vbi nullum recipi mandat in Conuentibus, nisi licentiam exhibeat, vel notus sit, sub pœna priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, officiorum, inhabilitatis, &c. quod in constitutione, *Ad Romanum spectat Pontificem*. Superioris declaratiua. §. 19. Vult intelligi tam de hospitibus proprijs ordinis, & prouinciæ, quam alterius. Quod etiam sanxerunt *Salmaticensia statuta c.* 2.

Vnde

Vnde meritò dubitari posset, An hęc ordinatio obliget sub culpa graui, quippe quæ tam graui punitione corrigitur.

Attamen non obligare ad culpam mortalem, ipsa consuetudo ostendit, quæ transgressores nunquam tali animaduersione puniuit: Et propter non vsum, non obligat. Vide Rodrig. *tomo 1. q. 30. articulo septimo.*

STATVTVM LXVII.

Superiores omnes tam Prouinciales, quàm Locales, ordinariam potestatem habeant excommunicandi, carcerandi, capiendi apostatas, etiam aliarum Prouinciarum: Et in necessitate, etiam subditi, capiendi Apostatas facultatem habeant.

Hoc concessit Sixtus IV. citatus, num. 23. *Apostatas verò vestri ordinis excommunicare, capere, ligare, incarcerare, vel aliàs subdere disciplinæ rigori possitis, per vos, atquè etiam per alios, in quocumquè habitu eos contingerit reperiri, inuocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachij sæcularis.*

Itaquè omnes Fratres sunt ordinarij super apostatas. An autem subditi teneantur ex præcepto, apostatas, quos in locis repererint, carcerari facere; Negatiuè respondeo, quia hæc est ordinatio potestatiua, non coactiua: dat facultatem, non imponit necessitatem, ac præceptum. vt in terminis declarauit Honor. 3. *cap. ad nobis. de apostatis. Tales (si volueris) poteris sub graui custodia carcerare.* Quidquid sit de constitutione Pij IV. *Postquam 1. tom. bullarij fol.* 732. in qua præcipit requiri apostatas, &c. Quia reuocata fuit a Paulo IV. *Sedis Apostolicæ. tomo 2. fol. 3.* & reducta ad terminos Iuris.

Sed quid ex natura religionis, cuius est membrum, an teneatur tales cogere, ne religioni dedecus pariant: nenè animæ iacturam faciant?

Respondeo teneri sub mortali, quando graue damnum religio pateretur ex talium vagatione. Sunt enim Apostatæ infames, si non iuris, vt tenuit Hugo, & Turrecrem. *in cap. alieni erroris. 2. q. 7.* saltem facti, vt dicit Archid. *num. 3.* Præpos. *num. 1. ibid.* Vnde *in cap. tuæ fraternitati. de apost.* Coguntur inire purgationem canonicam, *Ad infamiam abolendam.* Et licet textus loquatur de apostata derelinquente habitum, tamen non est dubium, quin tales ordinem infamia afficiant. Et ideo in hoc casu non solum Superiores, sed etiam subditi tenerentur sub mortali eos coercere. Adde zelum salutis animarum ne sub diaboli tyrannide moram trahant, qui est finis. *cap. vt periculosa, religiosis vagandi materia subtrahatur. Ne Clerici, vel Monachi. in 6. & cap. ne religiosi de regul.* quiquè fundamentum habet in Euangelio, *si peccauerit, corripè, &c. dic Ecclesiæ;* ac etiam in iure naturali diuino, in isto capitulo, *ne Religiosi.* inserto, vt putat Sanchez *6. in decal. c. 9. n. 47. & 18.* Dicere autem Ecclesiæ vanum est, si reuelatio non proficiat, sed captura, quæ est remedium huius mali.

STATVTVM. LXVIII.

Curent Superiores, ne Apostatæ per suos Conuentus vagentur, sed quantò citius poterunt, eos capere teneantur.

Obligare sub mortali, colligo ex *cap. ne religiosi. de regular.* quia grauiter inculcatur apostatarum requisitio. ait enim. *Ne religiosi vagandi occasionem habentes, salutis propriæ detrimentum incurrant, & sanguis eorum, de Prælatorum manibus requiratur.* Verum licet ibi sit sermo de requisitione annua in capitulis facienda, quæ Monachos vrget, & nobis nec in vsu vnquam fuit, nec practicari posset: Attamen sensus Ecclesiæ hinc apparet, quomodo obliget, in simili. Eò vel maximè cum hoc capitulum innouatum fuerit in *decreto de Apostatis, & eiectis, ædito. ann.* 1624. 21. *Septemb.* in quo etiam præmittitur, §. *rursus statuit. Vtquè ipsi Superiores teneantur eos perquirere, ad religionem reducere, atquè efficere, vt appræhendantur, salua tamen in omnibus facultate ordinarijs locorum attributa decreto Concilij cap. 3. Sess. 6.* Et super hac materia legendus est Rodrig. *tom. 1. quæst. 3. art. 5. & qui eum, aliosquè citant moderni,* Peirin. *tom. 1. quæst. 1. cap. 26. V. Dico, 7. §. quæres, an eodem pacto* Thesaurus *V. apostata. c. 3.* Lezana *to. 1. c. 16. n. 16. et* 17.

In quo decreto aduertendum est relictam esse formam *cap. vlt. de reg.* & solum præceptum, quod apostatæ requirantur, nimirum iuxta modum vtilem cuiquè Religioni.

Qui autem si hic modus? Respondet in dicto *cap. vlt.* Gregor. IX. *Secundum ordinem regularem.* id est, quando adsit spes emendationis: Nisi perniciosus futurus sit ordini; Nisi sit incorrigibilis; Nisi ex ipsorum perquisitione, carceratione, &c. Maius scandalū in sęcularibus oriatur, & religio propter accquisitionem vnius ouis morbidę, bonum nomen amittat. Hæc enim omnia excusant Superiores ab Apostatarum inquisitione, quia minus malum est vt vnus vagetur, quam vt communitas patiatur: de quo optimè citatus Rodriquez, qui auream S. Bonauenturæ sententiam citat ex *q. 14. in Regulam. Quod si* (inquit) *Deo permittente aliqui seipsos eijcerent, gratiæ sunt Deo referendæ; non quia illi peccauerunt, sed quod oues suas a pestifera contagione liberauit. Iuxta illud gal. 5. Vtinam abscindantur qui vos conturbant, Scilicet puritatem vestram, pacem, & famam.*

Cæterum remotis his considerationibus vltra peccatum mortale, quod incurrerent Superiores id non curantes, mererentur pœnas in citato decreto de eiectis, & apostatis, §. *si qui vero.* nimirum, *Priuationem omnium officiorum, quæ tunc obtinebunt, vocisquè actiuæ, & passiuæ, atquè perpetuam inhabilitatem ad illa in posterum obtinenda, Sedi apostolicæ reseruatas, ipsoquè facto incurrendas.* Quarum tamen pœnarum executio requirit declaratiuam Iudicis sententiam, vt est communis doctrina.

Sed quæ erit coniectura, qua Superiores (de his enim tantum loquitur decretum) his pœnis mulctari poterunt?

Re-

Respondeo, moraliter, ac prudentis viri iudicio, procedendum est. Primò enim non tenentur semper, quotidie, qualibet hebdomada, quolibet mense, &c. apostatas perquirere. Est enim præceptum affirmatiuum, quod non obligat semper, & ad semper, sed quibusdam temporibus congruis. Secundò non tenentur suos Fratres mittere perquisitum per domos, palatia, villas, vel regiones, qua si vẽationi apostatarum vacandum sit; vana enim, ac scandalosa esset ista diligẽtia. Tertiò non tenentur sæculares quoslibet interrogare si viderint, si sciant aliquos Fratres fugitiuos; tum quia hoc esset reuelare defectus religionis; tum quia scire non possunt sæculares, si religiosi cum obedientia, vel sine illa vagentur. Quartò, Non tenentur satellites huic inquisitioni præficere, tum quia tam improbus labor non præcipitur; tum quia satis esset, si præstò forent quando carcerari deberent. Quintò, Excusantur, si postquam fugerit religiosus attendant, si de ipso dicatur, in tali, vel tali loco moram trahere, vt eò mittant Fratres, qui prudenter, & sine scandalo cognoscant, si ibi reperiatur, & eum reducere procurent, vel bonis verbis, si emendationis spes affulgeat: sin minus, vi, & auxilio brachij sæcularis, dummodo ij antea scandalizati fuerint de illius vagatione: quod si sæculares bona fide maneant, & timeatur scandalum, satius est eum dimittere, vt maius malum euitetur. non enim rationi consonum est, velle Summum Pontificem obligare religionem cum tanto suo detrimento. An autem tale decretum, praxi non approbatum, obliget, tenendum est cum communi, negatiuè, vt alibi dicetur.

Sed dubium est, quæ sit facultas attributa ordinarijs à *Trident. Sess.6.cap.3.de refomat.* quod citat decretum supradictum?

Respondeo. licet textus sit obscurus, quem clariorem Nauarr. *consil.21.de regul.* desiderabat, & alij ab impræssoribus corruptum putent, vt in margine, *Concilij, Turnoni anno 1621.& Lugduni ann.1633.* impressi, notatur; Tamẽ sensus est, *Regularis extra monasterium degens, etiam sui ordinis, priuilegij prætextu, tutus non censeatur, quò minus si deliquerit ab ordinario loci, tanquam super hoc à Sede Apostolica delegato, secundum canonicas sanctiones, visitari, & corrigi valeat.* Quod non est contrarium *cap.14.sess.25.de regularibus*, in quo regularis degens intra, & scandalosè relinquens extra claustra, à suo Superiore, instante Episcopo, puniri mandatur: Quia ibi est sermo de degente extra claustra, hic de degente intra claustra.

Vt igitur religiosus puniri possit ad ordinario loci, debet moram trahere extra conuentum formalem; idest, qui habeat suum Superiorem, & in eò regularis obseruantia vigeat. Si enim in domo, ad erectionem Monasterij destinata degat, in qua conuentualiter non viuatur, sed ibi tanquam in domo sęculari moretur, potest puniri, visitari, &c. ab ordinario, vt fuit resolutum 24. *Maij* 1588. apud Marzillam *lib.4.in Trid.tit.7.* Etiamsi degat cum Superiorum licentia, vt ab eadem *S.Congregatione Concilij fuisse resolutum*, idem Marzilla *testatur*. Ex quo decreto Milites Hierosolimitani excipiuntur à *Gregorio XIII. & Pio V.* Præterea non potest ordinarius loci se in regularem extra claustra degentem ingerere, nisi delinquat nec potest contra ipsum procedere, nisi in visitatione: ait enim, *Visitari, puniri, & corrigi.* Vnde punitio, & correctio à visitatione dependent; Vt clarius declaratur *cap.4.sess.14.de reform.* vbi recensito hoc capitulo, loquens de Clericis sæcularibus, addit. *Et quando opus fuerit, etiam extra visitationem,*

compelli. Quā pœna nil grauius;opprobriosius enim esset tale biretum gestare, quàm crucem decussatam S.Officij, quæ ab Hispanis, *san benito*, appellatur. Quia tamen(vt dixi) talis constitutio abrogata fuit per Paulum IV. nobis solum relinquit zelum summorum Pontificum circa Apostatas ad cuius exemplar possimus mitiores nostras constitutiones effingere.

Dubium tamen est, si iuxta hoc Statutum, æqualiter puniri debeant omnes Apostatæ, tam qui leuiter, quàm qui grauiter, & grauissimè deliquerunt. Videtur enim rationi repugnare, vt dispares culpas pœna comhræhendat æqualis. Nam sicut ipsamet Statuta pęnas alleuiant, alleuiatis excessibus, ita irrationabile foret, si vna punitione leues, & graues apostasiæ corriperentur.

Secundum quam considerationem dico, solùm grauiores, & grauissimas apostasias hac pœnitentia plectendas. moueor cum ex natura rei, tum etiam ex Statutis Vallisoletanis *anno* 1565. quæ sic habent. *vt qui apostasiæ culpam intra duos mēses coram suo Prælato non agnouerit publicè, uoce actiua, & passiua ad decennium priuetur.* Citantquè *Statuta Aquilana, quæ in Romana Generali Congregatione* renouata esse, ac in his statutis inserta, omninò tenendum est. Grauem igitur, & grauissimam apostasiam hoc modo puniendam esse arbitror.

Dubium secundum esse poterit. An decennium hoc incipiat post complectam penitentiam, tali apostasiæ conuenientem, an verò currat à die regressus, etiamsi carceribus detineatur, pęnitentia maceretur, &c.

Respondeo cum odia restringi debeant, ex *regula cap. odia. in 6.* Et in pęnis mitior interprętio facienda sit, vt ibid. *cap. in pęnis.* dico decennium computandum esse à die reditus ad religionem: ait enim Statutum. *Nisi post decennium ab apostasia, laudabiliter, etc.* Laudabiliter siquidem viuit, qui sui sceleris punitionem subit. Et cum dicat, *ab apostasia*, terminus iste rigorosè tenendus est.

Dubium tertium. Quid sit laudabiliter, & religiose viuere?

Respondeo seruare regulam, & sui ordinis instituta, viuereque sicut cæteri viuunt: quod prudētis Superioris iudicio relinquitur. Non enim ista commendatio cōtraponi debet apostasię, quasi verò si nō apostatauerit, & in idem peccatum, cuius pęnitentiam facit, reincidat, quia sic iretur in infinitū; sed respectu totius conuersationis, obedientiæ, quietis, castitatis, &c. Nam laudabiliter non viuit, qui in aliquo essentiali delinquit. Eò vel maximè, si suspicari possit, ab antea ctā apostasia originem ducere. Cæterum in hoc pij Superioris iudicium desideratur.

STATVTVM LXX.

De Vestimentis Fratrum.

Omnes Fratres taliter induantur exterius, vt vniformitas vestium indicet conformitatem animorum. Ita tamen, vt panni vilitas strictè semper maneat, et repetiationis deformitas euitetur.

Verba

Verba nostræ Regulæ.cap.2.*Et illi qui promiserunt obedientiam, habeant vnam tunicam cum capucio, & aliam sine capucio, qui voluerint habere, &c.*declararunt Nicolaus III. *in cap.exijt.de verborum signif.in 6. §.licet autem.* Clem. V. *Clemen.exiui.ibid. §. præterea cum dicatur in regula.* Ioan. XXII. *Extrau. Quorumdam exigit.eod.tit.§.In primis cum dicatur.*Martinus V.*in cap.2. regulę. §. Nam de qualitate.* Gregorius XIII.*Cum illius vicem.§. 16.* Et nouissimè, ac amplissimè Sanctissimus D. N. Vrbanus VIII. *Sacrosanctum Apostolatus.* ædita ac acceptata constitutione in Capitulo Generali Romano ann. 1625. cuius tenorem, quia meram puritatem regulæ concernit, hic pro fundamento dicendorum subijcimus.*Quod de cætero perpetuis futuris temporibus, omnes, & singuli eiusdem ordinis professores, iuxta dicti ordinis regulam; nec non declarationes à piæ mem. Nicolao III. ac Clemente V. Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris desuper emanatas, cũ calepodijs, seu sandalijs apertis dumtaxat incedere teneantur, nequè alio pedum operimento, siue panneo siue alterius cuiuscumquè materiæ existat, absquè expressa licentia vti possint: quodquè integrum eorumdem professorũ vestimentum duabus tantum tunicis constet, & constare debeat, vna scilicet cum capucio, & alia sine capucio, vt eadem regula præscribit. Nequè eiusdem ordinis professores tertia tunica, seu camisia staminea, aut interula, siue sudarijs, vel alia quacumquè re, contra eiusdem regulæ tenorem, etiam in vim concessionis fælic.record. Iulij Papę II. etiam Prædecessoris nostri, siue alio quouis prætextu, & ex quacumquè causa, vllo modo vti valeant, apostolica authoritate tenore pręsentium, perpetuò statuimus, atquè declaramus; prædictamquè Iulij Prędecessoris nostri, & quascumquè aliàs concessiones, siue indulta, tam per literas Apostolicas, & motu proprio, quàm viuæ vocis oraculo, & alias quomodolibet concessa, eidem regulæ quomodolibet contraria abrogamus.*Quod Statutum fuerat *anno 1612. in Capitulo generali Romano tit.de obseruatione Regul.§. Vsus camisiarum.* & celebrata *ann. 1625. Congregatione Generali Rom.§. Sudaria ex lino. Et Salmant. 1618. §.Camisiarum lini.*

Ad obseruantiam Regulę cap.2. *Fratres omnes vestimentis vilibus induantur, & possint ea repeciare de saccis, cum beneditione Dei.*

Vilitas in prætio, ac in colore consistit, ex declaratione Clem.V.supra §. *præterea cum dicatur. Vilitatem*(inquit)*vestium, tam habitus, quam interiorum tunicarum, illam intelligi debere dicimus, quæ secundum consuetudinem, & conditionem patrię debeat, quantum ad colorem panni, & prętium, vilitas meritò reputari. Cuius iudicium, Ministris, Custodibus, seu Guardianis duximus committendum.* Quod replicauit Ioann.XXII.supra §.*quò circa nos seriosius*, Clarius omnia ad vilitatem, & asperitatem spectantia declarans, Superibusquè remittens. Quod declarauit, & statuit postea Martinus V.loco citato dicens.*Ordinamus, vt in statutis Guglielmi Farinerij cap.2.habetur, vilitas attendatur in prætio, pariter, & colore: ita quod in vestimentis semper reluceat vilitas, asperitas, & paupertas, &c. Et vestimenta non sint adeo prætiosa, vt vanitas, & curiositas in eis appareat, nec ita vilia, & grossa vt ad horrorem inducant, & prouocent ad derisum.*Et hæc est doctrina omnium expositorum regulę.4.Magistrorum.*Quęritur, quid dicatur vestimentum vile? Secundum intellectum regulæ, vilitas attenditur in prætio pariter, & colore, secundum existimationem hominum regionis, in qua Fratres morantur.*S.Bonau. in reg.cap.2. *Vestimentis vilibus induantur. hoc congruit altissi-*

mę

*mę paupertati. Hęc vilitas in tribus attendenda est;in pręcio, colore, & superadditis alterius panni assumentis in pręcio, quia paupertas vera nihil prætiosum habet. Color naturalis,non artificialis.tertium additur, vt sæculi stultitia in Fratrum habitu ostēdatur.*Hugo de Dina.*Attendenda est hæc vilitas in prætio pariter, & colorē & secundum existimationem hominum, &c.*Pisanus idem dicit. Expositio innominata.*Qualis autem vilitas imponatur, patet ex cingulo,qui est uilis funiculus, ex nuditate pedum, & repetiatione saccina, quæ omnia sunt pauperculorum, & secundum mundum summè vilium.*Et alij omnes passim.

Hęc autem vilitas,& asperitas originem habet ab Adam, quem Deus non mollibus,sed pelliceis vestibus;induit.idest *tactu rudibus,et crassis,*inquitMoyses Barcepha ex D.Iacobo Sarugense *l.1.de parad.*hinc Tertulliani calamo *de pallio cap.3.Pellitus orbi,vt metallo datur.Talibus oportebat indui peccatorē,* dixit Origenes *hom.6.in leuit.Vt mollem vitam fugiamus,nequè inertem,& remissam sectemus,sed magis austeram amplexemur,* dixit Chrisostomus *hom.18.in Gen.*S. autē Isidorus *Comment.in Genes.cap.5.*Tunicas istas pelliceas ait esse *à carnalibus sensibus abstractas voluptates, quæ carnaliter viuentem diuina lege consequuntur & contegunt.* Descendit ad veteris testamenti patres. Henoch qui sacco,& cilicio induebatur,cuiusmodi apparebit in fine mundi, vt Apoc.11. *Et dabo duobus testibus meis,& prophetabunt amicti saccis.*Sunt enim Henoch,& Elias.

Post ad Heliam,Heliseum Prophetarumquè filios. Quarto Regum.1.dicitur. *Vir pilosus, & Zona pellicea accinctus renibus.* quiquè Monachorum fundamēta locarūt.Imò inquit Hieronymus *Ep.ad Rusticum, Filij Prophetarum,quos Monachos in veteri testamento legimus, ędificabant sibi casulas, &c.Et Ep.13. ad Paulinum.Noster Princeps Helias, noster Heliseus,nostri Duces filij Prophetarum,qui habitabant in agris,& solitudinibus, &c.*Postmodum ad Ioann.Baptistam, *qui habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos. Matth. 3. Marci 1.* de quo Anselmus *Matt. 5.* ait *Gerembat Ioan.habitum pœnitentiæ, dum cilicio camelino indutus esset.*Et Haymo. *Matt.11. Quia Ioann.pœnitentiam prędicabat,ipsam pœnitentiam in habitu pręteudebat.*Et Chrysostomus *hom. 18.in Matt. Proptercea Ioann. vestimentum de pilis camelorum habuit, vt habitu, quoquè ipso mundi contemptum doceret.* Et Author imperfecti *homilia 3. Indicabat in habitu vestem religiosiorem, non mollem,sed cilicinam, grauem, & asperam,conterentem corpus,potius quam fouentem.*Tandem ad primitiuæ Ecclesiæ Christianos,ac Religiosos,de quibus Apostolus ad *Heb.11. Circuierunt in melotis,in pellibus caprinis egentes,angustiati,afflicti, quibus dignus non erat mundus; insolitudinibus errantes, in montibus, in speluncis, & in cauernis terrę.*Vnde Lucianus,qui fuit S.Apostoli coętaneus *in Philopatro* describens Christianos,a quibus desciuerat, ait. *Pallium putre,sine calceis,& tegmine,capite nuda incedens,sine coma.*Hinc patet dictum S. Bernardi *in apologia ad Guglielmum Abbatem,* dum suum ordinem dicit, *Qui prius fuit in Ecclesia, imò à quo cępit Ecclesia, quo nullus in terra similior angelicis ordinibus.Cuius Apostoli institutores,cuius, hi quos Paulus tam sæpè sanctos appellat, inchoatores extiterunt.*

Ex his ad Prophetas, & verbi diuini Concionatores, ac pœnitentes.*hic* (inquit Hieronymus in illud *Zac.13.Non operientur pallio saccino, vt mentiantur*) *erat habitus Prophetarū, vt quāndo populum ad pœnitentiam prouocabant, induerentur cilicio.Vnde Isaię 10.pręcipitur, vt auferat saccum de lumbis suis,& nudus*

ince-

incedat. Nequaquam enim esse tempus pœnitentiæ, sed captiuitatis.

Tepescente enim passionis dominicæ memoria, à primitiuo spiritu quamplurimi deuiarunt, remanserunt tamen multi in desertis, & in remotis locis, qui Euangelica consilia, & Apostolorum vitam retinuerunt. Hinc discipuli S. Marci Euangelistæ in Ægypto à Philone *lib. de vita contemplatiua* descripti. *Talem* (inquit Hieronymus de viris illustribus, in Philone) *primam Christi credentium fuisse Ecclesiam, quales nunc Monachi esse nituntur, & cupiunt.* Hinc Monachi S. Basilij, & Benedicti, ac Eremitæ cum suis melotis, libitonibus, colobijs, cucullis, cingulis, funibus, vt *in regula S. Pachonij ab Angelo accepta, apud* Palladium *in historia Lausiaca cap.* 38. S. Benedicti *cap.* 22. S. Dorothei *doctrina prima circa medium*. S. Germani Archiep. Constantinop. *de Contemplat. rerum Ecclesiasticarum. aliquanto post initium*. S. Paulini *in vita S. Martini versibus exarat lib. 2. cum notis Iureti num.* 56. *tomo* 8. *Bibliotec. Patrum* Cassian. *lib.* 1. *instit. cap.* 41. *& aliorum apud* Pammel. *in notis ad Tertull. de Pallio* initio Bellarminus *tom.* 2. *lib.* 2. *de Monachis cap.* 5. 39. *&* 40. Nigron. *in regulas comm regul.* 12. *num.* 4. *&* 8. Verum frigescente, & hoc perfectionis ardore in religiosis, & in sęcularibus compunctionis affectu, (quæ pelles caprinę, vel ouillæ erant) ne in derisum venirent, in tunicas laneas, non præt iosas, sed mediocriter asperas commutarunt, vt dixit *Ioann.* 44. *Ierosolimitanus Episcopus l. de institut. Monach. cap.* 38. *tom.* 9. *Bibliot. Vet. Patr.*

Quam paupertatis, & asperitatis regulam secuti posteriores Religionum institutores laneis, vilibusquè indumentis, suos vestiri præceperunt, quibus postea ex iure communi, lineę vestes interdictæ fuerunt. *cap. cum ad Monasterium. de stat. Monach.*

Non defuerunt tamē, qui à mundi exordio tractum, & per Patriarchas, Prophetas, Apostolos, Eremitas, Monachos, omnisq. Sanctitatis Interpretes, deriuatum ad nos spiritum, molliori voluerunt indumento fouere; Quod parum esset, si lineis vti tantum satagerent, lini virtutibus, & allegorijs etiamdum assumptis, nisi laneis tanquam sordidis, hominum consuetudini inacommodatis, peccatorum conuersionis impeditiuis etiam maledicerent. contra hos nouissimè inuectus est *P. Arthurus à Monasterio in addit. ad Franciscanum Martyrologium. n.* 104. Mihi persuasum sit, sanctiorem, & perfectioni accomodatiorem, eum esse habitum, qui ad nos, per tot sanctitatis tramites deriuauit.

Propterea ad Franciscani habitus honestatem, sufficere affirmo Primò, *quod virtutem promoueat*, quæ ex *Tertull. ad Martyres Duriciæ extruitur, mollitie verò destruitur.*

Secundò, *Quod maximè imitetur naturā*, quæ vestes ad tegumentum, & defensionem indidit, idquè laneis optimè præstatur. Nam linum super hoc, solam mollitiem, & delicias addit, vt optimè his diebus probauit P. Sherlogus *tom.* 3. *suarum cogitationum in cant. vestig* 32. *num.* 19. citans, præter variam litteraturam in qua est optimè versatus, *Damascenum orat.* 1. *de Natiuit. B. V. Mariæ,* dicentem *Honestus vestitus, mollitiem omnē, & luxum fugiens.* quæ sententia directè concludit contra istius scriptoris intentum. quia si Mater, & filius mollitiem omnem auersati sunt, & linum, ex eodemmet, est mollities aliqua: ergo lineis non sunt vsi.

Tertiò, *Quod Christo Domino, & Apostolis plus omnibus conformetur,* quia ipsi

isti laneis, vt plurimum vsi sunt, indumentis. Saluator enim *omnia paupera, & vilia elegit*, vt firmauit Ephesinum Conc. citatum à *P. Arthuro n.* 116. & replicauit *S. Isidorus Pelusiota*, qui huic concilio interfuit *lib.* 1. *epist.* 74. *Quis* (inquit) *vestis illius vilitatem ignorat? Vt qua Galileorum pauperes* (loquitur de tunica inconsutili) *vtantur. apud quos etiam maximè huius vestis genus fieri solet arte quadam, vt pectoralia, retractim consutum.* ex quo *Liranus* citat etiam *Chrisost. in cap.* 19. *Ioan.* dicentem, *In Palestina pauperes induebantur talibus indumentis reticulato opere factis, ad modum ciliciorum.* & subiungit. *Et hoc videtur verius, quia Christus commendauit vilitatem indumentorum in Ioanne, Iesus autem cæpit facere, & docere, &c.* Et S. Bonauen. in cap. 2. regulæ ait. *Ipse autem Christus vsus est vilissimis vestib.* Quę ratio multò fortior est, quàm grauitas Prouincialium, vt dicetur; & amictus lineus Sancti Iacobi, ac libitones Monachorum, quibus pugnant aliqui: sed examinemus doctrinam Sherloghi.

Is enim nititur probare, Christum Dominum camisia linea vsum, more gentis & *honesta, ac necessaria solatia* sibi indulsisse, ex *Tertulliano de Coron. Milit.* Idquè ad qualificandam imaginem, depingi mandatam à quadam D. Marina Hispana; ac tertiò tomo in Cant. præfixam, quæ cum educaretur sub disciplina Patrum Societatis, conbiberetquè Christum ex verbis, instructionibus, ac exemplis dictorum Patrum, cupiens scire qualem habitum grauem viuens gestaret, tandem pingi mandauit Christum, in habitu Clericorum Regularium, nimirum cum pallio quadrato, figulis ad humeros constricto, tunica, ac zona subcingente, coloris violacei, Torace, Camisia linea, & calceamentis integris, totos pedes cooperientibus. Quod autem dixerim, D. Marinam ex consortio istorum Patrum delineari mandasse cum ipsorum indumento Christum docuit me *P. Hieremias Drexelius*, deuotarum meditationum scriptione insignis, *Deliciarum par.* 2. *cap.* 7. §. 1. *fin.* dum B. Claram de Monte Falcone, recepisse Crucifixum in corde suo tribus clauis (ipse putat cruciaffixum cum quatuor) affirmat, *Quia hæc Virgo Christum Crucifixum sibi meditando ita impræssit, prout pictum vidit.* Quare si potuit assidua meditatio præsentis obiecti, Christum sibi imprimere, qualis non fuit, multò magis potuit D. Marina imaginari sibi eundem Dominū graui indumento decoratum ex consuetudine eorum, qui ipsam in spiritu educabant ad quorum habitus similitudinem Christus nunquam indutus fuit. Adde eundem Christum peregrinum apparuisse, discipulis è quorum cordibus peregrinus erat à fide Luc. 24. cum commentario S. Gregorij.

Quod autem Christus camisiam lineam non tulerit, probo ea specialiter ratione, quia talis camisia alia esse non potuit, nisi tunica inconsutilis, nisi fingamus sub hac adhuc lineam camisiam detulisse, quod repugnat communi opinioni, nam de illa nec Euangelia, nec Patres, nec traditio meminerunt: Quia communiter tenetur, Tunicam inconsutilem carni Sacratissimę immediatè adhęsisse, vt videre est apud Salmer. *tract.* 38. *tom.* 11. Barrad. *tom.* 4. *lib.* 2. Cornelium à Lapide *in cap.* 27. *Matth.* Card. Gymnasium *in psal.* 21. *V. diuiserunt sibi*, & alios: at tunica illa non fuit linea, quia fuit acu elaborata, vt omnes dicunt, ergo vel fuit linea, vel ad summum bombicina; nam filis lineis non fiunt talia opera. Do Euthimium citatum à S. Bonauen. *in cap.* 19. *Ioann. & à* Salmerone, dicentem. *Hanc tunicam à traditione Patrum accepimus, opus fuisse Dei Matris, veluti sunt apud nos capitis, vel pedum hiemalia operimenta, idest pileoli, et caligæ, quæ tum*

tum ex lana, tum ex bombice fiunt, ad arcendum frigus. Sanctus item Gregorius Turonensis citatus à Francisco Ximenio *lib.2.de Vita Christi*, apud Nouarinum, *In Vmbra Virginea lib.4. num.372.* per reuelationem cognouit, *Deiparam, ex quo templum ingressa est, sine cilicio, beatam illam carnem pungente, vixisse nunquam. Illius vestes è vilissima lana, nullo infectæ colore; somno ipsius super nuda humo, vel duris tabulis adhærebat, nullo instructis lecto.* Vide si filio, tam rigida mater linum indulgeret, nisi recens nato, infantulo tenello; ex quo euanescit argumentum ductum ex camisia linea, quæ in Basilica Lateranensi asseruatur. illa enim fuit Christi infantis, non viri, non concionantis, non magistri; non religiosos, & Ecclesiam fundantis. Accedat Drexelius *loco citato cap.9. §.1. num.1. Tunica* (inquit) *interior, communi patrum priscorum sententia, erat inconsutilis, à B. V. Matre acu è lana contexta.*

Profertur tamen Theologorum Maxima, *Christus comprouincialium modestorum sequutus est cultum.* Allegatur Augustinus *contra Faustum lib.16.cap.31.* dicens, *Victu, quo Iudei vtebantur, vtens.* Sed non reperitur Augustinus affirmans, *Vestitu*, sed *Victu*, quia prohibita, & immunda non comedit; alios autem non in omnibus circa vestitum imitatus est. Non enim vsus est pileo, vt *Sherlogus probat Vestig.32. historica. num.7.* Non vestibus odoratis. *Gen.27. cant.4.* Non polimita. *Gen.37.* Non sericis, ocreis, chirotecis, & id genus alijs, quibus honestissimi quiquè vti poterant, & vtebantur. Et licet Barradius maximam extendat (*tom.4.lib.7.cap.12.*) ad Toracem laneum, siuè lineum, fœmoralia cum caligis; & Sherlogus addat (facile est inuentis addere) Camisiam lineam, Pallium cum fibulis, zonam, calceos; Christum tamen in suo munere non considerant. Non enim venerat cæteris conformari, sed vitia auferre, paupertatem prædicare, humilitatem ostendere, delicias auersari. Vitam gessit ab alijs imitabilem, quia extremitates non affectauit, nec nostris viribus, suo adiutis auxilio, impossibilia arripuit; alijs tamen conformatum, negare cogunt, ieiunia, nocturnæ vigiliæ, sequestratio à turbis, extrema paupertas, grauitas in incessu, seueritas in vultu, taciturnitas in ore, &c.

Et quidem solidioribus rationibus opus erat, quam ab humanioribus literis petitis, ad conuellendam conceptam, de Christi Domini humilitate, paupertate, nuditate, & asperitate sententiam, & religionem; sapiunt enim hæc dogmata, & ad Sacros ritus spectant, quippe quæ tradunt reuelationem (licet cautè hanc formalitatem euitarit author, contentu solum dixisse, *Exoptabat nosse quibusnam vteretur*) Christus, *indumentis, quo habitu deceutissimi ornatus, gratus, et per honesti, dum apud mortales versatus: tandem votorum compos, quam tibi hic exhibemus imaginem, depingi fecit.* Quam propalare non debuit inconsulta Sede Apostolica, iuxta Sanctissimi D. N. Vrbani VIII. decretum 13. *Martij* 1635. sub nullitate, & pœnis inibi appositis, ac Constitutionem *Concilij Lateranensis sub Leone X. sess.11.* Et nulli dubium est, spectare ad sacros ritus, & religionem, quod Christus vario modo indutus colatur, cum nec permitteretur, S. Ignatium, Societatis parentem, cum habitu Franciscano depingi, nec S Franciscum cum habitu Iesuitico. Et multò magis cauendum est, ne Christus Dominus, qui vsq. ad annos 1633. Visus est in Ecclesia cum habitu humili, discalceatus, & pauper: nunc ad vnius mulieris mandatum, quæ nec reuelationem confitetur, Clerici regularis personam accipiat, & ex Hispania per totum orbem, colen-

se se

se se exhibeat, iuxta mentem vulgantis, & si non iuerim inficias, quod D. hæc Marina, virtutibus clara esse potuerit, attamen illam ante sensum Ecclesię beatam facere, nescio quomodo fieri potuerit; ait enim, *hanc vitam cum perenni illa, & beata commutauit.* Quod idem est, ac Deo fruitur. qui est beatificationis, & canonizationis articulus. Quod aduertens summus Ecclesię Pastor. Sanctissimus Vrbanus VIII. constit. sua *Sacrosancta Tridentina*, publicata 26 Iunij præsentis ann. 1642. vetuit sub censuris, & pœnis, etiam Patribus Societatis Iesu, ne Imagines Christi, & Sanctorum pingant, sculpant, teneant exponant, aut vestiant, cum alio habitu, quam ab antiquo in Ecclesia Catholica consueuit: Et aliter pictas, vel sculptas, amoueri deleri, & reformari præcepit.

Coloris autem Lazulini prerogatiua, licet in pallio, ob antiquas picturas admitti possit, rationibus, tamen non fulcitur. probat enim Christum non albis vestitum; quia in transfiguratione, *Vestimenta illius facta sunt alba sicut nix. Matt. 17.* Quasi antea alba non fuerint, quia nil mirum extitisset. Quæ ratio nec valet, nec pro Authore facit, quia non est mutatus color, sed auctus candor, & splendor. Sicut color vultus non est mutatus, sed qui prius aderat *resplenduit sicut sol.* nec vestimenta facta sunt *alba*, sed *sicut nix*. idest supræmum albedinis gradum attigerunt ex lumine, *qualia fullo super terram non potest facere.* inquit *Mar. 9. Non enim* (inquit Paschasius *lib. 8. in Matth.*) *ex his verbis aliud prædicatur, quam splendor faciei, & candor vestimentorum; propterea non substantia denegatur, aut tollitur, sed gloria, & claritas commendatur, augetur, quæ fulsit, de thesauris Dei,* & paulò post. *Vbi transformatio claritatem addidit ex maiestate diuinitatis, sed faciem non subtraxit humanitatis.* & hæc est Abulensis *sententia in c. 17. Matt. 9. 46.* hoc declarat effectus solis, per Cristallum transeũtis, qui colores non mutat, sed splendorem adiungit, iuxta Caietani mentem, cui fauent *Lucas, & Marcus c. 9.* dicentes, *Vestimeta eius facta sunt splendentia, & candida nimis, Vestitus eius albus, & refulgens.* Alba ex colore, quem habebant, splendentia ex erumpente gloria, quæ potuit per vestimenta transire, etsi opaca; sicuti transiuit per corpus terreum, vt *Abulensis, & Baradas* difficultatem dimittant. *Christi vestium color.*

Nec obest, quod color albus sit diuitum, & magnatum, Quia prætiosior est ceruleus, qui inuri debet lanis, cum albus sit naturalis, & pauperet albis vestiuntur, qui colorata emere vestimenta non possunt.

Nec, quod cæruleus vsurpetur in familia Papæ, & in Ecclesia; quia purpureus vsurpatur à Cardinalibus, & albus à Papa, qui est Christi Vicarius, & Ecclesia vtitur etiam nigro, viridi, rubeoque coloribus.

Nec quod in Hispania asseruentur aliquę reliquiæ indumentorum, & zonæ Christi, coloris blaui, & B. Brigittæ reuelatum fuerit Christum, habuisse mantellum blauum; Quia color albus post tot sæcula obscuratur, & in alium colorem degenerat, qui blauus vocari potest, &c. præterquamquod in mantello solo posset. Huc reducenda sunt dicta *Tertulliani, Cypriani, Clem. Alexandrini*, qui fucos, & dedicatos colores auersantur, tanquam adulterinos, & spurios.

Et quia totum fundamentum concedendorum Christo calceorum, Sherlogo fuit idem, ac camisię, &c. Nimirum, quia Christus, & Apostoli ciuilem, & modestam comprouincialium imitabantur formam: & quia Hebræi nunc calceamentis, nunc sandalijs vtebantur, Christus etiam, saltem in frigore, & æstu, & locis petrosis, ac spinosis vsus fuit calceis, &c. Sicuti pluribus tunicis hyemis tempore. *Christus calceamenta non detulit.*

pore. Eò vel maximè verbum græcum ὑποδήματα, quod reperitur *Mar.* 10. *Luc.* 9. in prohibitione calceorum, & communiter accipitur pro calceis supernè tectis. vt per 25. citatos ab ipso Patres, & Doctores constat; potest etiã accipi pro sandalijs, quia nomẽ calceamenti cõmune est ad calceos integros, & sandalia, vt multis ipse author probat, ead. *Vest.* 32. *n.* 22. Vnde infert, prohibitionẽ factã Apostolis, fuisse non circa calceos coopertos præcisè, sed ne simul vtrosq. induerent pariter calceos, sed vnã tantũ speciem, cum necessitati subueniendũ esset, nõ quærenda superfluitas. Et confirmat *nu.* 24. quia sentientes prohibitos esse calceos, id colligunt, quia erant potentium, nõ pauperum; at calcei nõ solũ potentum erant vsui, sed etiam pauperum, vt multis etiam probat, ergo non est cur Christo, & Apostolis calceos eripiamus. Ex quo infero, Christum ostendisse se D. Marinę in habitu hyemali, non æstiuo, secundum doctrinam supradicti Patris.

S.Bon.de sã dalijs Christi. Sed cum S. Bonauentura de sandalijs Christi luculenter egerit; sat erit contra illorum impugnatores adducere eiusdem sancti monitum, *Vt de cætero; contra tot, & tanta testimonia Euangelij, & Sanctorũ, Christum, & eius perfectissimos Discipulos non infames, & Euangelicæ veritatis regulã, vt lux, clarissimam, expositione tua mystica non obscures, quia prauus est auditor, qui manifesta vult obscurè intelligi. Non tibi blandiaris, cum audis, quia sandalia sunt caligæ, quia secundum Papiam, sandalia sunt caligę, vel calceamenta, de super corium non habentia. Ridiculũ igitur est valde, quod literatus homo hoc negat, quod clamant lapides, & testantur. Tu igitur, qui Euangelij doctor es, & sectator, si huius perfectionis Euangelicæ apicem non attingis vsu, attingas saltem affectu pio, affatu veridico, & Catholico intellectu, & noli Euangelij candidissimam margaritam tortis expositionibus conculcare, noli cõtra Euangelicorum pedum nuditatem, pelles mortuas defensare. Si enim contra sententias Euangelij calceamenta defendis, timendum est, ne duas tunicas, & cum pera pecuniam defendere contendas.* Nolo rationes addere, quia vetustissima traditio, vel in ipsis lapidibus, & parietibus decantata, quæ Christum, & Apostolos, vel discalceatos, vel sandalijs instructos ostendit, aliud sentire, non permittit, quàm ambiguam vocem Calceamenti, in quo sensu præceperit Christus, & practicauerint Apostoli, & Apostolici viri, ad sandalia coarctauit. dum enim legimus *Matt.* 10. *Nolite possidere, &c. Neq. calceamenta. & Mar.* 6. *Sed calceatos sandalijs*, & videamus in picturis, ac in sandalijs Christi, & Apostolorum (quæ etiam dum supersunt) quid fecerint, stultum reputo circa voculam laborare. Rem habemus, sensum communem Ecclesiæ tenemus, non est cur veritatem, ob aliorum placitum relinquamus,

Expositionem autẽ illã de præcepto Christi, ne Apostoli calceamenta deferrent, id est, ne simul sandalijs, & calceamentis vterentur, subtilem, sed inutilẽ existimo. Quia si vera est doctrina Sherloghi, quod Christus, & Apostoli indiscriminatim, & pro tẽporis opportunitate vtrisq. vsi sint (non enim calceatus apparuisset D. Marinę) ergo vtrorumq. vsum Christus indulsit, ergo illũ prohibere non potuit, ergo præceptum talem sensum non habet. vel Apostoli mandatum præuaricati sunt, & ipsemet Christus aliud fecit, aliud docuit, & sic non est verũ, quod *cœpit facere, & docere*. & præterea quærendum esset, si prohibuit etiam duplicata sandalia, sicuti duas tunicas, & negatiuè respondendum, istorum doctrina suadet, quia prohibuit sandalia, & calceamenta, non duplicata sandalia: imò

imò nec duplicata calceaméta, nisi ad euidentiorem declarationē intelligamus, prohibita sandalia, & calceamenta, ne simul, & semel ijs vterentur, vt innuere videtur Sherlogus dum ait. *Ne vtrosquè induerent pariter calceos.* quasi non deberent sandalia in calceos, vel calceos in sandalia inserere: & sequitur ex doctrina, nam concessit pro varijs casibus vtrosq. tenere, prohibuit autem vtrisq. vti, ergo prohibitio se tenet ex parte inferendorum, in alterutros calceorum, cuiusmodi calceos, aliqui in calepodia, & in crepidas immittunt: sed quantum valeat, hæc imaginatio, patet ad sensum, itaut refutatione non indigeat. Vide in quantas, se se conijciant angustias, qui tot sæculis demandatam vsui sandaliorum gestationem, nouis quærunt obfuscare argumentis, qui plura volet legat citatum S. Bonau. Sed transeamus ad alia.

Quartò, quia Habitus minorum ad conuersionem, & pęnitentiam pęccatorum prædicandam, magis aptus est. Multi enim Cilicij formam ex lanæ asperitate, potius quam Habitus præseferunt.

* Valde vtique aptus pro illis extremis, & deplorandis temporibus ad vocandum, & prouocandum simul ad Catholicā, & veram Christi fidem Infideles quoscunque. Multi enim ex lanę asperitate, vt in Sardinia, & Corsica, in Apulia, Calabria, & Sicilia, alijsque in locis, Cilicij potius formam, quam Habitus præseferunt. Huiusmodi induti, eò magis vberiores prædicationis fructus reportabunt D. Francisci filij, quò signati apparebunt eius sacris stigmatibus, vti testatus fuit idem P. Seraphicus fratri Rufino socio sibi reuelatum à Domino, dum quadam die oraret in Sancta Maria de Angelis. Ita refert, & approbat Venerab. Pisanus lib. 1. Conformit. veterum, fructu 9. pag. 103. In modernioribus verò p. 131. his formalibus verbis. *In die Iudicij apparebunt fratres cum stigmatibus. Et in fine (scilicet tempore Antichristi) habebunt quamplurimi stigmata.* *Habitus minor. quàm aptus ad prędicandā pœnitentiam.* *Contra Antichristum, apparebunt fratres Minores cum stigmatibus.*

* Omnes vtiq. veri Christi sectatores, & Prędicatores Euangelici tunc temporis existentes, in medio prodibunt: stabunt, & pugnabunt pro Christo contra Antichristum, eius peruersa Dogmata confutantes, execrantes. Sic specialiter de ijsdem Seraphici Patris filijs contestatur apertè Illustrissimus Aluarus de Planctu Ecclesię lib. 1. art. 67. pag. 73. Colum. 1. impressionis lugdunen. his verbis. *Qui inquam principaliter pugnare possent contra Crucis peruersissimum inimicum Antichristum, nisi filij Patris Cruciferi, & Cruce signati intus, & extra, almi Francisci?* Ipse Christi Vexillifer Crucis signo præibit tanquam Militię Dux, & Ductor. Propter quod idem Aluarus dicit, qualiter in principio conuersionis suę ostendit illi Christus Palatium spatiosum, & magnum; dixitque ei (teste D. Bonau. in eius vita) *Omnia sua fore, militumque suorum si Crucis Vexillum constanter assumerent.* *

Quintò quod *conciliandæ confidentiæ, tam diuitibus, quam pauperibus accomodatior sit, vt Chrisost. hò. 33. in Matth.* relatus à Bonauen. *in c. 2. regulæ*, vbi ait. *Antequam apparuisset Iesus, prædicabat eum Io. Baptista; vt facilè susceptibile esset testimonium, ipso apparente, & in vili vestimento innotescente; ita enim vili veste annunciabatur forma communi omnibus Christus, vt Samaritanæ meretrices, & Public. cum magno ausu auderent appropinquare, loqui, &c.* *Conciliant omnibus cōfidentiam.*

Vniformitatem animorum conijci ex conformitate vestium, morumquè ad mortificationem propensorum, ex asperis vestibus, nulla tamen singularitate *Vniformitas vestium.*

insignibus,indicia colligi,ponit S.Chris.*hom.in Io.De virtute animæ, habitu corporis loquebatur.* vndè Suetonius refert, Augustum dicere solitum. *Vestitus insignis,ac mollis superbiæ vexillum est,nidusque luxurię.* & Ecclesiasticus c.19. testatum reliquit. *Amictus corporis,& risus dentium, & ingressus hominis enunciant de illo.* Ex qua doctrina dixit *Con. Trib.sess.14. c.6. de ref. Quia verò, & si habitus non facit Monachum,oportet tamen Clericos,vestes proprio congruentes ordini semper deferre, vt per decentiam habitus extrinseci, morum honestatem intrinsecus ostendant.* & Clem.*exiui.de verb. sign.in 6.§. cupientes igitur. Cum enim ad veritatem vitæ pertineat,vt id,quod exterius agitur, interiorem mentis habitum repræsentet:* Hinc Diogenes in pallio,Platonis fastum calcabat,& Plato per rimas pallij,leuitatem Diogenici animi coniectabatur, teste *Laertio,in vita Diogenis.* Repetiatio verò, nobis pauperibus indulta ex regula, c.2.*Possint*(inquit) *ea repetiare de saccis cum benedictione Dei*, tunc vitio verti non debet, cum necessitati succurritur, & ostentationis singularitas euitatur. *Alba spina in hunc locum*:sine enim necessitate,habitum repetiare,vanũ est, ac stultũ. Quod si dicas S. Bon.in citata verba reg.*possint, &c.*dicit, *vt sæculi stultitia in vestib.fratrum ostendatur:* ergo stultitia hęc laudabilis est.Respődeo,verũ esse de stultitia mũdi,nõ de stultitia fratrũ;illa est, quæ ab horret in vestib.assuturas,etiã necessarias: Hæc autẽ nõ necessarias affectat.Quęautẽ sit necessitas,repetiationẽ honestãs?Respődeo, Duplex,vel præsens,cũ habitus est,vel ruptus, vel rupturæ proximus:vel imminens,cum in loco, vbi solet frequentiùs teri apponitur, ne rumpatur & in longius tempus conseruetur Sic. Hugo de Dina hic. *Volens vt ex pecijs mantellos paupertatis zelus.& necessitas adiuuent.* Et infra.*Potest vetus tunica cum noua vt existimo, sine regulæ præiudicio per consuturam vniri.* Et Pisanus.*Si contingat.lacerari tunicam, quid fiendum?non statim debet procurari noua, sed ipsa antiqua repeciari de saccis, &c.* Addi etiam potest, necessitas sanitatis tuendæ. Cum scilicet,tunica,vel tunicę,quæ geruntur leniores fuerint.

Repetiatio quando laudabilis.

Colligo hinc,monstruosas repeciationes omninò prohibendas, vtpotè risui, & admirationi inseruientes. Et licet de saccis, concessum sit repeciari; Et secundum S.Bonauenturam reperiantur sacci lanei, & linei, vnde sine violentia regulę ad solos lanèos trahi possit;tamen,cum alię non adsint, possunt resarciri de saccis lineis,dummodo nimis horridi non sint,cuiusmodi nonnullos vidi singularitate hac nimium insolẽtes,a Ioann.22. in extrauag.*Quorumdam exigit.de verbor.significat.*ab ordine exsibilatas.*Quinimo* (inquit) *adeo huiusmodi adinuentiones propria extreuere licentia, vt ex eisdem Fratribus aliqui habitus propterea curtos,strictos, inusitatos, & squallidos nouitate,ac dissidij non ignaros, cum à c ommunitate ordinis discreparent,assumerẽt.* Quos in fine,ad Superiorum præceptum deponi debere,sub pœna excommunicationis iniunxit. Cui declarationi adhærentes Iul.2.*in statutis cap.2.p.7.*& Martinus v.*in constitutionibus super regulam cap.2.decreuerunt.In omnibus, quæ ad habitum spectant, reluceat paupertas, vilitas,& asperitas,ita quod non sint adeo pratiosa,& curiosa,vt ea videntes de curiositate, & vanitate notare debeant;nec adeo vilia, & grossa, quod ipsa videntes, in horrorem inducant,& prouocent ad derisum.*

Singularitates explodũtur.

Et quidem iure,quia cum agatur de toto ordine,& non de particularibus austeritatibus, attendenda est communitas, & vitanda singularitas, quæ solet vt plurimum esse ambitionis, & vanitatis aucupium.*In hoc capitulo*(inquit Augu-

stinus

ſtinus *in cap. 6. Matt.* vbi docentur diſcipuli, ne fierent ſicut hipocritæ triſtes) *maximè aduertendum eſt, non in ſolo rerum corporearum nitore, atquè pompa, ſed etiam in ipſis ſordibus, & luctuoſis veſtibus reperiri poſſe iactantiam, & eò periculoſiorem, quò ſub nomine ſeruitutis Dei decipit.* Legatur Corduba *quæſt. 22. in capit. 2. regulæ.* Miranda *cap. 58. & 59.* Ioann. Rouſerius *cap. 2. quæſt. 4.* Cyprianus *lect. 7. parænetica, & alij.*

* In Oculari, ſeu Manipulo Minor. Mich. Tauer. par. 2. cap. 14. pag. 127. n. 38. Ex Vbertino, & Phano, clarius & breuius exprimitur legiſlatoris mens, his verbis. *S. Franciſcus vult nos habere poſſe repetiare habitum de ſaccis, dans nobis intelligere ſuam intentionem talem eſſe, quod inter ſaccum, & pannum habitus ſit vicina conformitas; ſcilicet quod quando in habitu nos opportuerit ponere ſaccum, non ſit difforme panno habitus, &c.* * *Qualiter habitus repetiandus.*

STATVTVM LXXI.

Decernitur longitudo, latitudoquè, habitus, caputij, Mantelli, &c.

Sub mortali culpa tenentur Fratres, in his, ſtare determinationibus Generalis, Prouincialis, & Capitulorum generalium, quia ſic decreuit Clem. V. *cap. exiui*, & Ioann. 22. *extrau. Quorundam, de verbor. ſignif. in 6.* Mart. V. *cap. 2.* Iul. 2. *ibid. par.* 7. inter quos Clem. V. §. *item quia* inter æquipollentia præceptis numerat, *de non habendo plures tunicas, & omnia quæ ponuntur in regula ad formam habitus.* Forma autem habitus conſiſtit in latitudine, & longitudine, ac tali figura à Superioribus ordinata, quam ordinare poſſe, præcitati Pontifices voluerunt, cum regula nihil tale decernat. *Circa qualitates veſtium, & quantitatē, ſubditi tenentur ſtare determinationibus Prælatorū.*

Fundantur autem hæc omnia in iure communi, nam in *Clementina Ne in agro. de ſtatu Monachorum, in Con. Viennenſi* determinantur color, qualitas, forma, longitudo, latitudo, & alia accidentia habitus Monachalis: ergo ad ſimilitudinem, rationabile fuit Fratribus Minoribus habitum determinare. Cum ratio ibi adducta in mendicantibus æquè militet. Argumentum enim à ſimili in iure eſt validum, vt docent ſcribentes in *cap. ius naturale. diſ. 1.* Ne (inquit) *in agro dominico indecorum aliquid obrepat, aut perniciosum in ſegetem coaleſcat.* Quod prius decretum fuerat in *Concilio Aquiſgranenſe ann.* 814. *cap.* 20. 21. 22. 61. *& ſic determinarunt* Iulius 2. *cap.* 2. *par.* 7. Mart. V. *ibid.* Salmant. *cap.* 2. Neap. *cap.* 29. Vltram *cap.* 3. Valliſolet. 1593. *Argumentum à ſimili in iure valet.*

Dixi peccare mortaliter nolentes acquieſcere, &c. quod intelligo, ſi pertinaces fuerint ad deferendum habitum contra præceptum Prælatorum; vel ſi in contemptum id faciant. Quinimò *Corduba citatus, in fin. quæſt.* 22. ait ſubditos teneri obedire Prælatis non ſolum quoad formam, & accidentia habitus, ſed etiā ſi Prælatus præciperet, ne aliquis ſuum habitū reſarciret, ſeu repetiaret, Quia licet hoc ſit cōceſsū ſubditis, nō tamē eſt prohibitū Superioribus, ne aliud præcipere poſſint, ex rationabili cauſa; ſine cauſa autē peccaret Superior hoc prohibēdo, vt dicit anonima expoſitio regulę *infirmamēto 3. ordinū. pa. mihi* 70.

STATVTVM LXXII.

Communi panno omnes vestiantur, nec ex particulari eleemosina aliquis induatur. Contraueniens, suffragiorum iure sexennio careat.

Excommuni panno omnes vestiantur.

Clem.VIII.*de reform.regular.num.8.Fratrum vestitus, & suppellex cellarum, ex communi pecunia comparetur,& omninò vniformis sit.* Rationem reddunt *statuta Papalia Iul.2.part.7. Pannus pro vestimentis Fratrum, sine iudicio Superiorum nullo modo scindatur, vel à Fratre, deportetur, sub pœna priuationis vsus talium indumentorum, cum per declarationes Clementis V. & Ioann.22. conscientiæ Prælatorum onerentur.* Quod est expressum in regula cap.4. *Tamen pro necessitatibus infirmorum, & alijs Fratribus induendis, per amicos spirituales, ministri tantum, & custodes sollicitam curam gerant, &c. sicut necessitati viderint expedire.* Cura igitur induendorum Fratrum, & necessitatis examen Superioribus demandantur: ergo prohibitum est ex iure, cuilibet particulari sib vestes comparare.

Communis autem pannus vniformitatem importat, singularitates tollit;Id tamen moraliter accipiendum est, quia physicè pannus variatur pro qualitate artificij.dicitur communis,qui omnib.inseruit: & magis, ac minus speciem non variant, & licet specialis pannus sit,concessus tamen à Prælato, licitè vsui esse potest,vt sequenti statuto declaratur.

Quæres,quę culpa erit, sibi de particulari panno habitum procurare, non obtenta licentia?

Respondeo,mortalis.tum quia est in re graui.tum quia est contra præceptum Regulę iam adductum.Et petere, vel acceptare eleemosinas pro mercandis vestibus est crimen quod proprietatis pœna punitur.

Superiore non prouidēte; subditus sibi prospice re potest.

Quæres secundò,sed si Superior suo muneri deesset?Respondeo,nullum peccatum committere subditus, sibi vestes procurando,etiam Franciscanus ad denarios recurrendo,si necessitate cogeretur, & à Prælato iam monito, remediū non haberet.Necessitas enim non habet legē,& ius naturale positiuo præualet.

Sufficit necessitas mediocris.

Quęres tertiò,quæ necessitas excusat? Respondeo, non absoluta,& extrema, de qua nullus dubitat;sed moralis,& mediocris,vt scilicet nisi habitum sibi procuraret,infirmaretur,vel infirmitatis, probabili,ac proximo exponerenur periculo. Vel deformiter,apud alios apparere posset.Hoc tamen intelligendum est, postquam repeciationis remedium adhibuerit. Quia licet repeciatio sit libertas, in necessitate tamen libertatem excedit, aliàs pauperes non essemus.Hinc Bartolomeus Pisanus *in fin.cap.2. Regulæ* ait. *Subinfert S.Franciscus, si contingat lacerari tunicas, quid fiendum? Non statim debet noua procurari, sed ipsa antiqua repetiari de saccis &c.* Maximè si Superioris præceptum accederet:prudentis tamen viri iudicio remittendum est. Et sanctissimi Patris Nostri memorandum exemplum, qui in suo testamento dixit, *Eramus contenti tunica vna,intus, & foris repetiata.*

STA-

STATVTVM LXXIII.

Sine habitu, capucio, fœmoralibus, et chorda (nisi in infirmitate, de consilio tamen Medicorum et Prælati licentia) nullus dormiat. Vel capucium ab habitu dissutum portet. trasgressor in communitate genuflexus in pane, et aqua ieiunet, sine capucio.

Mos iste cum ordine cœpit, & creuit, acceptus à sanctis Patribus, sacrisquè canonibus. Nam *in Concilio Toletano Decimo. cap.4. relato 20. quæst.1. cap. vltimo*, præcipitur vt *Vidua accepta professionis veste, seu in Lecto quiescens, siue alio quocumquè consistens loco, constanter vtatur.* & de sanctimoniali *in quarto Concil. Carthaginensi cap.11. relato. d. 23. cap. Sanctimonialis*, præscribitur, vt *ad Consecrationem in talibus vestibus applicetur, quibus semper vsura est, professioni, & sanctimoniæ aptis.* Quæ multò magis valere de viris, & ratio, & Doctorum authoritas suadent. Videantur Siluester *V. habitus. quæst.2. & V excommunicatio 9. num.53.54.* Mirand. *in regulam. cap. 56.* Corduba *eod. cap.3. quæst.22.* Rodrig. *tom.2. quæst.76. art.6.* Portel. *V. habitus. num. quarto.* Hieron. Roder. *resolut.71. num.6.* Lezana *tom.1. cap.13. n.7.* Graff. *lib.3. decis. cap.5. num.75.* Suar. *4. tom. de relig. lib.1. cap.5. num.18.* Nigron. *regula 12. num.4.* Qui etiam veterum instituta commemorat, vt Pachomij. *Noctu gestent lebitiones lineos succincti. habebat vnusquisquè pellem ouillam laboratam, absquè ea, nequè comedant, nequè dormiant.* Benedicti *cap 22. regulæ. Vestiti dormiant, & cincti cingulis, aut funibus.* Innoc. IV. *pro ordine Sanctissimæ Trinitatis, Liceat eis habere pelliceas singulis singulas, & brachas, quas iacentes non deponant.* S. Dominici *in constitutionibus. Cum tunica, & caligis cuncti dormiant.* Ac rationes adnectit ex S. Bonauentura de Instruct. Nouit. parte 1. capitulo 9. *Indecens est religioso obrutum esse somno sicut pecus, & iacere membris dissolutis, & manibus incompositis, in sinu contractis; cum ob hoc maximè vestiti dormiamus, & cincti, vt non habeamus potestatem circumducendi manus huc, illuc, in nudo corpore.* Ex S. Benedicto citato, *Vt parati sint Monachi semper, & facto signo, absquè mora surgentes festinent se præuenire ad opus Dei.* Ex Vmberto *lib.4. de Instit. relig. par.3. Qui iacet indutus ad hoc valet, vt surgat faciliùs, & surgendo tristetur minus.*

Religiosi vestiti dormiant.

Id qui seruent.

Quare indu ti dormiant.

Prima quæstio, an peccet mortaliter, qui dormit sine habitu?

Respondeo, non peccare mortaliter, affirmant Siluest. *V. Excommunicatio.9. n.53. & 54.* citans Archid. dicentem, esse debitum honestatis non necessitatis. Corduba *in cap. 2. regulæ quæst. 22.* Siluestro se remittens. Miranda *in regulam cap.56 diffic.2.* qui dicit hanc esse sanctam ceremoniam, sed *Dezir que sea pecado mortal el dormir sin habito, ò no traher la capilla cosida, pareceme grande demasia, y mucha ignorantia, y grande gana de multiplicar peccados mortales donde no los ay. yo cierto non me atreuiera à dezir, ni affirmar tal cosa, &c.* Ioann. Rousserius, *in capit. 2. regulæ quæstion. 6.* Portel. *V. habitus numer. 4.* Lezana *supra, numer. 7.*

Dormire sine habitu non est mortale.

Suar.citatus, qui Siluestrum in contrarium sentire affirmat, quod tam verum non est. Sayrus *in Thesauro casuum lib.3.cap.32.n.13.* contra Grassium *1.par.decis.lib.3.cap.5.n.75.* & Francum *ab ipso citatum*; Excusans eum, qui sine habitu dormiret, & crederet se non peccare mortaliter: Vel ad modicum tempus, quod dicit esse vnam horam; Cum Siluestro *V.habitus n.3.* & alios, qui rigorem sectantur. Ratio est, quia allegata iura honestatem potius, quàm necessitatem important, vt dicit Siluester: Et non continent verba rigorosè præceptiua, vt dicit Suarez. Vnde multi Religiosi sine habitu dormiunt, vel sola camisia, aut sindone contecti. Quod non facerent, si iure communi se obligatos esse cognoscerent. Legatur citatus Nigronus *regul.12. per totum.*

Præmit tamen aliquos consuetudo iam præscripta, & constitutionibus ordinis toties replicata, vt est in Minorum Religione, in qua per statuta Papalia Iul. *2.cap.2.par.7.* præcipitur. *Non dormiant Fratres sine habitu, fœmoralibus, & chorda, nisi manifesta infirmitate, vel necessitate cogantur.* Et Martini V. *capit. 2. Nec dormiant Fratres vnquam sine habitu, cingulo, & fœmoralibus, &c.* Statuta Salmanticensia *cap.2. Fratres nunquā dormiant sine habitu, fœmoralibus, et chorda.* idem Vallisoletan. *anno 1593.* Et de facto acriter punirentur, qui deposito habitu dormisse conuicti essent. Consuetudo autem vim legis obtinet. *cap. consuetudo dist.1.* Eò vel maximè cum sit iusta, rationabilis, vniuersalis, cum notitia Superiorum, &c. Rod. *tom.1.quæst.69.art.1.* Miranda *2.tom.q.28.* Nauar. *cap.2. numer.13.* Sà *V. consuetudo.numer.3.* & alij communiter. Ergo peccatur mortaliter.

Consuetudo vim habet legis.

Respondeo, facit quidem mihi maximam vim ista perpetua, & solemnis consuetudo, quam fartam tectam semper minorica religio conseruauit. Quia tamen nolo aliorum conscientijs laqueos inijcere, à quibus illos possum, & debeo extricare; Dico, hanc consuetudinem non obligare ad peccatum mortale; quia consuetudo non facit materiam grauem, vel leuem, sed firmat rem, super quam cadit, & vt loquitur Sanchez *citatus à Thesauro in praxi. V. ludus. cap.4. num.1.* Non facit de veniali mortale, & non mutat materiam actus prohibiti. Nec enim omnis consuetudo obligat ad peccatum mortale, vt ex *Suario, Rebellio, Azorio, Reginaldo, Filiuccio, Vasquez, Laiman, Fagundez, Granado, & Villalob. probat* Diana *par.3.Tract.2.resolut.8.* Quia nemo intendit in suis actibus obligari ad peccatum mortale, nisi id comportet materia; & consuetudo non obligat præter intentionem eorum, qui eam inducunt. Nec valet dicere, quod putarent se peccare mortaliter, aliter operantes. Quia hic timor ex ignorantia procedit, vel conscientia scrupulosa. Hinc ipse concludit contra Peregrinum, non esse peccatum mortale, si in diebus festis in Ecclesijs sui ordinis, non cantetur missa solemnis, licet id constitutione, & consuetudine sit introductum. Et Nulli dubium est, esse consuetudinem, & esse iniunctum per statuta ordinis, quod seruetur silentium in nostra religione: attamen nemo diceret, peccare mortaliter, qui silentium frangeret. Adde, quod pœnitentia, comedendi in terra, in pane, & aqua, non est pœnitentia, quę imponitur culpis mortalibus cum etiam leuioribus culpis sæpissimè iniungatur. Ergo cum pœnitentia sit leuis, leuis etiam erit culpa. Preterea deferre capucium dissutum ab habitu, nullus, etiam scrupulosus, dicit esse peccatum mortale, & tamen, vtraque culpa eadem pœna corrigitur, ergo non est mortalis. Tandem applico rationem Suarij *tom.4. de relig. lib.*

Sed non semper obligat sub mortali.

8.cap.

8.*cap.2.num.3.* probantis non obligare ad mortale consuetudinem recitandi litanias, & aliquas alias orationes communes Societatis, quia habet expressam constitutionem dicentem, *Nullam constitutionem, declarationem, & ordinem vllum viuendi, posse obligationem ad peccatum mortale, aut veniale inducere.* Quæ constitutio fundatur in doctrina S. Thomæ 2.2.*q.* 186.*ar.* 9.*in corpo.* & *ad primum* dicentis, non obligari Religiosos sub mortali, nisi ad tria vota, & ad ea, quæ in regula sub præcepto iniunguntur, conducentia ad votorũ essentialium obseruantiam, & vbi intercederet contẽptus. Et de sua religione ait, præter tria vota, non obligari aliquem ex suo genere nec ad mortale, nec ad veniale, sed solum ad pœnam taxatam. Quam doctrinam latè prosequitur eo loco *Caiet.* At in nostra religione adest, Bulla Sixti IV. *in bullario Rodrig. fol.* 162. quæ ait, *Nos igitur, &c. statuimus, & decernimus, quod Ministri, Custodes, Guardiani, & Fratres dicti ordinis, præsentes, & qui pro tempore fuerint, ex statutis, seu consuetudinibus, vel declarationibus dicti ordinis, præter regulam, quomodolibet, etiam authoritate Apostolica roboratis, illis contrafaciendo, nulla Ecclesiastica censura, nulloquè peccati mortalis vinculo, ligari valeant, nisi tales excessus, qui diuina lege, seu præcepto Ecclesiæ inducerent ad mortale.* Quod suo oraculo confirmauit Pius V. *apud* Rodriguez *tom.* 2.*q.*10.*art.* 6. & 8. Miranda *tom.* 2.*quæst.* 26. *art.* 10. Portel. V. *statutum. à num.* 12. Corduba *in priuileg. tit. statuta ordinis* Alphonsus *de Castro, de lege pœnali lib.*1.*c.*8. Ergo ex hac ratione, nullum est peccatum mortale. *Constitutiones ad mortale nõ obligant.*

* In gratiam tamen Religiosorum, qui puriorem anehelant obseruantiam, tutioresque sectati cupiunt opiniones; dicam, quod opinio præfata, cuius probabilitatem ostendit Commentator, minimè suffragari videtur strictiorem obseruantiam sectantibus, qui consuetudinem habent dormiendi semper cum habitu, vel cum aliqua lacera, seu subtiliori Tunica, & Capucio, etiam Infirmi, & moribundi: Nonnullis exceptis Prouincijs extra Italiam, qui ex infirmitatis necessitate aliter consueuere. Immò nec puris obseruantibus fauorabilis probatur. *Opinio contraria Probatur.* *Tunica aliqua ad dormiẽdum necessaria.*

* Quare P. Diana *in sua nouiss. summa v. Regulares*, non excusat à mortali eos qui ex præcepto Regulæ, vel ex consuetudine habent dormiendi cum habitu: & si Leza. *tom.*1. *num.*7. eximat Obseruantes, & Conuentuales si lineis camisijs vtantur. Sed non vidit. Stat. Gen. Obseruantium relatum ab eodem Auctore in his Comment. cap.2 stat.72. *Camisias lineas, vel laneas, de bombice, vel cottone; sudaria, linteamina &c. nulli habere liceat sub pœnis grauioribus &c.* quod ipsemet Auctor satis doctè commentans resoluit nonnulla peculiaria dubia, ex quorum solutione probat nullum contrarium vsum suffragari; cum contra præcepta Regulæ præscriptio, & consuetudo non valeant: præcipuè cum per stat. Ord. & Constit. Apostol. reuocata sint, & reuocentur; inductaque sint nõlẽtibus, prohibentibus, & exclamantibus, non solum Summis Pontificibus, & Doctoribus Ordinis; verùm etiam Superioribus General. & Prouinc. Ita ex Rod. cum alijs. Videatur cit. stat. vbi pulchra ad intentum, & de Reformatis præcipuè *dubio* 3. vbi quæritur: Si aliquo casu sudarijs, vel Camisijs fratres vti possint sine culpa? Et respondet quod requiritur necessitas, & licentia. Quam interpretationem recipit etiam Vrb. *Constit. ædita* 1. *Ottob. anno* 1641. *Militantis Ecclesiæ*, qua præcipitur Reformatis, ne extra Infirmariam particulas ex panno lineo, etiam in itinere, sub quocumque prætextu deferant. Non enim *Quæ indumenta interiora prohibentur.* *Consuetudo contra Regulam non præscribit.* *Sudaria pro hibita.* *Necessitas requirit licentiam.*

hæc

hæc verba comprehendunt veras, & legitimas necessitates, sed tantum fucatas, & paliatas: multò magis igitur prohibita erunt linteamina cum camisijs, quibus vti coguntur dormire volentes absque habitu aliquo, vel tunica. Hinc Benefactorũ grauamẽ, Regulæ transgressio, aliaque grauiora mala, pericula, & peccata.

* Consulant Obseru. & Reform. nostri, strictior. Regulæ, strictiores Expositores. Consulant *Manipulum Minorum c.15. n.41. p.2.* vna cum figuenza in sua breui Exposit. qui ex flebilibus Cronicorum casibus, ex *Decretalibus & Glos.* ex D. Bonau. & alijs (excepta aliqua rationabili causa) præceptum esse putant dormire semper cum habitu. Consulant Exposit. Pacti *p. 1. cap. 2. præcepto* 8. Consulant explicationem Monzæ *in cap. 2. p. 17.* qui vltimo relatis expositoribus adhærens, vna cum illis ostendit grauitatem culpæ, ex grauitate pęnitentiæ quæ in pręcit. stat. transgressoribus imponitur. *Transgressor in communitate genuflexus in pane, & aqua ieiunet sine Capucio.* Quod confirmatur etiam in *Gener. stat. Tolet.* 1658. *Qui sine habitu &c. cap. 2. §. 9. num. 3.* Quę pœnitentia licet iunioribus non adeo grauis sit; alijs tamen Antiquioribus Religiosis, qui regulariter non excipiuntur, grauis vtique censentur. Si enim ex pęnitentia leui communiter arguitur leuis culpa, quæ venialis reputatur; ex pœnitentia graui, grauis erit arguenda culpa, quæ mortalis existimatur. An verò pęnæ temporales obligent sub mortali culpa, affirmat Clauis R. *lib. 3. cap. 9. num. 4.* confirmat *Bonac. tom. 2. de lege disp. 1. q. 1. p. 3. num. 2. sententia.* Vbi refert, & amplectitur opinionem præfatam; citatque cum Claui R. quam plurimos asserentes legem pęnalem obligare sub mort. aut venia. iuxta materiæ grauitatem, vel leuitatem.

Dormire cũ habitu, præceptum.

Pœnę transgressorum.

Pœnitentia grauis culpã grauem supponit.

* Consulant etiam Syluest. *v. habitus, num. 7. vbi cum grauiss. Archid.* sentit mortale esse habitum dimittere nisi ex iusta causa. Vnde putat aliquod indumentum, secundum diuersitatem Religionum, necessarium. Consulant denique Leza: & Graff. aliosq. rigorem sectantes, apud eundem Comment. *qui c. 4. stat. 4. obiect. 1.* Seriò affirmat nos obligari ad strictiora instituta. Vnde ibi ostendens quod in dubijs ad Ius recurrendum est, & tutior pars eligenda; hæc formalia verba habet. *Melior autem & tutior est illa, quæ puritatem Regulæ asserit.* Quid amplius? quid vltra ambigendum? Quibus forsan dictis tacitè corrigere voluit contrariam sententiam, quam probabiliter ostenderat de dormitione sine habitu &c. Et vltimò recolant antiquiores, & moderniores Theologos, Canonistas, ac Legistas, & P. Moronum potissimè in sua *Controuersiarum Biga, Controu. 4. p. 59. n. 28.* qui flebiles multorum quærelas admiratus (quorum ego non paucos ex Obseruantibus, & Reformatis condolentes, multoties audiui) quò paucioribus, eò acrioribus verbis contrariam sententiam respuit, refellit. Ex quibus omnibus probabiliter ostensum apparebit, quod saltem ad euitandam mortalem culpam, aliqui leuiores habitus, vti iam diximus, necessarij erunt. Nullus enim negauerit, quod se exponens mortali periculo, mortali culpæ; mortaliter non peccet, mortali culpæ non sit obnoxius.

Comentatoris supra probatę sententię tacitę retractatio.

Mortali periculo se exponẽtes mortaliter peccant.

* Scotus inde noster *in p. sent. q. 2.* Prologi, ad vltimum obiect. eò clarius, quò subtilius, & acutius ad difficultatis intentum, hæc habet ponderanda aduersus finem. *Si obijcias, inquit, Multa in actibus humanis sunt dubia, vtrum sint peccata mortalia, etiam suppositis omnibus doctrinis Doctorum, & Expositorum. Respon. non est dubia via salutis simpliciter, quia à talibus tanquam à periculosis, debet homo*

sibi

sibi cauere, & custodire se; ne homo dum se exponit periculo, incidat in peccatum. Quod si noluerit quærere salutem, sed non curando exponat se periculo; vbi fortè de genere actus non est peccatum mort. tamen peccabit mortaliter se tali periculo exponendo. Hoc cit. Doct. qui etiam *in 4. dist. 20. q. 1. ad 2.* Hanc eandem sententiam comprobauit dicens. *Qui scienter exponit se periculo salutis suæ, peccat mort.* Quid vltra? Caueamus igitur, pertimescamus.

Scoti doctrina eminens de ijs qui se peccandi periculo exponunt.

* Ad fundamenta contrariæ sententiæ Respondetur. Quicquid sit de Doctoribus, qui pro ipsa citantur, quorum aliqui ad oppositum magis inclinare videntur; quicquid de nonnullis alijs Religionibus, quæ de forma vestiendi, & de modo cubandi præceptum non habent, sed simplex dumtaxat stat. ad nullam obligans culpam: Nos ex Regula nostra; pollens habemus præceptum ex *Clementina, c. Exiui, de Verbor. significat.* vbi Clemens 5. *a. 2. & 4.* expressè declarat, omnia, quæ in Regula præscribuntur, quò ad habitus formam, & vestiendi modum, cadere sub præfato præcepto. Ratio fundamentalis est, quia præcepta omnia Regulæ nostrę obseruanda sunt iuxta mentem Legislatoris: sed in primis vt dictum est, extat pręceptum ęquipollens in nostra Regula de forma, & modo vestiendi, & de mente S. P. nostri Francisci Regulę conditoris; satisq; constat illum velle hoc intelligendum etiam in actu dormitionis. Et cum materia sit adeò grauis, vt sufficiens sit ad pręceptum obligatiuū sub mortali; vt ostensū est, ergo &c.

Mens legislatoris attēdenda.

* Quod mens S. Patris in hoc sufficienter constet patet. Tum quia pręceptum illud est generale, nec ad ipsam dignoscendam adduci potest in modo intelligendi pręceptum, quam *perpetua, & inuiolabilis consuetudo, sarta tecta*, vt idem Commentator dixit; & vtique perpetua à temporibus S. Francisci ad hodiernum vsque diem, maximam habet vim traditionis: quæ, cum ipsius initium non scitur, ad ipsum legislatorem referri debet secundum Regulam D. August. de traditionibus Apostolicis.

* Quod autem consuetudo ex se non faciat rem grauem, vel leuem, nisi cadat supra materiam grauem, vel leuem; in re nostra non concludit; nam materia super quam cadit huiusmodi consuetudo, est satis grauis, vt ostensum est. Nec ideò dicimus huiusmodi consuetudinem facere materiam, seù actum mortalē, sed esse talem ex vi præcepti æquipollentis Regulę: & sic nobis constare ex mente B. Legislatoris, non ex pura vi consuetudinis, vt supponit contrarium opinans, sed ex vi pręcepti per consuetudinem declarati. Exempla verò allata nullam habere videntur proportionem cum materia, de qua agitur: ideo enim cantandæ Missæ omissio diebus festis in nonnullis Ecclesijs: seu fractio silentij loco, & tempore, non sunt peccatum, quia de his nullum extat Regulę pręceptum, sed simplex cōsuetudo, seu stat. quorum neutrum; nisi intentio interueniat obligandi, inducit labem peccati mortalis. Secus in re nostra, quę fundatur in Regulæ præcepto, & non in consuetudine obligationem nouam inducente, sed veterem, eiusdem pręcepti declaratiuam. Iuxta quod intelligendus est D. Thomas cum alijs: nos enim vt diximus, non habemus simplicem Constit. de præfata dormitione cum habitu, sed verum pręc. æquipollens, consuetudine declaratum.

Consuetudo quando faciat materiā grauem.

D. Thomas explicatur de Consuetudine Religionum.

* Nō igitur ex vitiosis ignorātię scrupulis, sed ex cōsciētię virtuosis stymulis, peccādi timor dimanat. Verū quia difficultas posset esse potissima apud illas Prouincias; pręsertim extra Mare, quę in hac parte vt in nōnullis alijs, ex quadā prę-sūpta consuetudinis pręscriptione peculiaria statuta, quę recipiūt nō obseruāt;

ne nimis

ne nimis in longum protrahatur hæc quæstio, discutienda relinquitur ex illa satis graui, & controuersa; An ex consuetudine ab immemorabili, vel diuturna, contra iustè latas leges, iustè præscribi possit. *dub. 7. harum Commentationum c.2. stat.72.* vbi de Constit. Vrb.8. inhibentis Sandalia Reformatis.

Consuetudine diuturna an præscribatur.

Quæstio secunda. Quæ necessitas requiritur in Fratre infirmo, vt illi concedi possit, sine habitu decumbere?

Respondeo, non debet expectari extrema, sed sufficit mediocris, cuius iudicium, optimo iure, medico, tanquam in arte perito, committitur: Cui Superior subscribere tenetur. In hac nostra Cismontana Familia, nec cum infirmis, statuti indulgentia vsurpatur: Sed deposito habitu grosiori, ac rudiori, quem infirmus gestare solitus erat; leuiorem, subtiliorem; induit. Omnia autem docet charitas, quæ patiens, & compatiens est.

Infirmus, iudicio medici sine habitu decumbere potest.

Tertia quæstio. quæ culpa sit, capucium dissutum ab habitu portare?

Respondeo, qui scrupulos habent sine scientia, adesse mortalem culpam sentiunt; qui plus sapiunt, venialem grauem; Alij prudentiores, venialem simpliciter: alij nullam. Præter mortalem culpam, omnibus alijs subscribo. Tum quia huius suturæ nulla necessitas apparet; cum capucium, etiamsi sit forma habitus regularis, adhuc talis esse potest, sine sutura. Sicuti de forma habitus Sacerdotalis est amictus, alba, cingulum, stola, &c. Non tamen debent esse hæc omnia inuicem consuta: Sicuti necessarium esset de manicis albæ, quia non assutæ, colligatæ retineri non possent. Sic etiam cum capucium, æquè benè, & fortasse meliùs formam habitus repræsentare potest dissutum, quam consutum, non video causam tot subtilitatum. Si nostrum caputium esset sicuti illud, quod Patres Capuccini, & Eremitæ gestant, quodquè gestasse Sanctissimum P. Nostrum, tam inutiliter contendunt, nulli dubium est, quin consutum gestari deberet: at nunc cum aliam formam acceperit, non est cur inquietemur, ob illa verba regulæ, *Vnam tunicam cum capucio, & aliam sine capucio*. Quasi particula *(cum)* futuram importet. Et reddenda esset ratio, cur Sanctissimus Patriarca potiùs de capucio assuendo curauerit, quam de manicis, quæ etiam ipsæ spectant ad formam habitus. Et mouenda esset quæstio, si est præceptum portare manicas filo consutas, an sufficeret, illas duabus victis per humeros extensis, ligatas ferre, vt nonnulli sæculares faciunt, ad mentiendum thoracis prætiositatem: Sunt enim hæ quæstiones de lana, vt aiunt, caprina. Sensus enim regulæ est, habitum exteriorem constare tunica, & capucio, vltra quam aliam habere possumus, non tamen aliud capucium. Et liberum est habere secundam tunicam, non tamen habere secundum capucium. Quod certum est in hac re, tenemur ex vi statuti portare assutum capucium, sicuti cęteras obseruantias regulares adimplere. Nec ob ignorantiam, mortali se culpæ submittere; nec per cognitionem veritatis à statuti obseruatione dehiscere.

Capucium ab habitu dissutum portare, quod peccatum.

* Ex præfata quæstionis 3. Conclusione videtur Commentator apertè contradicere. Recensitis enim breuiter opinionibus omnibus de caputij sutura, cum hac limitatione concludit dicens; *Præter mort. culpam omnibus alijs subscribo*. Immediatè verò addit, *quod huius Suturæ nulla necessitas appareat*. Vndè videtur expresè quod seriò adhæreat eorum opinioni, qui nullam adesse culpam asserunt. Displicet tamen satis, quod sententiam illorum, qui culpam mort. vel ven. adesse putauerunt, tanquam scrupulosam respuat, & ab ignoran-

tia

tia deriuatam. Nullus enim vtique est ex studiosis Regularis Obseruantię Professoribus, qui haud nouerit quam sapientes, & vita laudabiles extiterint, ex antiquioribus, Franc. Ouandus, Vgo de Dina, Fuscher in Manuali, Corduba, Politius, & Siguenza, cum Franc. de Pectis, qui inter cæteros satis, perspicuè ostendit varia coniunctionis, cum significata, modo loquendi congruentia, & rationabiliter per ipsam rebus significatis respondentia.

Caputiũ dissutũ ab habitu gestare putatur peccatum.

* Reticeo Modernos alios cum Monza, & vnum de modernioribus do, P. Moronum supra relatum, iuris vtriusq; Doctorem in sæculo, & in Religione vtriusque Philosophiæ, & Theologiæ Professorem, & præstantissimum Lectorem, qui pag.59. num.30. deridet eos, qui alijs irrident, ex eo quod asseruerint sub peccati vinculo gestandum esse caputium assutum cum habitu: & multò magis, quia tanquam insipientes damnat viros vtique sapientes, & puritatis Regulæ sectatores, rationabiliter sentientes, & sustinentes. *Cum enim certissimum sit* (inquit Mor.) *omnia ad habitum spectantia cadere sub præcepto,(intellige æquipollenti) Et ex Glosa in Clement. eos,v. scissura,habeamus habitum Nouitiorum distingui ab habitu Professorum in Religione nostra, per Suturam capucij; Quomodo potest negari ad formam habitus non spectare caputium esse consutum? Adde verba Regulæ. Habeant vnam tunicam cum caputio, & alia sine caputio, qui voluerint habere. Et expende quomodo rectè possunt intelligi, nisi extorqueantur à proprio sensu: Certè nisi exponantur quod vna tunicam habeat consutum caputium, non poterit verificari quod vna sit cum caputio, alia sine.* Hæc Mor. cit. Qui tamen non se declarat quale peccatum sit huiusmodi transgressio, relinquens forsan in sua probabilitate aliorum opiniones de mort. vel ven. culpa, quam putant aliqui, & magis vniuersaliter, existimantes huiusmodi Suturam esse potius circunstantiam, quàm substantiam Præcepti; & sic eo rigore regulari non debere, quo regulatur præceptum. Quæ est doctrina communis, & D. Thomas præsertim apud relatum seguenzam.

Professos distinguit à nouitijs.

* Duo autem me maximè præmunt pro duabus oppositis sententijs iam relatis; Quarum vna culpam aliquam adesse putat, altera nullam. Pro priori, sunt magni ponderis D.Bonau. verba in Spec.Disci. tom.2.c.8. de forma habitus loquentis, & dicentis. *Aptanda est vestis maximè circa pectus per applicationem ad collum,ne collum ipsum vsque ad pectus,vel interiores panni hominum aspectui exponantur.* Ex quibus liquidò satis deduci videtur, quod eius saltem tẽpore caputij sutura non erat in vsu, cum ad operiendum pectus, & collum, moneat expresse, pro honestate seruanda, aptandum esse habitum circa ipsum pectus, & collum. Pro posteriori sententia, eorum inquam, qui culpam aliquam, vt diximus, adesse crediderunt, non minoris euadit ponderis, & firmitatis, antiqua & laudanda semper consuetudo, & vsquemodo seruatus vsus apud Patres Obseruantes, & Reformatos, quod statim Nouitij (professione emissa) caputium, sutura habitui vniatur. Et verè Regula de habitu loquens Nouitiorum, distinguit ipsum expresse ab habitu Professorum, de quibus dicit. *Concedant eis pannos probationis: Videlicet duas tunicas sine caputio, & capparonem vsque ad cingulum.* De professis verò ait. *Et illi, qui iam promiserunt obedientiam, habeant vnam tunicam cum caputio, & aliam sine caputio.*

S.Bonauentura sententia de habitu cũ caputio interpretatur.

Consuetudo de assuendo caputio cũ habitu post professionẽ.

* Valde vtiquè notanda, & ponderanda verba. Pro Nouitijs non nominat tunicam cum capparone, sed simpliciter tunicas, & capparonem. Pro Profes-

sis verò

sis verò apponit expresse coniunctionem, *Cum*, dicens, *vnam cum caputio, &c.* Perpendant illi quæsò, qui pura Seraphici Legislatoris mentem rimari se iactant, indagare non desinunt. Præponderent solerter cum omnibus statutis à principio emanatis, tàm pro Obseruantibus, quàm pro Reformatis, vsq; ad vltimum Gener. Capit. sub Reuerendissim. Sambuca in Romana impressione 1663. pag.62. num.13. *Qui sine habitu &c. sine caputio in pane, & aqua ieiunet. Quam pœnam subeat etiam, qui caputium ab habitu dissutum portauerit.* His, & similibus benè perpensis, cum præfatis rationibus, quæ magni ponderis euadút, ostenditur manifesta oppugnatæ sententiæ probabilitas.

S. Francisci mens de caputio cũ habitu.

Leges tẽporales quomodo obligent, & quando.

* Missam facio quæstionem quod leges purè pœnales, & temporales non obligent, vniuersaliter loquendo, nisi ad temporalem pœnam. Sed dicant mihi velim, contrarij opinatores: An qui caputium dissutum deferunt ab habitu, sint transgressores tantorum statutorum, si in tali deficiant obedientia? Si per huiusmodi transgressionem inobedientes sint dicendi? Si fateantur illos inobedientes, & deficientes saltem in leni, tunc etiam fateri cogentur leuiter peccare, venialis culpæ reos esse: Non igitur spernenda venit hæc opinio, sed benè relinquenda in sua probabilitate. Quam qui tenere voluerit, enodare tenebitur D. Bonauent. auctoritatem relatam, cui verè nescio quis respondere possit, nisi dixerit, quod singulariter loquatur de Nouitijs, quò ad illam partem de habitu adaptando vsque ad collum, cum principaliter tota disciplina ad Nouitios dirigatur, & præsertim de modo gestandi habitum, vt ex eiusdem citati cap. verbis paulò ante videre est, vbi ipsi Nouitij nominaliter exprimuntur, & moneantur de pretiositate indumentorum vitanda, &c.

* Si reflexiones huiusmodi, aliæque iam relatæ, quas apud Expositores Regulæ non vidi, minimè omnibus suffragantur, relinquantur opiniones relatæ in sua probabili electione maiori, vel minori. In omni enim materia, Canonica præsertim, liberum est omnibus regulariter loquendo, quamcunque opinionem probabilem amplecti, sic pia Matre indulgente Ecclesia. Austeritatem amantes, probabiliorem, scrupulis demissis, sequi poterunt: Sicuti alij mitiorem, ac probabile, probabiliori relicta, non reiecta, &c.*

STATVTVM LXXIV.

Camisias lineas, vel laneas, de bombice; vel cottone: sudaria, linteamina, &c. Nulli habere liceat, sub pœnis grauioribus, & arbitrarijs.

Quod nõ est cõcessum in vestibus, intelligitur denegatum.

In Seraphico sodalitio principium est, & axioma. *Vbi aliquid alicui generaliter prohibetur, quod expressè non conceditur, intelligitur denegatum.* Clemen. *exiui, de verb. signif. in 6. §. porrò.* Cum ergo in Regula pro indumentis assignetur vna tunica cum capucio, & alia sine capucio, femoralia, & cingulus: Et vrgente necessitate quæ videbuntur Ministris concedenda, vt cap.4. regulæ dicitur

tur *Secundum tempora, & loca, & frigidas regiones*. Vt declararunt Nic. III. *cap. exijt*, §. *licet autem*. *Quod necessitate cessante pluribus non vtantur*. Et Clem. V. *cap. exiui*, §. *Præterea cum dicatur, de verb. signif. in 6. Dicimus, quantum ad numerum tunicarum, quod pluribus vti non licet*. Sequitur ex vi Regulæ, omne aliud genus indumentorum Fratibus Minoribus esse prohibitum. Et proptcrea, tanquam præcepti transgressores, grauioribus pœnis plecti mandantur. Quo reuocanda est constitutio Vrbana Stat. 70. relata, quæ est Superiorum iurium confirmatoria, & adolescentis abusus eliminatoria. Et hic est sensus Patrum. *Vnam tunicam cum capucio, in qua habitus intelligitur. In alia tunica sine capucio intelligitur, secundum statuta ordinis, tunica simplex, vel repetiata, & non debent plures haberi interius, à professis præcipuè, nisi de Superiorum licentia*. S. Bonauentura. *Duas tunicas habere, & non plures, regularis est forma: plures duabus, dispensationis est regulæ, authoritate Superiorum*. Hugo. Pisanus exponit cum verbis Clem. V.

Pro præfati statuti firmitate examinanda veniunt nonnulla dubia ex iam cit. Constit. Vrbana. Primum est, si magis peccent Fratres transgressores post talem Vrbanam constit. initio tituli de Vestimentis, allatam?

Respondeo affirmatiuè, quia violant præceptum nouum, quod licet emanarit in obseruantiam latorum iam iurium, præceptum tamen est, & grauius peccat, qui pluribus inobediens existit.

Secundum: si obligat lata constitutio per contrarium vsum, seu si non fuerit recepta quoad executionem. Et suffragetur Fratribus concessio Iul. II. *Magis peccant transgressores, post Vrbanam constitut.*

Respondeo, cum constitutio hæc nouum ius non inducat, sed regulam à Summis Pontificibus declaratam confirmet, per vsum, vel abusum reuocari non potest. Cum contra præcepta regulæ præscriptio, & consuetudo non valeant, præcipuè, cum per statuta ordinis, & constitutiones Apostolicas reuocata sint, & reuocentur: inductaquè sit nolentibus, prohibentibus, & reclamantibus, non solum Summis Pontificibus, & Protectoribus ordinis, verum etiam Superioribus Generalibus, & Prouincialibus. Ita Rod. *tom. 1. q. 69. art. 2.* Nanar. *c. 12. num. 5. & c. nullam, 10. q. 2. nu. 36.* Sanchez *lib. 6. in decal. c. 2. num. 29, &* 30. Suar. *lib. 7. de legib. c. 9. num. 5.* Mirand. *tom. 2. q. 28. artic. 6.* & est decisum *c. cum non liceat, de præscript.* vbi dicitur *Episcopo vestro debitam obedientiam impendatis, præscriptione temporis non obstante*. Dispensatio autem Iulij II. reperitur in *Statutis Papalibus c. 2. par. 7.* in hæc verba, *Et Fratres cum dicta tunica secunda, vel sine ea, possint omni tempore ad carnem portare camisiam staminneam, vel de panno albo, propter munditiem conseruandam*. Et ibi expresse prohibet camisias lineas, vel de cottone, &c. sub grauissimis pœnis, vtpote contra ius commune *c. cum ad Monast. de statu Monachorum*. Vbi dicitur. *Firmiter inhibuimus, ne quis de cætero Monachorum camisiis vtatur*. Quæ dispensatio, cum sit regulę relaxatiua, nulla est, & à Religione pluries reprobata. Nec mirum, si tantum auferint Fratres, vel Superiores permiserint quia illa statuta facta fuere, dum Conuentuales, & Obseruantes vnam Religionem conflabant, & iam erat introducta ista superfluitas, quam cum conuellere non possent, dispensatione innocuam reddere voluerunt. *Consuetudo cõtra regulã est abusus.* *Dispensatio Iulij II. circa vestes sublata.* *Dispensatio relaxatiua est subreptitia.*

Tertium, si aliquo casu, sudarijs, vel camisijs Fratres vti possunt sine culpa.

Respon-

loco citato in fine capituli dicant, *Cum secundum regulam nostram, habere nō possimus, nisi vnam tunicam cum capucio, & aliam sine capucio, nisi necessitas, & licentia aliud suaserint: qui sine prædictis camisiam gestauerit, mortaliter peccat, & regulam transgreditur*. Esset enim peccatum mortale, non tantum, quia est contra præceptum regulæ de numero tunicarum, sed etiam, quia eiusdem transgressor fit proprietarius, quia vtitur re tanquam sua, & sibi à Superiore prohibita. Et si materia grauis est, peccati mortalis reus euadit.

Quintum dubium, cum ex communi sententia expositorum regulę, concessa tunica fulciri possit, secundum aliquam, vel maiorem illius partem, qua ratione, duplex tunica, non euadit, sed vnica remanet, sicuti diplois, quæ vna vestis est; An possit aliquis sine culpa fulcire interiorem tunicam camisia staminea, vel linea, &c. Non enim potest dici, quod pluribus induatur, cum nec dici potest in doctrina supposita?

Respondeo negatiuè, quia hoc fieret in fraudem legis, id prohibentis: *Et quod vna via prohibetur alicui, ad id alia via non debet admitti, de reg. iur. in 6. c. cum quid. Et cum quid prohibetur, prohibentur omnia, quæ sequuntur ex illo*. Ibid. nec est par casus, quia ad repeciandum habilitamur à regula, quæ non distinguit de pecijs magnis, vel paruis, vt dicit *Hugo*; At ad lanea, vel linea, etiam assuta, tanquam mollitiem referentia, nullo pacto admittimur.

Sextum Dubium, an hæc gestari possent, cum licentia Guardianorum?

Respondeo affirmatiuè, tum quia ipsi sunt immediati Superiores: tum etiam quia *Clem. exiui, citata §. Præterea cum*. dicitur *Huiusmodi etiam vilitatis iudicium, Ministris, & Custodibus, seu Guardianis duximus committendum. Quorum etiam Ministrorum, Custodum, & Guardianorum iudicio eodem modo relinquimus, pro qua necessitate possint Fratres calceamenta portare*. *Guardiani possunt cōcedere plures vestes, ex necessitate.*

Septimum dubium, Cum specialis mentio fiat in eadem recensita constit. Vrbana, Stat. LXX. cit. de Calepodijs, & Sandalijs; ibi enim dicitur, *Cum Calepodijs, seu sandalijs apertis dumtaxat incedere teneantur*; an possint Fratres discalceati ambulare. *Discalceati incedere possumus.*

Respondeo affirmatiuè, quia verbum illud *(teneantur)* non intendit quod sine ijs incedere non possint; hoc enim fuisset Regulam tollere; sed supposito quod illæ sum aliquo modo ferre pedem debeant, teneantur nil aliud gestare, quam vel calepodia, vel sandalia.

Octauum Dubium, cum idem Sanctissimus D.N. 10. Ian. 1624. præcepit per suas literas in forma Breuis, Fratribus strictioris Obseruantiæ, *quatenus calepodia reassumere, soleasq; vbiq; per totam Italiam deponere, nec eas in posterum recipere debeant*; An hoc primum Breue inibitorium cum secundo moderatorio, post duos menses emanato, reuocatum fuerit per verba alterius Breuis sub eodem Vrb. sequenti anno 1625. 1. Octob. vti Stat. 60. pluries citato, relatum fuit per extensum.

Respondeo affirmatiuè. Quia hoc vltimum breue publicatū fuit in generali Romano Capitulo, & concernit obseruantiam Regulæ, quæ reformatos etiam includit, qui, & in dicto Capitulo, & sub eodem Generali, & cum eadem puritate regulę continentur, & degunt: Ergo effectus, & obligatio Apostolici breuis, etiam ad illos manare debet. Cum ergo posterius sit, reuocat prius, etiamsi de Priori mentionem non faciat; Quia præsumitur, Principem non ignorare prius *An reformati in Italia possint portare sandalia. Constitutio posterior reuocat Priorē*

formati S. Augusti. & Eremitę, & Clerici Scholarũ Piarum, & Discalceati Carmelitæ; & Discalceati, & Recollectiuè in Hispanijs, & Gallijs deferant, Tanquam antiquissima paupertatis insignia; eò vel maximè, cũ Religionis distinctiuum in pedibus minimè collecetur, sed in capite, & in facie.

Scio Clem. 7. in bul. *in suprema*. §. 4. Sanxisse. *Non impediant, quin nudis pedib. ambulent, sed qui non poterunt, portent calepodia, vt cæteris conformentur*. Attamen verba hæc præceptiua non sunt, sed permissiua: nec restringunt Reformatos ad sola calepodia, sed, vt conformentur Fratrib. Obseruantib. qui vt plurimum in Italia calepodijs vtuntur: Quod ad conformationem non sufficit, cum ipsi Patres obseruantes etiam quando volunt, & expedit sandalia deferant; Ergo vt sint illis conformes in habitu, & incessu, debent, calepodia, & sandalia vsurpare: & Pontifex disposuit de calepodijs, vt de frequentioribus, propter quę in Italia, *Zoccolanti*, vocantur vt plurimum. Cum enim his, & illis ante constitutionem Clemen. VII. vterentur, non est credendum voluisse Pontificem in odium ipsis conuertere, quod pro ipsorum deuotione susceperant: & cum non dicat, *portent tantum calepodia*, non est tam odiosè restringendum ad sola calepodia: & non valet illatio, portent calepodia; ergo nihil aliud præter illa, quia in pedibus forma habitus non consistit.

Quod autem odiosum sit præceptum de portandis calepodijs, fatetur ipse Sanctissimus D. N. qui ait in bulla moderatoria prioris breuis, quæ incipit. *Nuper cum causa*. *Cum experientia docuerit nonnullos ex dictis Fratribus strictioris obseruantiæ, calepodijs vti ægrè posse*. & si licet dicere cum S. Bonauentura in 2. caput regulæ. *Fateor pœnam esse asperam pedum nuditatem*; Dicerem. *Fateor esse pœnam asperam, & periculosam portare calepodia*. & de re tam odiosa, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ imposita, ambigendum est, si pijssimus pater, eam abrogare voluerit, cum tot supplicationibus pulsatus fuerit?

Hinc talem constitutionem obseruatam non esse, neque in vsu positam, sæpissimè vidi. Vnde contrario vsu, spatio quindecim annorum antiquatam esse, non ambigo.

Nonum Dubium, An obliget ad grauem culpam, deferre sine necessitate aliud operimentum pedum panneum, vel alterius materiæ, dummodo non sint calceamenta?

Non omne pedum operimẽtur prohibetur sub mortali.

Respondeo, remoto scandalo, contemptu, & ad tempus, non puto peccari mortaliter, Quia tale operimentum, non venit nomine calceamenti: Licet enim apud Latinos calcei lintei reperiantur, qui pedulia vocati etiam sunt, apud *Cornelium Frontonem*; attamen ex expositoribus regulæ calceamenta sunt ex corio totum pedem operientia. Quæ fuit determinatio statut. Papal. *Iul. II. c. 2. par. 8. in hæc Verba, & hyeme possint vti pedalibus de panno, siue sutonibus, quia talia pro calciamentis non reputantur, secundum declarationes aliquorum*. Vnde infert Corduba *q.* 23. reliqua præter hæc, non esse calceamenta, sed tamen ad vtendum illis, accedere debet maior, vel minor dispensatio, prout magis, vel minus ad calceamenta accedunt. Dixi remoto scandalo, quia si alij ab exemplo mouerentur, ad talia operimenta portanda, & sæculares admirarentur, & fieret magna disciplinæ regularis transgressio: si per consuetudinem illis vterentur, & non ad aliquod tempus, puto grauem culpam committere; Cum maxi-

Calceati è Cõuentu nõ exeant.

mè apud sæculares, & fratres talis defectus eluceat. Vnde meritò infra vetatur, *Ne calceati etiam ob necessitatem, extra Conuentum discurrant*. Legendus est citatus Corduba, qui optimè in hanc rem scripsit: Ac etiā necessitatis varios gradus assignauit, ad dispensationem, & licentiam pro gestandis calceamentis, alijsquè pedum operimentis. Aduerto tamen fratrem Ioan. de Capella, vnum ex primis Socijs S.P. Francisci in apostasiam incidisse, & suspendio se necasse. *Qui primò Almutium seu birctum inuenit, atquè nudè portauit*; Vt dicitur *in Memoriali ordinis fol. mihi 28. col. 3.*

Decimum Dubium, cum dicat Vrbana Constitutio; *Absquè expressa licentia*, An sufficiat interpretata, præsumpta?

Respondeo, dum adest prælatus, expræsè peti debet; eo tamen absente sufficit præsumpta, & tacita. Taciti & expressi eadem virtus est, Reg. expressa de Reg. Iur. & ibi Glos. & l. cum quid, ff. si certum petatur.

* Præter ea, quæ de consuetudinis præscriptione pluribus in locis horum Cōmontar. tangit Doctor; adhuc addubitari potest, & dubitando perquirere; An verè aliqualis cōsuetudinis præscriptio dari possit, & de facto detur contra præcepta Regulæ; cum dari notum sit apud varias Regiones, in nonnullis Ecclesiæ præceptis, ex conniuentia, tollerantia, & silentio, seu dispensatione, & priuilegio diuersorum Pontificum, aliorumq; Ecclesiæ Prælatorum, ac in diuersis Constitutionib. Breuib. & Bullis Pontificijs, vt ad intentum firmauit idem Commentator de Vrb. Const. inhibitoria solearum, cum alia moderatoria non recepta; dissimulantib. omnib. ad quos spectare poterat Constitutionis executio; omnibus, silentib. & tollerantib. simul, pensato forsan grauamine, perspecta difficultate. Grauissimum vtique dubium.

Opiniones de præscriptione & cōsuetudine. * Pro cuius vberiori solutione, duas estare dico opiniones insignes. Vnam negatiuam; Affirmatiuam alteram. Primam defendit per extensum, *Commentator cap. 7. Pgn. district. pag. 318. Difficultate prima*, quò Lectores remitto, aliqua hic addendo. Secundam defendit, *Moronus in sua Controuersiarum Biga*, conuitijs, & maledictis plena, acriter enim impugnat nedum Commentatoris sententiam, sed eius etiam rationes, & nimis aperto marte ac præcepti calamo, laxatis modestiæ habenis, contra ipsum inuehitur. Sed flocci pendendæ erunt rationes, quas adducit, apparentes potius, quam verè conuincentes; innixæ Testib. legalibus quos pro se ampliat. Sed quia omnis quæstio est de iure, & de facto, de vtroque distinctè perquirendum erit.

Cōtra Leges Diuinas, & Naturales nulla præscriptio. * Dico igitur primò, quod de iure loquendo, contra Leges Diuinas, & Naturales nulla vera præscriptio dari potest: quæcumque enim præsumpta, etiam ab immemorabili apud Nationes barbaras, & gentiles; aliasque gentes incredulas, dicenda erit potius abusus, seu malus vsus, & legis corruptela, quam vera consuetudo. Est communis Theologorum Scholasticæ, & Moralis.

In quibusdā Præceptis Decalogi dispensatum à Deo. * An verò præfatæ leges dispensationem aliquam admittere possint saltem à Deo legislatore, ac naturæ authore, mitto ad Expositores, qui de præceptis Decalogi distinguunt, ostendentes in aliquibus secundæ Tabulæ dispensatum fuisse à Deo; quod præsumendum non est per quamcunque humanam potestatem; non enim currit paritas de consuetudine, ac de Deo; neque de Pontificibus ius habentibus à Deo dispensandi in votis, ex opportuna necessitate. Nec etiam est par ratio de consuetudinib. etsi immemorabilib.

bilib. aliquorum Regnorum, & locorum contra immunit. & poteſt. Eccleſ. de quib. *Suar. l.4. c.34. n.17.* dicit *Si tales conſuetudines non ſunt approbatæ per conſenſum Pontif. certum eſt eas non poſſe inducere priuilegium, quamuis immemorab.* Nec ſemper verum eſt, quod ſi Papa tolleret aliquam conſuetudinem, conſentiat in illam rem vt, idem *cit. Suar.* docet, *Non omnis tollerantia indicat conſenſum, multa enim per patientiam tollerantur, quæ non approbatur, iuxtà cap. Iam dudum.* Pariformiter aſſerendum erit de præſumptis conſuetudinib. contra Regulæ noſtrę pręcepta. Et ſicut omnes conſuetudines præfatę renocentur, & irritę declarantur quotannis per B.Cęnæ; ſic & per ſtatuta Religionis Conſuetudines abuſiuæ contra Regulam, quæ ſingulis annis publicè leguntur ſemel, & bis.

Sicut per B. Cœnæ reuocātur illi aduerſaria lit. per Stat. Ordinis, ipſi Ord. contraria.

* Ex qua doctrina faciliter enodantur pręcipue mereri obiectiones. Quod enim dicat conſuetudinem poſſe minuere ius naturale, & Diuinum, hoc ſibi probandum eſſet in ſubſtantialib. *in circunſtantijs enim parum pro nihilo reputatur.* Niſi etiam dicere velimus, quod talis diminutio eſſet potius abuſus, &c. Quod arguat à ſimili de voto, & iuramento; valdè mirandum eſt in ipſo, cum iuram. vltra alias differentias, ſit promiſſio facta immediatè. Hominib. votum verò immediatè Deo: Iuramentum enim in lege eſt ſibi acceſſorium; votum in Regulę pręceptis eſſentiale.

MoroniObij' ci diluūtur.

Voti, & Iuram. differentia.

* Inſuper ſupponit falſum, quod Regula noſtra ſit puri iuris poſitiui. Etſi enim non ſit Iuris Diuini explicitè, & formaliter, vti commentator opinatur; poteſt tamen ſuſtineri eſſe Iuris Diuini ſaltem virtualiter, & eminenter, cum ſit Iuri Diuino ſatis conformis, & verè ſapiat Iuris Diuini, & Clementina exiui de *verb. ſignif. & ex Nicol. 111. in ſua Conſtit. declaratoria Regulæ, expreſsè dicente. Eſſe fundamentum in verbis Euangelicis, & denique inſpiratam per SS. B. Franciſc. & ſequacib. quaſi continens in ſe totius Trinitatis teſtimonium: & confirmatam à Chriſtum Stygmatib. ſuæ Paſſionis.* Quę non vidit, vel noluit viderę Mor. Fauet *Rodrig. tomo 1. quæſt. 4. artic. 1. dicens. Valdè probabiliter colligere poſſumus, noſtram Religionem Iure Diuino eſſe inſtitutam.* Immò mox ipſe cogitur hoc aſſerere ex ſua doctrina pag.72. col.1.

* Sed quod poſſint, & potuerint Minores Conuent. recipere legem contra nonnulla Regulę pręcepta, verum eſt ex Pontificia poteſtate non ex ſe ipſis. Nec denique par ratio eſt de aut. Pontific. & conſuetudinis quia Papa tollere poteſt, & deſtruere Religionum Regulas, quod non poteſt conſuetudo. Quia de re benè conſuluit, qui inobſeruantes monent, vel ad ſe corrigendos, vel ad priuilegia procuranda à S. Sede Apoſtolica: quod Superiores maximopere curare deberent. Et hęc pro quęſt. Quid Iuris. Pro quęſt. verò quid facti.

* Dico ſecundo. Dato, ſed non conceſſo, quod aliqualis pręſcriptio dari poſſit aduerſus ea, quę contrarijs opinantur, indubitanter tamen tenendum eſt, quod nunquam data ſit nec de facto detur. Conueniunt Commentator, & mor. in hac parte. Fundamentum commune eſt, quod à Religionis initio, vti annuimus ſupra, ſemper emanauere ſtatuta Gener. & Prouinc. damnantia ſub pœnis pręſcriptis Regulę Transgreſſores. Hęc tamen intelligenda eſſent de his, quę ſunt, vel ſapiunt Iuris Diuini: de alijs verò, quę ſunt Iuris Humani ſeu puri Iuris poſitiui, vltrò concedi poteſt. Hinc Commentator aſſeruit, legaliter,

& legitimè præscriptum esse de sandalijs, ex rationibus in primo periodo adductis; & ex bona fide illis vtentium, vt in principio vsi semper fuere: legis enim obligatio viget vsquequò elapsum sit tempus, prudentium arbitrio conscriptum. Quod in similibus constitutionibus putatur esse communiter 10. an si introducatur consuetudo inscio Legislatore; Eo enim sciente, & non contradicente, cum faciliter possit, censetur legitimè præscribi, si legi bis, aut ter contrauematur. Et si peccauerint primi non recipiendo eam elapso, tamen termino præfato; ne peccata in posterum multiplicentur, optimè sancitum fuit, vt lex ipsa consuetudini cederet. Videndus præ cæteris *Suar. de lege lib. 7. c.18. n.24. Castropal. de Consuet. pun.2. §.1. n.2.*

* His accedit, quod in dubio, vtrum aliqua lex sit vsu recepta; *Moura, & Palaus apud Dia. de legibus in summam num.* 37. putant probabilem, & tutam in praxi sententiam asserentium, quod non sit recepta. *Ex illa Regula Iuris, quod in odiosis benignior pars sit amplectenda, & professio potius stet pro liberate subditorum, quæ pro lege: lex enim non possidet nisi per acceptationem; de qua in tali casu non constat.*

* Cæterum denique, cum Reformati communicent cum Obseruantia in fauorabilibus, quæ Reformationi non aduersentur: & cum obseruantibus concedatur posse deferre sandalia aperta, absque limitatione ex Breui Vrbano relato à Ciment. ad instantiam Reuerendiss. de Senis emanato; poterunt vtique, & Reformati ipsis liberè vti. Quod etiam affirmare solebat Reu. Benignus, vt retulit mihi Reuerendis. Sambucas tunc Temporis Secret. Gener. Talia enim sandalia magis Reformationi congruunt quam alia cum calcaneis.

Pro sandalijs liberè deferendis legitimè præscriptum est.

* Quæ omnia colligendo concludimus, quod si de sandalijs legitimè præscriptum sit, ex communis Iuris dispositione, & contra Constit. similes, quæ puri Iuris positiuum sunt, præscribi possit; contra tamen Regulæ præcepta, quæ ratione voti sunt altioris ordinis (nempè Diuini, vti probatum fuit) nec præscriptum fuisse de facto; nec præscribi posse de Iure: Quicquid sibi præsumant transgressores: de quibus *Illus. Cauellus satis luculenter in quodam suo libello*: vltra ea, quæ contra eosdem in *Manipulo minor habentur*. Videndi etiam ad rem *maior in* 4. *d.* 38. *quæst.* 20. & *Corduba* in exposit. Regulæ cap.15.

S. Patri Franc. sectatores, qui.

* Quod si adhuc persistere velint in propria opinione nescio quomodo defendere poterunt se legitimos esse sectatores instituti Seraphici: Et si dicendi sint fratres Regulares, vel Habituales. Fratres re, & instituto; vel solo nomine, & habitu; Etsi appellandi sint verè, & legitimi Patris Francisci filij, qui eius pura vestigia non sectantur. Respuant igitur; radicitus conuellant abusus; sequantur omnes Patrem, quem profitentur; pareant statutis Superiorum vices suas gerentium, & Benedictionibus replebuntur. Taxit Deus, &c. *

STATVTVM LXXV.

Qui in vestimentis, & calceamentis dispensantur, Nullo prorsus officio, nec etiam Vicarij fungantur, quippe qui vitam communem non seruant.

Clemens viij. *in refor. regul. num. 3. Ad officia gradus, & prelaturas illi precipuè eligantur, qui possint, & consueuerint Regulas Ordinis, & Constitutiones obseruare, præsertim, quæ spectant ad seruitium chori, ac victum, & vestitum communem* (in obseruantiam Triden. *Sess. 22. c. 4. de refor.*) *Nec alijs in posterum fiat prouisio, nisi ijs, qui iam ætatem, & cæteras habilitates integrè habere dignoscantur, aliter irrita sit prouisio.* Quod etiam de dignitatibus, & officijs Regularium intelligi debeat, tradit Comitolus *lib. 6. respons. moral. q. 64. n. 2.* citatus à Peirino *tom. 2. q. 2. c. 4. n. 2.* & Barbosa *in remissionibus ad Conc. Tridentinum hoc loco* ex Constitutionipus *Petri Archiep. Senonensis tom. 9. conc. pag. 1195. Præcipimus Abbatibus, & alijs Religiosis, vt ipsis vestibus, & calceamentis, ordini suo congruentibus vtantur. Negligentes per Episcopos puniantur.* De obseruantia vitæ communis plura S. Bonauentura *lib. 4. phare cap. 21.* apud quem S. Bernardus *Ser. 6. de Ascensione Domini. Dominus communi vita, communi disciplina, communibus studijs delectatur.* Ratio ducitur a natura officiorum, quia officia requirunt personas, quæ illa valeant adimplere; qui autem vitam communem non seruant, *Impotentes redduntur ad exequendum, officium*, vt dicitur *cap. nisi cum pridem. de renunciat.* Licet ibi sit sermo de illa impotentia, quæ inhabiles omninò reddat ad regendum Ecclesiam, *quæ ex infirmitate, vel ex senectute procedit*, In quem sensum citantur multa, *cap. 1. distint. 55. & alia de Clerico egrotante*; Non autem de ijs, quæ statutum nostrum concernunt: Attamen subministrat rationem vniuersalem: Cum enim omnes subditi vitam communem seruare debeāt, turpe erit Superiori, vel à subditorum vita redargui, vel eosdem à vita communi aberrantes redarguere; quippe qui forma gregis esse non potest. Additur altera vt nimirum dissolutionibus disciplinę & regulæ, aditus occludantur. Nam cum natura in malum prona, sibi plus æquo blandiens, soleat aliquando non veras necessitates ostendere: iure factum est, vt omnes similer dispensati, officijs vacent, manifesta inhabilitate notati, vt cæteris timorem incutiant.

Vitam communem non seruantes, inhabiles ad officia.

Et quare.

Hinc licet, qui calceamenta deferret, vel ægris pedibus aliqualem dispensationem adsisceret, posset optimum caput ad regendum habere: ac proindè in illo cessaret recensita ratio, & posset dignitatem compatibilem obtinere, vt in cit. *cap. Nisi cum pridem.* affirmat Glosa, & ratio naturalis ostendit: attamen ad maius malum, & religionis dispendium remouendum, satius est concessis carere, quam prohibitis abundare.

Munus autem Vicarij sub hoc statuto, maiori ratione compræhenditur quia Conuētus munia, & speciales regularis disciplinæ obseruationes magis Vicario, quam Superiori locali commendatur. Hoc statutum replicatur infra *pag. 104. Neap. c. 8. & in Capitulo generali Romano, ann. 1612. titulo de Prælatis. §. cum obser-*

obseruantia Regulæ. Et Papalibus Iul. II. cap. 3. par. 8. Nullus fiat. Prælatus, nisi possit viuere vita communi.

STATVTVM LXXVI.

Cingulos, fœmoralia, calcepodia, subditis, Superiores locales, sub officiorum destitutione prouideant: ne sibimet subditi, contra puritatem Regulæ prouidere cogantur.

Superior subditis de necessariis prouidere tenetur.

Hoc idem replicatur infra. *De necessarÿ prouidendis circa vestimenta pag.* 37. *& pag.* 82. *&* 89. *& in Capitulo Generali Romano ann.* 1625. §. *sicut statutum. Et Neapolit. cap. 8. Sed per Guardianos iuxta generalia statuta ordinis singulis Fratribus omnia, & singula, quę ad necessarium vitæ, vsum tam in victu, quam in vestitu pertinent, opportunè prouideantur.* Et *Romano* 1600. *Guardianis pręcipitur, vt omnium Fratrum indigentÿs diligenter consulant, & vitę humanę necessarÿs sollicitè prouideant, tam cum sani fuerint, quam cum infirmari contigerit; nec solum in victu, verum etiam in vestitu. Et Congregationis generalis Romanę* 1603. *Ad obuiandum nimię relaxationi, quę Sanctam labefactat paupertatem pecuniaria proprietate, instauratur statutum obseruandum, cum maxima diligentia, quod Guardiani prouideant de necessarÿs omnib. sustentationi Fratrum pro victu, & vestitu, itaut iuxta verba S. Conc. Tridentini, nihil quod sit necessarium denegetur. Et in Valisolet.* 1565.

Equidem *Trident. sess.* 25. *cap.* 2. decernit. *Mobilium verò vsum ita Superiores permittant, vt eorum suppellex statui paupertatis, quam professi sunt conueniat, nihilquè superflui in ea sit, nihil etiam, quod necessarium, eis denegetur.* Quod ad verbum retulit Clemens VIII. *in reform. regul. num.* 8. Vnde *S. Benedictus in regula tam cap.* 34. *quam* 55. Has prouisiones pro necessitate Monachorum fieri mandat, *Vt hoc vitium* (inquit) *peculiaritatis radicius amputetur; dentur ab Abbate omnia, quæ sunt necessaria, scilicet tunica, cuculla, pedules, caligæ, bracile, cultellus, graphium, acus, mappula, tabulę, vt omnis auferatur necessitatis excusatio, à quo tamen Abbate semper consideretur illa sententia actuum Apostolorum, Quia dabatur singulis, prout cuique opus erat.* Quod etiam dixit S. Augustinus in sua regula. *Et distribuatur cuiquè vestrum à præposito vestro victus, & vestitus, & tegumentum, non æqualiter omnibus, quia non æqualiter valetis omnes, sed potius prout cuiquè opus est, vt legimus in actibus Apostolorum. capit.* 2. Super quæ verba Vgo de S. Victore ait. *Sic Dominus voluit ordinare Ecclesias suas, vt alÿ vacarent spiritualibus, alÿ eis temporalia ministrarent: & ideo alios voluit esse præpositos, alios subditores. Præpositorum officium est, subditis corporalia ministrare, subditorum, spiritualibus studÿs insistere.* Et infra, soluens difficultatem, cur dicatur in actis Apostolicis, quod primis Christianis distribuebatur cuiquè prout opus erat, itaut inter eos, *Nullus agens esset*, vt dicitur *act.* 4. & 2. cor. 11. dicitur. *In fame, & siti frigore, & nuditate?* dicit. *Corpore indigebāt,*

non

non animo, quia se ipsus abnegantes, animi virtute ipsam superabant naturam. Idem sensit S. Romualdus *in sua regula cap. 50. Eremitis omnia humanæ vitæ necessaria congruis temporibus ministrentur, vt non opus sit propter aliquam corporis necessitatem, mentem à diuinis contemplationibus, & spiritualibus exercitijs amouere.*

Ex quibus aliquæ rationes pro hoc statuto eliciuntur. Prima est ex regula S. Benedicti. Vt paupertas melius obseruetur, quia deficientibus necessarijs, compelluntur subditi ad sibi, suo arbitrio prouidendum. Secunda est ex Sanctis Augustino, & Romualdo, vt subditi melius Deo vacent. Tertia ex Vgone, Vt Superior sui muneris obligationem exerceat. Quarta ex actis Apostolicis, vt primitiuę Ecclesiæ exemplum, & charitatem imitemur. *Causæ communis prouisionis.*

Sed discutienda sunt dubia moralia. Quorum primum est. Quo iure, & quomodo obligantur Prçlati ad prouidendum subditis?

Respondeo naturali, diuino, positiuo. Nam de iure naturæ est, vt caput in membra influat, vt Pater filios, nutriat, ac Superior subditos sustentet. *Constitutũ est à Domino* (inquit citatus Hugo) *vt qui altari seruit, de altari viuat, & si viuimus de annona Christi, iustum est vt laboremus in seruitio Christi. Et oportet vt seruiamus ei, à quo pascimur, &c.* Adde constitutiones Apostolicas & Seraphicas. Qualitas autem obligationis est de suo genere sub peccato mortali, quia agitur de re grauissima concernente præcisum, præceptum, & regularis obseruantiæ conseruationem. Ideo sub grauissimis pœnis priuationis officiorum impositus. Dixi ex suo genere, quia patitur latitudinem; nam si defectus non sit notabilis, puta vel pro paruo tempore, vel pro vna qualibet re non satis necessaria non erit mortale. *Idquè iure naturali, diuino, & positiuo.*

Secundum Dubium, quæ tenetur prouidere Superior? Respondeo, victum, & vestitum, ac tegumentum, sed secundum regulam, & constitutiones, nimirum paupera, vilia, & abiecta. Habitum, & tunicam tenetur ex regula Minister, vel Custos, nisi committatur etiam Guardianis secundum decretales. *Nicolai III. & Clem. V.* Fœmoralia, soleas, calepodia, cingulos, sudariola ad nares emungendas, cartham, atramentum, oleum, lucernas, lectisternia, cum tegumentis necessarijs, aliaque ad victum, & vitæ conseruationem opportuna. Guardiani, Cællas; & habitationem, Ministri, cum Diffinitorio, ad quos Conuentuum constructio, & reparatio pertinet. Nisi sit aliquid parui momenti, quod Guardianis etiam demandat. *Maximè victum, & vestitum.*

Tertium Dubium. De cingulo, cuius materię esse debeat? Respondeo hæc eadem statuta paulò infra, & Papalia *Iul. II. cap. 2. part. 7.* dicunt *Cingulum habeatur chorda communis, & rudis, nec in ea duo appendicia habeantur, & omnis curiositas ab ea pœnitus rescindatur.* Quę ad verbum sanxit ex statutis Farinerijs Martinus V. *in 2. cap. Regulæ*; quæ omnia prius sancita fuere in *Capitulo generali Narbonensis* sub S. Bonauentura, *vt refertur 1. par. firmamenti 3. ord. fol. mihi 25. Cingulum habeatur chorda communis & rudis, & nihil portetur appensum ad chordam. Nec cingula habeantur interius cum cultellis; & bursis. Nec etiam bursæ inferius in tunica habitus habeantur laterales.* S. autem Bonauentura in illud 2. *cap. Regulæ. Et cingulum* (inquit) *funem vtiquè; qui dicitur Isaiæ 3. erit pro zona funiculus, & cingulum facci. Hoc cingulum funiculus est, quia facci funiculis cingi solent, &c.* Et S. P. Franciscum chorda, ac fune pro cingulo vsum *Cingulum quale. Nihil cingulo appensum portetur.*

vsum, affirmat Hugo de Dina *in idem cap.2.* & canit Ecclesia, *fune cingitur.* Porrò cinguli nomine, cintorium intelligitur, quod græco vocabulo zona appellatur, & funis dicitur, non solum, qui ex Canabe, sed etiam, qui ex alia quauis materia contorquetur. Hinc *Plinius lib.6.cap.1.* Funes ex palustri iunco nexas memorat. Vnde in vim regulę cingulum gestari poterit ex Canabe, ex lana, ex pilis, ex iuncis, &c. Præcipuè si accedat loci qualitas, & Prouinciæ consuetudo. Attamen communis vsus obtinuit, vt ex canabe fiat, & simplici, & rudi, ex qua, vt plurimùm funes necti solent.

Fœmoralia gestari debent, & qualia.

Quartum Dubium de fœmoralibus? Respondeo ex S. Bonauentura *cap.2 regul.* Fœmoralia ad honestatem gestari, & fieri posse, tum linea, tum lanea, ijs, qui nollent lini gustare delicias. *Non rugata, non crispa, sed simplicia, iuxta veterem Religionis consuetudinem.* Vt statuta *Vallisolet. ann.* 1593. & ista quæ commentamur decernunt. Quanta autem obligatio sit, fęmoralium gestatio, se moto necessitatis articulo, puto pertingere ad peccatum mortale, si consuetudine dimitterentur. Licet enim ad exteriorem habitus formam non spectent, tamen de forma habitus sunt honestatem concernentia. Nec valeret dicere, non numerari in habitu professorem, dum dicitur *in cap.2.regulæ. Et illi, qui iam promiserunt obedientiam, habeant vnam tunicam cum capucio, & aliam sine capucio, qui voluerint habere.* Vbi de fœmoralibus nihil dicitur, quia paulò supra pręscripserat de Nouitij, *Videlicet duas tunicas sine capucio, & cingulum, & brachas, &c.* Et certum est apud omnes, eumdem esse Professorum, & Nouitiorum habitum excepto caparone, & capucio: & cum postea non meminerit cinguli, quod omninò est necessarium ad formam habitus, infertur, remisisse se Superiori dispositioni, in qua erant etiam fœmoralia.

STATVTVM LXXVII.

Sæculares, vel Clericales vestes, etiam deuotionis prætextu, non induant.

STATVTVM LXXVIII.

Comedias, vnaquè spectacula, vbi necesse sit habitum exuere, non repræsentent.

STATVTVM LXXIX.

Habitus ordinis, nisi ex occasione sepulturæ Sęcularibus non accommodent. Sub pœna, &c.

Prætere'a, quę recensita sunt circa dimissionem, vel occultationem habitus,

Quæ-

Quæritur primò, An nomine vestium intelligatur totum extrinsecum indumentum, an aliqua illius pars?

Respondeo, vtrumque. Quia induere totam exteriorem vestem extrinsecam, prohibitum est sub excommunicatione, vt dictum est. induere illius partem v.g. thoracem, ocreas, caligas, sagum, &c. Vetitum est per regulam, habitum determinantem: & eò magis si ea pars habitus faciat, religiosum non cognosci pro tali, quia tunc etiam incurreretur excommunicatio, iuxta dicta. Ex *cap. Vt periculosa. Ne Clerici, &c. in 6.* Vt tradunt Suar. *tom. 5. in 3. par. dis. 23. sect. 4. n. 28. apud* Sanh. *in decal. lib. 6. cap. 8. num. 50. qui citat. S. Anton. 3. par. tit. 24. cap. 53.*

Nec totus habitus, nec pars mutari potest.

Quæritur secundò, An sit peccatum deferre habitum, paruum, seu scapulare B. Virginis de Carmelo intra habitum regularem: vel tuniculam S. Dominici, vel corrigiam S. Augustini, &c.

Respondeo, sine scandalo, & cum licentia Superiorum, nullum esset peccatum, immò, cuiusmodi ex B. Leone, & alijs refert Vuadingus *ad ann. 1619. n. 2. S.* P. Dominicum summis precibus obtinuisse chordam Sancti P. Fràcisci, eamque sub habitu contectam semper gestasse. Hoc enim nec formę habitus repugnat, quia tectum gestatur: nec paupertati, quia ad deuotionem conducit. Nec statuto, quia solùm loquitur de vestibus exterioribus.

Habitus parui ob deuotione gestari possunt.

Quęritur Tertiò, An sit peccatum ad aliquod breue tempus pro repræsentatione aliqua habitum exuere, & extraneum induere?

Respondeo, cum scandalo, esset peccatum mortale, puta si coram Sęcularibus, extra Conuentum id pręstaretur: idquè non ratione dimissionis habitus, sed scandali. Si abesset scandalum, vt accidit si fieret in Monasterio, ad aliquod breue, tempus, mortale non esset, vt diximus §. 2. *de Apostatis.* Hinc Seraphicus Pater, misit B. Ruffinum ad prædicandum sine habitu, quem ipsemet postmodum secutus, eodem modo fuit, vt narrant S. Bonauentura, S. Antonin. & Marcus Olisiipponesis *part. 1. Cronic. lib. 1. capi. 30.* Et licet diuersum sit, repræsentare comedias, & mortificationem exercere, attamen quoad habitus depositionem idem omninò videtur. Cum hoc tamen stat, vt culpa non careat talis repræsentatio, tum quia prohibetur per statuta Ordinis, tum etiam, quia vanitates istæ, regulares, & maximè Minoritas satis dedecent. & si materia turpis esset, à peccato mortali tales repræsentantes, & multò magis Superiores id permittentes, non eximerem Graff. 1. *par. decis. lib. 3. cap. 5. num. 77. apud* Lezan. *tom. 1. cap. 13. num. 5. & num. 10. vbi citat* Suar. *tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 1. cap. 5. num. 9. legatur* Rodrig. *tom. 2. quæst. 76. art. 6. &* Sanchez *in decal. lib. 6. cap. 8. à num. 39. & præcipuè num. 55.* Audiendus est in hac pater S. Ioann. Chrisost. *hom. 17. in Epist. ad Ephes. Sanctus* (inquit) *non est, qui facetias loquitur, qui ridiculus est, qui hoc facit, etiamsi sit græcus, aut gentilis; illis dumtaxat licet, qui in scæna ludunt: vbi turpido, ibi, & vrbanæ facetiæ: vbi risus intempestiuus, ibi, & vrbanæ facetiæ: audi quid hic Propheta dicat. seruite domino in timore, & exultate illi in tremore. Vrbanitas enim mollem facit animum, desidem attollit, & conuincia sæpè parturit. Tu, cum te seruum Dei esse dicas, facetias vrbanas loqueris? animum sobrium nemo decipere volet: effusum verò, ac leuem, quis non oderit, & insectetur? is se ipsum circumuenit, ac perdit, nec aget diabol. insidijs, ac violentia, &c.* & S. Ambr. 1. *offic. cap. 20.* inquit: *Caueamus,*

Habitus alienus indui potest ex necessitate.

Habitum exuere ob repræsentationes illicitum.

Facetijs abstinendum.

Vrbanitates non religiosæ.

mus, ne dum relaxare animum volumus, soluamus omnem harmoniam, quasi cocentum quemdam bonorum operum. & idem Chrysost. detestans repræsentatioues scenicas, tanquã diaboli opus, *hom.6.in Matt.* infert *Non enim tam ille delinquit, qui illa simulat, quam tu, qui hoc fieri iubes. Nec solum iubes, sed etiam exultatione, risu, plausu adiuuas, quæ geruntur. Omnibusquè prorsus modis hanc diabolicam confoues officinam.* Lactantius *autem in Epitom.cap.6.* ait. *Quid scena? num sanctior? in qua comedia de stupris, & amoribus: Tragœdia de incestis, & parricidiis fabulatur Histrionici etiam impudici gestus, quibus infames fœminas imitantur, libidines, quas saltando exprimunt, docent, &c.*

Eutrapelia non prohibetur. Etsi non negauerim Eutrapeliæ virtutem laxandis animis aliquando proficuam, ex *Aristotele 4. Eth.cap.*8. quippe quæ *est, quędam vitæ requies, in qua homines ioco vtuntur, dicendo, & audiendo, moderatè ea quæ oportet, itaut personarum, locorum, & mediocritatis norma seruetur*, Vt idem ait. Vitium enim est animum soluere, non laxare. *Multum interest* (inquit Sen. *lib. de tranquillitate animi.cap.*15.) *remittas aliquid, an soluas?* Vnde *Ep.*15. consulit, *Non ego te iubeo semper imminere libro, aut pugillaribus, dandum est aliquod interuallum animo, ita tamen, vt non resoluatur, sed remittatur.* Cuius rationem reddit. S. Ambros. *lib.* 3. *de Virgin. ad Marcellinam Sororem. Moderandum* (inquit) *labori; citò fœcundis onerata palmitibus emeritæ ætatis vitis crepat, nisi aliquando reprimatur.* & Clemens, Alex. 3. *pædagog. capitu.* 10. *Modus est* (inquit) *vbiquè attendendus. Neque oportet esse omninò otiosum, nequè omninò nimis laboriosum.* & Plinius Cæcilius ij. *lib.* 8. *Epist.* 21. *Pulcherrimum, & humanissimum existimo, seueritatem, comitatemquè miscere: ne illa in tristitiam, hæc in petulantiam procedat, qua ratione ductus, grauiora opera lusibus, iocisquè distinguo.*

Attamen Religiosum virum ad pęnitẽtiam natum, lachrymæ potius, quam risus decent. Cineres ante, quam sales: suspiria magis, quam, dicteria. Hinc si moderatę, honesteq; relaxationes permittuntur, comici apparatus, lususquè histrionici, etiam ad modicum tempus denegantur. Vt sciant, vnde culpæ gradus, & virtutis exercitium manare possint. Legatur P. Ciprianus *lect.*1. *in* 5. *cap. regulæ*, vbi multa apposité ad rem præsentem congerit.

Quæritur quartò, An liceat aliquando habitum sæcularibus tradere ad lusum?

Habitum ad lusum tradere vetitum. Respondeo ad lusum prophanum, vnde habitui dedecus oriatur, vt si deferretur ab histrionibus, mimis, personatis, &c. non licet, *cap. cum decorem. de vita, & honest. Cler. iuncta Glos.* citata à Rodrig. *tom.*2. *quęst.*26. *art.*7. qui etiam citat *Authenticam de Sanctiss. Episcopis. collat.*9. affirmatquè esse peccatum mortale, Cum *Siluest. Corduba ab eod. cit.* Portel. *V. habitus. numer.* 3. Hieron. Roder. *resolut.*71. *num.*7. & ad hunc effectum habitum tribuere, esset etiam culpa mortalis, quia ad mortale cooperaretur. Cuiusmodi etiam esset, si habitu vterentur sæculares, vel eisdem à Fratribus traderetur ad committendum aliquod scelus, puta furtum homicidium, &c. & aliquando contigit bannitos, veste regulari indutos talia patrasse facinora Secus si illo vterentur ad fugam, & mentiendas personas, quod non raro accidit. in hoc casu, non esset peccatum mortale, si habitus accommodaretur, repræsentare volentibus aliquem actum virtutis, &c. Rodrig. *supra.*

Quæres quintò, Quid importet sepelliri, vel mori sæcularẽ in habitu regulari?

Respon-

Respondeo primò, Morientes, vel se sepeliri mandantes, cum habitu Fratrum Minorum, dummodò illum petierint, & super se vsq; ad mortem tenuerint, etiamsi illum non induerint, lucrantur Indulgentiam plenariam, concessam à Leon. X. post Clem. IV. Nicol. III. & Vrban. V. apud Rodrig. supra art. 10. & Compendium priuil. tit. communicatio priuil. §. vlti. & tit. Indulgentiæ quoad sæcular. §. 4. & 23. Quam Indulgentiam consequuntur, qui petunt zonam S. Augustini, & habitum Ordinis Sanctissimæ Trinitatis.

Morientes, vel sepelliri se mandantes cum habitu. Minorum lucrantur indulgentias plenarias.

Respondeo secundò, Volentes sepeliri cum habitu Fratrum Minorum, impediri à Parochis non possunt, sua pœna excommunicationis incurrendæ, post canonicam monitionem, ac Papæ reseruatam esse *Sixtus IV. bulla* 14. *apud* Rod. *n.* 48. *quam idem supra refert, art.* 8.

Et id impedientes excommunicātur.

Respondeo Tertiò, Tales habitus concedere, spectat ad Superiores Locales, vel Prouinciales, &c. *Sixt. IV. bul.* 20. *& Leo X. bul.* 22. *in bullar. Rodrig. & supra art* 9. Portel. *V. habitus n.* 2. *& V. sepultura n.* 8. *&* 9. *& in addit. n.* 2.

Superiores locales, & Prouinciales illum cōcedere possunt.

Quæres sextò incidenter, An sit aliqua indulgentia osculantibus habitum regularem?

Respondeo ex eodem Rod. *supra art.* 11. Ioann. 23. concessisse quinquè annos, & totidem quadragenas de iniunctis pœnitentijs (qui sunt dies 2075.) osculantibus habitum Ordinis S. Dominici, quæ indulgentia communicatur etiam Minoribus, & alijs. Portel. *V. habitus. in addit. n.* 4. ex Collect. priuil. *V. Indulgentia quoad sæculares.* §. 9. *n.* 6.

Habitum osculantes lucrantur indulgentias.

Quam indulgentiam ijdemmet regulares lucrari poterunt, quia conceditur omnibus Christi fidelibus habitum osculantibus. inter quos, Fratres deterioris conditionis non esse debet. Nec indulgentia hęc reuocata est per Paulū V. quia non est concessa Fratribus immediatè, sed omnibus, etiam sæcularibus. Vide quam vberem cælestes lucrandi thesauros materiam, nobiscum quotidie, & perpetuò habeamus.

Et mirum est, quantum in huiusmodi deuotionem propensa sit Hispania, vel in hoc genere, erga regulares, præcipuè Franciscanos, pro effectu, ac reuerentia, singularis. Expediret populis inter concionandum talem indulgentiam sæpius inculcare.

DE TONSVRA.

STATVTVM LXXX.

Omnes Fratres de quindena, in quindenam, in Conuentibus tantum, radantur.

Non solum quoad caput, & sinciput, sed etiam quoad barbam.

Qui

Qui necessitatis causa radi non poterit, forficulis profundè tondeatur Prouincialis assensu. Pœnis,&c.

Tonsura Ecclesiasticæ ritus à diuina lege.

Ecclesiasticæ, Regularisquè tonsuræ morem ortum habuisse ex diuina ordinatione, testimonia S. Scripturæ conuincunt. Vt nouit S. Isidorus *lib. 2. de Ecclesiast. offic. cap. 4.* Rhabanus *de institutis Cleric. cap. 3. Num enim 6. de* Nazareis, qui Religiosorum fuerunt exempla dicitur, *Tunc radetur Nazareus ante ostium tabernaculi fœderis Cæsariæ consecrationis suæ.* & de Priscilla, & Aquila *act. 18.* dicitur *Qui sibi totonderant in chenchris caput, habebant enim votum* & de quatuor alijs viris tale votum habentibus, dicitur *act. 21. His assumptis sanctifica te cum illis, & impende in illis vt radant capita.* Super quo Hieronym *Epist. 86 ò Paulè* (inquit) *in hoc te rursum interrogo, cur caput raseris?*

Seruatus in primitiua Ecclesia.

Hunc morem ex vtroquè testamento hauserunt, seruaruntquè Patres; S. Dionisius *par. 2. cap. 3. Ecclesiasticæ Hierar.* ait. *Monachum futurū prius esse tondendum* Anicetus Papa, relatus *in cap. prohibete. dist. 23. ad Episcopos Galliæ tomo 1. concil. pag. 87.* scribit. *Prohibete Fratres per vniuersas regionum vestrarum Ecclesias, vt Clerici iuxta Apostolum, comam non nutriant, sed desuper caput, in modum sphæræ radant.* S. August. *Epist. 147.* inquit. *Per coronam nostram nos adiurant.* Hieronym. *Ep. 26. ad August. Vt Fratres tuos nomine meo salutes, præcor coronam tuam.*

Præceptus a Concilijs.

Præceperunt Concilia *Tolet. 4. cap. 40. & 6. cap. 17. Carthagin. 4. cap. 44. & 55. descriptum cap. Clericus. dist. 42.* & meminerunt Epiph. *hæres. 80.* Hieronym. *Epist. 48. ad Sabinianum.* Beda *lib. 5. de gestis Anglorum.* August. *de opere Monach. cap. vlt. Alijquè apud* Baron. *ann. 58. a n. 54.* Bellar. *lib. 2. de Monachis. cap. 40.* Valent. *tomo. 4. disp. 9. quæst. 5. punct. 3.*

Et quare.

Adsunt rationes, & singnificata. Prima est *S. Dionisij*, vt nudatione capitis significetur vita aperta, & pura. Secunda *Bedæ cit.* in memoriam spineę coronæ Christi. Tertia *Isid. & Rabani*, ob regale Christi Sacerdotium. Quarta *Sancti Germani Episcopi Constantinopolit.* in exemplum S. Petri, cui ob derisionem detonsum fuit caput; quod Christus postea benedixit, & corona ornauit, vertitquè derisum in gloriam. & addit. *Radi verò toto capite ad imitationem fit Sancti Apostoli Iacobi, Dei Fratris, & Pauli. Apostoli, & cæterorum. lib. de Contemplatione rerum Ecclesiast. tomo 2. Veter. Patr. Græc. Lat. pag. 136.* Nec est cur

Respōdetur Hæreticis.

Hereticis, Ecclesiasticas antiquitates cauillantibus respondeatur; vbi enim *Leuit. 19. Non attendetis comam in rotundum, nec barbam radetis.* Quod Vatablus vertit. *Non attendetis in rotundum comam vestram Aegyptiorum Sacerdotum more.* Ezecch. *44. Sacerdotes caput suum non radent:* Barucch. *6. Idolorum Sacerdotes, habebant capita, et barbam rasam, etc.* & aliquot Patres rasuram auersari videntur de illa loquuntur, quæ gentilium errores (*Vt Ier. q. 26. 25. 23. 49. 32.*) Legendi Lucianus *in Dea Syria* Theodor. *in 19. Leuit. quæst. 28.* Cirill. *lib. 16. de ador.* Athanasius, vel Anastasius *in qq. S. Scripturę quæst. 68.* Vel mollitiem sapiebant. Vnde 70. transtulerunt. *Non facietis cincinnos ex coma vestra.* id est plicaturam capillorum; & Suida *in Verbo sisoēn,* Non de Ecclesiastica, & regulari. Nec enim nos ritus iudęorum seruamus, ac cerimonias, qualis fuit ista de capillorum attonsione, Ecclesia suas habet consuetudines, ab Apostolis inductas.

Sed

Sed de rasura potest esse dubium. Primò ex antiquitate quę non radere, sed tondere capillos consueuit. *Pili tondendi sunt* (inquit Clem. Alex. *lib. 3. Pædagog. cap. 11. non nouacula, est enim illiberale: sed tonsorum forficibus.* Loquitur autem di pilis Superioris labri, quia barbam tonderi vsquè ad cutem vetat, vultquè *hirsutum esse mentum, & non esse vexandos barbæ pilos, qui nihil molestiæ afferunt, quiquè grauitatem & paternum quemdam terrorem incutiunt.* Concedit tamen, *Virorum esse rasum caput.* idquè ob sanitatem cranij, quia crescentes pili, humiditatem concipiunt, & per suturam infundunt, vt *Gentianus Heruetus exponit*, putans Clementem suum, secutum fuisse Clem. Romanum *in Constitut. Apostol. lib. 1. cap. 4.* Vbi rasuram prohibet, tanquam quid muliebre. *Et Optatus Mileuitanus lib. 2. contra Parmenianum* arguens Donatistas, quod aliquorum Sacerdotum caput rasissent, ait, *Docete, vbi vobis mandatum sit caput radere Sacerdotibus.* S. Hieronymus in *cap. 44. Ezech.* docet non esset radendas sed tondendas Sacerdotum barbas, ita ut cutis tecta remaneat. idquè colligi, dicit *Binius Seuerinus tomo 1. conc. in notis ad citatam decretalem Aniceti, ex Dionisio, Epiphanio, Athanasio, Palladio, Augustino, Isidoro, Beda, Conc. Carthag. 3. Tolet. 4.* in quibus præcipitur tonsura non rasura. Extat etiamdum solemnis declamatio *Pierij Valeriani pro barbis Sacerdotum*, quem secutus est *Hortensius Landus Hæreticus nuncupato libro de Barbarum persecutione.* Secundò ex Sanctorum exemplo, non solum veteris, sed etiam noui testamenti, Christi scilicet, & Apostolorum S. Augustini, Benedicti, Dominici, Francisci, qui omnes intonsi fuerunt; nec videtur rationabile à Patrum, Sanctorumquè vestigijs aberrare. Hinc Patres Conuentuales, ac Cappucini, nedum crescentis, verum etiam adultæ, & consummatę Religionis consuetudinem retinere arbitrantes, barbis vtuntur, nouaculasquè aduersantur. Verum S. P. Franciscum, eiusquè primos filios barbam non gestasse, probant *Cronicha Marci Olissiponensis p. 1. lib. 4. cap. 4.* Quibus narrat, primos quinquè Martyres Ordinis Minorum, antequam Infidelium conspectibus se exhiberent, detentos fuisse per multos dies in Villa de Alenquer à D. Sancia, Regis Sancij Secundi Lusitaniæ filia, quousquè eisdem barba, & capilli ad quantitatem coronæ accrescerent. Ne scilicet pro Religiosis cognoscerentur. Vnde manifestè apparet, saltem fuisse detonsos, si non rasos. Probat id manifestè *P. Vuadingus ad an. 1226. numer. 64. ex diplomate Honorij III. dato Laterani 16. Kalen. Aprilis, ann. eius 10.* in quo Prædicatoribus, & Minoribus ad Miramolinum missis concedit, posse eos *Mutare habitum, & nutrire barbam, & comam.* Vnde signum est, barbas non gestasse antiquos Fratres Conuentualiter viuentes, Sed solum eos, qui Eremos incolebant, vt idem P. Vuadingus de Fratre Helia, à Generalatu deturbato, ac in Eremum secedente, ac proinde sibi barbam crescere sinenti, refert *ann. 1230. num. 12.* Vnde, & Patres Cappucini, quia Eremitæ, ex Clemente VII. barbam prominentem habere cæperunt. Puto Priores illos Patres, oris compositioni non studuisse, sed incomptum, ac despectum capillamentum, habitui conforme gestasse, & de promissa, vel decurtata barba non curasse. Quem morem posteriores postea seruauerunt, & quidem inter obseruantes promiscuè pro cuiuscuque regionis consuetudine: in Italia enim, & Hispania raduntur, in Vltramarinis Orientibus, ac Germanicis Prouincijs barbas deferunt intactas. in Galia forficibus profundè tondentur adeo vt in hoc etiam Ecclesiæ Minori-

Antiquitas radian. tonderi solitū.

An antiqui Patres intōsi.

An S. P. F. barbam gestauerit.

Varius in ordine capillamenti, & tōsuræ vsus. Sicuti, et Ecclesiæ varius.

cum

cum sodalitium conformetur. Diuersa enim diuersis temporibus viguit in Ecclesia cõsuetudo. Græci Clerici barbas nutriunt, Itali ex parte radunt. Gregorius VII. apud *Baron. ann.* 58. *n.* 58. præcepit radi Clericos Sardiniæ, & Calaritanos. postea rasura exsoleuit. nunc, modo non viuitur vno, quilibet quod libet facit; & cum absit fidei, & religionis iactura, non est cur de barbis, ac tonsura inquietemur. Quando autem cæperit radendi mos in Minorico Ordine, incertum est. Puto à tempore renouatæ obseruantiæ. Quippe qui Sanctum Bernardinum Senensem, Beatos Iacobum de Marchia, & Ioann. de Capistrano obseruantię reparatores, sine barbis pictos videmus. Vt scilicet magis à Conuentualibus discernerentur: & sicuti in humilitatis, & abiectionis signum assumpserunt calepodia, ita in sui contemptum barbas, quæ sunt maiestatis, grauitatisquè insigne, & deponere, & radere cæperunt.

STATVTVM LXXXI.

Corona Clericorum tres digitos lata ad aures vsquè pertingat. Laicis circulus in rotundum ducatur paululum supra aures.

Tõsura Clericorũ quanta. Statuta Papalia *Iul. II. capit. 2. part. 6. Fratres comam, vel barbam non nutriant, sed rasuram de super aures sibi fieri procurent. Et sit rasura Clericorum non modica, vt decet Religiosos, ita quod inter rasuram cutis superioris, & aures non sint plusquam tres digiti parui capillorum. Laicorum verò rasura sit modica, more simplicium Clericorum Sæcularium, cum etiam gaudeant priuilegio Clericali.* Fuerunt autem facta hæc statuta *ann.* 1590. excerpta ad verbum à *Neapolitanis cap.* 11. *celebratis ann.* 1506. Salmanticentia, quæ fuere confecta *ann.* 1554. *cap.* 2. fine *Tonsuram* (inquiunt) *de super aures tam clerici, quàm Laici sibi fieri procurent.*

Coronæ autem huiuscè forma, etiam antiquis Clericis communis fuit, vt colligitur ex *Concilio quarto Toletano. capit.* 41. Vbi dicitur *Omnes Clerici Lectores, Leuitæ, & Sacerdotes detonso superius capite toto, inferius solam circuli coronam relinquant.* Tempore autem variato, apud Sæculares, tandem apud regulares formam, quam cernimus obtinuit.

Quanta itẽ Laicorum. De rasura verò Laicorum Ordinis Seraphici, diuersus etiam modus obseruatus est Tempore enim Sancti Patris Francisci, dum post confirmationem primę Regulæ ab Innocentio Tertiò, anno 1210. viuæ vocis oraculo obtentam, in eiusdem Summi Pontificis manibus regularem statum ipse, & Socij vouerunt: ab eodem Pontifice concessum fuit Laicis Fratribus paruulas coronas fieri, cuiusmodi nunc Presbyteri Sæculares deferunt. Vt à Laicis Sæcularibus discernerentur, & in altaris ministerio dignius deseruirent, vt *libro primo Chronic. capit.* 12. *Vlissiponensis ait, & ex Oddone Perusino, S. Bonauentura, & Martano, refert Vuadingus anno citato, num.* 15. Quarum coronarum formam, aliquibus in locis gestari solitam à nostris Laicis, & alijs (ne in tumorem efferrentur) ablatam *n.* 16. affirmat.

Modus

Modus autem tondendi Laicos est, vt circa occiput à temporibus, per digitum supra aures, ducatur circulus. Quem à permultis obseruari video. Licet non desint, qui Laici nomen plus nimio affectantes, Clericalem hanc tonsuram adspernentur, & more Sæcularium omninò incedant. Verecundantur enim tanquam Laicos tonderi, quod à Superioribus omninò animaduerti deberet, & pœnis hic statutis rigorosè puniri.



REGVLÆ,

Ac Conſtitutionum.

Caput. III.

DE DIVINO OFFICIO.

STATVTVM I.

Secundum Breuiarium, & Miſſale Romana, nuperrimè reformata, officium Diuinum, ac Miſſæ omninò celebrentur.

Officia, & Miſſę celebranda, secū dum Rubricas Roman.

Hoc patet ex cap.3.Regulæ. *Clerici faciant Diuinum Officium, ſecundum Ordinem Sanctæ Romanę Eccleſiæ.*

Modus autem celebrandi Miſſas, & recitandi horas canonicas patet ex *cap. Dolentes. Et Clemen.* 1. *de celebr. Miſſ.* Vbi etiam de Regularibus agitur. *Trident.Seſſ.*24. *cap.*12.*de reform. & ex Summiſtis paſſim.* debent ęnim obſeruari ad amuſſim Rubricæ.

STATVTVM II.

Omnes ad horas canonicas in Eccleſia perſoluendas die, noctuquè conueniant.

A quo nullus, nec ipſe Generalis immunis exiſtat, niſi actu ſui officij functione fuerit impeditus.

Ex Clement. VIII. *de reform. regul. initio.* Ad verbum. Confirmata per *Sanctiſſimum Vrbanum Octauum*, Circa quod breuiter examinanda ſunt aliqua dubia.

Primum eſt, An teneantur Fratres ſub mortali recitare officium in choro.

Reſp. aliter recitantes peccare mortaliter affirmant aliquot moderni Marchi

nus

nus *de Sac.Ord.tract.2.par.6.diffic.11.n.3.& infra.*qui pro se citat Caiet.*V. horæ.* Angelum *horæ canonicæ num.*25.Siluest.*ibid.num.*12.Armill.*num.*21.Ioann.Maria Nouarius, *in sua Lucerna regul. V.horæ canonicæ num.* 28. *& infra* Schor.*in Selectis.Theor.*316.§.3.*religiosi.* Lezana *tom.* 1.*cap.*12.*num.*9. Peirin.*tom.* 2.*q.*1.*c.*4.§.5.*n.*123. Peregrin. *in Commen.suarum constit. p.*1.*lit.B.* §.3. Albertus Specius *opus. de horis canon.*Graff. *to.*2.*consilior.tit.de celebr.Missar.lib.*3.*conf.*1.*diff.* 1.*n.*6.

Qui teneāt, peccare mortaliter religiosos in choro non recitantes.

Mouentur autem ex consuetudine, in iure canonico fundata, & ex ipsomet statu regulari, ordinato ad diuinum cultum,& diuinas laudes persoluendas. Nā *c.fin. dist.*92. præcipitur deponi Clericus Ecclesiæ deputatus, qui ad recitandas horas ad Ecclesiam non conuenerit; depositio autem culpam mortalem supponit: & quoad præceptum replicatur *c.*1.*de celebr.Miss. In Clem. autem* 1.*eod.* expresè nominantur regulares, qui eodem cum beneficiatis præcepto adstringuntur: *Si* (inquit) *Dei, & Apostolicæ Sedis indignationem euitare voluerint.* Hæc autem indignatio non est sine culpa lætali. Vt coniecit Bonifac. de Vitalianis *in citatam Clementinam num.* 64. *Concilium tandem Trid. Sess.* 24. *de refor. c.*12. Obligans beneficiatos ad chorum. Nec attendi debet ista restrictio, quia quoad chorum æquiparantur Ecclesiæ regulares, & collegiatæ, vt patet in citata Clementina, & tradunt Bonif. de Vitalianis. Geminianus Felinus, Graffius, Siluest.Armilla, Angelus, Spercius, citati à Marchino.*num.*11.Equidem Ecclesiæ Regulares sunt collegiatę: Collegium autem dicit numerum concurrentium. Ergo vel aliqui obligantur ad conueniendum in choro, vel nulli, vel omnes.Nulli destruunt collegiatam: Non est maior ratio de hoc,quam de illo,ergo omnes tenentur.Secus posset destitui recitatio publica horarum in choro regulari, sine culpa, quia si hic, aut ille non tenetur sub peccato mortali,ergo semel, bis, terуè, non recitare in choro, non erit peccatum, Ergo nequè quater, aut quinquies, &c.Quia peccata venialia replicata, non faciunt vnum peccatum mortale: atqui peccare mortaliter dicunt omnes, si vt plurimum dimitteretur psalmodia in choro.Ergo,&c.

Ecclesię regulares sunt collegiatę.

Negant tamen Suarez *tom.*2.*de relig.lib.*8.*de orat.vocali c.*10.*num.*15.Bonac. *de horis canon.disput.*2.*q.*1.*pun.*1.*n.*9. A.S.Fausto *tract.de orat. & horis canonicis lib.*2. *q.*186. Diana *tom.*3. *tra.*2 *ref.*18. *apud quem* Raphael de Torre *in secunda secunda S. Thom. tom.*1. *controu.* 10.*de horis can. disp.* 1.*num.*6. *&* Filliuc. *tom.*2. *tract.*23. *cap.*4. *num.*239. *ac* Sanchez *in sum. tom.*2.*lib.* 6. *c.*4.*conclus.* 12. *dub.*1. Ducuntur autem ad hanc sententiam,quia nullum in iure extat præceptum,quo ad regulares. Nam iura allata, sæculares solum tangunt beneficiatos.& sola *Clementina* 1. *de celebr.missarum,*meminit regularium. *Nec non vt in cathedralibus regularibus, & collegiatis Ecclesiasticis, horis debitis deuotè psallatur, in alijs verò conuenienter, & debitè celebretur diuinum diurnum,nocturnumquè officium, si Dei, & Apostolicæ Sedis indignationem euitare voluerint.* & quidem (vt patet ex textu) non obligat subditos, sed solum *rectores, & illos ad quos pertinet,* Scilicet prælatos; præterea regulares ibi tanguntur incidenter, nam totum capitulum agit de dissolutionibus sæcularium Clericorum. At hęc, est sola comminatio, non pœnę fulminatio, quæ respicit inobedientes,& contradictores præcisè, non à choro deficientes; & puniri mandatur inobedientia, ac contemptus, non defectus. Quare in vim huius Clementinæ non posset excom-

Qui negant.

municari,vel suspendi qui choro deesset, nisi postquam præcessisset obedientiæ præceptum, ibi.*Contradictores censura Ecclesiastica, alysquè opportunis remedys compescendo*.Quæ etiam referri possunt ad grauiores excessus, nimirum ad psalmodiam syncopatam, ad colloquia in honesta intermixta, ad aues, canes venaticos secum adductos, in ministratione altaris facta cum vestibus prophanis, ad choreas ductas in cęmiterijs, &c.non ad tardum aduentum ad chorum, exitum ante finem officij, quæ leuiora sunt, nisi adesset contemptus, scandalum, vel *frequentia*,vt textus exponit. Tandem eodem modo præcipitur psalmodia in collegiatis,sicuti recitatio officij in alijs Ecclesijs:at nullus beneficiatus tenetur sub peccato recitare officium in choro, nisi in collegiata, & vbi sit chorus ad psallendum inductus.Silu. *V.hora. quæst.2.* Nauarr. *de horis canon. cap.4.n.7.*Comitol.*respons.moral.lib.7.quæst.64. num.*1.Ioann.Valer.*de different. inter vtrumquè forum.V.hora canon.diff.*1. Barbosa *de officio Parochi.cap. 10. nu.* 8.& quod de his loquatur, patet, quia contraponit istas Ecclesias collegiatis, cathedralibus,& regularibus.

Consuetudo autem, non superat rem super quam cadit; nec introducentes consuetudinem psallendi in choro, voluerunt se obligare ad peccatum mortale. Sunt enim multæ consuetudines in Religione, & ordinationes statutariæ, quæ ad peccatum non obligant.

Id autem quod dicitur,regulares viuere de eleemosynis,& ideo tenentur in choro psallere ex iustitia, sicut, & beneficiati, qui colligunt fructus; Non satis vrget,quia multi regulares mendicantes chorum non habent,vt Societatis Iesu, Ioann.Dei,&c.Sufficit quod alia præstent onera Reipublicæ vtilia,vt studia, prædicationes, Sacramentorum administrationes, priuatas orationes, & ipsam recitationem officij in priuato. Nec paritas ex beneficiatis adducta admittitur.

Collegium quid sit. Nec Ecclesia dicitur collegiata, quia ibi sint plures sacerdotes, vel fratres, vel quia instituta,& fundata sit tanquam collegium, faciens vnum corpus, sequè regens.Vt ex multis scribit Rodrig.*tom.*1. *quæst.*39. *art.*12. Vbi refert decisionem Capituli generalis Toletani declarantis,nomine collegiatarum non venire, nec comprehendi Monasteria Ordinis nostri: quod si verum est, cessat omninò ratio contraria.Attamen solidius dici posset, ædificatas esse Ecclesias, & choros, ad persoluendum quidem diuina officia, non ex præcepto cogente ad culpam mortalem,sed ad exercitium deuotionis à religione inductæ.

Destitui autem ab omnibus publicam recitationem officij, si notabilis esset, & cum scandalo, esset quidem mortalis, non ratione omissionis, sed ratione scandali,& psallere in choro est omnium quidem obligatio, non collectiuè, sed distributiuè,nimirum huius,vel illius,& eorum, qui à Superiore ad psallendum cogerentur.Secundum statuta sic omnes tenentur inseruire conuentui, sed ex determinatione Prælati.

Regulę expositores in affirmatiuam inclinant. Verum tamen est quod expositores nostræ Regulæ in priorem videntur inclinare sententiam. Nam Cordnba *quæst.*1. *in cap.*3.§. *Tertium punctum.* Tenet in illis verbis regulę, *Clerici faciant officium secundum ordinem S.Rom. Eccles.* includi circumstantiam chori,quia Ecclesia præcipit recitandum esse in choro,deuotè,attentè,&c.Cipryanus Cappuccinus *in idem cap.lect.*1.ait *Sententia Doctorum omnium est,fratres minores in conuentibus residentes, obligari ad recitādū cum*

aliqua

aliqua solemnitate loci, idest chori. Pisanus *in idem cap. 3. Clerici faciant, &c. Præceptum est* (inquit) *duo includens, & ad faciendum officium secundum rubricas breuiarij Romani, & ad dicendum horas canonicas. 2. quia ordo Romanæ Ecclesiæ est, quod Clerici conueniant ad chorum Ecclesiæ, & ibi dicant horas canonicas. Et ad hoc similiter se extendit, quod omnes fratres teneantur ad chorum conuenire, nisi fuerint rationabiliter impediti*, & quod illa verba, *Clerici, &c. secundum ordinem S. R. E.* contineant præceptum obligans ad mortale, declarauit Clemens V. *in Clem. exiui. de verb. signif. in 6. Artic. 2.* & quod illud, *Secundum ordinem S. Romanæ Ecclesiæ*, includat etiam circumstantiam chori, exposuit Innocen. IV. *in expositione nostræ regulæ in quarta parte firmamenti. pag. 3.* exponens enim supradicta verba, ponit hunc titulum. *De officio diuino in choro celebrando*. & Martinus V. in eadem verba, *Authoritate apostolica ordinamus, quod ante missarum, & horarum initia, Fratres omnes, quos causa rationabilis non excusat, ad chorum conueniant, Domino præparaturi corda sua*. idem ex *Benedicto 12. & Martino V. statuit, & ordinat Iul. II. in suis Papalibus constitut. cap. 3. par. 1.* Ex quibus concludit Ioann. Rousserius *in cap. 3. quæst. 4. Quod cum teneamur facere officium secundum ordinem Romanæ Ecclesiæ, iste ordo sit, quod Clerici ad chorum in simul conueniant, obligamur nostrum persoluere officium in choro*. in eamdem explicationem collimare videntur Corduba *in cap. 3. regulæ quest. 1.* & Miranda *cap. 16.* Licet expræssis verbis id non affirment. Tenentur igitur Fratres Minores sub mortali peccato recitare officium in choro, ex speciali præcepto nostræ Regulæ.

Verum, quod facere officium secundum ordinem Romanæ Ecclesiæ non sit conuenire in choro, patet ex *cap. Dolentes, de celeb. missarum*. Vbi modus recitandi officium declaratur, nimirum, *Vt diuinum officium nocturnum pariter, & diurnum, quantum eis dederit Deus, studiosè c elebrent, pariter, & deuotè*. Quo loco nulla chori fit mentio. & in antiquiori *Concilio Agathensi relato, cap. Presbyter. eodem tit.* dicitur *Presbyter mane matutinali officio expleto, pensum seruitutis suæ videlicet primam, tertiam, sextam, & nonam, vesperamquè persoluat, ita tamen, vt horis competentibus, iuxta possibilitatem, aut à se, aut à scholaribus publicè compleatur*. Vbi nulla chori recordatio, nullum onus Sacerdoti in choro persoluendi officium in choro. nec scrupulum facere debet illud *publicè*, id est coram populo, vt *Innocentius* commentatur, quia hoc, chorum non dicit, nam quem chorum facere potest vnus? qua ratione scolares, qui ad summum Minoribus initiati erunt, cogentur ad recitandum officium? Quot presbyteri sunt ad titulum patrimonij ordinati, qui nunquam chorum nouerunt? & tamen recitare tenentur officium secundum ordinem S.R.E. Ergo hic ordo chorum non importat. Quinimò in claris, non est opus coniecturis, & probationibus. Quot annis imprimitur liber, qui appellatur *Ordo recitandi diuinum officium*, qui solùm concernit dies festos duplices, &c. Feriales, &c. & cum regulæ verba interpretanda sint secundum communem modum loquendi, & cum dicimus, *ordinare officium*, intelligimus seriem rubricarum, prout exprefsè habetur in Breuiario Pij V. *Tit. de officio semiduplici, §. vltimo*. Vbi dicitur. *Quomodo sit ordinandum officium semiduplex tam in festis, &c. habentur inferius de singulis propriæ rubricæ*. Ecce quisnam sit ordo S. R. E. idem dicitur *in fine rubricæ de officio simplici, de dominicis, & alibi*. Quinimo in bulla, in fronte Bre-

Tertium Dubium, An sit peccatum mortale, non recitare officium secundum ordinem Romanæ Ecclesiæ?

Respondeo, nos non tenemur ad recitationem officij Romani, plusquam alij Clerici, qui Romano Breuiario sunt addicti. His autem ex communi sententia permissum est, sine graui culpa aliquando bis, terue mutare seriem officij, postponendo, vel præponendo horas, officium pro officio recitare. imò sine vlla culpa, si vrgens adesset necessitas, totum simul officio dicere, &c. Ergo idipsum Minoribus etiam licebit; eò vel maximè cùm multa habeamus priuilegia, quæ non habent Clerici Sæculares.

Non tenemur ad recitationem officij plusquā alij Clerici.

Leo enim Decimus concessit Minoribus, satisfacere *cap. Dolentes de celeb. missarum.* & regulæ, etiamsi recitent sedendo, ambulando, verba non integrè proferendo per negligentiam, imperitiam, distractionem, defectum linguæ, vel imperfectam prolationem Sociorum, vel quod perfectè non audierint ob distantiam, &c. Dummodo id non fiat ex malitia voluntaria, & non sit pars notabilis officij. Nec obligantur ad replicationem horarum Rodrig. *tomo* 1. *quæst.* 42. *art.* 2. Miranda *tomo* 1. *quæst.* 37. *art.* 10. Hier. Roder. *resolut.* 20. *num.* 2. Portel. *V. horæ canon. num.* 10. Compend. priuil. Minorum *V. d. officium.* §. 8. & 9. Quæ autem sit pars notabilis idem Portel. *ex Suarez, Regin. S. Anton. in fine huius tituli*, ait esse vnum nocturnum, totam integram horam. Lessius *de Iust. l.* 1. *cap.* 37. *dub.* 1 *num.* 63. Bonaccin. *de horis. disp.* 1. *quæst.* 3. *par.* 2. §. 2. *num.* 28. Vel maiorem partem illius: Non audens facere reum peccati mortalis eum, qui dimidium completorium non recitaret. *Contra A. S. Fausto de horis canonic. lib.* 2. *quæst.* 78. Quia non debet accipi pars respectu cuiuslibet horæ, vt facit Nauarrus *cap.* 10. *de orat. n.* 43. & 44 Moneta *de quotid. distr. part.* 2. *quæst.* 3. *num.* 33. Sed respectu totius officij, quod est obiectum huius obligationis. Totum autem iudicio prudentis viri relinquitur. Marchinus autem *Tract.* 2. *par.* 4. *diff.* 3. *in fine*, arbitratur omissionem vnius integræ horæ non esse lætale, quia est parua materia respectu totius officij.

Priuilegia circa officij recitationē.

Quę sit pars notabilis officij.

Possumus etiam ex eodem Leone. Decimo dicere mentaliter, quæ secretò dicenda sunt. Rod. *Supra art.* 4. Mir. *art.* 17. Portel. *num.* 12. Hieron. Roder. *n.* 4. immo cum soli recitamus, possumus totum officium mentaliter dicere, *Cum prolatio verbalis* (vt idem Pontifex dicit) *sit præcipuè vt ab alys intelligatur.* & Nauarrus, citatus à Rodrig. *De orat. cap.* 19. *n.* 88. ait non esse priuilegium, dicere horas sine expressione alicuius verbi, quod ab alio audiri possit, quia sufficit formare verba inter labia, & dentes; Sed est priuilegium magnum, quod sola mente concipiantur.

Possumus recitare mētaliter.

Sed hoc priuilegium non valere post oraculorum reuocationes factas à Gregor XV. *Romanus Pontifex.* & S. D. N. Vrbani 8. *ann.* 1631 20. *Decembris*, quibus reuocantur. *Omnia, & singula priuilegia, facultates, licentiæ, & gratię quæcumquè viuę vocis oraculo concessæ*, Affirmat Lezana *tomo* 1. *cap.* 12. *n.* 13. & omninò reijciendum esse, eo quod concedi existimet Ioann. de Cruce *lib.* 2. *de statu religios. cap.* 8. *dub.* 2. posse mentaliter recitari officium & secreta Missę, inquit Schortia, *Theorem.* 322. quia teste Roderico, Leo X. solum concessit, vt summisè decerent; Alias posset consecrari mentaliter. His addo Cipryanum Cappuccinum *lect.* 1. *in cap.* 3. *regulæ*, qui mentali recitatione non satisfieri tenet, eoquod Ecclesia non possit præcipere actus internos.

P 4 Sed

Sed hic equiuocat de præcepto, & indulto:& quod indirectè possit præcipere actus internos, vt dum ait in *cap. Dolentes.de celebr.miss.deuotè, & attentè*,& alibi,certum est.

Verum contrarium dicendum est: & contra Lezanam affero doctrinam Peirini ab ipso Lezana adductam *tomo 1. cap. 3. n. 21.* is enim *tomo 2. priuileg. Minimorum in const.8.Pauli V.* ait non esse reuocata oracula,quę continet meras declarationes,& explicationes eorum,quæ prius concessa erant,vel in iure communi continentur, aut in constitutionibus pontificijs,quia istæ non sunt gratię, sed gratiarum declarationes. Sed priuilegium recitandi mentaliter est declaratio iuris communis *cap.dolentes.de celebr.miss.* vt probabiliter defendi posse,ait Nauar.*citatus de orat.c.19.n.84.§.sextum est eiusdem Papę.Defendi posse, etiam in hoc sensu non continere priuilegium, eoquod posset teneri,etiam iure communi licere mentaliter tantum dicere, quæ secreto dici iubentur; quia verba videntur requiri principaliter,quo alij audiāt.* Quam explicationem à verbis concessionis accepisse videtur; reddens enim rationem pontifex, ait. *Cum prolatio verbalis sit præcipuè, vt ab alijs intelligatur.* Quid enim necesse est,vt se audiat,qui solus recitat? Ergo talis concessio non est ablata. Adduco etiam ipsummet Lezanam contra seipsum, qui loco citato eundem Peirinum in *constit.3.Gregor.XV.* dicentem adducit, Non esse reuocata oracula per Gregorium XV. quæ suum effectum sunt sortita ante prædictam declarationem;Vt etiam declarauit *S. Congregatio regul. 2.Aprilis* 1625.Nec etiā per Vrbanum, qui nihil de hac re meminit,vnde infert Lezana.*Licet contrarium probabiliter dici possit,cum id non exprimatur in constitutione S.D.N.Vrbani. Si enim sanctitas sua voluisset in hoc coarctare constitutionem Gregorij,debebat illud declarere: sicquè video aliquos sentire.* Esse autem hoc oraculum in praxim mandatum constat ex multis experientijs.

Nec iuuat adducere successiuum tractum pro futuro tempore,quia nos habemus oraculum viuę vocis celebrandi officium quolibet die sabbathi, non impedito,de immaculata Conceptione B.M. Virginis: & tamen post Vrbanam constitutionem,nulla noua concessione facta,publicè,& vbiquè illud celebramus,& imprimuntur breuiaria cum hoc oraculo. Quod signum est, vigere,eoquod iam vsu mandatum,& iam summo, ac Sanctissimo Pontifici notum sit, per supplicationem eidem à religione datam,ad excutiendum hoc scrupulum,cui tamen petitioni responsurum se dixit per quandam Congregationem super oraculorum materiam institutam,vel instituendam, quod tamen hucusquè factū non extitit.

Oracula aliqua non reuocata. Quod si quis vrgeat, eadē ratione subsistere, omnia alia oracula,quæ aliquando suum habuerunt effectum,ac propterea inuitilem esse apostolicā constitutionē.

Respondeo primò, valere in ijs, *quæ suum non sunt sortita effectum*, Vt dicit Gregorius. Secundò cum S.D.N.in sua bulla. *Alias fælic.record.* dicat, *sæpe oracula minus canonica interpretatione extendi & perperam in disciplinæ Ecclesiasticæ detrimentum executioni demandari.* & non subsint istæ causæ in citato oraculo, non videtur esse reuocatum.Tertiò suum sortiri effectum, cum contingat etiam in successiuis, vt est in præscriptionibus, & vsucapionibus, sufficit vt aliquando executioni mandatum sit.

Quoad Scortiam autem,malè refert verba concessionis,& Roderici;nō enim ait,vt summissè dicant(hoc enim quodnam priuilegium est?)Sed *satisfaciant dicēdo mentaliter.* ita refert ipse Roder.citatus, & quod non comprehendat verba

con-

consecrationis, patet ex *Concilio Florentino*, *& Tridentino* decernentibus sacramenta non confici nisi per verba. Quare non est cauillanda concessio, quæ (quo ad missam) intelligi debet de alijs secretis.

Nec tantum pro scrupulosis concessum fuit, vt putat Lezana, ex Rodrig. quia tale non dicit Rodriguez: & Nauarrus *loco citato* reprehendit collectorem priuilegiorum, quod in margine apposuerit *pro scrupulosis*. Cum in textu id non reperiatur.

Verum dicet aliquis, mentaliter posse dicit, quæ secreto dicenda forent, non autem totum officium.

Respondeo, vtrumquè conceditur, de secretò dicendis, cum iuncti recitant, ne se mutuo impediant: de toto officio, cum soli; ait enim pontifex. *Eodem modo possit facere* (id est mentaliter dicendo) *qui solus dicit officium per se, cum prolatio verbalis, etc.* Vox enim officium, indefinitè prolatum, de toto accipi debet: & suadet ratio, quia non est necesse audiri, qui solus loquitur.

* P. Diana *p.* 8. *t.* 7. *r.* 58. & si præfatam Commentatoris opinionem de recitando mentaliter Diuinum Officium, nec approbet, nec reprobet, concludit tamen dicendo. An in praxi admittenda sit, iudicent alij. Crediderim ego, qui aliquando probaui, illos ad minus satisfacere posse mentaliter recitando, qui per quamtunq; verborum prolationem, etiam tenuissimam, propter adustas fauces, & capitis languorem, aliaque animi passione detentiò sine graue labore aliter recitare non possent: vel ex aliquo strepitu, & similibus accidentibus tam in Choro, quam extra, impediti fuerint. * *Recitatio mentalis officij Diuini cõprobatur.*

Occupati in confessionibus, & prædicationibus, ac lectionibus, possunt dicere officia breuiora, & remittere longiora in alios dies non occupatos, dummodo id sine malitia, sed per occupationes fiat, idem *Leo X. apud Rod. art.* 5. *Confessores, lectores, concionatores possunt mutare officia.*

Quinimò possunt dicere loco horarum sex aut septem psalmos, cum totidem Pater noster, & bis Symbolum Apostolorum, assignata à Superioribus, vt concessit *Clemen. VII. Clericis S. Syluestri. apud Rod. art.* 6. *Et dicere pater noster loco ps.*

Et grauiter ægroti possunt dicere septies Salutationem Angelicam, & semel Pater noster, & satisfaciunt officio, &c. Concessum Monachis S Hieronymi in Hispania Rod. *ibid.* vel aliquid iudicio prælati. Ex *Leon. X. et Gregor. IV.* Vel nihil si medicus ita iudicet. Ex Nauarro *apud Rod. art.* 7. *Et ægroti.*

Itinerantes, vel extra Conuentum existentes Fratres Minores, siue cum alijs siue soli recitantes, non ex Breuiario Romano, satisfaciunt officio ex regula imposito. Innocentius IV. apud *Rod. art.* 8. *Et iterãtes.*

Fratres Minores occupati possunt anticipare Matutinum à vesperis, & horas canonicas a mane *Leo X. & Pius V.* & possunt dicere de mane totum officium vsquè ad matutinum. *Idem art.* 18. & Recitantes officium ex libro consequuntur remissionem dimidiæ partis peccatorum, illa die commissorum *Leo X. ibid. art.* 6 *Et illud anticipare. Recitantes ex libro indulgen. lucrantur.*

* Pro recitando Officio Immacul. Concept. post reuocationem viuæ vocis oraculorum, notandum, & si ambiguerint aliqui, alijq; cum Melsio ex ratione ab ipsomet superius adducta, non comprehendi putarint huiusmodi cõcessiones viuę. v. orac. impetratas: ad maiorem tamen Indulti firmitatem iam emanauit Decretum à S. Rit. Congreg. quod approbauit *Vrb.* 8. 9. *Nou.* 1641. cùm limitationibus, & exceptionibus de sabbatis nedum Aduentus, & Quadrag. sed etiam quatuor temporum, & vigiliarum, quę ante expressæ fuerant ab eadem *Conceptionis Officium quomodo nunc recitetur.*

S. Con-

S. Congreg. sub Paulo 5. 10. Nou. 1611. per peculiare Decretum, cuius virtute officium præfatum absque trepidatione recitari liberè potuit. *

STATVTVM III.

Cum Lectoribus, & Prædicatoribus, ijs diebus, quibus prædicare, aut legere contigerit, Superiores dispensare possint, ac etiam cum ægrotis, studiorum causa occupatis, &c.

Qui a choro exempti.

Ita Clemens VIII. supra. Quæ est declaratio Martinianæ in *cap. 3. regulæ, Omnes Fratres, quos causa rationabilis non excusat, ad chorum conueniant.* & Iulianæ *ibid. par. 1. Exceptis ægrotantibus, & multum antiquis, & illi, qui tunc pro causa rationabili, & necessaria à Prælatis eximuntur.* & cum sit robur Ecclesiastici muneris, continuata serie semper in ordine fuit præceptum *Rom.* 1571. & 1575. 1587. *Vallisolet.* 1593. *Parisiensia* 1579. *Salmantic. c. 3. Neapolit. c. 1. ac tandem Tolet.* 1633. *de cultu diuino.*

Fundatur autem in iure communi: Nam *cap. fin. de Magistris.* Conceditur docentibus in Theologia facultate, dum in scholis docuerint, & studentibus in ipsa, posse percipere fructus suarum præbendarum per quinquè annos. Quod confirmatur iisdem verbis à *Concilio Trident. sess. 5. c. 1. de reform. in fine.* & extenditur ad Lectores S. Scripturæ. & quoad infirmos est *totus titulus de Cler. ægrotante, præcipuè c. 1.* De senibus autem, qui à S. Benedicto in *sua discreta regula c. 37.* cum infantibus comparantur, dicit idem S. Patriarca. *Regulæ authoritas eis prospiciat, consideretur in eis imbecillitas, et nullatenus eis districtio regulæ teneatur in alimentis, sed sit in eis pia consideratio, & præueniant horas canonicas.*

Cum senibus, & paruulis, discretè agendum.

Studium, & prædicatio chorum excedit.

Quinimo in oratione naturali, quia munus docendi, & prædicandi, excedit concursum ad chorum, vt ait S. Thom. 2. 2. *q. 91. art. 2. ad 3. Nobilior modus est prouocandi homines ad deuotionem per doctrinam, & prædicationem, quam per cantum, &c.* Citatus à Suar. *tomo 4. de relig. tract. 10. de Soc. Iesu. lib. 1. cap. 8. n. 6.* Vide quia opportebit. Vide etiam *cap. in Sancta Romana. d. 92.* Quia illud diuinum est, à Christo, & Apostolis ad salutem mundi assumptum, & præceptum, *Vocatis me magister, & benè dicitis, &c. Prædicate Euangelium omni creaturæ, docentes seruare omnia, &c.* Hoc autem de iure positiuo est, & cultum exteriorem concernens. Hinc concluserunt Apostoli, *non est æquum nos relinquere verbum Dei, & ministrare mensis.* Actor. *6.* quod ministerium, prout respicit pauperum alimoniam, psalmodiam etiam transcendit. Hac ratione ductus S. P. N. Franciscus disputans, quid melius esset, orare, an prædicare, conclusit, *Videtur Deo magis placitum, quod intermissa quiete, foras egrediar ad laborem.* Vt refertur *in opusculis huius S. Patriarchæ collectis à P. Luca Vuadingo*, & commodiori forma æditis à P. Antonio de Gaeta. *tomo 3. collatione 14.* & in hanc sententiam à Deo docti responderunt B. Siluester, & Sancta Clara, ad Sanctissimi Patris instantiam.

Prędicatio orationem superat.

Facit tamen difficultatem, illud (*diebus quibus legunt, vel prędicant.*) An excipiat

plat solum actuale exercitium, an vero totum tempus lecturæ, & prædicationis.

Respondeo, concernere totum tempus, quo occupatur in officio Lectoris aut concionatoris: Etiam si actu non prædicet, vel legat: De actuali enim exercitio fatuum esset interpretari, cum simul, & semel choro interesse, & prædicare, impossibile sit. Totum enim tempus illud, vel studio pro futuris functionibus pro dignitate obeundis, vel animi laxationi, ad easdem viriliter arripiendas occupatum præsumitur. Verum si per longum tempus exercitio deesset, vt fieri solet tempore æstatis, vel propter aliquod aliud impedimentum, tunc hoc priuilegio non gaudere certum est, quia datum pro causa cessare debet, causa non existente. Silu. *V. priuileg. quæ.* 10. Rod. 1. *tomo quæst. 9. art.* 10. Vnde priuilegijs concessis lectoribus, & studentibus per citata superius iura, non gaudere otiosos, resoluunt Tiraquell. *in tract. cessante causa. part.* 1. *n.* 213. Mascard. *de probat. conc.* 1290. *n.* 9. & *infra* Rodrig. *tomo.* 1. *quæst.* 9. *art.* 10. Addit. ad Quarant. *V. resid. Ver. limita* Sanctarell. *Var. resolut. quæst.* 3. *n.* 16. Barbos. *allegat.* 56. *num.* 26.

Exemptio lectorum à choro extenditur ad dies, quibus non actu legunt.

Datum pro causa cessat, & cessante.

An autem hoc priuilegio gaudeat Guardianus, qui institueretur Lector, vel Concionator?

Respondeo affirmatiuè, quoad prædicationem quadragesimalem, siue in suo siuè in alieno loco prędicet, quia absentia à choro per illud tempus, non videtur notabilis, & ex praxi cognoscimus fieri. Maximè cum tunc temporis alius instituatur, qui loco ipsius assistat. At quoad lecturam omninò nego, quia de præcisa obligatione Superioris localis est, quod choro semper assistat, vt patet ex multis statutis ordinis. Non autem eximi potest, nisi dispensatione Superioris generalis, qui hoc facere non debet, nec in conscientia potest, cum repugnet muneri Guardiani. Vnde S. Congregatio (vt referunt multi apud Barbosam *in cap. relatum. de Cler. non resid. n.* 7.) declarauit, non posse curatum post Concilium Tridentinum, gaudere priuilegijs studentium, quia tali muneri repugnat. Si tamen posset vtrumquè præstare, laudabilius esset. Excipio casum necessitatis, puta si infirmaretur lector, vel moreretur, & alius non esset in promptu, qui supplere posset: Vel si talis esset necessarius in administrando Guardianatu, & Lectoratu, quod iudicio Diffinitorij remittitur. Tunc enim fieri posset.

Guardianus lector, non est à choro exemptus.

STATVTVM IV.

Si Matutinum ob aeris intemperiem, vel aliam necessariam causam, Diffinitorio probatam media nocte recitari non possit, summo mane recitetur, non post Vesperas, vel Completorium.

Media nocte surrexisse ad laudandum Deum Sanctos Patres, patet ex *psalm.* 118. Vbi etiam septies in die laudem Deo dixisse, manifestum est. Quem morem docuit exemplo Christus Dominus *Luc.* 6. dum *erat per noctans in oratione Dei*, & Apostolus Petrus, *qui ascendebat in templum ad horam orationis nonam*. *Act.* 10. *Vesperè mane, & meridie, & psalm.* 55. *mane oratio mea præueniet te.*

Media nocte surgendum.

psalm.

*Psalm.*140. Vnde talem morem fuisse in vsu frequentem apud priscos Hebræos deducit Miranda *tom.*1.*quæst.*37.*art.*1.*con.*2. quem continuasse ad nostra tempora, probatur ex Concilijs *Agatensi can.*8.*Turonensi can.*14.*Laodicensi can.*16. *Carthaginensi cap.* 10. *Aquisgranensi cap.*132. *&* 133. *&* *Patribus Clem.Rom.de Constit. Apostolicis lib.*8.*cap.*30. *Cass. lib.*3.*de instit.Monach.cap.*4. *Isidor.lib.*1.*de offic.cap.*23. *Ambros.Hieron.Basil.Chrisost.* Videndi *Durant. de Ritibus lib.*3. *cap.* 2. qui multa opportunè congerit. *Scortia Theor.*315. *Hieron.Rod. resol.*24. *n.*1. *Suarez tom.*2. *de relig.lib.*4.*cap.*6. *num.*35. *&* *Alij apud ipsos*.

Et de Matutino media nocte persoluendo loquitur S. Dionisius *Epist.ad Temophilum*, agens de S.Carpo. qui *Circa mediam noctem quo tempore consueuerat; ad diuinos hymnos, expergiscitur*. Athan. *de Virginit. circa fin.Media nocte surgito, & laudato Deum. In hac enim hora surrexit Christus à mortuis, propter hoc præcepit nobis in hac hora laudare Deum.* S.Basil. *in regulis fusins disputatis, interrogatione* 38. *De tempore autem dimidiæ noctis, quod id ad orationem necessarium sit, traditum nobis est à Paulo, & Sila in actis, & psalmis, &c. Et in Epistola* 2.*ad Gregorium Theologum. Tunc enim præcipuè otium animæ largitur nocturnum conticinium, cum neque oculi aspectus importunos, nequè aures auditus obturbatores intra ad cor admittunt.* S.Hilarius *in illud media nocte, &c. Non vacat totis noctibus somno, non solum nocte, sed media nocte consurgit. Meminit hoc esse tempus, quo primitiæ Aegyptiorum, clade percussæ sunt. His horis non laxetur in somnum, nec gladio Aegypti admisceatur. Hoc noctis tempore introeunte sponso, sapientes Virgines cum lampadibus introibunt.* Vbi plura addit *Vbi* & Ambr. *Ipse Dominus pernoctauit in oratione, vt te proprio ad præcandum inuitaret exemplo*, in eandem sententiam (breuitati consulens) scribunt idem Ambros. *ser.*19. *in psal.*118. *&* 7. *Luc. cap.*11. Hieron. *Epist.*8. *ad Demedriadem cap.*8. *&* *Epist.* 27. *cap.* 10. Chrysost. *hom.*42. *ad Pop. Antioch. & hom.*26 *in acta Apost.* Antonin.3.*par.tit.*13.*cap.*4. §.4. Albertus de Ferrarijs, & Nicol.Ploue. *de horis canonicis*. Amalarius Fortunatus *in ordin.lib.de antiphon. capit.*4. *de Mirabilibus media nocte operatis, vt de percussione Aegypti exod.*11. *de Virginibus prudentibus, Matth.*25. *de Incarnatione, & Natiuitate Christi sap.*18. *& alijs pluribus agit*. S.Hieronym. *in illud psalm.* 118. *media nocte surgebam*.

Data autem occasione recitandi matutinum extra mediam noctem, vt ex statuto apparet, nonne meliùs esset preuenire post Completorium, quam post ponere ad auroram?

Melius est præuenire, quam præueniri.

Respondeo, verum est de priuatim recitantibus, vt dicitur in *cap. Presbyter. d.*91. *& tradunt* Rod.cit. *art.*8. S Thom. *quod l.*5. *art.*28. Nau. *c.*3. *de horis canonicis* Azor. *lib.*10. *c.*9.*q.*3.4.5.8. *tom.*1. Villalob. *tom.*1. *tract.*24.*diffic.*12.*nu.* 3. Non autem de psallentibus in choro, quibus saltem adimitur illa pars, quietis ante auroram, vt qui non possunt media nocte surgere, surgant saltem post illam, in aliqua noctis parte: attenditur enim in psalmodia chorali non solum laus diuina, sed etiam incommodum illud conueniendi hora tali, ac psallendi tempore, distractionibus, minus occupato; & nullus negat, longiores, & magis incogitatos somnos ducere, qui vesperi, quam qui ante auroram ad matutinum surgunt. Maximè estatis tempore.

STA-

STATVTVM V.

Officium paruum B.M.V. vbi Prouinciæ, aut familiæ præſcripto recitandum eſt, omninò recitetur.

Pius V. in bulla, Breuiario Romano præfixa, ita diſponit. *Hoc antem concedimus* (ideſt ne peccarent, officium paruum B.V. non recitantes) *ſine præiudicio Sanctæ conſuetudinis illarum Eccleſiarum, quibus officium B. Mariæ ſemper Virginis in choro dici conſueuerat; itaut in prędictis Eccleſijs ſeruetur ipſa laudabilis, & ſancta conſuetudo, celebrandi more ſolito prædictum officium.* *Officiũ paruũ B.V. quã do recitãdũ.*

Circa hoc videndum eſt primò, quam obligationem importet hæc conſuetudo, ex ſtatuto ordinis. Secundò ex Bulla.

De primo dicendum, non importare culpam mortalem. Quia vt dictum eſt *ſupra, q.1. de dormitione ſine habitu*, nulla conſuetudo in ordine obligat ad peccatum mortale. Quod patet, quia aliquando ad libitum Prælatorum, recitatio officij B.V. in choro dimittitur præcipuè diebus feſtiuis maioribus. Vt eſt in praxi huius Romanæ Prouinciæ, in qua quotidie recitari ſolet. *Non ſub mortali.*

De ſecundo Rodrig. *tom.1. q.42. cit. art.15. in fine cum* Soto reſoluit obligare ſub præcepto, idq; ipſum affirmare propter deuotionem Beatæ Virginis. Subſcribunt, Cyprianus Cappuccinus in *c.3. regulæ lect.1. cum* Politio. Lezana *tom. 1. c.12. num.21.* Hier. Rod. *reſol.24. num.14. qui citat* Suarez *tom.2. de relig. lib. 4. c.25. num.7. & infra.* Villalob. *1. tom. tract.24. diff.6. num.3.* Ratio eſt, quia remouet peccatum à recitantibus extra chorum, ergo in choro recitari debet ſub peccato: & ſub eodem rigore comprætenditur recitatio eiuſdem officij, vbi fuerit conſuetudo. Ergo cum in ordine Seraphico talis conſuetudo vigeat, obligabuntur ſub mortali.

Attamen aliter dicendũ cenſeo ex conſuetudine in Religione Minorica, quia hęc libera eſt, & ob meram deuotionem, non introducta ad firmandam legem, cuiuſmodi requiritur à Pio V. ad hoc vt obliget; certum eſt enim ex regula iuris *odia eſſe reſtringenda.* Nomine enim conſuetudinis obligantis ad mortale, illa intelligitur de qua *c. conſuetudo, d.1. quæ pro lege ſuſcipitur, cum deficit lex.* nunquam autem intendit religio ſe obligare ad lætalem culpam, dum ex mera deuotione erga Sanctiſſimam Dei genitricem, recitat ſuas laudes: patet apertè ex *ſtatutis Papalibus Iul.2.3. part. tit. de recitatione officij B. Virginis.* Vbi poſt aſſignatos dies, quibus recitari debeat, ſubiungit. *Et tunc, quando ex debito non dicitur in choro, finitis matutinis, nouitij, & iuuenes, cum Magiſtro, & alijs, qui voluerint, in capitulo, ſiue alio loco honeſto, aut in Eccleſia, ſimul officium matutinale B.M.V. more ſolito, apud reformatos, & de antiquiori obſeruantia regulari, dicant: ſecluſa tamen omni obligatione.* Supponit autem dici aliquando ex debito, quod eſt in illis diebus, quibus in Rubrica recitari mandatur, & idem dicendum puto de alijs Religionibus, niſi id habeant ex præcepto, vel conſuetudine vim legis habente.

STA-

STATVTVM VI.

Missa Conuentualis, officio congruat; omittiquè nunquam liceat, aut possit.

Ita Missalis Romani Rubrica, à Pio V. reformata, *& cap. quidam Laicorum, c. cum creatura, de celebr. Missarum*. Quibus quotidie celebrari mandatur in Collegiatis Ecclesijs.

Sed an obliget sub mortali in nostris Ecclesijs, vel an teneamur in vigilijs, & ferijs Quadragesimæ, & Aduentus cum Sanctis concurrentibus, celebrare duas Missas iuxta Rubricam, sub mortali: Vel tandem ita teneamur ex vi Regulę Missali Romano, sicuti Breuiario, dubium est.

Circa primum, Portel. *V. Missa nu.* 7. tenet ob consuetudinem, & præceptum Ecclesię nos, & Moniales viuentes ex eleemosinis teneri ad celebrationem Missæ Conuentualis. Non autem si ex proprijs redditibus viuerent: idq; ex Rod. *tom.* 1. *q.* 43. *art.* 14. qui culpam grauem committere Superiorem ait, non facientem Missam Conuentualem celebrari, quia pertinet ad bonum Ecclesiæ, consolationem Fratrum, & Religionis decus. Cui subscribit eius compilator *resol.* 25. *n.* 12. & Lez. *tom.* 1. *c.* 21. *n.* 29. *qui cit.* Gauan. *in Rub. Miss. tom.* 1. *par.* 1. *tit.* 4.

Missam Cōuētualem aliquando nō celebrare nō est peccatū mortale.

Verum oppositum probabilius puto, nimirum nullum hic cōmitti peccatum mortale, de quo, nec allegati Doctores expresse affirmant. Huius opinionis est Mirand. *tom.* 1. *q.* 41. *art.* 21. *ex Archid. in c.* 2. *de celeb. Missar.* ipse Rod. qui vbi citatus est à Lez. contrarium sentit. Nam citat *Victoriam in summa, nu.* 85. dicentem. *Si interdum hoc prætermittatur, non esse peccatum mortale.* Culpæ autem grauis nomine, puto intelligere venialem grauem, quia alias sibi repugnaret ex opinione *Victoriæ,* quem non confutat. Adde dubium probabile, Ecclesias regulares non esse collegiatas inodiosis; & rubricas esse directiuas, non coactiuas; nosq; obligari ad hæc officia pręstanda, non ratione rubricarum, sed regulæ, & constitutionum, vt ait Gauant. cit. à Diana 3. *p. tract.* 2. *ref.* 8. Nec vrget quod viuamus de eleemosinis, quia istæ non cogunt nos ad celebrandum quotidie secundum Rubricas, sed ad orandum pro benefactoribus. Alias non Sacerdotes benefactoribus non facerent satis.

Ecclesiæ regulares an sint collegiatæ.

Neq; ad celebrandum duas Missas in ferijs vigilijs, &c.

Circa secundum, dico non obligari sub mortali ad celebrandas duas Missas in vigilijs, &c. Etiamsi copia sit Sacerdotum ita Rod. *art.* 12. Gauan. & Diana *locis citatis contra* Peregr. *in com. suarum const. p.* 1 *lit. E.* contra quem Diana ex professo pugnat. Ratio patet ex Superiori conclusione.

Non obligamur ita Missali, sicut Breuiar. Romano.

Circa tertium, eodem modo respondeo, cōtra Hugon. de Dina, & Quatuor Magistros *in c.* 3 *regu. &* Rousser. *ibid. q.* 1. fundatos supra illa verba, *Cler. faciāt diuinum officium, ex quo habere potuerunt breuiaria,* putantes breuiarium nocturnum, & Missale diurnum illo numero plurali contineri. Sed declaratio regulę facilis est, quia cum dixisset *Clerici,* addidit *Breuiaria,* vt cuiquè suum obueniret, vel multa in communi: & Ratio est euidens, quia nomine breuiarij, non venit Missale.

Stando

Stando autem in præcepto Rubricarum, neque peccatum mortale esset, celebrare cum Missali Carmelitarum, vel Prædicatorum, vel Monachorum, si Romanum non suppeteret, & Ciprianus Cappuccinus citatus, scrupulo sum, imò & superstitiosum arbitratur, relinquere celebrationem Missę, ex Romani Missalis defectu: Sicuti peccare Fratrem, qui relinqueret recitare officium diuinum in breuiario Monachali, quando Romanum non haberet, quia tenemur primò ad substantiam officij, deinde ad modum. Vnde cum non possumus implere secundum, debemus adimplere primum.

De chori disciplina, & canendi, ac psallendi Ordine.

Minutias ad cerimoniale ordinis nostri remittimus, ne immensum liber excrescat. *Cerimoniale Ordinis.*

STATVTVM VII.

Omnes in Choro, suo Ordine se recipiant, non cursitent, rideant, circumspectent, &c.

Totum hoc directè pertinet, ne dum ad disciplinam, verum etiam ad canonicam officij recitationem, *in cap.* enim *Dolentes, de celebratione Missarum, & in Clementina* 1. *eod. tit.* præcipitur. *Vt officium diuinum deuotè, & attentè* recitetur; & grauiter repræhenduntur, qui *transcurrendo, syncopando, vana, prophana, & inhonesta colloquia intermiscendo, tardè ad chorum veniendo, ante fin. officij exeundo, diuina officia celebrare præsumunt. Chori silentium fugientes, intendunt exterius collocutionibus Laicorum: dumq; auditum ad indebitos sermones effundunt, aures intentas non porrigunt ad diuina.* Hoc autem quantum impedit attentionem, & deuotionem, culpam mortalem ex omnium sententia, inurit. *Modus recitandi diuinũ officium.*

Deuotio enim ex S. Thoma communiter recepto, 2.2.*q.*82.*art.*1. *Est prompta, & parata voluntas exequendi ea, quæ ad diuinum pertinent cultum.* Quam Turrecremata *in regul. S. Benedicti cap.*20. ait esse *Medullam holocaustorum (psalm.* 65) *holocausta medullata offeram tibi. Sine qua arida sunt holocausta.* *Deuotio quid est.*

Porrò ex S. Bonauentura *Speculi discip. ad Nouit. par.* 1. *cap.* 15. *initio*, Duplex est deuotio, interior, & exterior. *Quemadmodum enim (inquit S. Damasc. lib.* 4. *fid. Orthod. cap.* 13.) *compositi sumus ex natura intellectuali, & sensibili, ita & duplicem deuotionem Deo offerimus, spiritualem, quæ consistit in mente, & sensibilem, quæ versantur in corporis humiliatione.* Exterior est interioris indicium, & effectus. Hinc qui non compositus, non humilis, non diuinam præsentiam redolens, & formidans, in choro versatur, dubio procul, indeuotus existit. *Deuotio quotuplex*

De aliquas Sanctorum authoritates ad deuotionis culturam. S. Benedictus in *regula, cap.* 20. *Si cum hominibus potentibus volumus aliqua suggerere, non præsumimus, nisi cum humilitate, & reuerentia; Quanto magis Domino Deo vniuersorum cum omni humilitate, & puritatis deuotione supplicandum est?* Seraphicus pau- *Deuotionem suadentia.*

perum

perum Pater noster, scribens ad Capitulum generale, *Epist.* 11. *inter eius opuscula tom.* 1. ait. *Et clerici dicant officium cum deuotione coram Deo, vt possint per veritatem mentis placere Deo, & non cum lasciuitate vocis aures populi demulcere. Et non attendentes melodiam vocis, sed consonantiam mentis, vt vox concordet menti, mens verò concordet Deo.* Vt autem ostendere, quo sensu hæc diceret, & optaret, subiungit. *Quicumquè autem Fratrum hæc obseruare noluerint, non teneo eos Catholicos, & Fratres meos. Nolo etiam ipsos videre, nec loqui, donec pœnitentiam egerint.* Vnde in suo testamento, hereticos, & non recitantes officium secundum Ordinem Sanctæ Romanę Ecclesiæ simul connectit. *Et qui non facerent officium secundum Regulam, aut non essent Catholici, &c.* Hoc autem præcipuè attenditur, quoad attentionem, & deuotionem. Quia transponere horas, & mutare officium, vt dictum est, non est Lætalis culpa, sicuti est, si recitetur sine attentione, & deuotione. Hinc de exteriori deuotione dicit S. Augustinus *lib. de cura pro mortuis. cap.* 5. *Nam, & orantes de membris sui corporis faciunt, quod supplicantibus congruit, cum genua figunt, cum extendunt manus, vel etiam prosternuntur solo, & si quid aliud visibiliter faciunt, quamuis eorum inuisibilis voluntas, & cordis intentio Deo nota sit: nec ille indiget his indicijs, vt humanus ei pandatur animus, sed his seipsum magis excitat homo ad orandum. Et nescio quomodo cum hi motus corporis fieri, nisi motu animi præcedente non possint, eisdemquè rursus exterius visibiliter factis, ille interior inuisibilis, qui eos facit, augetur.* Thom. de Chempis. *lib. de disciplina Claustralium cap.* 8. *Chorus* (inquit) *est Dei, & Sanctorum Angelorum locus sacratus, vbi diuinum agitur officium, præsentibus Ecclesiæ Ministris, cum reuerentia, & deuotione psallentibus: sicut Angeli in cælo, sic Religiosi ordinati sunt in choro. Opus Angelorum est Deum laudare, opus religiosorum est, intenta mente psallere, & orare. Sta in choro, & canta, quasi in medio Angelorum stares. Et ser.* 1. *ad Nouicios. Perpendite charissimi, quam bonum, & iucundum est, habitare Fratres in vnum, qui sub vno Prelato benè ordinatis, pariter surgunt ad vigilias, pariter conueniunt ad horas canonicas pariter incipiunt cantare, & legere, pariter nituntur diuinum officium consummare. ò quam gratum, & commendabile Collegium ad laudandum Deum præcipuè dedicatum: vbi sunt tot tubæ resonantes, quot voces in choro alacriter cantantes: sed hæc audientes, quid dicunt dæmones, Religiosos persequentes? Fugiamus Israel, Dominus enim pugnat pro eis contra nos. Exod.* 14. Ante omnes legendus est S. Bonauentura *in speculo Nouitiorum par.* 1. *cap.* 15. ex quo vno refero. *In populo* (inquit) *graui laudatur Deus psalm.* 39. *grauitas autem inquietudinem, dissolutionem, & tumorem excludit. Inquietudo in motu membrorum consistit: siue capitis in circumagendo, siue oculorum in circumspiciendo per chorum. Vel alibi, vbi potius ad librum pro psalmis decantandis, vel ad terram, pro magis arcendis aspectibus, mentis non mediocriter vagationem cantantibus, vrgendi sunt: siue manum infricando, vel voluendo curisè librorum in folia, vel aliud superfluè faciendo: siue pedum in discurrendo; vt si quis Oratorium frequenter exeat, aut per chorum friuolis occasionibus inuentis, discurrat, &c.* Vide, & obserua alia, quæ pudet ad professos, ad prouectos expromere.

Chorus quid sit.

Attẽtio habitualis, actualis, ac virtualis.

Tandem attentio, non quidem habitualis, quæ satisfationi non sufficit, sed actualis, vel saltem virtualis, omninò applicanda est, idquè sub mortalis reatus nota. *Vnde* (inquit S. Laurentius Iustinianus *lib. de disciplina, & perfectione*

Monasti-

Monasticæ conuersationis, cap.17.) priusquam ad templum Domini intrent, antequam Domino assistant, & diuinas erumpant in laudes, toto conamine, & quadam animi virtute, de suis cordibus, atquè memoriæ domicilio abijciant omnem terrenam occupationem, & labentium affectionem, ita vt (si fas sit, & possibile agere) solo spiritu ingrediantur. Reuocare quippe non negligant cunctam animi sui intentionem, & omnem cordis sui dispersionem in vnum, &c. Magnum namquè adiutorium, & efficax incitamentum, ad purè diuinam laudem promendam est, cum cor redit ad se, & diligenter intelligit, quid acturum sit. Nam quicumquè absquè præmeditata intentione cantica profert cælestia, facilè vagatur mente, & elongantur à se, atquè admittit immunda phantasmata. Itaquè qui cupiunt strenuè diuinas persoluere laudes se præsentent coram Dei Tribunali, & ipsum in spiritu præsentem habeant, &c. S.Cyprianus *de orat. dominica. Id solum cogitet, quod precatur; quæ autem segnitia est alienari, & capi ineptis cogitationibus, ac prophanis, cum Dominum deprecaris? Quasi sit aliud quod magis debeas cogitare, quod cum Deo loqueris? Quomodo te à Deo audiri postulas, cum te ipsum non audias? Vis esse Deum memorem tui cum rogas, quando tu ipse memor tui non sis?* & S.Basilius *constit. Monastic. cap.2. Implorandum est diuinum auxilium non lentè, non mente hcu, illucquè temerè aberrante. Qui enim sic facit, is (tantum abest, vt impetraturus sit quod petit) proficiet prius, vt Deus sibi irascatur. Etenim si qui coram Principe aliquo stat, & ipsum alloquitur, magno cum metu stat, & cum corporis extrinsecus, tum mentis etiam intrinsecus intentos oculos tenet, periculi metu: quanto tandem maiore cum metu, trepidationequè censendum est, oportere nos stare in conspectu Dei, tota mente in illum vnum intenta, nequè vsquam alio?* in eandem sententiam scribunt Augustin. *in psalm.*118. in illud, *in toto corde meo clamaui.* Hieronym. *ad Rusticum.* Relatus *cap. nunquam de cons. d.5.* Cassian. *collum. 23. cap.7.* Bernard. *sermon.*13. & 49. *in cantic.* Gregor. *in Moralibus*, Isidor. *de summo bono*, S.Thom. 2.2. *quæstio.*83. *articul.* 13.

STATVTVM VIII.

In Capitulis Prouincialibus instituatur vicarius Chori.

Appellatus Primicerius à *S. Isidoro Iuniore, Episcopo Hispalense, Epistola ad Laudefredum Episcopum Cordubensem. Relata a Seuero Binio tom.4. Conciliorum, pag.765. Ad Primicerium pertinent Acholiti, Exorcista, & Psalmista, ac Lectores. Signum quoquè dandi pro officio Clericorum; pro vitę honestate, & officium meditandi, & peragendi sollicitudo, lectiones; benedictiones, psalmum, laudes, offertorium, & responsoria, quis Clericorum dicere debeat. Ordo quoquè, & modus psallendi in choro pro sollemnitate, & tempore; ordinatio pro luminarijs deportandis.* Vnde in *Concilio Toletano* 4. *cap.2.* præcipitur, secundum antiquiores Canones seruandam esse vnam psallendi, & orandi formulam. Qui sint autem hi antiquiores Canones colligitur ex *Concilio Veneto sub Leone I. cap.15. Bracharensi 1. cap.1. Epannensi sub Gelasio 1. cap.4. Gerundensi sub Hormisda cap.1. Toletano 2. cap.3.* Quæ secutum est *Tridentinum Sess.24. c.12. Treuirense celebratum an.1549. titulo, quo tempore quisquè in choro esse debeat. Et Mediolanensem* *Vicarius chori, & eius officium.*

primum à S. Carolo, immediatè post Tridentinum celebratum, titulo de officio eius, qui choro præsit. Quinimò in veteri testamento Præfectos ad psallendum inuenimus. Nam 1. *Reg*. 6. & 1. *Paralip*. 25. Dauid cantores instituit, ac præfectos psalmodiæ. Asaph. Eman, & Iditun. quibus locis legendus est *Lyranus*. Equidem naturali iure, aliquis præficiendus est, qui huius grauissimi ministerij curam habeat, ne inordinata armonia aures, & inconcinna psalmodia spiritus fideles offendat. Nunc autem in choro Sæcularium instituitur Cantor, qui est dignitas, cuiquè incumbit chori regentia, & disciplina.

STATVTVM IX.

In Ecclesijs nostris instrumenta musica, præter organum adhiberi non liceat. Nec cantum fractum, seu figuratum, &c.

Cantus, & sonus in Ecclesijs licitus, & antiquissimus. Cantum, ac sonum religiosos atquè compositos in Ecclesiastica psalmodia adhibitos fuisse, & rationabiliter licuisse, probant scribentes contra Hæreticos, Hilarium quemdam Tribunitium tempore S. Augustini. Vuiclef. & Centuriatores. idem S. August. *in libro quodam de cantu Ecclesiastico*. Cuius meminit *lib.* 2. *retract. cap. cap.* 11. Thomas Vualdensis. *tomo* 3. *de Sacramentalibus*. Bellarminus *tom.* 4. *de bonis operibus, lib.* 1. *cap.* 16. *Luc.* 19. *Matth.* 26. Patet enim *Exod.* 15. 1. *Paralip.* 5. 2. *Regum.* 7. apud August. *lib.* 17. *cap.* 14. *de Ciuitate Dei*, vbi cantum, & cantores probat ex persona Doctorum, & *Epist.* 119. *ad Ianuarium cap.* 18. vbi cantum Ecclesiasticum defendi posse ex S. Scripturis affirmat. & *lib.* 9. *confess. cap.* 6. & 7. & *lib.* 10. *cap.* 33. Isidorum *lib.* 2. *cap.* 22. Amalarium Fortunatum *de Ecclesiast. offic. cap.* 3. Innocent. III. *lib.* 1. *Misteriorum, cap.* 2. Philonem Iud. *lib.* 1. *de Vita contemplatiua*, vbi recenset sacros cantus primorum Christicolarum. Niceph. *lib.* 2. *cap.* 6. Dionisij, *de Ecclesiastica Hier. cap.* 3. Iustinum Martyrem *responsio ad quæstiones Orthodoxorum* 107. Tertullianum *in Apolog. aduersus gentes cap.* 2. & 39. & *lib.* 2. *ad Vxorem.* Eusebium *lib.* 3. *cap.* 32. Firmianum *lib.* 6. *institut. cap.* 26. Naz. *orat.* 40. *in S. baptisma circa finem.* Basil. *Epist.* 63. *ad Clericos Ecclesiæ Neocesareę*. Teodor. *lib.* 4. *cap.* 29. Cassiador. *lib.* 8. *Histor. tripartitę cap.* 6. Adde *Canones Apostolorum* 43. & 69. Laodicen. *can.* 15. Roman. *Sub Gregor. I.* Carthag. 4. *can.* 10. Toletan. 4. *cap.* 12. Agathensis *c.* 12. Aquisgranensis *cap.* 132. & 133. *apud* Bellarm. *supra*, & *Trident. Sess.* 27. *capit. de obseruandis, & vitandis in celebratione Missæ*.

Organi vsus antiquissim. Conceditur organum, quia graue, & religiosum est, nec adeò vanitati seruit, vt alia instrumenta. Vnde in citato Mediolanensi concilio primo dicitur, *Cantus, & soni graues sint pij, atquè distincti, & Domui Dei, ac diuinis laudibus accomodati, vt simul, & verba intelligantur, & ad pietatem auditores excitentur*. Antiquissimum esse organi vsum in Ecclesia, patet ex *Synodo Senonensi cap.* 17. & *Cocilio Coloniensi*, & multò ante tempora S. Thomæ Aquinatis, contra Nauarr. *lib. de oratione cap.* 16. probant ex Pontificali Damasi Papæ in vita Sancti Vitaliani *Martinus Polonus, Platina, Ioannottus, Baronius*. Solius autem organi vsus colligitur

gitur ex citato *Concil. Trident. Sess. 22. in decreto de obseruandis, &c.* illis verbis. *Ab Ecclesijs verò musicas eas, vbi siue organo, siue cantu lasciuum, aut impurum aliquid admiscetur, arceant*. Vbi de solo organo, tanquam vsitato, & conuenientiori, fit sermo.

Cantus verò fractus prohibitus fuit in *Synodo Laodicena can.* 15. Vbi Balsamon. & multò magis, quando turpia, aut vana cantui admiscentur in *Concilio Moguntino sub Carolo Magno cap. 48. Non enim* (inquit Hieronym. *ad cap. 5. Epist. ad Ephes. 3.*) *in tragediarum modum, guttur, & fauces medicamine liniendæ sunt, vt quasi theatrales moduli audiantur, & cantica,* Relatus *cap. cantantes, d. 92.* & Gregor. *lib. 4. registri. Epistol. 44. in Synodo Romana. Relatus cap. in Sancta Romana, d. ead. Dum blanda vox quæritur congrua vita negligatur, & cantor minister moribus Deum stimulet, cum motibus populum delectat.* Legatur extrauagans, *Ioann. 22. de vita, & honest. Cleric.* quæ directè ad statutum spectat: *& Concilium Cabilonense sub Eugenio I, tom. 2. Concil.* Augustin *lib. 9. confession. de titillamento aurium.* Caie tan. *2. 2. quæst. 11. art. 1. Concil. Basiliense Sess. 21. de his, quę in Missa.* Mirand. *tom. 1. quæst. 37. art. 4. 5. 6.* Rod. *tit. 1. quæst. 40. art. 1.* S. Thom. *2. 2. quæst. 91. art. 1. 2.* Suar. *tom. 2. de relig. lib. 4. cap. 7. num. 9. & c. 8. num. 1. & cap. 13.* Sanchez *lib. 2. decal. cap. 37. num. 7. 8.*

Cantus fractus prohibitus in Ecclesia.

Excessum in musicis instrumentis, in cantu fracto, si notabilis esset, vel scandalum generaret, mortali culpa inuoluerem, quia rem diuinam, contra grauissimas Ecclesiæ prohibitiones effęminaret, & Sæculari contemptui exponeret. Concerneret autem solos Superiores, & operantes. Hieronym. Rod. *resolution. 19. num. 7.* Sanchez *supra.* Nauar. *in Summar. cap. 12. num.* 87. Armilla *V. cantus, num.* 4.

Quæ culpa sit musica instrumēta tenere.

Cuius generis culpam iudico, tenere in cęlla, musica instrumenta, præter Monicordium, de Prouincialis tamen licentia, ad discendum nimirum artem pulsandi organa. Non solum quia vtitur re non concessa contra statutum paupertatis, sed quia nimis repugnat professioni abiectissimorum pauperum, canere, & pulsare musica instrumenta, quando sua, & aliena peccata deplorare tenentur. De scandalo non loquor, quia de se patet esse peccatum.

DE SILENTIO.

STATVTVM X.

Silentium in Choro, Ecclesia, Sacrestia, Dormitorio, & Refectorio perpetuum obseruetur.

Vanam esse Religionem, eius, qui putans se Religiosum esse, suamquè non frenaverit linguam, testatur S. Iacobus *in sua canonica cap. 1. citatus in Concilio Toletano nono in primo capitulo*, rationem addens, *Cultum* (inquit) *suum iustitia perdit, quando silentia obstrepentium turba confundit. Dicente Propheta erit cultus iustitiæ silentiū. tom. 4. conc. pag.* 820. de quo S. Bonauentura *de perfectione vitę ad so-*

Silentiū obseruandum.

*ad sorores. cap.4.Certè frustra, audeo dicere, quod ille religiosus gloriatur de possessione virtutis in corde, qui dissipat disciplinam silētij.*Quia cum silentium *Mater sit virtutum Monachorum, imò sapientissimarum cogitationum, quas progenerat perindiuulsam, ac iugem ad Deum interpellationem.*(vt dixit B.Antiochius *hom.*103.) *Solam sapientię Matrem*,eum vocat S.Nilus *in Ascetico, in quinto tomo Vet. Patrum fol.*364. *impress. Parisijs anno* 1624. Religioni ingenitus iudicabitur, qui silentium non obseruauerit. Verè enim dixit Thomas de Chempis *opus.de silentio cap.*4. *silentium benè seruando, obedientiam seruas, humilitatem retines, verecundiam adornas, senibus reuerentiam exhibes, iuuenibus exemplum præbes, leuibus,& dissolutis timorem incutis, Extraneis bonam famam, intraneis pacem,& concordiam generas.* Vnde Ioann. Climachus *gradu* 11. Omnes virtutes in silentio constituit. & S. Bernardus *Sermo* 2 *de mutatione aquæ. Silentium* (inquit) *custos religionis, in quo est fortitudo nostra*. S. P. Franciscus, vt refert ex S. Bonauentura *cap.*5. Marcus Vlissiponensis *par.*1. *Chronic lib.*1.*cap.*25. dicere solitus erat, *Silentium Sanctum esse Custodem, & conseruationem puritatis cordis*. Quod suo exemplo,& acribus repręhensionibus,pęnisq;farctum tectū obseruari à Fratribus maximè curauit. Secundum quam considerationem appellari potest *Turris Dauid, quæ ædificat est cum propugnaculis, mille clypei pendedent ex ea, omnis armatura fortium.cant.*4.Nam verbum hebræum Talpijoth.respondens,*Cum propugnaculis*, R'Aben Ezra transfert *Doctrinam, & monumenta*. Tigurina,*Ad vsum dirigendi homines*. Marinus Brixianus,*Aceruus orium*,Tandem Quinquarboreus, *Ad suspendendum ora*. & licet turrim hanc varię sapientum expositiones impetierint,nam Titelmanus, *Ecclesiæ robur*. Cassiodorus, *Summum Christi Vicarium*. Alcazar, *Martyrum victorias*. S.Gregorius *Concionatore Euangelicos*. Theodoretus, *Orationem*. S.Ambrosius,*Animæ celsitudinem,atquè constantiam*. Rupertus,*humilitatem,& obedientiam* Ecclesia,*B.Virginem* dum vocatur Turris Dauid,Eam significare contendūt,tamen de religioso silentio exponi,nil prohibet,quia silentium docet,ac dirigit homines regulares,vt eorum ora sint veluti aceruus, conclusa, & veluti inutilia, ac proinde suspensa, non solum in admirationem diuinorum pręsidiorum, verum etiam, ne ex illis verba proferantur, sintquè mille clypei ad religiosæ mentis adiutorim.Vnde Ioann.Maugurbus in *Roseto Alphab.*9.*tit.*2.§.1.*memb.*3.dicit.*Religionis custodem Sacrum silentium*,& infra.*Mens sine clausura silentij,vndiquè impuritati patet, & iaculos inimici,iuxta illud, prouerb.*22.*Sicut. Vrbs.patens,& absquè murorum ambitu,vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum. Et Is.*3. *in silentio, & spe erit fortitudo vestra.* Quod dixerat prius S. Greg. *apud* S. Bonauenturam *in regulis Nouit. C. XXV. Mens quæ non habet murum silentij, de facili penetratur iaculis inimici.* Sed quidquid sit de speculatione, conserua interim benè occlusam, munitamquè silentij turrim,quia ea seruata,non deerunt diuinarum defensionum clypei;remoue à te *silenij clauim*, quam externas interrogationes esse, lepidè dixit Abbati Petro discipulo, Abbas Leo Magister *lib.*5. *in vitis Patrum libello* 11.*de sobrietate. Sedere enim in cælla, seruare silentium mutuò se adiuuant, & vnum sine altero non valere*,dixit quidam Sanctus Monachus,*in prato spirituali capit.*110.*Nam saluare animam Religiosus non poterit si silentio,oris portam non obstruat*,vt dxit Abbas Sisois apud *Pelagium libello* 11.*num.*27. *cum aperto per loquacitatem ore, anima foras sępè prosiliat.*Hinc Thren.3.dicitur.*Sedebit solitarius,et tacebit,et leuabit se*

Silentij effectus.

Silentiū turris Dauid.

super

super se. Vnde Augustin. *apud S.Bonauent. supra*. *Mutum* (inquit) *debet esse os hominis, nisi ad laudem Dei, ad accusationem sui, ad bonum proximi*, cuius rationem idem S.Bonauentura *lib. de perfectione vitæ ad Sorores, cap.6.* reddit dicens. *Pro nimia loquela frequenter sequitur iniuria tam Dei, quàm proximi, sic ex silentio nutritur iustitia, ex qua, velut ex quadam arbore, colligitur fructus pacis. Vnde cum claustralibus pax sit summè necessaria, valdè necessarium est eis silentium, per quod pax eis tam cordis, quam corporis conseruatur. Vnde Isaias cap.37. ait, Erit opus iustitiæ pax, quasi diceret, tantæ virtutis est silentium, quod in homine conseruat Dei iustitiam, & inter homines pacem nutrit, & custodit*. Nisi velis remotioni defectus, vtilitatem perfectionis adnectere. Quod ex eodem Seraphico Doctore subiungo. *Alia vtilitas silentij est, quia demonstrat hominem cœlestem esse, argumentum quasi infallibile est, vt si sit homo in Theutonia, & non loquatur Theutonicè, videtur quod non sit Theutonicus: sic qui est in mundo, & mundana non loquitur euidenter demonstrat, se in mundo non esse, qui enim de terra est, de terra loquitur Ioann.3.*

Cæterùm: statutum in iure communi reperitur. Nam Innoc. 3. *c. cum ad Monasterium, de statu Monach.* ait *In Oratorio verò, Refectorio, & Dormitorio, continuum semper obseruetur silentium. In Claustro quoquè certis horis, & locis, secundum consuetudinem laudabiliter obseruatam*. Quem morem plereq; aliæ religiones obseruant, & dixerat S.Hieronym. *in regula Monach. cap.22.*

Quæstio autem moueri potest, quale peccatum, silentij sit fractura?

Respondeo primò, si notabilis sit, & disciplinam regularem euertat, cum magno Religionis damno, esse mortale. ita Gerson. *tit.3. lib. de vita spirit. lect.6. §. cæterum*, inquiens, *Silentium frangere erit in casu scandali, grande delictum: aut similiter aliqua talium offensarum, aliunde leuium, dum Nouitij, vel tota religio inde turbantur, itaut negligendo minima, ipse religionis vigor paulatim decidat, & in magnis etiam totus abscedat*. Cui subscribit Valentia 1.2. *disput.7. quæst.5. de lege humana, punct.6. §.3. V.3. colligitur*. & optimè declarat, quomodo materia leuis, vt est silentium, præcipi possit sub peccato mortali, nimirum attentis circunstantijs, finis, boni, ad quod ordinatur, malorũ, quæ ex transgressione oriri poterunt, siuè proximè, siuè remotè, & citat Caietan. *in summa V. præceptum*, dicentem. *Impossibile videri in iure humano, ex sola materia discernere præcepta. Cum inueniantur minima præcepta sub mortali peccato, vt patet de cõcidentibus cadauera, vt transferant ad alia loca, quod de se nullum est peccatum*. idem firmat cum *Driedone, Castro, Valentia, Suarez, Sairo, & Caietano, quos citat, & sequitur Sanchez in decal. lib.1. cap.4. n.3.* Quæ autem mala pariat fractura silentij, accipe ex S.Bonauentura *citato, de perfectione vitæ, ad Soror. c.4. Vis* (inquit) *scire, quanta mala ex lingua prodeunt? audi, & dicam. Ex lingua prodeunt blasphemiæ, murmurationes, dissensiones, periurium, mendacium, detractiones, adulatio, maledictio, conuicium, contemptio, bonorum derisio, prauum consilium, rumor, iactantia, secreti reuelatio, indiscreta promissio, multiloquium, scurrilitas. In veritate magna confusio, & maximum dedecus est, non habere oris custodiam, non seruare linguæ disciplinam, cum cuncta mala per linguæ inquietudinem committantur. Hæc ille.*

Silentij fractura, qualis culpa.

Materia leuis potest præcipi, sub peccato mortali.

Respondeo secundò, his circunstantijs remotis, non est peccatum mortale, sed veniale, ita Lezana *tom.2. cap.2. num.32. qui citat* Grassium 2. *par. decis. lib.3. c.22. n.1.* Quia rectà ratio dictat, *tempus loquendi, & tempus tacendi Eccl.3.* & ex religio-

Silentij fracti mala.

religioso statu non solum tenemur abstinere à verbis malis,& otiosis, de quibus reddituri sunt homines rationem in die iudicij, *Matt.* 12. Etiam si non sint religiosi,sed etiam à bonis,& licitis,quia per statutum nobis est vetitum. Vt dixit Gerson. *tract.*3. *in alphabeto amoris. c.*6.

Respondeo tertiò, sine vlla culpa licet aliquando silentium rumpere, Vt in aduentu hospitum,in casu necessitatis nostræ,& proximi: Alias enim esset indiscreta ordinatio. ita hæc *Statuta, & Salmanticensia cap.*3. *Liceat tamen Fratribus,quod necesse est loqui;breuiter,& summissè*. Descripta à *Papalibus Iul.II. c.*3. *de silentio, par.*4. quibus,etiam vbi loqui liceat, prohibetur, *Locutio Clamo rosa, vel prolixa*. Quæ autem illæ sint declarant. *Dicimus autem clamo rosam,quæ potest turbare audientes,vel circunstantes, verbis,vel tumultibus; prolixam, quæ protenditur vltrà spacium Miserere mei Deus*. Quibus verbis duo rumpendi silentij modi innuuntur,clamor nimirum,& strepitus,vel tumultus, siue sonus. Vterquè enim sentitur, perturbat,ac molestia audientes afficit,ideo vterquè prohibetur, vel in necessitate permittitur: Breuiter tamen,& submissè,vt pateat, necessitati, non transgressioni morem gestum fuisse. Ait enim Chrisostom. *hom. in psalm.* 38. *Non est omne silentium pulchrum, sed id solum, quod à mala abducit oratione, quod iusti postulant, dicentes,pone Domine custodiam ori meo, & portam attentionis circa labia mea*. Quibus autem locis, & temporibus sit obseruandum silentium, patet ex textu, nec commentatione indiget, qui plura desiderat, legat Nigronum,*post alios ad regul.*26. *Societatis per totum*, ibi enim multa appositè de regulari silentio congerit.

STATVTVM XI.

Sæculares ad interiores officinas, aut ad interiora claustri, vel in Dormitorium numquam admittantur. Dum autem diuina celebrantur officia, nequè ad Chorum,vel ad Sachristiam,

Cur à sæcularibus abscondamur.

Nec timemus Tertulliani in Valentinianos initio, censuram *Vt opinionem suspendio cogitationis ædificent, atquè ita tantam maiestatem exhibere videantur, quantam præstruunt cupiditatem. Sequitur iam silentij officium, attentè custoditur, quod tardè inuenitur, Cæterum tota in adytis diuinitas*, Quia Sæcularium oculos fugere, in ijs quæ publica non sunt, non ad falsitatis cooperimentum,sed ad religiosi status cautelam spectat, Ex illo communi proloquio, *Nimia familiaritas contemptum parit*. S. Hieron. *ad Heliod.* S. Bernard. *in scala claustr.* §. 7. Cuius oppositum venerationem, maiestatemquè sustentat. Certum est enim mortales aliqua ex parte deficere, nec omnes, omni tempore, ita compositos esse, vt aliquando culpari non possint; itaut qui à sæculo separati, perfecti regulares esse putantur, conuersationis familiaris attritu à priori conceptu non decidant, Do S. Petrum Damianum *Apol. de contemptu sæculi cap.*26. *Apud quosdam (inquit) absentis Monachi authoritas grauis est: si autem*

præsens

præsens adfuerit, nullius iudicatur esse momenti. Sæpè cuiuspiam venerabilis viri literis reuerentiæ honor impenditur, personæ, si adsit, indeuotius exhibetur. Apud sæculares religiosus veluti pictura est. pictura, si procul assistat, inhianter, & cum auiditate prospicitur, si iuxta sit, contemptibilis iudicatur. Et spiritualis quisquè carnalibus, absens quidem timori, præsens autem videtur esse despectui. Quod & Apostolus contigisse testatur. 1.*cor.*10.*cum ait, Epistolæ quidem graues sunt, & fortes, præsentia autem corporis infirma, & sermo contemptibilis.* Quod etiam Christo accidisse affirmat; quem absentem Herodes videre cupiebat, & præsentem contempsit. *Luc.*23. Docet enim experientia, plus nocere, vel leue vitium cognitum, quam iuuet virtutum, meritorumquè cumulus. in quam sententiam scripsit. S. Antiochus *ser.*102. ducta similitudine è Virgine, dicens. *Virgo interim dum custoditur, multis, qui externi sunt, in desiderio est, mox vt prodijt in publicum, iam non æquè omnibus se probat illius decor, sed in illa quiddam depræhenditur, quod detur vitio, & notam eidem inurat.* & S. Maximus Tyrius *ser.*25 *& mentis humanæ impudicitia est, vt quæ exposita sunt, minoris faciat, quæ abstrusa, vehementer admiretur.* Hinc Chrisostom. *hom.* 19. *in acta.* putat ereptum fuisse Philippum, itaut ampliùs non appareret Eunucho Reginæ Candacis *act.* 9. postquam illum in curru docuit, & baptizauit, *Ne vulgaris homo putaretur. & S. Anselmus* putat de Christo dictum ab Apostolo *Heb.*7. *Impollutus, segregatus à peccatoribus. Vt iam conuersatio eius non sit inter mortales, qui quamdiu, sunt in hac vita peccato carere non* possunt. *& Gen.*49. Iacob. benedicens Ioseph filium, vocat eum Nazareum. *fiaut in capite Ioseph, & in vertice Nazareni.* Nazareus autem duo ex fonte significat, scilicet separatum, & consecratum, vt dicit Hieron. seu coronatum, vt dicit *Pagninus*, quia, Deo consecratus per religionem, & coronatus per virtutes esse non poterit, qui segregatus non fuerit, sicut fuit Ioseph à peccatis Fratrum, & Ægyptiorum. *Vir. autem, qui fecit votum, vt santificetur. n.*6. *verè Nazareus* appellari poterit.

Nec deerunt Sacræ Scripturæ exempla, nam Deus ad conseruandam diuinorum Sacramentorum reuerentiam, ea ab intuentium oculis segregauit. Arcã Fęderis, nudam videri, nisi à Sacerdotibus, & inuolutam tangi, nisi à Leuitis, sub pęna mortis vetuit. *Num.*4. Vnde tot Betsamitæ occisi 1. *reg.*6. sub qua pęna vetuit ingressum in Sancta Sanctorum, nisi Summo Sacerdoti semel in anno. *Exod.*30. *ad Heb.*9. & non nisi cum thuribulo iam fumante, & nebulam in altum spargente, vt nequè ipse, quid post velum existeret, curiosè rimari posset. *Leuit.* 16. *vt posit is* (inquit) *super ignem aromatibus nebula eorum, & vapor operiat oraculum, quod est supra testimonium, & non moriatur.* Hinc vela appensa, ne à quoquam videri possent interiora illius. *Exod.*30. Templum nebula repleuit prima dię consecrationis. 3. *reg. cap.*8. & montem tonitruis, fulminibus, & tenebris coopetuit, dum legem ferret: vetuitq. sub pęna mortis, nè populus ad montem accederet, *Exo.*34. Quæ exempla secuta Mater Ecclesia fideles ab altare secreuit, Nam *c. Saterdotum. de consec. d.*2. dicitur. *Nulli Laicorum liceat, in eo loco, vbi Sacerdotes, & reliqui Clerici consistunt (quod presbyterium nuncupatur) quando missa celebratur, consistere. Vt liberè, & honorificè possint sacra officia exerceri.* Quod in *Synodo Eugenij II. & Leonis IV. c.*33. citatur. & in *Con. Bracharensi c.*31. dicitur. *Intra sanctuarium altaris ingredi ad communicandum non liceat Laicis. to.* 4. *concil. pag.*422. *& to.*7. *concil. pag.* 190. *in Conc. Rom. coacto à* *Laici ab altare & adytis separati.*

Io.12.contra Leonem Antipapam, in fine.decernitur, *Vt in circuitu altaris, aut. presbyterio, nullus Laicorum ſtare præſumat, quoties Miſſarum ſollemnia celebrantur:quod ſi fecerit, communione priuetur.Et in conſt.Apoſt.lib.2.can.61*.determinatur modus ſtandi in templo. Quæ prohibitiones non tantùm reſpiciunt reuerentiam, locis ſacris debitam, verum etiam ne aſſidua familiaritate vileſcant,vt de facto vilnerunt; ne dum in religioſis domibus, quæ ex ſæcularium conſuetudine,& familiaritate peſſum ierunt, vt probat Abbas Liuriacenſis *in ſuo Roſeto ſpirituali Alphab.9.§.6*.Ex cuius oppoſito in ſua obſeruantia contineri Carthuſianos,non ſine ratio deducit; verum etiam in ſacris Eccleſijs, quæ ab Ambroſianis,& Theodoſianis temporibus nimiùm degenerarunt.

Carthuſiani in ſua obſeruantia conſeruantur, quia ſegregati viuunt.

Et verè mirabile eſt, quod ſæculares ipſi ſuas domos ita cuſtodiunt, vt nec publicas, nec omnibus amicis communes faciant. Secretas autem comeſtioni, dormitioni,alijsquè priuatis negotijs deſtinatas,nec amicis quidem;religioſi autem, quorum arcana domicilia, vel ipſo Secularium obſcurantur obtutu, audeant paſſim quibuſcumquè obuiis euulgare. Subdo antiquioris Valliſolet. Statuti verba, paucis, quæ dicta ſunt complectentia. *Siquidem*(inquit)*nimis vileſcunt ſacra, vileſcunt Sacerdotes,& miniſtri Dei,ipſa diuini cultus pietas,& gloria,ipſius chori dignitas, ſanctitas,& magnificentia, vileſcunt deniquè ſacroſancta miſteria.*

Concedendum tamen eſt tempori, & corruptelæ nonnihil,deuotioni,& ædificationi plurimùm. itaq.interdùo extrema medius Superioris zelus incedat. Si enim grauib.perſonis,ac deuotis,qui non curioſitate ducti,ſed pro ſua ſpirituali conſolatione interiores officinas videre deſiderant,non eſſet denegandus acceſſus;& in hoc deſideratur prudentis Superioris arbitrium,nec credendum eſt,ſtatutum in his caſibus obligare. Verùm enimuerò, vbi vrgentes cauſæ non adeſſent,grauiter puniendus eſſet Prælatus, pœnis, in ſtatuto contentis, vt potè Eccleſiaſticę, & regularis maieſtatis corruptor.patet ex ſequenti ſtatuto, prioris declaratiuo.

STATVTVM XII.

Sæculares, etiamſi conſanguinei, affines, amici: ad comedendum in communitate,cum Fratribus non admittantur,quauis pietatis,vel conſuetudinis occaſione ſublata.

Prælato tamen aliquo,vel magnę ſpectabilitatis Domino, qui Fratribus honori, & ornamento eſſent,exceptis.

Sub priuatione officiorum Superioribus localibus, & ſuffragiorum ſubditis.

Verè

Verè dixit S. Bonauentura in regula Nouit. c. 12. *Toto tempore vitæ tuæ studeas quantum poteris bono modo, familiaritates sæcularium deuitare, generatio enim peruersa est, & infidelis.* Cuius moralis regulę rationem adducit in *lib. determinationum circa regulam S. Francisci q. 12. Quædam (inquit) solet abscondi à non intelligentibus, qui ea iudicarent male esse ex sua stoliditate, cum tamen coram Deo licita sint. & ita non propter se tantùm, sed magis propter illos occultant religiosi facta sua, ne noceant illis; quia non possunt omnium corda videre, & omnibus satisfacere, quare hoc, vel hoc fiat; cum sæculares rudes sint, & proni sæpiùs de religiosis sinistra suspicari. Cum enim vident eos refectionem accipere, iudicant eos carnales: cum vident eos humiliter iucundos, iudicant dissolutos, &c. Etiam quæ bene faciunt, reprehendunt, propter quod oportet, vt caueant alienæ infirmitati, & occultent, quæ possent ab alij malè iudicari, sic ait Apostolus. Videte ne hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis.* *Sæcularium familiaritates vitandæ.* *Sęculares malè de regularibus iudicant.*

Doctrinam Christi confirmauit exēplum, qui in hac parte voluit futuris religiosis prȩuidere. *Luc.* enim 14. dicitur. *Cum intrasset Iesus in domum cuiusdam principis Pharisæorum sabbatho manducare panem, & ipsi obseruabant eum.* Super quo Lyranus. *Attendentes, si inter epulas aliquid diceret, aut faceret, vnde possent eum accusare.* & Carthusianus. *Quomodo in dicto, aut facto possent reprehendere eum.* & citat Bernardum dicentem. *Christus in factis passus est obseruatores, in dictis contradictores, in tormentis illusores.* Cui pro nostra conclusione, adiungo *Salmeronis* reflexionem, *tra. 42. to. 6. Si Christum Iesum, omnium innocentissimum, malitia pharisæorum obseruabat, quod reprehenderet; quid erit de nobis, qui multis defectibus subiacemus, & mille ventis ad malum impellimur? nam si in viridi ligno hoc faciunt, in arido quid fiet? ideo attentè nobis vigilandum est.* *Eos obseruant.*

Rem perpendit *Con. Cæsaraugustanum* 111. *celebr. sub Sergio Papa I. to. 5. con. pag. 148. an. 691. dum c. 3.* vetuit *Monasteria sæcularium diuersoria fieri. Et in Con. Aquisgranen. sub Greg. IV. an. 836. to. 6. pag. 372. c. 18. Qui Deo seruientibus diuersas insolentias inferunt, dum eorum operationem, qua se diuinæ pietati placituros alacri curiositate exhibent, deprehendunt, & vitam, & mores illorum, quadam mentis pernicie, infaustè detrahendo, deturpare non desinunt.* & concludit. *Quatenus eorum vita, remotis sæculi conturbationibus, in omni opere deifico probabilis inueniatur, & nullius vanissimis detractionibus dehonestetur, aut certè (quod inhonestum est) ne per talium susceptiones dissolutionem incurrant, & à bono proposito vitam suam extorrem efficiant.* & licet agat de sęcularibus in monasterio receptis, tamen multò magis valere debet de ad comedendum in refectorio admissis, quia secretius, periculosius, & admirationi proximius est. Fuit tamen idē statutum in causa Monachorum; coacto *Con. Aquisgranen. an. 817. sub Pasquali I. & Ludouico Imperatore cap. 42. to. 6. con. pag. 299. & 300. Vt nullus plebeius, seu Clericus sæcularis in monasterio ad habitandum recipiatur, nisi voluerit fieri monachus. et c. 52. Vt Laicus causa manducandi, ac bibendi in Refectorium non ducatur.* & ab Angelo, Pachonio ordinatum, apud *Palladiū c. 38. relatum in lib. 8. Vit. Patrum.* Scriptum autem erat in tabula ænea, data ab Angelo. *si venerit hospes alterius Monasterij, quod habet alium formam, cum eis nec comedat, nec bibat, nec ingrediatur in monasterium, nisi fuerit inuentus in via.* Quod probè ab illo obseruatum fuisse testatur S. *Hieron. relatus in Vitis Patr. lib. 1. cap. 33.* vnde reprȩhensus a Dionisio presbytero, ęconomo Ecclesiæ Tentyrorum, quasi *Refectoria Fratrum sęculares non recipiant.*

chari-

charitatem Fratribus debitam non æqualiter exhiberet, respondit. *Congregationem in cœnobio suscepi, plurimos, qui nuper conuersi sunt, & diuersos eorum mores agnosco. Nonnullos autē noui intantum ipsius conuersationis ignaros, vt nec monachorum habitum nouerint: Inter quos sunt paruuli, tanta simplicitate viuētes, vt nec ad dextram valeant, nec ad sinistram. Idcirco credidi esse cōmodius, vt superuenientes fratres seorsim susciperentur, in honore maximo cōstituti, &c. S. Isid. in regul. Monach. c. 9.* initio. *Tēpore quo refectionis debitū soluitur, claustra monasterij obserētur, nec vllus extraneus interesse præsumat, nequietē fraternā præsentia sua impediat*, & post medium. *Laici ministri mensis monachorum nullatenus intererunt. nec enim poterit illis mensæ communis esse locus, quib. diuersus est præpositus.*

In refectorio non circumferatur aspectus. Accedit huic antiquissimo regulariū instituto, modus, quē in mensa seruant comedentes, qui idē est, ac ille, quē tradit Angelus Abb. Pachom. *lib. 1. Vit. Patr. c. 22. Cū autē comederent, capita sua cuculis operirent, ne frater Fratrē videret māducantē, & vt nullus comedens, nec præter mēsā suos alibi circumferret oculos.* Idq; inter cæteros præstitit S. *Bernardus, de quo Guglielmus Abb. in eius vita c. 40. Videns non videbat, audiens non audiebat, nihil sapiebat gustantis, vix aliquid sensu corporis sentiebat.* Vnde nec cællæ fornicem, nec Ecclesiæ fenestras, etsi multo tempore in eis moratus, vidit. Et in Ordine Minorum in eadem verba statutum fuit, vt in his quæ cōmentamur. *c. 8. In refectorio, suo loco, & ordine quiquè sedeāt, comedant, silentium seruēt, lectionē audiant, & cætera præstent pro veteri, ac probata religionis consuetudine. & c. 11. pro monialibus. In mensa, nulla loquatur, rideat nulla, nulla rixetur, vel obstrepet, nequè item vagis aspectibus, & oculis, huc atquè illuc circumspiciat.* Cum ergo, Fratres recumbentes etiam religiosorum oculos aduersentur, multò magis sęcularium fugere debent obtutus.

Meminerint Prælati ordinis auream S. Petri Damiani sententiā, *Apol. de contemp. Sæculi. cap. 33. Indignum* (ait) *censeamus visitationis nostræ frequentiā, qui dè nostra gliscit triumphare ruina. Inimicitias mentis, ipsa quoquè testetur absentia corporis. relinquatur fames Sęculi fastidientibus conuicium Dei. Et in lib. de Omnipot. cap. 1. Amat venator ceruum, sed vt sibi faciat cibum: amant, & homines nos, sed non nobis, sibimet diligunt, in suas nos conuertere delicias concupiscunt.*

Magnates cum fratrib. ad comedendum admitti possunt. Verum enim verò, *Cum nullus homo sibi solummodo viuat* (vt ait *August. ser.* 163. tomo 10. & ex ipso *S. Cæsar. Arelat. hom.* 35. *tomo 2. bibliot. Vet. Patr.*) *quantosquè aliquis exemplo sanctæ vitę ædificauerit, cum tantis mercedem beatæ vitæ, retributionis accipiet.* Rationi congruum est, vt Sanctissimam hanc Regulam aliquando relaxemus, cum Prælatis, nimirum, & magnæ spectabilitatis Dominis, quibus deesse, inurbanitatis, ingratitudinis, & contemptus vitium contraheretur, possetq; in pietatis, & ordinis cædere detrimentum. Sunt enim graues causæ in hoc statuto dispensandi.

Diuites plus honorandi, & quare. Quomodo autem personatum non committatur acceptio, docet S. *Bonauentura lib. determin. in regulam. quæst. 23. Debemus* (inquit) *plus honorare diuitem, quā pauperem, quadruplici ratione. Prima, quia diuites Deus prætulit in hoc mundo, & nos honorando diuites, eius ordinationi concordamus, quos, & ipse Deus honorauit in hac parte. Alia, propter infirmitatem ipsorum diuitum, qui si non honorarentur, indignarentur, & deteriores efficerentur, & grauamen nobis, & alijs pauperibus inferrent. Tertia, quia maior vtilitas prouenit ex correctione vnius diuitis, quam plurium pauperum. Quarta, quia à diuitibus plus accipimus de corporali subsidio, iustum est, vt*

est, vt eis vicem rependamus, & proniore simus in eorum obsequia, &c. Cum enim virtus consistat in medio, & extrema sint, omnes, & nullos admittere; cum debeamus aliquos, restat, vt insigniores admittamus.

Num verò aliquem hominem ordinarium aliquando, sine statuti transgressione possit Prælatus admittere?

Respondeo affirmatiuè, quia posset accidere casus, vt talis vir, sit insigniter deuotus, & pro suis viribus benefactor, cuius minuta in Religionis Gazophilatium iniecta, superarent diuitum gazas: velletquè pro sua spirituali recreatione, non corpus implere, sed spiritum cum Fratribus comedendo refocillare, tunc exepicheia posset admitti. Nec vim faciunt statuta Neapolitana *c.* 23. dicentia. *Nemini Fratrum Sæculares consanguineos, affines, vel amicos ad comedendum in communicate cum Fratribus quouis modo, occasione, vel causa, etiam pietatis, & spiritualis lętitię, aut mutuę charitatis significatione: vel demum antiquę consuetudinis, vel necessitudinis gratia inuitare liceat. Nequè licentia huiusmodi vllatenus cuiquam detur, nisi, &c.* Nam prohibent inuitare, & licentiam inuitandi dare, non autem recipere. Primum negamus. Secundum concedimus.

Regulariter autem (licet meritò destituendus esset Prælatus transgressor) non peccaret mortaliter, bis, teruè statutum frangendo: at, si notabiliter, & sæpiùs prophanaret regulare Refectorium, puto peccare grauiter, ex dictis de silentio, & ex graui pœna imposita. *Ordinarios homines etiam admittere aliquando debemus.*

DE IEIVNIO.

STATVTVM XIII.

In Ieiunio de præcepto, carnes, oua, lacticinia non edantur.

Vrgente infirmitate, Superiori, ac Medico probata, ea in infirmaria comedere licet.

Superior transgrediens, vel permittens, officio; subditi, suffragiorum iure priuentur.

Suppono materiam de ieiunio, vt potè communem, omnibus Religionum fundatoribus familiarem, innumerabilium sanctorum exemplis illustrem, ac in sacro eloquio passim commendatam, inculcatam præceptamquè: Nobis autem *in cap.* 3. *Regulæ* præceptoriè iunctam. *Ieiunent* (inquit) *à festo omnium sanctorum, vsquè ad Natiuitatem Domini, sed alam vsquè ad Resurrectionem Domini ieiunent, alÿs autem temporibus non teneantur, nisi sext a feria ieiunare. Tempore* *Ieiunium Præceptum.*

vero manifestæ necessitatis non teneantur Fratres ieiunio corporali. Quod præceptum obligare sub peccato mortali, præter concordem omnium expositorum sententiam , declarauit *Clem. V. in Clem. exiui de verb. sign. in sexto Articulo secundo §. Item quia præter.* ibi. *Item quod ieiunare à festo omnium Sanctorum vsquè ad Natale Domini, & in sextis ferijs teneantur. Et Articulo quinto §. deinde cum duobus* ibi. *Declaramus debere intelligi, eos non teneri ad ieiunium alijs temporibus, prǽterquam in ieiunijs ab Ecclesia constitutis.* his suppositis.

Quero primo, An comedere oua, & lacticinia in diebus ieiunij de pręcepto, sit peccatum mortale?

Respondeo, *Fagundes in quarto pręcepto Ecclesiæ lib. 1. c. 2. à num.* 10. citans multos, grauesquè Doctores, tenet, non esse præceptum Ecclesiæ abstinere ab ouis, & lacticinijs in ieiunijs extra quadragesimam: & in quadragesima prohiberi sub veniali tantùm: Nisi vbi esset consuetudo introducta cum intentione, & confirmatione Episcopi, expressis, obligandi ad mortale; Quas difficulter ipse reperit in Christiano orbe. Verùm, qui pietati propensiorem opinionem sequuntur, vident peccatum mortale in comedentibus talia in quadragesima. Isti inter alios sunt *P. Aloysius à Cruce in bullam cruciatæ disp. 1. cap. 5. dub. 12. n. 6.* vbi citat *Cordubam, Pedrazam, Armillam, Occandum, Nauar. Alcocer. Medin. Archidiac. Panor. Dianam 3. par. tract. 6. resol. 80. qui citat Sanchez, Sancinum, Toletum, Rodriz. Azor. Henriq. Beiam, Lopez, Bonacinam, Villalob. Portel. Verbo Ieiunium. in addit. n. 7. qui citat Angles. Et num. 8. ex Sanchez citat Paludanum & Panorm. Hieronym. Rod. resolut. 75. n. 13. qui citat, præter suum Rodr. Siluestrum, Tabienam.* hinc.

Ouis, & lacticinijs vesci in quadragesima, & ieiunijs de pręcepto, est p. m.

Respondeo secundò, peccare mortaliter Fratres, qui in quadragesima, & alijs ieiunijs ex præcepto, ouis, & lacticinijs sine causa vescuntur. Ratio vnica mihi est, consuetudo, moribus vtentium approbata, & lege præcepta. Omnes enim citati Doctores peccatum mortale excludunt à ieiunio aliorum dierum, præter quadragesimales, vbi non sit consuetudo. At in nostra Religione, quinimo in Italia (vt taceam de alijs regionibus) est talis consuetudo, non scrupulis, nec timiditate conscientiæ inducta, vt dicit Fagundes, qui bullam cruciatæ, indulgentem esum ouorum, &c. concessam asserit ad serenandas timoratas conscientias, sed ex altiori principio, & obligatione, & putant peccare mortaliter contrafacientes. Incredibile enim est, concedi bullam cruciatæ, ad sedandos timores inanes, quasi nationes tam vastæ, & scientia pręditæ, scrupulum hoc discutere sine bulla non possint. Clarè siquidem. *In sexta Synodo generali can. 56. tom. 5. concil. pag. 339.* habetur, *Visum est, vt omnis Dei Ecclesia, quæ est in vniuerso terrarum orbe, vnum ordinem sequens, ieiunium perficiat, & abstineat, sicut ab omni mactabili, sic ab ouis, & caseo.* Qui canon licet factus fuerit occasione Armenorum, qui in quadragesima ouis, & caseo vescebantur, tamen vniuersaliter disponit de omni ieiunio, secùs in vniuersali Ecclesia non esset vnus ordo ieiunaudi, cum in quadragesima sit vnus, in alijs diebus, alter. Quod declarasse, videtur Gregor. relatus *d. 4. c. deniquè,* Vbi inter cætera sic ait. *Par autem est, vt nos, qui his diebus à carnibus animalium abstinemus, ab omnibus quoquè, quæ sementinam trahunt originem carnis, ieiunemus, à lactè videlicet, caseo, & ouis.* Quæ non tantum æquitatem, vt vult Fagundes, sed paritatem obseruantiæ, & culpæ demonstrat. & licet hic etiam textus ad quadragesimale ieiu-

nium

lium referatur; & secundum *Gratianum*, vel non est vsu receptus, vel non continet decretum, sed exhortationem, tamen cum videamus in his partibus vsum contrarium approbatum, debemus illum ad alia ieiuniorum debita persoluenda recipere. Hinc *Azor. 1. par. lib. 3. cap. 10. q. 2. citatus à Diana tom. 1. tract. 9. resolut. 5.* firmat vouentem ieiunare extra quadragesimam, teneri ad implendum sine ouis, &c. Quia hic est mos Ecclesiæ, & licet satisfacere cum ouis, &c. putet *Portel. V. ieiunium. in addit. num. 7.* si habeat bullam cruciatæ, tamen sine illa negatiuè respondet, etsi ab alia opinionis parte non abhorreat; Quia abstinentia ab ouis, licet non sit de intrinseca essentia ieiunij, pertinet tamen ad substantiam illius, & finem, estquè illi intrinseca circunstantia; macerationem scilicet corporis, in ieiunio prętensam, maximè concernens: Dicitquè hanc esse communiorem sententiam. & quoad Fratres Minores attendenda est mens Legislatoris, qui suam regulam prope Romam condidit, vbi nefas est, oua, &c. ieiunijs adhibere. *Quia sic intellexit author (* inquit *expositio anonima regulę cap. 3. in 4. par. fir. pag. 70.) Et seruari fecit, & sic in illa regione communiter à Secularibus.* Dixi sine causa, quam in sequenti quæstione examino.

Quæro secundò, An semper peccent Fratres minores vescendo ouis, & lacticinijs extra quadragesimam.

Respondeo, possunt illis vesci in omnibus alijs ieiunijs, extra quadragesimam vbi adsit consuetudo illis vescendi, vel Superioris dispensatio. ita nostræ Regulæ expositores præcipuè. *Quatuor Magistri, & Politius, citati à Cypriano lect. 5. in cap. 3. regulæ in fine. Corduba in cap. 3. quæst. 2. pun. 4.* & est expræssum in statutis *Iulij II. cap. 3. par. 5.* in hæc verba. *Declaramus, & concedimus, quod cum aliquibus conuentibus pisces, aut necessaria, vel congrua taliter ieiunantibus, sine difficultate nimia, vel prætio nimio habere non volentibus: & vbi non est consuetum taliter ieiunare; tam apud Fratres, quàm apud Sęculares; Ministri cum consilio, & assensu Fratrum talium conuentuum, in butyro, & alijs lacticinijs, exceptis carnibus, omni tempore, præterquam in quadragesima maiori Ecclesiæ, possint dispensare, si viderint expedire. Concedimus tamen, atque declaramus, quod etiam vbi in cibo quadragesimali sic ieiunant Fratres in conuentu, Prælati etiam inferiores semper possint dispensare in prædictis manducandis, extra communitatem: vel conuentum in particulari cum aliquibus Fratribus, maximè cum infirmis, debilibus, & antiquis, laborantibus, prędicantibus, itinerantibus, hospitibus, & eis assistentibus.* Est etiam priuilegium Eugen. IV. concedentis Capitulo generali facultatem ordinandi, in quibus locis, & prouincijs debeant ieiunare in cibis quadragesimalibus. Apud *Compendium. V. ieiunium. & Cord. quęst. 2. cit. pun. 4.*

Non tamē vbi sit consuetudo, vel licentia, extra quadragesimam.

Circa quorum verborum seriem, Notandum primò, fundari declarationem in iure communi, quo non præcipitur abstineri ab esu ouorum, & lacticiniorū extra quadragesimam, ideo præcisa consuetudine, cessat omnis obligatio. Notandum secundò, cum necessitas non habeat legem, nulla necessaria est dispensatio, vbi manifesta apparet necessitas, cuiusmodi est, quadragesimalium ciborum, vel carentia, vel excessiuum prętium; in ordine enim Minorum plus attendenda est paupertatis, quam qualitatis ciborum obseruatio: illa votum est, hoc preceptum, vel consuetudo, quæ debet necessitati parere. Notandum tertiò, si quę esset dispensatio, maxime esset in vltima clausula, *Etiam vbi cibo quadragesimali, sic ieiunant Fratres in Conuentu*, posse aliquibus indulgeri esus ouorum, &c.

&c. Sed vt hæc sit dispensatio, aliquam causam continere debet, aliàs non esset dispensatio, vt optime ait *P. à Cruce loco citato dub. 12. n. 1. & dub. 11. n. 6. vbi citat Gloss. in cap. requisitis. 1. quæst. 6. & in cap. At si de Iudic. & Innoc. in cap. Dubiũ de elect.* Nec restringenda est ad ibi recensitos, in quibus causa dispensationis apparet, nam dicitur. *Cum aliquibus Fratribus, maximè cum infirmis, &c.* particula enim *maximè*, vt probat *Barbosa de diction. vsu frequentibus. dict. 197.* ampliat, & augmenta. *Et ideo (inquit) statutum disponens aliquid per verba exprimentia genus includit omnes species sub genere comprœhensas, etiam quando enumeratio aliquarum specierum fuit facta, modo fuerit facta cum hac dictione, maximè;* & citat suo more, multos doctores. Ergo prçter iam nominatos adest facultas dispensandi cum alijs: puta si adueniret aliquis amicus, vel consanguineus Fratrum, qui vellet tales cibos comedere: si comedendum esset cum Sæcularibus extra conuentum, qui eisdem vescerentur, & similibus. Notandũ quartò, non posse Prælatum dispensare cum tota communitate, vbi adesset quadragesimalium ciborum copia. Nam dicitur. *Extra communitatem*. Notandum quintò, vbi penuria talium ciborum esset, posse Prælatum dispensare etiam quoad totam communitatẽ, nullo requisito consilio, vel assensu subditorum, etiamsi in statuto dicatur cõtrariũ, quia cũ nõ repugnet iuri communi, sed soli statuto, dispẽsatio non vitiatur, quia non ponitur, vt forma actus; sed ad honestatem, & congruentiam; Quamquam reprœhendi posset, tanquam statuti transgressor. Neque in his dispensationibus requiritur tã rigorosa examinatio causę, quia nõ agitur de iure diuino, vel positiuo, sed de eo quod licitè religiosis concedi potest. Sufficit igitur quælibet causa.

Particula Maximè, quid importet.

Quæro tertiò, quam obligationem inducat *cap. statuimus. d. 5.* in quo Papa Telesphorus præcepit. *Vt septem hebdommadas plenas, ante Sanctum Pascha omnes Clerici à carne ieiunent, quia sicut discreta debet esse vita Clericorum à Laicorum conuersatione, ita & in ieiunio debet esset discretio.* Quod refertur duobus capitulis sequentibus, *cap. Quadragesima. & cap. Deniquè?*

Respondeo, nullam sub peccato mortali, quia loquitur de Clericis, quorum nomine regulares non veniunt; & quia non est in vsu, nec acceptatum, ex *Gratiano.* & licet de facto talis ordinario in religione obseruetur, quia in refectorio feria secunda, & tertia quinquagesimæ communitas à carnibus, & lacticinijs abstinet, fuitquè à principio ordinis obseruatũ, vt patet ex statutis Farinerijs, quæ prius composita fuere in Narbonensi capitulo a S. Bonauentura, & citantur in statutis Papalibus *Iul. II. c. 3. par. 5.* his verbis. *Quadragesimalis autem ieiunij obseruantia, iuxta constitutiones Farinerij à quinquagesima inchoetur.* id tamen fit ex deuotione, non ex mente obligandi se; quippe extra Refectorium, & communitatem, esus carnium illis diebus, aliquibus indulgeri potest: vnde in subsequẽtibus generalibus capitulis, & statutis, nulla facta fuit eius obseruationis mentio. ita firmat *Rodrig. tom. 2. quæst. 100. art. 5. & tom. 3. quæst. 45. art. 1. & 2. & eius compilator resolut. 75. num. 6. Cyprianus lect. 4. in fine cum Politio. Et Alij.* & patet in regula dicente, *aliam vsquè ad Resurrectionem Domini ieiunent.* & Clemen. V. citatus declarat nòs non teneri, nisi ad ieiunia ordinata ab Ecclesia: Ecclesia autem præcipit ieiunium à fer. 4. cinerum. igitur nulla hic est obligatio. Quia tamen, vt dictum est, aliquibus conceditur edere carnes illis duobus diebus, & ex diuersitate, non potest non oriri confusio, fortè meliùs esset, vel antiquam consuetudinem ex integro obseruare, vel in totum abrogatam seponere.

Comedere carnes duobus diebus ante fer. 4. quadrag. non est peccatum.

Quæro

Quæro quartò, An Fratribus Minoribus carnium esus licitus sit?

Respondeo, superfluè quęritur, quod videtur, difficulterquè in disputationem trahitur quod nullo vetante, vniuersaliquè consuetudine approbante, tenetur. Attamen vt vetus Seraphici Ordinis spiritus appareat, hoc examinandum duxi. in capitulo enim Narbonensi, præside S. Bonauentura, statutum est, *Item sollicitè seruetur constitutio generalis, quæ dicit, quod in locis Fratrum, Fratres carnes non comedant vllo tempore, exceptis debilibus, et infirmis. Et illa alia, quæ dicit quod Fratres in Capitulo generali, vel prouincialibus nullo modo carnes comedant.* Quod anno 1310. P. Gondisaluus Minister Generalis Hispanus in capitulo generali Paduano, eo tempore celebrato, strictè obseruari præcepit. *Item quod Ministri strictè obseruari faciant capitulum illud, quod nullus Frater procuret encenia de carnibus sibi mitti, et inhibeant, quod nunqum carnes sanis Fratribus ministrentur.* Quæ statuta, & prisci ordinis morem referens collector harum antiquitatum, *in firmamento trium ordinum. par. 1. pag. mihi 24. et 25.* ait. *Spatio propè centum annorum, tempore Sancti Bonauenturæ, multorumquè aliorum Generalium Ministrorum, ipsum præcedentium, et subsequentium, per totum ordinem seruatur est statutum, Quod Fratres nullo tempore in locis Fratrum comederent carnes, nec in prandio, nec in cœna, exceptis tantum debilibus, et infirmis. Postea in quodam Capitulo Generali Lugduni celebrato, additum est illi constitutioni, de sero, nescilicet de sero carnes comederent, exceptis debilibus et infirmis, et hospitibus, pro vna refectione tantummodo.* & hunc morem à tempore S.P.N. cœpisse affirmat *Hugo de Dina in cap. 3. regulę.* & cum id ordinatum fuerit à S. Bonauentura, qui fuit S.P. contemporaneus & citet priora statuta; certum, est à Sancto Patre datam hanc normam suo exemplo, & in filijs tanto tempore conseruatam. Hinc repente charitatis ardore, ceptum est retinere obseruantiam regulæ & super erogatoria amputare; vnde S. Bernardinus Senensis, dum esset huius familiæ Vicarius generalis, declarans suis subditis regulam *an.* 1440. *vltima Iunij*, ex Assisio scripsit Epistolam grauissimam multa continentem, & præcipuè de esu carnium, Dicens, *Item quinto quod ex regula, esus carnium in loco, vel alicubi Fratribus non prohibetur, sed non licet, nisi moderatus, & discretus. 4. par. firmamenti, pag.* 180. in quo autem consistat ista moderatio, & declarauit *Iul. II. in suis statutis cap. 3. par. 5.* in hæc verba. *Circa esum carnium fratres temperate se habeant, iuxta regulæ, & dictorum expositorum, ac omnium pręcedentium statutorum intentionem. Et de sero in locis suis (iuxta statuta Farinerij, & alia) nullo tempore carnes comedant, exceptis supradictis, extra communitatem, & nisi aliquando ex causa rationabili, & pia rarissimè tamen, & in diebus carnis priorum, & vbi aliter non posset commodè prouideri; aliàs Prælati contrarium permittentes, vel facientes, accusentur, & deponantur. De non comedendis autem carnibus in Refectorio, etiam in certis solemnitatibus, olim obseruari consuetis, cum Martino V. misericorditer dispensamus, vt qualibet Prouincia, vel Conuentus suam consuetudinem retineat. Non constringentes eos, qui antiqua ordinis statuta, & declarationes in ijs seruare voluerint.* Vigebat igitur etiam tempore Iulij II. Sancta consuetudo, comedendi carnes semel in die, & in aliquibus conuentibus, & prouincijs, nec in prandio: & celebrabantur solemnitates cum abstinentia à carnibus.

Esus carniū minoribus licitus quomodo: & de eius antiquitate.

Cæterùm posse Minores de mane, & sero vesci carnibus, contra regulam non

non est dummodo vilitas,& paupertas seruetur in cibis,& lautioribus non vtantur,vt affirmat *S.Bonauentura,q.9.in regulam.* An autem in aliqua Congregatione huius S.Patris ad præsens seruetur rigor ille primæuus, affirmat de P.P.Cappuccinis, Cyprianus, toties citatus, *lect.10.in cap.3.reg.*dicens. *Verum non arbitror hac ordinatione aliquid aliud statui, quam quod constitutionibus nostris statuitur,de non procurandis carnibus pro fratribus benè valentibus,& robustis.* Sed pace tanti viri, egregiè fallitur,quia Patres Cappuccini si non procurant carnes pro sanis fratribus, oblatas tamen accipiunt;& in prandio,& in cœna comedunt. At in statuto Narbonensis dicitur *Fratres carnes in conuentu non comedant vllo tempore.*& nemo non videt,statuti rigorem excludere comestionem,siue procuratę, siue oblatæ carnis.

B.Iuniperi coquina mirabilis.

Sed quod etiam aliquando oblatas carnes,tempore S.P.N.in Conuentu Fratres sani comederint probatur ex facto B.Iuniperi, qui oblatas gallinas, etiam plumatas in caldario coxit. *In conformit.lib.2.fruct.8.pag.55.*dicitur.*Frater Iuniperus acquisitis pullis,carnibus recentibus,& salatis;oleribus,& leguminibus in magna caldaria, nihil lauando,et mundando omnia simul posuit;& cum gauderet de sua coquinia, ac Fratribus ad mensam ministrasset, inuenerunt pullos tum omnibus pennis decoctos.*

P.Vvadingus recenset *anno* 1220.*num.*21. Quod S.P. ex reuelatione resciens, redarguto Helia,*statutum illud de carnibus non vescendis, annullauit.* Vt idem P. affirmat, *& Pisanus lib.1.confor.fruct.8.pag.mihi 55.* eiusdem B. Iuniperi aliud factum recenset de Suis pede truncato, ad infirmi Fratris appetitui subueniendum.*Quem integrum reconciliatus Dominus gregis, Fratribus comedendum prò pitancia direxit.* & B. Franciscus.*De sua reconciliatione grauisus est*: idquè accidit Assisij. Qua in re dicendum puto, aliquando priscos illos Patres carnibus vsos, incidenter tamen, & modicè. Nec legitur B.Iuniperum gallinas quæstuasse, sed sponte oblatas (vt ipse erat stultus propter Christum) acceptasse,vt mirabilior coquinæ modus exsurgeret: prout autem communis ferebat deuotio, à carnibus abstinuisse;crescente verò sodalitio,vt cupiditatis limes opponeretur,statutum,ne in Conuentu vsus carnium admitteretur,Relicta optione,extra Conuentum illis vescendi.& fortasse statutum Heliç respiciebat,quod Fratres,nec intra, nec extra Conuentum carnibus vterentur. Quod videns esse contra illud Euangelij,*Manducate,quæ apponuntur vobis,*Quodquè S.P.in regula ex Euangelio inseruerat, idem Sanctissimus Patriarcha abrogauit, tanquam superbię indiciũ,& puritatis Euangelicę corruptelam. Ait enim *B.Bartholomeus Pisanus lib.1.confirmit.2.par.fruct.9.pag.mihi 92. Frater Helias Secundus Generalis, nouitatem faciens contra regulam,vt fratres non deberent comedere carnes,etc.*;*Et Marcus Vlissiponensis 1.par.Cronic.lib.1.cap.*100. Narrat, venisse Angelũ an ianuam,& quæsijsse à Fr.Helia,*An liceret Euangelico professori ex omnibus,quæ sibi apponerentur comedere? Qua interrogatione facta confusus, hęsit, quia proposuerat,se noui cuiusdam statuti in ordine futurum authorem, Quod scilicet Fratres vesci carne non possent, contra regula tenorem.* Vnde reuocasse S.P.statutum, intelligi potest, quod Heliam à suo proposito remouit.

Fr.Helias, carnibus vesci nolebat. Sed de eo fuit,ab apangelo reprætensus.

Declinante postmodum natura,& in immensum religione crescente,tandem communiter vti carnibus,sed moderatè concessum est:exemplo Dei,qui in prima mundi ætate carnibus vesci prohibuit.Gen.1.*Dedi vobis omnem herbam,&c.*

Vt

Vt sint vobis in escam. in secunda, earum esum indulsit Gen. 9. *Omne quod mouetur, & viuit erit vobis in cibum.* in tertia, immundorum, & sanguinis esum segregauit. in Euangelico statu vniuersa concessit. *Luc. 10. Omne quod in macello venit. Manducate, quæ apponuntur vobis.* Naturæ, & fragilitati compatiens, vt ex omnibus creaturis glorificandi Deum materiam hauriremus. interim *Videntes, & intelligentes zelum, & austeritatem præcedentium patrum nostrorum, humiliemur, & relaxationis occasiones pro posse caueamus,* Vt dicit *citatus firmamenti collector*.

Quæro quintò, quid sentiendum de die Natalis Domini, incidente in feriam sextam?

Respondeo, ieiunare debemus. ita Miranda *in regulam cap. 62. §. prosiguiendo* N. P. S. Corduba *in 3. cap. regulæ quæst. 2. punct. 1.* Qui dicit esse communem expositionem regulę, vt Hugo, & citat *Silu. V. ieiunium. q. 10. & V. votum.* Adducitque rationem, quia ex voto ieiunare tenemur qualibet sexta feria. Rodrig. *tom. 3. q. 45. art. 3. & eius Compilator resolut. 75. n. 14. qui citat Siluestrum, & Sanchez lib. 4. in decal. cap. 11. à n. 59. & lib. 6. cap. 6. n. 2.* Ioann. Rousserius *in cap. 3. de ieiunio in fine, citans Viguerium cap. 7. §. 3. V. 2. Nauar. cap. 21. num. 11. summam Benedictinam lib. 3. cap. 2. n. 13.* Portel. *V. ieiunium. in addit. n. 9.* Licet de vouentibus ieiunare die sabbati loquatur, non de minoribus speciatim. Omnium fundamentum est *cap. explicari. de obser. ieiun.* vbi Honorius III. Tale dubium Percontanti Episcopo Pragensi respondet, *Quod illi, qui nec voto, nec regulari obseruantia sunt adstricti, in sexta feria si festum Natiuitatis dominicæ die ipso venire contigerit, carnibus vesci poterit.* Nos autem vel ex voto, vt aliqui dicunt; vel ex regulari obseruantia. tenemur ieiunare sextis ferijs. Ergo, &c.

Attamen contrariam sententiam probabiliorem iudico, Quam sequitur Cyprianus *in cap. 3. reg. lect. 4.* Leo Zambellus *in resolutorio casuum conscientiæ V. ieiunium. n. 24.* & vniuersaliter loquens Diana *1. par. tract. 9. resol. 22. citans Molinam tom. 1. disp. 272. n. 3. Azorium tom. 1. lib. 2. cap. 70. quæst. 3. Fagund. tract. 4. lib. 1. cap. 6. n. 6. A Sancto Faucto in Thesau. relig. libr. 1. quæst. 154. n. 2. Bonacc. de legib. disp. 4. quæst. 2. punct. 6. n. 9. Rodriguez in sum. tom. 3 cap. 25. num. 8.* Qui mutauit opinionem, quam tenuerat *tom. 3. citato,* Dum affirmat, eum qui vouisset ieiunare omnes sextas ferias, & non cogitasset specialiter de Natiuitate Domini si tali die adueniret, non teneri ieiunare: & dato casu, quod dubitetur si cogitauerit de hac specialitate, neque teneri, quia interpretari debet, de ieiunio secundum morem Ecclesiæ, quæ non obligat in die Natiuitatis Domini, etiamsi sexta feria venerit. *In die Natiuitatis Domini, in 6. fer. incidente, carnibus, minores vesci possunt.*

Ratio autem est, quia regula obligat nos ad omnes sextas ferias, quæ non fuerint inclusæ in alijs ieiunijs ex eadem obligationes; ait enim. *Alijs autem temporibus non teneantur, nisi sexta feria ieiunare.* & de ieiunio aduentus ait, *ieiunent à festo omnium Sanctorum, vsque ad Natiuitatem Domini.* Vbi termini exclusiuè se habent; ergo die Natalis ieiunare non tenemur, quia per regulam excluditur. Neque hic sensus nouus est, nam interrogatus S. P. F. Quid de hac re sentiret, respondit. *Non solum homines puto illo die carnes, manducare posse, verum etiam parietes, si eis vesci possent, abundanter eis ministrandas velim, vel de foris carnibus liniendos.* *S. P. F. dictũ de Vigilia Natiuitatis Domini.*

Vuadingus ann. 1215. n. 32. Qui licet cum opposita sentẽtia teneat, tamen sufficit, vt historiã nobis proferat, secundum quã doctrinã, nostri Patres Conuentua-

R

tuales in nouissimis Vrbanis constitutionibus, quas Sanctissimus D.N.D. Vrbanus VIII. de certa scientia confirmauit, declararunt, posse Fratres carnes comedere in die Natalis, si venerit in feria sexta: cui determinationi plurimum deferendum esse ratio ipsa cogit. Quinimò in Registro ordinis, quod in Archiuio Aracælitano Cismontanæ familiæ asseruatur, incipitquè ab ann. 1518. 6. Leonis X. & 1. Reuerendissimi Francisci Licheti Generalis, pag. 174. à tergo, Reperi hanc memoriam. *Paulus diuina prouidentia Papa IV. concessit viuę voc. oraculo mihi Fratri Ang. Auersano* (hic erat Procurator Generalis, & postea fuit Generalis ordinis) *Facto: Quoties Natiuitas Domini Nostri Ies. Christi venerit feria sexta, vt Fratres pręsentes, & futuri possent, & deberent vesci carnibus, & super hoc diploma Apostolicum iussit confici, & hoc pręcepit mihi ann. sui Pon. 2. 1556 quo anno Natiuitas Domini nostri venit fer. 6.*

Argumentum autem ductum. *Ex citato capitulo, de obser. ieiun.* Non vrget, quia nos non ieiunamus ex voto, siquidem tria tantùm vota essentialia habemus, cætera sunt præcepta. Nec habemus hoc ex regulari obseruantia, quia probauimus ex regula id non imponi. Consuetudo autem (quam violari numquam vidi, vel audiui) magnam vim facit; tamen quia pugnat cum ordine generali Ecclesiæ, nec in citato canone comprænditur, & non est inducta, vt obliget sub mortali, sed vel ob scrupulos, vel ob ignorantiam, tanti ponderis, non euadit.

Quæro sextò, An professi non attingentes 22. an teneantur ad ieiunia Ecclesiæ, præter illa, quæ in regula continentur?

Professi non attingentes an. 22. ieiunij Ecclesiastícis non tenentur.

Respondeo negatiuè, cum Rodrig. *tomo 2. quest. 100. art. 4. & 6.* Portel *V. Ieiunium. num. 3.* S. Bonauentura *in cap. 3. Regulæ.* Cordub. *ibid. quæst. 1. punct. 2. & 3.* Sanchez *lib. 4. decalogi. cap. 1 num. 56.* Cum alijs ab ipso citatis. Ratio est, quia non tenemur ad ieiunia, nisi ex præcepto Ecclesię, & ex regula; at non attingentes 22. annum ex neutro capite obligantur, vt patet: ergo, &c. Quinimo, addit *Portel*, non teneri, nisi completo 22. anno de puncto ad punctum, Quia est materia odiosa.

* Hic nimis concisè Commentator propositam quæstionem terminat de Ieiunio, quæ quidem grauis est, & de qua disputant ne dum Expositores nostri, sed etiam complures Theologi, & Canonistæ Regulares, sententiam affirmatiuã defendentes. Rodr. *to. 3. q. 100. a. 4. & 8.* quem sequitur Portel. *v. Ieiunium n. 1.* Minoritæ, inquit, non attingentes 21. annum, vel antecedentes illum, tenentur ieiunare Quadragesimam, & Aduentum, quia tenentur Professi quicunque ex vi Regulæ, idque sub mortali. Non tamen tenentur ieiunare vigilias, & quatuor tempora. Rationes leguntur apud eundem Rodr. *a. 6.* cui se idem Portel. subscribit. De pactis per extensum, *præcepto 2. c. 3.* disputans quæst. de obligat. Quad. & Adu. ferię 6. quat. temp. aliarumq; vigiliarum, sententiam affirmatiuam approbans cum D. Bonau. Speculat. Rodr. Vgo; & alijs, ac præsertim cum Gondislauo, & Cord. qui eandem sententiam affirmatiuam tanquam magis probabilem amplectitur ex rationibus ibi notatis, *n. 34.* infert cum Ouando, & Rod. quod ad ieiunium Quadrag. tenentur ex vi præcepti Ecclesiæ, & Regulæ. Ad ieiunium Aduen. & feriæ 6. extra Quad. ex vi Regulæ; Ad quat. temp. & vigil. per præceptũ solummodo Ecclesiæ. Et periodis sequentibus cum Cord. Pisę, & Sere. Consc. deducit etiam quod Iuuenes non attingentes 21. annum teneantur ex vi Regulæ ad Quadr. Aduen. & ferias 6. Refellitq; Medinam docentem quod præceptum

Professi omnes tenẽtur ad ieiunia omnia in Regula expressa.

Regulæ

Regulæ circa Ieiunium maiorem obligationem non inducat quam præceptum Ecclesię. Refellit inquam ex eo quod pręceptum Regulæ Diuinum est, virtute voti, & per consequens magis obligans, quam Ecclesiasticum. Post quæ & si excuset à quat. temp. & vig. extra Quadr. Adu. & 6. feriam non attingentes 21. annum; Conformandos tamen existimat cum alijs ex Cord. & Rod. Idem asserit Siguenza *c.3. tex.4. §. 1. & 2.* Quinimò addit ex declarat. Clem. 5. circa pręf. c. & cũ Manua. Culla & Petro de S. Maria deducit quod frangentes Ieiunia præfata, ac etiam quat. temp. & vig. duo præcepta transgrediuntur; Ecclesię inquam, & Regulæ. Videatur Manip. Min. *p. 2. c. 16. n. 29.* qui sub mortali omnes obligari affirmat ad ieiunandũ ratione voti, statim emissa professione; & indistinctè loquitur.

Præceptum Regulę magis obligat quàm Ecclesiasticum.

* P. Monza *in c. 3. Regulæ pag. 26.* etiam per longum approbat præfatam sententiam affirmat. circa enumerata Ieiunia, asserens teneri omnes statim emissa professione. Insuper addit, vt aduertit ex D. Tho. Palud. Duran. & Sylu. quod licet Ecclesia non obligat eos, qui non peruenerint ad decretam ætatem 21. anni, propter naturæ debilitatem, & necessarium augumentum, cum vires naturales non æqualiter suppetant; aliqui tamen robustiores euadant; poterunt vtiq; obligari ante pręscriptum tempus 21. anni iudicio prudentis Curati, Pastoris, Pręlati, & Confessarij, illi præsertim qui austeriores Regulas profitentur, saltem ex decentia, & conformitate, sicuti ante professionem emissam conformantur; alias nihil, vel parum differrent à Iuuenibus Sæcularibus, qui consequi volentes Iubileum, ieiunare tenentur etiam ante præscriptum tempus ab Ecclesia. Et æquum vtiq; non est, quod illi qui ex obligatione Regulæ ieiunant per totum continuatum tempus Adu. & Quadr. & per alias omnes 6. Ferias; quod velint se eximere a quat. temp. & vigilijs, quæ nullum incommodum Iuuenibus afferre solent, ex spiritus feruore assuetis ad præfata, & longissima ieiunia quibus in Nouitiatu vltra Quadr. Benedictę per consuetam, & voluntariam deuotionem; ad Seraphici Patres benedictionem consequendam, cum alijs extraordinarijs ieiunijs, mortificationibus varijs, & repetitis pęnitentijs, libentissime se subijciunt.

Professi præfati tenentur ex decentia ad ieiunia aliorum Professorum.

* P. Leza. Denique hanc eandem sententiam contestatur *to. 1. c. 7. n. 20.* satis perspicue docens cum Tolet. *in sum. lib. 6. c. 4.* quod præceptum Ecclesiæ quamuis non obliget ante 21. an. secundum communem sententiam; Ieiunia tamen Reg. & Constit. obligant Professos Iuuenes etiam ante illam ætatem, quia ipsi se ad hoc voluntariè obligarunt per professionem voti obedientiæ, & Regulæ. Sic Azor. Sanchez, cum Ledesma, apud eundem Leza. qui etiam repellit Medinam oppositum affirmantem, *lib. 1. sum. c. 14.* Propter easdem rationes superius allatas, non excusantur sic vniuersaliter senes sexagenarij Robustæ valitudinis, vt inter cæteros asseruit cit. Siguenza; sed consulendi erunt Prælati Confessarij &c. vti monuit Monza de Iuuenibus.*

Sexagenarij robusti an eximantur à Ieiunijs.

Quæro septimò, quæ necessitas excuset à ieiunio?

Respondeo, ex verbis regulæ, *Tempore verò manifestæ necessitatis non teneantur Fratres ieiunio corporali.* colligitur primò duplex esse ieiunium, corporale, & spirituale: hoc est, *abstinere ab iniquitatibus, & illicitis voluptatibus sæculi, abnegãdo impietatem, & sęcularia desideria sobriè, iustè, & piè viuendo,* Vt cum Sancto Apostolo affirmat *S. August. tractatu 7. in Ioan.* Illud autem, abstinere à quibusdã cibis secũdum formam Ecclesię. Circa primum, non cadit dispensatio, nec indulgentia, sed circa secundum. Colligitur secũdò, necessitatem esse, vel manifestam,

Necessitas à ieiunio excusans.

vel occultam: Manifesta est, *quando indigenti, vel discreto cuilibet intuenti, & maximè Prælato, dubia non existit*, inquit *Hugo de Dina in cap. 3. Regulæ*. Occulta est, quæ alijs non apparet. Vnde oritur difficultas, an existente occulta necessitate, puta quia soli patienti nota est, vt esset stomachi relaxatio, laterum dolor, calculorum infirmitas, &c. Teneatur Superior credere subdito dicenti, se non posse corporaliter ieiunare: Videtur enim quod non; quia non est manifesta Prælato necessitas, ergo sine causa dispensabit, quod est iurisdictione abuti. Attamen contrarium dicendum est, quia regula non imponit dispensationem à ieiunio, sed liberationem à præcepto. Non dicit, dum fuerit, Prælato manifestum, quod subditus ieiunare non possit, dispenset; sed cuilibet Fratri dicit, quod tempore manifestæ necessitatis, non teneatur ieiunare. Iudicium autem necessitatis est apud ipsum patientem, quando clarè illi constare poterit. Hinc nô sine ratione dixit *Hugo* quandò indigenti, vel discreto, &c. Verumtamen est quod cum subditus edere non possit extra communitatem sine licentia Prælati, neque poterit non ieiunare, quando alij ieiunant, nisi Prælato innotuerit eius necessitas, quam subdito dicenti, regulariter credere tenetur, cum præsumêdum sit bonum, vbi contrarium non appareat; nec difficiles se reddere debent Superiores ad credêdum, & quietandum conscientias subditorum, remittendo se eorum consciêtijs, sed cognita necessitate, ex relatione patientis, licentiam indulgere debent, vt ait *Rodr. tom. 1. quæst. 26. art. 5. cum suo Compilatore, qui alios citat. Resolut. 52. n. 38.* Dixi regulariter, quia si ex alijs capitibus cognosceret subditum simulare necessitatem, consentire non deberet. His dictis.

Subdito credendum est.

Respondeo ad quæstionem, necessitates à ieiunio excusantes sunt, grauis infirmitas, labor ineuitabilis, ætas sexagenaria; debilitas complexionis, defectus cibi sufficientis, studium, prædicatio, lectura, disputatio, in quorum munijs obeundis, si ieiunaret aliquis, sufficere non posset, nec ob scandalum, vel bonum maius, vel pietatis, vel religionis, dimitti non possent; Tunc enim posset à ieiunio absolui.

Qua in re notare etiam libet, *non teneri ieiunio corporali*, non solum intelligi quoad duplicem comestionem, sed etiam quoad qualitates ciborum, indulgendo nimirum carnes, & lacticinia secundum regulas à doctoribus traditas circa dispensatos à ieiunando: quia si conceditur ob infirmitatem, debilitatem, & valetudinem, quibus quadragesimalia obsunt, potest concedi caro, &c. At verò in laborantibus, itinerantibus, &c. Sufficit indulgeri largior cibus, vt laboribus pares esse possint.

Ac tandem circa dispensationes has non esse necessariam licentiam Medici, sed sufficere solius Prælati, vt patet per concessiones Leonis X. Eugen. IV. Pij V. Clemen. VII. relatas à *Rodr. to. 2. quæst. 100. art. 2. & infra.*

STATVTVM XIV.

Vt Fratres ieiunare possint, Superiores Locales necessaria prouideant.

Sparsim

Sparsim imponitur Superioribus Localibus à Clem. VIII. in *reform. regul.* prouisionis faciendę mandatum: *Vt n.3.8. 10.12. 14.* & licet de hac re supra dictum sit, hæc addo. 12. *q.1.c.Episcopus.* præcipitur in Con. Antiocheno, vt prouideatur ægentibus de communibus bonis. & ibid. *c.Videntes.* præcipit S. Vrbanus Papa. *Vt nullus sit in eis communem vitam gerens, indigens, sed omnia necessaria ab Episcopo, suisquè Ministris percipiat.* S. Benedictus in *regul.c.34. Diuidatur singulis, prout cuiq. opus est. In Con. Aquisgranen. sub Greg. IV. & Laud. Imperatore c.2. pag.366. tom.6.* conc. dicitur. *Abbates Monachorum oportet peruigili studio gregis sibi commissi curam gerere, videlicet, vt sine quib. esse non possũt tẽporalia subsidia administrent, tantoquè id studiosius debent agere, quantò sciunt exterius nihil contingere licere.* & in altero *Con. Aquisgranensi sub Pasquali I. eodem tom. 6. pag. 301. c.76.77.78.* præcipitur dari Fratrib. cibus, & potus sufficiens. quod inculcatur in *tit. de statu monachor. c. cum ad monasterium. & sequẽti. c. in singulis regnis.* Communis vita, & sufficiens prouisio commendatur, tam infirmis, & debilibus, quã sanis. ait enim Innoc. III. in gener. con. *Et qui conuenerint, vitam ducant communẽ, et faciant proportionaliter simul omnes expẽsas, ita quod si non omnes poterũt in eisdem, saltem plures simul in diuersis domibus commorentur. Et S. Teridius nepos S. Cæsaris Arelatensis in regula Monachorum composita a S. Cæsario c.17. tom.5. bibliot. vet. patr. pag.949.* inquit: *Victum, & vestimenta Abbas ministret, quia Sanctum est, vt nihil proprium habeant, ita iustum est, vt omnes, quę necessaria fuerint à Sancto Abbate accipiant.*

Superiores subditis necessaria ministrare debent.

Vita communis commendatur.

Ex quibus naturalis ratio deducitur, quia cum votum paupertatis Religiosi emittant, prohibeaturquè illis, ne sibi alimenta procurent; & cogantur ad ieiunium, quod compleri non potest sine sufficienti cibi subministratione, manifestè concluditur teneri Superiorem Localem, cui Fratrum cibandorum cura cõmittitur, prouidere illis de sufficienti alimẽto. Quæ obligatio sub peccato mortali illum adstringit: quia rem maximè necessariam, grauissimamq. concernit. Hinc *S. Apostolus 1. ad Tim.5.* infert, *si enim suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.* Super quo *Chrisost. ho.14. Curæ nomine prouidentiam animæ, corporisquè significat, & hæc enim cura est. qui verò suorum, &c. hoc est ad se pertinentium, infideli deterior. Cur id? quia ille, etsi alienos despicit, propinquos tamen nequaquam aspernatur. Diuinas planè leges violat, & iura naturæ, qui negligit suos.* In quem sensum exponunt *Hieronymus, Primasius, Theophil. Anselmus. Vt quantum potest nõ procuret illis necessaria fidem negauit, operibus, quia proximum non diligit, & infideliter erga eum agit.* Et consideret Prælatus, se esse Patrem, & subditos esse filios, maiori ratione ipsi coniunctos, quam sanguine, testimonio nostri Sancti Protoparentis *c.6. regul. quia si mater nutrit, & diligit filium suum carnalem, quantò diligentius debet quis diligere, & nutrire Fratrem suum spiritualem?* Vnde non solum peccat contra charitatem, sed etiam contra iustitiam, quia de iure tenetur, quantum potest, necessaria suis subditis prouidere, alias si ieiunium frangerent ob cibi defectum, sibi imputaretur.

STATVTVM XV.

Pro collatione in sero, in diebus ieiuniorum, nihil ex coquina ministretur.

Collatio in diebus ieiuniorum. Non est contra ieiunij Ecclesiastici essentiam, nec collationem serotinam sumere, nec aliquid coctum in illa accipere. Licet enim vnica tantum comestio indulgeatur, de consuetudine tamen aliquid de sero legitimè capitur siue per modum medicinæ, vt *Caietanus, & Ledesma* affirmant, quia sine aliquantulo cibi, potus noceret: siue ratione paruitatis materiæ, quę in omni morali consideratione pro nihilo reputatur, Vbi aliqui apud *Azor. tomo 1. lib. 7. c. 8. quæst. 5.* siue per modum cibi, & nutrimenti, vt idem affirmat. Siue sit panis, vel poma, vel nuclei, vel herbæ ad quantitatem paruam quatuor circiter vnciarum. Licet *Fagundes* citet Suarium *par. 4. lib. 1. c. 4. n. 13.* dicentem, & ab ipso auditum, posse sumi ad 8. vncias. *& Azorius*, id remittat consuetudini, compleoxini, & prudentis viri iudicio. Siue sit res cocta, vt pisciculus paruus ex *Azorio supra q. 3.* quod deinde in *q. 8.* correxit, putās legumina, & pisces nimium nutrice, & sumi in fraudem ieiunij. Quod placuit contra *Azor. Fagund. n. 18.* dicenti, *Etsi aliqui non nihil piscis adhibere soleant, id quidem per corruptelam faciunt, non per consuetudinem legitimam, communis enim consuetudo in Hispania, & Lusitania*(adde etiam in Italia) *est, vt tantū fructus modici, & modicus panis in collatione adhibeatur, non pisciculi parui, nec tantillum magni piscis: Non enim quantitas materiæ, sed materia prohibetur.* Cui sententiæ ego subscribo. Nam hoc cibi genus ad nutrimentum, & ad gulam excitandam inseruit, quod est contra finem ieiunij.

Quid in illa sumi possit. Et quātum. Hinc optimo iure in religione, quę longè à Sæcularium corruptela distare debet, & arctiùs obseruare ieiunia, non solùm vetatur pisciculus, sed etiam quidquid ex coquina venit. & in praxi rigorosa obseruatur, vt quarta pars panis romani, octo, vel ad summum decem vnciarum pendentis cuilibet Fratri apponatur, appositis etiam (id tamen non semper) duabus, vel tribus nucibus, vel castaneis, vel sex, aut. 8. oliuis, & similibus.

Quam ieiunandi formulam antiquiores religiosi obseruarunt, & seruant. Cistercenses panem ad collationem dari vetant. Carthusienses *par. 2. cap. 10. n. 21.* *Conceditur diebus ieiunij sero frustulum panis sumere, ne potus noceat.* Canonici Regulares Lateranenses *c. 7. suarum const. in ieiunio fer. sextæ solum panem dari* præcipiunt. S. *Isidorus in regula Monach. cap. nono, fine. In obseruantia quadragesimali, sicut fieri solet post exemptum ieiunium, pane solo, & aqua contenti omnes erunt.* S. Benedict. 3. par. librę panis cœnaturis apponi iubet. *cap. 39.* Quid ieiunantibus? In Breuiario Romano non apponitur benedictio, vel gratiarum actio pro ientaculo serotino ieiuniorum, quia vt optimè notauit, *Gauant. in comm. ad Rubr. sect. 9. c. 4. num. 13.* non est sensus Ecclesiæ, vt hæc collatio fiat. Quod in antiquo ordinis formulario, inserto in statutis papal. *Iul. 2. ab ann. 1508. 3. par. pag. mihi 59.* & ipse obseruaui, in quo benedictiones ad prandium, & cœnā secun-

ſecundum varia tempora apponuntur, non tamen ea, quæ ad collationem adhibetur. Patres prædicatores in benedictione collationis dicunt *diſt. c. 6. Largitor omnium bonorum benedicat potum ſeruorum ſuorum*: præmonſtratenſes, quorum regulam compoſuit S. Norbertus, & confirmauit Honorius 2. 13. Kalen. Martij ann. 1126. *diſt. 1. c. 12.* dicunt. *Potum ſeruorum filius Dei benedicat.* Ex quibus elicitur collationem potius in potu, quam in cibo conſiſtere. In noſtra autem Sacra Religione dicitur *Donum charitatis, benedicat dextera Dei Patris.*

STATVTVM XVI.

Omnes ſiue Superiores, ſiue Subditi, quantum per occupationes licuerit, ad comedendum, ſimul in communitate conueniant.

Id ſtatuit Clemens VIII. *de refor. n. 10. Omnes etiam Superiores, quicumquè illi ſint, eodem pane, eodem vino, eodemquè obſonio, ſiue eadem (vt aiunt) pitantia, in communi menſa, prima, vel 2. (niſi infirmitatis cauſa impediti fuerint) veſcantur. Neque ſingulare aliquid, quo priuatim quiſquè in cibum vtatur, vllo modo afferri poſſit: ſi quis in ea re peccauerit, nihil ea die alimenti percipiat, niſi panem, & aquā.* Quò reuocari poteſt ſtatutum *cap. 6. infra.* in quo communitas in veſtibus, dormitorio, refectorio præcipitur cum inhabilitate eorum, qui in his vitam communem ſeruare non poſſint. *Omnes in cōmuni Refectorio comedant.*

Originem trahit ſtatutum à communi principio Euangelicæ vitæ. *act. 2. Omnes qui credebant erant pariter, & habebant omnia communia.* Quam *S. Baſilius de vita ſolit. c. 19.* vocat Angelicam, Quia *Angelus quiſquè quę ſunt omnium habet, & omnes integra pœnès ſe repoſita poſſident.* Hinc *Sanctus Auguſtinus* ſuam regulàm poſt charitatem, à communitate orditur. *Primum, propter quod eſtis in vnum congregati, vt vnanimes habitetis in domo Domini, & ſit vobis anima vna, & cor vnum in Deo, & non dicatis aliquid proprium, ſed ſint vobis omnia communia, & diſtribuatur vnicuiquè, &c. Sanctus autem Benedictus cap. 43.* Sancit. *ad horam vero refectionis, qui ante verſum non occurrerit, vt ſimul omnes dicant verſum, & orent, & ſub vno ſimul omnes accedant ad menſam: qui per negligentiam ſuam, aut vitium non occurrerint, vſquè ad ſecundam vicem pro hoc corripiatur: ſi denuò non emendauerit, non admittatur ad menſę communis participationem, ſed ſequeſtratus à conſortio omnium, reficiat ſolus, ſublata ei portione vini vſquè ad ſatisfactionem.* Quo loco ſubtiliter obſeruat *Magiſter Antonius Perez num. 5.* Sanctiſſimum Patriarcham promptiores velle ſuos monachos ad refectionis, quam orationis horam. Nam punit tardè venientes ad menſam poſt verſum benedictionis, & ad horas concedit poſſe conuenire ad verſum, & gloriam primi pſalmi, &c. Redditq. congruam rationē, quia qui ad menſam accedunt poſt benedictionem, in tota menſa non habent quid orent: at cum per officium totum oretur, parum refert, ſi in principio non orauerit aliquis. Quem morem in Ægypto, ab Angelo doctus ſeruauit S. Pachomius *lib. 1. de vitis Patrum. c. 32.* & in eius regula à *S. Hieron. traducta ex grę̨co. n. 24. & vt refert Palladius in hiſtoria Lauſiac. c. 38. Omnib. autē cibus* *Ad benedictionem mē ſę conueniāt.*

*in vna domo paretur.& S.Isidorus c.9.regul.*ait *Resurrectionis*(puto legendum *Refectionis*)*tempore, dato signo pariter omnes accurrant. Qui autem ad mensam tardias venerit, aut penitentiam agat, aut ad suum opus, vel cubile recurrat. Refectorium vnum erit.* & in *Conc. Oxoniensi sub Stephano Archipræsule congregato. tomo 7.conc.pag.*833.decretum fuit.*Omnem singularitatem interdicimus in Refectorio, vt cibus aliter vni, quàm alteri præparetur.* Et de Superioribus ait idem *S.Isidorus supra. Abbas citra languoris necessitatem, cibos in conspectu, pariter cum Fratribus sumat, nec aliud quam cæteri; nec cultiùs, quam quæ in communi consistunt, præparari sibi quidpiam expetat. Sicquè fit, vt dum præsens est, omnia diligentiùs administrentur.*

Comedere in Refector. quid iuuet.

Et morale documentum in communi Refectorio discitur, quod inculcat *Thomas de Kempis in libello exercitiorum spiritualium c.6.* dicens. *Semper ad commune refectorium vadas, quia ibi maior animæ fructus, & purior inde conscientia, cum gratiarum actione prandio facto resurges. ibi cum debita mensura, & maiori disciplina necessitas sumitur naturæ, & superflua resecantur. ibi susurria nullatenus audiuntur, sed verbum Dei cum silentio pertractatur.*

Occupationum autem discretionem ratio ipsa suadet, nec enim debet Superior officij sui necessaria contemnere, vt communi refectorio adsit. remota enim malitia, non est in hac parte culpandus. sicuti nec subditi, si cum Superioris benedictione occupati reperiant.

STATVTVM XVII.

Communi victu in prima, vel secunda mensa vescantur, Extra casum infirmitatis.

Nihil particulare in mensa.

Hùc omnes ordinum institutores, omnesquè regularium moderatores collimant. Quia hac communitate deficiente, ordinis splẽdor nimium deturpatur. *S.Isidorus citatus* inquit. *Æquali erunt mensura omniũ fercula, similibusq. alimentis cuncti reficiendi sũt Fratres. S. Bonauen. in regula Nouit. c.5. Specialia tibi nũquam procures, nec oblata recipias, si euitare poteris bono modo. S. Benedict. in regul. c.* 34. allegata in Superiori capitulo de proprietate, ait *sicut scriptum est, diuidebatur singulis prout cuiquè opus erat. vbi non dicimus, vt personarum (quod absit) sit acceptio, sed secundum infirmitatem consideratio, etc. Concil. Oxoniense supra citatum. & Conc. Galteri Archiep. Senonensis sub Io. X. c.3. an.923. tom.7. conc. pag.* 1194. *Communiter omnes in refectorio comedant, nisi ex causa iusta, & necessaria, de licentia speciali. B. Doroth. doct.* 16. *Refectionis* (inquit) *hora nos vocat, consideret seipsum, si potest continere appetitum, nequè maiorem, aut delicatiorem partem optare, cum omnia per partes (vt scitis) cuique diuidantur. Sunt nonnulli, qui non erubescunt manum extendere, & minorem portionem ante Fratrem ponere maiorem ad se trahere, &c.* Elicitur ex *c. cum ad monasterium. de statu monach.* cum de comedendo in refectorio, & de cõmunibus prouisionibus faciendis, & prouidendo infirmis, & debilibus, agatur. *Canonici Lateranenses regulares c.* 10.1.*par. suarum ordinationum* habent. *Frater qui tardè venerit ad communem refectionem, ita quod ibi non*

a l'sit

ad sit cum benedictio incipitur mensæ, tandiù maneat genuflexus, quousq. eidem à patre signum fiat, quod si pluries fecerit ex negligentia, grauiori disciplinæ, subijciatur, Prædicatores.*dist* 1.*c*.5. *Nulla fiat seruitoribus, vel ministris pitantia, quæ non sit conuentus, nisi sint infirmi, vel minuti. Frater non mittat Fratri pitantiam, excepto Priore. Priores comedant in refectorio, et cibarijs conuentus sint contenti.* Quod declarans *Lugdunense capitulum an.*1308.ait, *Declaramus, quod nullus Frater debet in calla, vel in camera tenere mensam sed omnes Fratres tam Priores, quàm alij, debent venire ad communem mensam in refectorio, nisi Prior, &c.* Mitto recentiores religiosos, qui ab alijs acceperunt.

Cæterum antiquissimum fuisse, communis refectionis zelum in Religione Minorica. Probant *Statuta Iulij II.c.*3.*par.*6. Præcipientia. *Ordinamus, quod ministri, Custodes, Guardiani, & eorum Vicarij sint cum Fratribus in Conuentu, in Ecclesia, & in mensa, & in cibis, vestibus, & lectis, & quandiù fortes, & sani fuerint, eisdem Fratribus se conforment, & sit eis cum Fratribus, etiam Laicis æqualis portio in vino, in pitantia, & cæteris, & nullus fiat Prælatus, nisi possit viuere vita communi & omninò caueant Guardiani, & alij à partialibus, & comessationibus extra, vel vltra communitatem; aliàs per suos Superiores deponantur, vel debitè castigentur, cum multæ relaxationis causa in ordine sint talia.* Statuta *Salmanticensia c.* 3. *Ordinamus, quod ministri Guardiani, & eorum Vicarii sint cum Fratribus in communitate, in Ecclesia, in mensa, & in cibis, etc.* idem postremò innouarunt statuta *Tolet.an.*1633. & vt ad principium redeamus. Hunc fuisse morem tempore S.P.F. patet ex *statut. Narbō.* in quibus dicitur, *Caueant Fratres à sumptuosis cibariis, & vno ferculo sint contenti.* vtiq. in refectorio. *et Gondisaluus Hispanus generalis* 16.*an.*1310. ordinauit. *Ministri principales faciant strictè seruare capitulum illud, quod nullus Frater procuret encenia de carnibus sibi mitti. par.*1. *firm. pag.*25. quod non solùm prohibebatur, quoad carnes, sed etiam quoad particularitates.

Prælati vitam communem sequantur.

STATVTVM XVIII.

Extra communitatem, sine rationabili causa, Superiori probata nemini comedere liceat.

Statuit ipsum *Iul.II.par.*6. *Caueant Guardiani diligenter, ne sine pia, & rationabili causa dent Fratribus extra communitatem, vel commune refectorium, siue cum hospitibus licentiam comedendi.* & infra. *Fratres non comedant, nec bibant in villis, castris, ciuitatib. vel terris, siue oppidis, in quibus morantur Fratres, nisi cum Dominis terrarum, et prælatis, et viris religiosis, in domibus eorum. Quod de scitu, vel beneplacito Guardiani loci pro causa rationabili hoc faciat, nec interpretatiuè quis censeatur Dominus, aut prælatus,* quanta cautela adhibebatur circa extraordinarias comessationes, aut potationes. Quod ab antiquis regularium moderatorib. ordinatum reperimus. In *Con. enim Oxoniensi sub Archip. Cantuariensi. Steph. an.* 1222. sic fuit determinatum. *Decernimus, vt nec monachi, nec canonici regul. nisi in stat. loc. et horis potationi, aut comessationi vacare præsumant: si quis verò sitiuerit, impetrata licentia, refectorium regulariter intret, vt sic necessitati conueniat, nō consulat vo-*

Extra communitatem nullus comedat.

*voluptati. to.7.con.pag.833.*ex S.P. August.schola, *Canonici regulares Lateranen. part.1.coust.c.7.in fin.*sanxerunt. *quisquis etiam deprehensus fuerit comedisse, vel bibisse sine licentia, comedat in terra sine ferculo, idest pitantia pro qualibet vice.* Præmonstraten. *dist.1.c.12.n.40.* ad obseruantiam illorum verborum regulæ S.Patris, *Extra horam prādij, nemo aliquid alimentorum sumat, nisi cum agrotat:* adiungunt *Iētaculum, merenda, & extrahoraria comestio, atq. bibitio, quā strictissimè interdicitur. & n.42. nullus canonicorum, vel laicorū intra Abbatiā vel extra refectoriū sine debita licētia cibum, vel potum sumere præsumat, &c.* prædicatores in eundem spiritum. *dist.1.c.6. Quicunq. bibere voluerit extra horam, licētiam petat à Prælato, & vnū sociū accipiat.* nec vacat misterio, adhibere sociū ad bibendum extrahorariè, vt scilicet ex circunstantijs abstineat sitiens à potu. Hinc in eorum *Capitulo generali an.1273.* declaratum fuit, *Quod causa honestatis, & religionis, nullus Frater debet bibere sine licētia, & præsētia, & socij.* S.Patriarcha Benedict. c.51. *regulæ* sic præscribit. *Fratres qui pro quolibet responso proficiscūtur, & eandem die sperant reuerti ad Monasterium, non præsumant foris manducare, etiamsi à quouis rogentur, nisi fortè eis ab Abbate suo præcipiatur. Quod si aliter fecerint, excommunicentur. Quod in regula Monachorum cap.6.* replicauit S.Isidorus. *Nullum, esus furtiua contaminatio polluat, aut impudens, vel priuatus extra communem mensam appetitus. Excommunicationis enim sententia subiacebit, qui vel occultè, vel extra ordinariam mensam aliquid degustauerit. Et Cassianus lib.2.cap.16.* inter monachorum delicta numerat extraordinariā, aut furtiuam refectionē, vt *Glossator S.Isidori aduertit.* Et notauerat *S. Gregor. lib.2. dial. cap.12.* repræhendisse S. Benedictum in duobus, qui sine licētia foris comederant. *S.Pachom. in regula 40.* vetat comedi vuas, vel poma etiam decidua, *Et omninò de omnib. quæ in agro sunt sine licentia. S.Basil. ser. de* abdicat rerum. *Caue ne clandestinæ esitationis peccatum incurras.* Cuius instituti rigorem mitigat Perez citatus, atquè per varias coniecturas rationabilem demōstrat. Ipse autem diuinum obseruantiæ regularis zelum in tam rigido præcepto conspicio, vt seruatis his minutijs, monastica cōuersatio conseruetur.

Appono commentarium Sancti Bonauenturæ *par.2. speculi ad Nouitios c.2. Extra communem* (inquit) *refectionem ad comedendum, & bibendum vix eos inflectat ipsa necessitas, sepè quod necessitatis esse videtur, est vitij. Vltra duas vices in die, puerorum, seu pecudum more comedere, potum extraordinariè frequentare, religionis temperantiam, & decorem euidenter offendit. Quæ rogo religio, quæ paupertas, si mox, vt esuris, mox vt sitis, volito pares, satias appetitum nec eum vsquè ad statutam horam scias compescere? si quando tamet extra horam, exactus necessitate quis bibit, sedendo, & socio præsente id faciat. Nō decet, vt stando, aut sine teste bibas. Hæc ille tom.7 impress. Romæ pag.591. in medio.*

Quidni extra communem refectionem Fratres Minores ieiunent, quos abstinentissimus Pater, & instituto genuit, & exemplo formauit? Inquit enim *Pisanus*

Abstinentia S.P.F.

ex Sancto Bonauentura lib. 2. conform. fruct.7. part.2. Sanctus Franciscus sanitatis tēpore cocta cibaria vix comedebat, & rarò; admissa verò, aut commixtione cineris interdùm faciebat amara, aut aquei superfusione liquoris, vt plurimum reddebat insipida, & de quæstuatione eleemosinarum, Sanctum Patrem dicere, solitū refert. *Non fui latro eleemosinarū, semper minus accepi, quam me contingeret.* Et infra *De potu vini quid dicā? cū & de aqua, quando sitis æstuaret ardore, vix audebat ad sufficientiam bibere? Et Moriens se culpabilem corpori suo dixit esse, eo quod ipsum malè,*

male, plusquam deceret, tractauerat. Vt quid igitur extra mensam manducaret; vel biberet, qui nec in mensa (vt de S. Ioan. Baptista dictum fuit) non manducauit, neque bibit. Et qua ratione induci Fratres poterant ad furtiuas commessationes, si in generali Capitulo Narbonensi sub Sancto Bonauentura statutum fuit. *Caueant Fratres à sumptuosis cibarijs, & vno ferculo sint contenti?* Qui abstinentiæ rigor vsquè ad Iulij Secundi tempora, durauit in ordine; nam in suis statutis *par. 6. cap. 3.* ait. *Licet per antiqua ordinis statuta, contra superfluitatem ciborũ statuatur, quod Fratres tàm in generali Capitulo, quàm in Prouinciali, quàm etiã in Conuentu, & hospitalaria vno tantum ferculo sint contenti: concedimus tamen, quod si aliqua necessitate, vel rationabili causa exigente, interdum oporteret aliter facere relinquatur prouidentiæ Guardianorum*. Vbi non relaxatur statutum, nisi cum causa, & necessitate. Altissimæ tandem paupertatis professio extraordinarias comestiones excludere docet; nam S. P. Franciscus in oratione, quam composuit pro obtinenda paupertate, sitim Christi in cruce, paupertati refundit dicens. *Et dum sitis moreris ardore, ipsa fidelis sponsa* (paupertas) *sollicitè adfuit, vt nec modicum aquæ posses habere. Sed & per satellites impios amaritudini tantæ confecit poculum, quod gustare potiùs potuisti, quam bibere:* Ita refertur inter huius Sãcti Patris opuscula. Claudoque hoc commentarium eiusdem Sancti Patris monito, inter eadem opuscula relato. *collat. 10. Necessitas* (inquit) *quam non ratio postulat, sed voluptas ostentat, extincti spiritus signum est manifestum. Spiritu tepido, & paulatim a gratia frigescente, necesse est carnem, & sanguinem, quæ sua sunt quærere. Si adest Fratri meo vera necessitas, & statim satisfacere properat, quid mercedis accipiet? accidit enim occasio meriti, sed displicuisse sibi studiosè probauit: ipsas nam- què indigentias patienter non ferre, nihil aliud est, quàm Ægyptum repetere*. Et aliquando interrogatus, cur tanta rigiditate sensuales appetitus comprimebat, vt vix necessaria naturæ sumeret? Respondit, *Difficile est necessitati corporis satisfacere, & pronitati sensuum non parere. ita S. Bonauentura c. 5. legendæ, &c.*

Abstinentia priscorũ patrum.

Cui necessitati obuiandum Fratri Minori.

De euagatione tollenda.

STATVTVM XIX.

Nullus (exceptis qui Ministri, vel Commissarij Generales fuerunt) absquè Socio, & licentia per singulas vices impetranda, è Conuentu egrediatur, &c.

Sunt verba ipsissima Clem. VIII. *de refor. regul. num. 19.* De Socio dictum est, vbi de egressu Nouitior. est actum. De exitu autem interdicto sine licentia, est canon *S. Synodi Augustanæ celebratæ ann. 852. sub Ioann. 12. & Ottone Imperatore tom. 7. con. pag. 185.* dicens. *Diuersa Sæcularis vitæ negotia fugientes, & Monasticæ institutionis formam aggredientes, extra claustrum sine licentia proprij Abbatis ire non licet sicut in Concilio Calcedonensi præcipitur*. Refertur autem Calcedonẽsi

Sine licentia & socio non exeundum.

donensis Concilij. *Cap.*13.16.*quæ.*1.*c.quoniam.Et ibid.c. iuxta.* Per Alexandrum II. *Et in Concil. Agathensi sub Symmacho I.tom.*3.*concil. pag.*715. Vniuersaliter prohibetur, *Monachum nisi Abbatis sui, aut permissu, aut volunt.ate, ad aliud Monasterium commigrare,& refertur* 20.*q.*4.*cap.nisi per.* replicatum postea in *Septima Synodo can.*21.*& in Concilio Aquisgranensi sub Pasquali I.tom.*6.*con.pag.*301. *cap.*80.*in fine totius Concilij*, dicitur, *Similiter,& qui præsumpserit claustra Monasterij egredi, vel quocumquè ire, vel quippiam,quamuis paruum,sine iussione Abbatis facere, vindictę regulari subiaceat*,& in alio *Concilio Aquisgran. relato à Trullo lib.*2.*c.*1. pręcipitur eligi ostiarius, qui ostia claudat, *Vt nulli per eam, nisi per licentiam aditus pateat intrandi aut exeundi,& c.*placuit 16.9.1.prohibetur egressus Monachis. *Quia sicut piscis sine aqua caret vita,ita sine Monasterio Monachus. Sedeat igitur solitarius, & taceat, quia mundo mortuus est, deouiuit.* Cui allusit Bernard.*serm.de S.And.* vocando Monasteria stagna. *Vbi quodammodo incarcerati pisces, euagandi non habent facultatem.* & S Basilius vocat Monasterium Paradisum, in quo clausus manere debet, illumquè custodire religiosus, & vt breuius agam, adest *Concilium Trid.Sess.*25.*de regul.cap.*4. decernens *Non liceat regularibus à suis Conuentibus recedere, etiam prętextu ad Superiores accedendi, nisi ab eisdem missi, aut vocati fuerint.* Fundatur autem statutum in regulari obseruantia, & obedientiæ voto. Nullam enim esset disciplina regularis, si cuiquè liceret egredi ad libitum; & cum sit subditus, debet obedire Prælato, & eum Superiorem agnoscere, alias excusso obedientiæ iugo, filius Belial appellandus esset. 1.*Reg.*2.

Generales emeriti cur priuilegiati.

Cur autem,qui Superiores Generales extiterunt,à tali restrictione absoluantur? Ratio est in promptu, quia in disciplina regulari emeriti, præsumuntur, nec sine rationabili causa,nec sine magno religionis commodo egressuri: Conceditur què in obtentę dignitatis prærogatiuam. Sic belli ducibus, sic Episcopis, qui officijs cesserunt, sua reseruantur insignia.

Sed quomodo talis exceptio Clementino decreto non obstet,dicenti,*Nullus è Conuentu egredi audeat, nisi cum licentia accepta à Superiore, qui Socium exituro adiungat, non petentis rogatu, & c.* Negatiua enim vniuersalis, & indistincta distinguenda non est.

Respondeo, in hac parte Generales emeriti à statuto Ordinis Superiores instituuntur. Qua ratione in aliquibus Conuentibus, vt Aracælitano, Matritano, Hispalensi, & alijs multi officiales, vt Procuratores Ordinis, Commissarij terræ Sanctæ, &c. Sine hac licentiæ petitione exeunt, intuitu nimirum officiorum, quę possident. Sic etiam, qui fuere Generales, quoad hoc Superioribus localibus non subijciuntur, Sicuti, & alij, quibus Socius gratus conceditur.

Contra, subinfert Clem.VIII. *Licentię verò Generales exeundi nulli omninò concedantur.* Nec contra hanc Apostolicam constitutionem potuit totus ordo statuere.

Respondeo, ista restrictio se tenet ex parte Superioris localis, non ordinis: quia cum loquatur de licentia petenda à Superiore Conuentus, prohibetur illi, ne cuiquam generalem licentiam concedat. Non tamen impedit ordinem,quin possit aliquem a localis Superioris authoritate eximere; Est igitur priuilegium reale, non personale, datum intuitu officij, non personæ.

Si dicas, statutum repugnare exemplo, & Verbis Sancti P.N.F. qui in suo testamen-

ſtamento ſcriptum reliquit. *Semper volo obedire Generali Miniſtro, & illi Guardiano, quem ſibi placuerit mihi dare; & taliter, volo eſſe captus in manibus ſuis, vt non poſſim ire, vel facere contra voluntatem ſuam, quia Dominus meus eſt.*

Reſpondeo primò, Opera Sanctorum non trahuntur in exemplum. Secundò. Hic fuit humilitatis exceſſus, quia quando hæc ſcripſit, Generalem ſupra ſe non habebat, cum ſemper fuerit Generalis. Nec reperitur, aliquem Guardianum aliquando illi præcepiſſe, niſi quæ ille voluit, & authoritate extorſit. Tertiò, etiam Generales emeriti hoc ſeruant, quia, & Generali, & Guardiano obediunt, nec contra ipſorum voluntatem aliquid moliuntur. Si enim præciperent Guardiani, ne è Conuentu exirent, vtiq; promptè, & libentiſſimè obedirent, ſicuti omnes alij ſubditi: Licet ex vi ſtatuti obedire non tenerentur, quoad exitum.

Cætera, quæ ad furtiuum egreſſum ſpectant, iam dicta ſunt, vbi de Apoſtatis.

Solum percontabitur aliquis, quam culpam Guardianus committeret abutendo facultate ſibi collata, circa has licentias concedendas?

Reſpondeo, negando licentiam neceſſariam, ordinariè eſſet culpa venialis, poſſet tamen attingere lætalem reatum, ſi ex odio moueretur, vel ex tali negatione oriretur aliquod magnum malum, vt eſſet mors alicuius, quam alter impedire poſſet. Deceſſus alterius ſine confeſſione, quam confeſſarius præſtare poterat, & debebat ex inſtantia infirmi, & alia ſimilia. Laxando autem habenas etiam in mortale peccatum incidere poſſet, ſi inde nimium regularis diſciplina relaxaretur, murmurationes, vel ſcandala ſiue in Conuentu, ſiue extra exorirentur, patet ex pœna graui, & carceris, quæ imponitur, & ex modo loquendi Clem. vi i i. requirentis cauſam, &c. Quod applicari debet Prouincialibus eadem facultate abutentibus. *Guardianus qualem ſe gerere debeat circa concedẽdas exeũdi licentias.*

STATVTVM XX.

Vbi Conuentus exiſtunt, Fratres non incedant niſi bini, idquè indiſpenſabiliter.

Exemplo Chriſti Domini, *Marci 6.* qui *miſit diſcipulos ſuos binos, &c.* & morali præcepto, *Si fuerint duo, mutuò ſe fouebunt, vnus quomodo calefiet? Væ ſoli, &c.* Eccleſ. 4. Vnde hanc aſſociationem ad mutuam conſolationem refert Euthimius. Quia *Concordia Fratrum probata eſt coram Deo, & hominibus. Eccleſiaſtici 25.* & ad auxilium refert Salomon *prouer. 18. Frater, qui adiuuatur à Fratre, quaſi ciuitas firma.* Binos inquit Gloſ. interlin. ideſt *Charitate concordes.* Et vt Salmeron in dicta verba, *tom. 4. part. 2. tract. 13.* commentatur, miſit binos, Vt humiles redderet, quia gloria inter duos diuiſa, minor euadit: Vt cautos faceret, quia nec Hercules contra duos. Vt ipſis præſens adeſſet, quibus dixit, vbi, *duo, vel tres congregati fuerint, ibi ſum in medio eorum. Matth. 18.* Vt duplicis naturæ in Chriſto, duorum præceptorum charitatis, duorum teſtamentorum *Bini Fratres incedant.*

memo-

memores institueret. Vt tanquam par boum iugo obedientiæ colligatos ostenderet. *Et ex Sancto Gregorio lib.5. moral. capit. 5. Cum in itinere comes iungitur, via quidem non detrahitur, sed tamen de Societate comitis, labor itineris leuiatur.* S. P. Franciscus dum binos ablegabat Fratres, commendabat Societatem, exemplo cæci, qui cum ab alio non possit, à cane duci procurat. Adde collecta vbi de Nouitiorum egressu cum Socio. Binos enim opportet esse, qui cum Socijs egrediuntur.

Sed quare specialiter binos esse præcipiatur, vbi Conuentus extiterint? Videtur enim posse mitti solos, vbi Conuentus non fuerint: Vel discriminis ratio est reddenda..

Respondeo primò, quia cum in ijs locis soliti sint Fratres ibidem commorantes, bini semper incedere, mitti solos, admirationem incessit. Secundò, non continet statutum exceptionem, firmantem regulam in contrariam. Sed specialiter de hac re cauet, vt de maiori consideratione digna. Cæterum statutum vniuersale est. *Iul. enim II. in cap.3. part.15. ait. Item nullus Frater vadat foras, pedes, aut eques, sine Socio Fratre, nec sine Socio Fratre alicubi commoretur.* Hic mos in religione seruatur. Qui si dispensari posset, statim principalis ædificandi populi rigor solueretur, & in familiaribus, ac cognitis domibus scandalum generari posset Cum obuium sit plerisquè Superioribus locabus in penuria Fratrum, solitarios eos ablegare, paruipendentes solitarij egressus incommoda.

Sine Socio è cōuentu exire p.m. est. Sit ne peccatum mortale exire è Conuentu sine socio? Respondeo affirmatiuè, quia Apostasiæ pœnæ taliter exeuntibus imponuntur. Sublata Superioribus Localibus facultate aliter dispensandi. Verùm in necessitatis articulo, tam Superiorem, quam subditum à mortali excusarem: Maximè vbi singulos in certis casibus emittendi inoluisset abusio. Vt taceam de magnis ciuitatibus, in quibus singuli, ac solitarij Fratres ad quæstuationes destinantur, vt Romæ, Neapoli, Genuæ, &c. Fieri compertum habeo. Cessante verò necessitate, & abusu, nec in excommunicationem Apostatarum ipso facto, egressum sine Socio, incidisse sentio, nisi priùs declararetur, vt declarari posset; Quia hæc est supra leuissimam Apostasiam similitudinariam, cum supponamus, priùs à Superiore exeundi licentiam obtinuisse.

STATVTVM XXI.

Peregrini Fratres subsint Prælato illius loci, vbi hospites, vel negotiaturi aduenerint, nec sine illius licentia è Conuentu exire, vel antequam ad Conuentum peruenerint, per ciuitatem, aut locum negociari præsumant, sub apostasiæ pœna ipso facto, &c.

Prima

Prima pars statuti in obedientię voto, ac in regularis spiritus vnitate fundatur. Cum enim vna sit religio, & subditus voto obedientiæ constringatur, congruum est, vt Conuentus Prælatum agnoscat, ne subditus in aliena domo à communi directione dehiscens conclusionem pariat, & de ordinationem. Habet autem in iure communi congruentiam non modicam, nam sacri canones sanxerunt, ordinarios punire posse quoscumquè Clericos, & Regulares extra conuentum delinquentes. ita *Concilium Tridentinum Sess. 6. cap. 3. de reformat.* Cuius ratio est, quia Clerici, & Regulares vbicumquè reperiuntur, tales sunt, & consequenter Superiores habere debent, qui eosdem in certis casibus corrigant. *Nulla enim ratione Clerici, aut Sacerdotes habendi sunt, qui sub nullius Episcopi disciplina gubernatur* (inquit) *Concilium Regiaticinum capitul. 18. tomo 6. con. pag. 444.* & licet iurisdictiones distinctæ sint, satiùs tamen iudicauit Ecclesia hospites alieno Prælato supponere, quam disciplinæ Ecclesiasticæ lapsum permittere. Quod maiori ratione de regularibus affirmandum est, qui per professionem vbiquè sunt subditi; nisi speciali titulo eximantur.

Hospites Superiori loco subduntur.

Secunda pars, etiam habet in iure communi fundamentum. Nam supposita distinctione conuentuum, & Ecclesiarum; designatisquè vniuscuiusquè limitibus, sicuti in aliena Ecclesia suas functiones, & munia, inconsulto proprio Prælato alius exercere non potest; ita nequè in ciuitate aut loco vnius conuentus (cuius districtus ad talem Superiorem pro quæstuatione, proquè peragendis negotijs spectat) potest alterius Conuentus siue Superior, siue alumnus, sine participatione proprij Superioris vagari. In hunc sensum innumeras habemus Ecclesiasticas sanctiones. in *con. 1. Niceno, c. 17. in primo Arelat. c. 13. in Antiocheno, c. 13. in Sardicensi c. 18. & 19. in 3. Carth. c. 20. 21. in Aurelian. 3. c. 15. & 7. 9. 1. c. placuit, in Trident. Sess. 6. de reformat. capit. 5. & Sess. 14. cap. 3.*
Esset enim magna confusio, si cuiquè liceret quidquid vellet vbiq; agere, petere negotiari, &c.

Mitto sanctiones aliarum religionum antecedentium, & subsequentium, quæ ad vnum, pacem, & honestatem suorum religiosorum eodem statuto communiunt. Cum eas collegerit. *Nigronus in regul. comm. suæ Societatis regula 48. per totum.*

Cæterum mortaliter peccare hospites, qui Superiori Locali, vbi reperiuntur non obedirent, vel sine ipsius licentia exirent è Conuentu, certum est, quia talis Superior est eorum legitimus Prælatus, cui ex voto obedientiæ obedire tenentur dum hospites esse voluerint, & proinde in apostasiæ notam rigorosè incurrere est dicendum.

De negotiatione autem non idem sensio, quia si incidenter occurrerit, & per viam, cum leuis materia sit, non existimo grauem culpam. Nisi ex circunstantijs, & ex grauitate materiæ aliud esset conijciendum, quod prudentis viri iudicio relinquitur. Idquè non tantum quoad forum interius, sed etiam quoad iustitiam punitiuam, quia cognita leui culpa, non posset apostata declarari.

STA-

STATVTVM XXII.

Qui Romam sine Generalis, vel Protectoris, aut Prouincialis ex causa communi totius Prouinciæ licentia, venire præsumpserit: quique eosdem receperit, vel admiserit, voce actiua, & passiua per biennium priuatus existat. Reseruata Sedi Apostolicæ tantum relaxatione.

Romam veniendi licentiã qui cõcedere possint.

Ita Clement. VIII. *de reformat. numer.* 22. *&* 23. *Et post finem constitutionis.* Sixtus autem V. in bulla ad *Romanum spectet*, §. *in alma verò Vrbe nostra*, Præceperat Religiosos aduenas Romam non esse admittendos, Etsi de grauaminibus conquererentur. *Nisi prius ad Congregationem regularium, vel Protectorem remitterentur, qui eis auditis decernerent, quid agendum esset.* Qua constitutione limitatam esse declarationem S. Congregationis regularium determinãtem, *non posse grauatum recurrere, nisi seruato Ordine à Priore ad Prouincialem, à Prouinciali ad Generalem, & à Generali ad Protectorem, quod si quis temerè, leui vè ex causa, hanc almam Vrbem, seu Curiam, absquè sui Superioris licentia, & supradicta forma prætermissa adire præsumpserit, ad suos eosdem Superiores, seueriori pœna plectendus, remittatur.* Quia hoc decretum emanauit. *ann.* 1587. & citata Bulla Sixti *ann.* 1588. Vsus autem obtinuit, vt ad Superiores cognitio causæ spectet, vt in facti contingentia, cum eadem S. Congregatione *ann.* 1632. actum fuit, vt aliqui indebitè recurrentes, religionis iudicio sisterentur: Eiusdem S. Congregationis Secretarij munus exercete Illustr. D. Torniello, nunc Nouariensi Episcopo. Patitur tamen statutum aliquas considerationes.

Ordo ad Superiores recurrendi.

Grauatus Romam venire potest sine licentia.

Prima est, quando supra modum grauaretur. Tunc posset subditus Romam venire sine licentia Prouincialis, &c. Supposito, quod talem licentiam expectare non posset, putam quia Generalis est nimiùm absens, vel etiam moraretur Romę, & interim grauaretur, vel sine dubio grauari timeret. Habet enim talis aditio vim appellationis. *Rod. tom.* 1. *quæst.* 30. *art.* 3. *& tom.* 2. *quæst.* 53. *art.* 10. Et alij citati ab altero *Rodrig. resol.* 10. *num.* 3. *& à Barbos. in cap.* 4. *Sess.* 25. *Trid. de regul. num.* 10. Concilium enim Tridentinum citatum vetat accedere ad Superiores, non vocatos *Etiam sub prætextu accedendi.* Sixtus V. non excludit verum & realem recursum. Congregatio addit *temerè leui uè ex causa.* Et Clem. VIII, *Præsumptionem*, quæ eadem est cum temeritate, vt alibi adnotauimus. Quare ex mente harum constitutionum non prohibetur accessus ad Vrbem in causa grauaminis, si ante illum licentia commodè haberi non potuerit.

Limito tamen conclusionem. Si iam grauatus fuit, vel grauamen leue timeretur, non posset hoc iure naturali defensionis vti quia quærelare grauantem potest per literas. ita *Hieron. Rodr. resol.* 11. *num.* 18. Cuius iudicium prudentis Superioris arbitrio stat.

Secun-

Secunda, ſuppoſito, quod Generalis Romæ moram trahat, & grauandus, ſine licentia, ex Superiori concluſione, ad Verbis mœnia aduenerit, poterit ne Vrbem ingredi, non petita priùs licentia ingrediendi, an verò teneatur expectare conſenſum.

Reſpondeo debet expectare conſenſum, Quia poſſumus interpretari has conſtitutiones in rigoroſa ſignificatione, & excuſare grauamen: Romæ enim, & Vrbis nomine in hoc loco intelligi tantùm debent, quæ murorum ambitu continentur, non ſuburbia, vt notauit *Ioann. Caluinus in Lexico V. Vrbs. fol. mihi* 2071. *n.* 10. *Ex Gloſ. in l. Frater à Fratre. de condict. indebit. & argum. l. Iulianus. §. ed et ſi quis. ad exhibendum. Ex Brecheo in l. Vrbis. appellatio. ff. de verb. & rerum ſignif. & Connan. lib.* 1. *cap. de iure ciuil.* 7. *n.* 1. *Dum enim euis legat bona, quæ Vrbis habitationi tantùm commoda ſunt, & deſtinatæ, non ad ea quidem, quæ extra Vrbis mœnia ſunt, protrahentur; tamen id qualitas rei non patiatur. Secus verò ſi dixerit Titius, lego totam Vrbanam meam ſuppellectilem, cenſebitur ſenſiſſe de omni ea ſuppellectile, quam in ciuitate, & ſuburbijs habet. l.* 1. *§. cum Vrbem. ff. de offic. præfecti Vrbani.* Sic ad propoſitum, cum agatur de Vrbe, quatenus in ea ſunt tribunalia, & fori ad lites controuertendas, & dirimendas, & non reſideant iſta extra Vrbem, Vrbis, & Romæ appellatione, accipiendum eſt, intra murorum ambitum.

Extramœnia conſtitutus debet expectare ingrediẽdi conſenſum.

Ex quo vlteriùs infero, eum qui veniret, vel mitteretur ad ſuburbia Romana, non incurrere pœnas à Clemen. taxatas, quia cum ſit conſtitutio pœnalis, tenenda eſt in rigoroſa acceptione vocabuli, & ſic in praxim deducta fuit.

Accedẽs ad mœnia non eſt puniẽdus pœna Clem. VIII.

Attamen debere expectare licentiam ad ingreſſum, probat ipſa lex, quæ per grauamen futurum infringi non poteſt, quia illud timebatur in ſuo Conuentu, non in porta Ciuitatis Romanæ, ergo cauſam non habet non obſeruandi legem. Quæ potuit excuſare fugam, ne eſſet apoſtaſia, at non poteſt excuſare, quin ſit tranſgreſſio legis.

Tertia, An Viſitator Prouinciæ, & Commentus, ad vniuerſitatem cauſarum delegatus, qui habeat facultatem mittendi Fratres extra Prouinciam, poſſit Romam mittere Fratres ex cauſa communi Prouinciæ? Et ratio dubitandi eſt, quia ipſe non eſt Prouincialis.

Reſpondeo affirmatiuè, quia licet non ſit nomine Prouincialis, eſt tamen re, imò maior Prouinciali, cui conceditur *poſſe Fratres ad Generalem ipſum pro negotijs ad eius officium ſpectantibus deſtinare*, Vt dicitur in his ſtatutis. *cap.* 8. parùm ante finem. Eadem ratione poſſunt hac facultate vti Commiſſarij, ſeu, Vicarij Prouinciales, iuxta regulam. *Is qui in ius ſuccedit alterius, eo iure, quo ille, vti debet. de regul. iur. in* 6. *cap. is qui.*

Commiſſarius Viſitator poteſt mittere Romã ob negotia Viſitat.

Quarta, quæ ſit cauſa communis Prouinciæ?

Reſpondeo, quæ totam Prouinciam concernit, vt Conuentuum fundatio, dimiſſio, reſtitutio, defenſio, iurium propugnatio, gratię impetratio, &c. inter has numero defenſionem alicuius Fratris particularis, vel eiuſdem punitionem, quia conſeruatio membri, & partis ſpectat ad commune bonum corporis, & totius. Vt ex iure naturali patet. Non enim eſt dubium *in toto partem contineri. cap. in toto de regul. iur. in* 6. Ergo pugnando pro parte, pugnatur pro toto.

Quæ ſit cauſa communis Prouinciæ.

Quinta, Si debeat in literis obedientialibus declarari cauſa ex conſenſu, & voto diffinitorij, An ſufficiat ſolum iudicium Prouincialis.

Causa communis nõ requiritur iudicium diffinitorij.

Respondeo, tesi laudo, hæc fieri cum consensu Diffinitorij, & ita in praxim deductum aduerto, tamen dico sufficere solam licentiam Prouincialis sine preuia consultatione diffinitorij, in qua ipse communem causam testetur. Et Ratio est quia Clem. VIII. ait. *Prouincialis ipse ex causa communi totius Prouinciæ dumtaxat, facultatem huiusmodi facere valeat.* Vbi nullam mentionem facit de Diffinitorio; ergo non est restringenda authoritas Prouincialis, quæ est ordinaria, vbi lex ipsa non arctat: Cum æquè benè possit iudicare causam communem Prouincialis solus, ac cum diffinitorio. Verum tamen est, quod si negotium esset arduum, quod solus Prouincialis expedire non posset, tunc adhibendum esset Diffinitorium, non quidem ad effugiendam pœnam (propter hoc enim sufficit quod sit causa communis) sed ad honestatem, & decentiam. Quia licet aliquia facere non possit Prouincialis sine diffinitorio, propter illa tamen posset destinare Fratres ad Vrbem, sine tali consensu: Sunt enim hæc diuersa inter se.

Si curia extra Vrbem moraretur, posset Superior ad illam mittere.

Sexta, si Romana Curia extra Vrbem moraretur, posset ne Prouincialis ad illam Fratres destinare sine in cursu pœnarum?

Respondeo affirmatiuè, quia non prohibetur destinatio ad Curiam, sed ad Vrbem, & Romam, & licet vbi est Pontifex, ibi sit Curia, non tamen ibi est Roma.

Prouincialis Romanus potest suos subditos Romam mittere.

Septima, Fratres Romanę prouinciæ possunt ne destinari à prouinciali, vel guardianis, & Superioribus Localibus ad Vrbem, ob negotia particularia.

Respondeo affirmatiuè, quia Prouincialis habet facultatem ex iure mittendi Fratres ad omnes suos conuentus, inter quos est Conuentus Romanus. Et sic obseruatum semper fuit in hac nostra Romana prouincia, sine contradictione.

Octaua, circa admissionem, & receptionem eorum, qui sine his conditionibus Romam mitterentur, considerandum est, difficilem admodum esse praxim, quia non est Fratrum particularium Conuentum, examinare obedientiales literas, & causas missionis, cum sufficiat illis, hospites recipere, quos sui prouincialis licentia comitatos viderint. Et potest accidere, vt tale quid in obedientialibus literis non dicatur, sed in aliquibus particularibus, quos ostendere non expediret, nec decet ab hospitibus inquirere, si alias epistolas secum deferant: Nec practicatum vnquam fuisse, audiui. Verum si Superior Localis aduertere vellet, posset illos reijcere, Non autem punire, quia hoc illi non committitur, nisi quatenus apostatas esse, hoc est, sine licentia legitima ambulantes, conijceret: cuius iudicium ad Superiorem Localem spectare, supra dictum fuit.

De non equitando.

STATVTVM XXIII.

Qui sine licentia Ministri Prouincialis equitare, bigare, quadrigare præsumpserit, bimestri carceris pœna mulctetur, &c.

Mini-

Miniſter ſine neceſſitate, cognita, per teſtimonium ſcriptum Guardiani, & maioris partis diſcretorum illius Conuentus, id non concedat.

Quam in abſentia Miniſtri poſſit indulgere Guardianus cum conſenſu omnium ſuorum diſcretorum.

Aliter facientes, Prouincialis careat voto in futuro capitulo, & Guardianus ſit priuatus officio.

Et ſi equitantem ſine licentia, diſciplina, & triduano carcere non mancipauerit, Per ſemeſtre ſuſpenſus ſit ab officio.

Miniſter autem in Viſitatione, vno tantùm vili iumento vti poſſit. Nec Socios habeat, qui pedes ambulare non poſſint.

Præceptum regulæ de non equitando ſingulare eſt in Religione Seraphica, ſed à Chriſto Domino expræſsè imitatum, qui nunquam equitauit. *In hoc Sanctus veſtigia Chriſti ſequitur* (inquit *Hugo de Dina in expoſit. cap.3. regulæ*) *qui pedeſter ſemper (niſi cum de pullo, & aſina myſterium innuit, & prophetiam) creditur ambulaſſe, in quo Fratribus humilitatis, & auſteritatis, & minuendæ ſollicitudinis forma datur*. Et idem ait *Ioan. de Pecheno*. Breuiter, & acutè tres potiſsimas pedeſtris ambulationis cauſas exponens. Quas ab appoſita equitatione licet conijcere. Nimis enim humile, nimis auſterum eſt pedes iter inire, & eò magis, vbi frigus oſtendat nudos pedes, lutum deturpet, lapis lædat; Experti norunt. Sollicitudo autem conducendorum equorum, ſupponit, vti plurimum expenſas, comites, veſtes equitationi aptas, tribalia, ocreas, ſubligacula, fœmoralia, calcaria, & id genus ſimilia, victus, curam, hoſpita, &c. Quæ omnia nummos requirunt, paupertati minoricę aduerſarios. Vnde altiſsimæ, ac Euangelicæ paupertati miro modo congruit pedeſtris ambulatio.

Non equitare Chriſti Domin. exēplo.

Quæ ſub mortali obligat dempta neceſsitate, aut infirmitate, vt declarauit Clement. V. *in Clementina exiui, de verbor. ſignific. qui* §. *Item quæ præter.* inter

Equitare ſine neceſſitate minoribus p. m.

præcepta obligatoria, numerat *de non equitando extra casum necessitatis*. Et est concors, & perpetua sententia omnium expositorum, cui addo præceptum, *In virtute Sanctæ obedientiæ, & sub priuatione officiorum, quæ obtinent, & perpetua inhabilitate in posterum ipso facto incurrendis, &c.* Factum à Santissimo D. N. Vrbano VIII. in constit. *Militantis Ecclesiæ*. data 1. *Iunij ann.* 1640. contra Equitantes *sine manifesta, vera, grauiquè neccessitate, &c.* Quæ constitutio sine dubio obligat sub peccato mortali. Quare nonnullas quæstiones breuiter soluere necesse est.

Prima, an ex vi regulæ peccent Fratres, vehi se facientes ab alijs, quam ab equis, puta mulis, asinis, camelis, hominibus, naui, curru, & cæteris huiusmodi instrumentis.

Equitare quid importet. Respondeo verbum *equitare* in communi modo loquendi, vt aduertit *Hugo de Dina*, non solùm significat equo iter facere, sed etiam mulis, asinis, camelis, sic *Plin. lib.*8. *cap.*18. de camelis loquens ait. *Omnes autem in ijs terris iumentorum dorso funguntur, atquè etiam equitantur in prælijs. Et Ioann. Caluinus in lexico. pag.*718. *Equitem (inquit) etiam appellamus eum, qui vel asino, vel mulo, vel camelo insidet, ne dum equo*. Et vbi nos legimus in vulgata. *Ecce Rex tuus venit tibi sedens super asinam. Zac.*9. Pagninus ex Hebrẹo legit, *Equitans super asinum.* Et iure quidem, quia verbum hebreum *Vrocheu*, ait Marius noster Gallesinus in suis concordantijs hebreis Verbo *Rachau significat equitauit, vectus, supernectus fuit iumento, siue bestia quacumquè, equo, camelo, asino, vel curru, aut naui*. Et in hunc sensum explicat S. Bonauentura hoc præceptum, & ex illo Martinus V. in constitutionibus super regulam cap.3. *De non equitando (inquit) fiat vt in regula, scilicet præterquam in casu neccessitatis attentis tamen verbis S. Bonauenturæ, in sua declaratione super hoc passu, qui dicit Fratres non debent equitare, nequè quadrigare, nequè bigare, &c.* Quæ verba ad vnguem replicauit Iulius II. *in statut. papal. cap.*3. *par.*6. Et addit. *statuimus, & ordinamus iuxta antiqua ordinis statuta, vt abusus asinandi, & equitandi, præterquam in casu neccessitatis, tollatur*. Et sic explicat ex supradictis *Corduba in cap.*3. *quæst.*3.

Vnde improbabilem iudico sententiam, quam citat *Hugo*. prætextus; quod, cum equitare veniat ab equo, solùm prohibeatur equo vehi. A qua opinione ipse non declinat, licet piè putet ad exemplum Christi, & Sanctorum, etiam à mulis, asinis, &c. Abstinendum. Improbabilem (inquam) iudico, quia ex communissimo modo loquendo, in Italia, & vbi S. P. Franciscus præcipuè regulam condidit, equitare, sumitur pro quacunquè vectione, facta siue ab asino, siue à mulo, &c. Quinimò etiam pueri equitare dicuntur, dum arundine inter fęmora iniecta, currunt, quod festiuissimè Venusinus expressit illo versiculo. *Ludere par impar, equitare in arundine longa*.

Non includit omnẽ gestationem. Super humores tamen hominum, vt apud Indos, vel Lectica, aut Ferculo, ab hominibus gestari, vt fit Neapoli sæpissimè; Quatenus gestationem concernit præciso pretio, vel superbia, vel scandalo, contra regulam esse non censeo, quia loquendi modus hoc genus vectionis, equitationem non appellat. Nec odiosum præceptum, quò de iure non pertingit extendere debemus.

Nequè nauigationem. De naui certum est, non compræhendi, quia equitatio, nauigatio non est, & Christus, Apostoli, S. Franciscus, & Socij naui vsi sunt.

Dicens

Dicens autem, si licita est nauigatio, & cui conceditur terminus, conceduntur media; vt cui conceditur studium, conceduntur libri, &c. Vt declarauit Nicol. III. *in cap. exijt, qui seminat. de verbor. signif. in 6. §. nec præter hoc*. Et sicut possunt peti nummi ad emptionem librorum, qui conceduntur, vt necessarij; Ita etiam possumus recurrere ad amicos spirituales ad soluendum vectionis pretium. *Cõcesso fine, conceduntur, media.*

Respondeo, si necessitas suadeat, ad excusandum longi itineris tædium, recurri potest, sine autem tali necessitate, minimè, quia licet concedatur nauigatio, prohibentur tamen nummi. Ad quos recurrendum est, in casibus à iure permissis. Nec est par ratio de libris, fabricis, instrumentis artis, &c. Quia hæc comparantur à Nicolao III. infirmitati, & vestitui Fratrum, quæ absolutam necessitatem ostendunt. Nauigatio autem, vbi sine magno incommodo (cui subesse non cogimur) iter pedibus transigere possit, non est tali necessitati comparanda, hinc negatur paritas. *Quando pro nauigatione ad amicos spirituales recurri possit.*

Si quæras, sit ne culpa mortalis vehi curru vili, à bobus tracto, &c. Cui insidere, dedecus potiùs esset, quam commodum, maximè si gratis offeratur.

Respondeo negatiuè, quia currus rigorosè non est equitatio, etiam secundũ communem loquendi formulam sumptus. Et S. Bonauent. in citatis verbis, non ait, bigare, & quadrigare esse contra regulam ex vi huius præcepti, sed inquit, *neque bigare, vel quadrigare, quia maioris sunt sumptus*. Cui & ipse subscribo; nam vbi expendenda sit pecunia, nobis non licet: At si gratis detur, rationem in contrarium non video. Tum quia honorificum non est, sed risu dignum, si Frater Minor curru, quo ligna, vel palea comportantur, vehatur, cum ab hominibus ciuilibus tales currus non meantur. Tùm quia nullum est prætium, tùm quia nobis non prohibetur quoquo modo ab alio vehi, nam nec naui possemus, sed solum equitando, ad excludendam superbiam, expensasq; vt declarauit Iul. 2. citatus dicens, *Cum intentio Sancti Francisci fuisse credatur, potius pompam, quam equitandi necessitatem, & vtilitatem excludere*. *Vbi curru vili à bobus tracto, non est p. m.*

Secunda Quæstio, quæ sunt causæ excusantes equitationem à culpa?

Respondeo, Sanctus Bonauentura exponens verba regulæ, *Nisi infirmitate, aut necessitate cogantur* (inquit) *Necessitate, prolixi, vel impediti itineris, vel negotij vrgentis, vel infirmitatis*. Verum, quia negotium potest esse à Superiore, aut à charitate, aut boni publici motiuo iniunctũ, vel proprio marte assumptũ; disputant, quodnam genus negotij excuset ab hoc præcepto. Respondeo, excusare etiam assumptum, dummodo necessitatem manifestam importet: puta si quis ad sanctuaria sua deuotione proficiscatur, & accidat in itinere debilitari, vel luto impediri, & alijs huiusmodi, potest sine culpa equitare. Non enim regula necessitatem distinguit, nec necessitatis causam, sed absolutè ait, *Nisi manifesta necessitate cogantur*. Et orta ex assumpta causa, etiam est necessitas. Cum enim non prohibeat regula ambulare propter negotia non necessaria, nõ debemus arctari vltra regulam. Et sicut si in negotio assumpto, ob longitudinem itineris, quis infirmaretur, posset equitare ob infirmitatem (& hoc nemo sapiens negaret) ita posset ob necessitatem, si in itinere accideret. Ita *Miranda in reg. c. 65. & Cyprian. Crousserus lect. 9. c. 3. contra Cordubam supra q. 3. qui citat serenam conscientiam, Et Petr. Ioann. & Patres innominatos*, qui regulam exposuerunt. *Causæ legitimè equitãdi* *Negotium, etiam voluntariè assumptum.*

Non enim sentio in omnibus necessitatibus prouenientibus à voluntarijs negotijs, equitatu vti posse, hoc siquidem esset nimis relaxare, & rigorem regulę, & probatam consuetudinem; Sed solùm id admitto, quando accideret aliqua inopinata necessitas in voluntario negotio. Sic eligi in Prælatum, qui actualiter, & ante officium equitatu indiget, non laudo; attamen si in medio prælaturæ equitare indigeret, non teneretur ex vi regulæ dimittere officium, ne equo vti cogeretur. Exemplis Cordubæ, oppono exemplum ieiunij, multò magis ad rem spectans: Non teneri nimirum ad ieiunium, qui fatigatus ex voluntario, immò damnabili exercitio, vel itinere, ieiunare non posset; Quia talis labor præsens, verè à ieiunio excusat, licet peccaminosa, & voluntaria sit laboris occasio, ita senserunt *Filliuc. tomo 2. tract. 27. part. 2. cap. 6. num. 123. Villalobos, tomo 1. tractat. 23. diffinit. 4. numer. 11. Ledesma in summ. tomo 2. tractat. 27. conc. 6. cap. 2. diffic. 5. Medin. in summ. lib. 1. capit. 14. §. 10.* Et de voluntaria peregrinatione excusante à ieiunio, affirmant *Siluius in 2. 2. S. Thom. quæst. 147. artic. 4. Fernandez in examine Theolog. moral. part. 2. cap. 8. §. 2. numer. 11. Sancius Selectis disputatio. 54. numer. 2. Ortiz in summ. capit. 19. num. 12. Diana part. 1. tractat. 9. resolut. 40. & 46. Siluester V. Ieiunium num. 24. citans Petrum de Palude*, qui dicit. *Si peregrinatio non est necessaria, peccant illam aggredientes eo tempore, quo ieiunandum est; ea tamen aggressa, licet incompossibile ieiunium frangere. Sicuti licet infirmo ex sua culpa, durante infirmitate.* Qua in re (quia videtur mihi satis simile) applico doctrinam *Hortiz citati num. 17. Homoboni in examine Eccles. part. 2. tractat. 8. cap. 7. quæst. 23. Ioann. de la Cruz in directorio conscientiæ part. 1. pracep. 3. artic. 4. duv. 9. con. 3. Rodrig. in summ. tomo 1. capit. 23. num. 6.* Quod si laborans, vel peregrinans voluntariè, præuidit non obseruantiam ieiunij, peccat: sin minus, non ita peccare censebitur, qui assumens negotium voluntarium, præuidit se habiturum necessitatem equitandi. Quia voluntariè elegit effectum in causa. Hoc dixerim, non quia ad superiorem doctrinam consequatur, sed quia praxis ita declarauit.

Fatigatus ex damnoso labore, ieiunare non tenetur.

Infirmitas autem debet esse, vel actualis, vel imminens de proximo, itaut excusetur à culpa equitans si actu infirmus fuerit: vel si timeat probabiliter infirmari, vel grauiter, vel leuiter; putà si ex ambulatione pedestri, pedum debilitatem formidet, quod sæpe expertus esset, capitis dolores timeat, sanguinis inflammationem expectet, &c. Quinimò, addit *Corduba supra*, posse etiam valetudinarium equitare animi gratia, ad recuperandas vires, ad refocillandum spiritum exercitio, aeris mutatione, &c. Et Superiorem posse, & debere in his casibus sua authoritate, ac pietate declarare sufficientem causam, & dispensare cum suis subditis, vbi in dubio sita esset. Discreta est enim Sanctissimi P. N. regula, nec veras necessitates in extremo constituit, vt optimè probat *Miranda in reg. cap. 68. & Corduba q. 1. prohem.* Ergo non debemus nos difficilem obseruatu reddere, quam possumus in suo rigore faciliter obseruare.

Infirmitas equitationē concedens.

Regula S. P. F. est discreta.

Cæterùm iudicio prudentis Superioris, cui standum est in conscientia, relinquitur examen, & determinatio manifestæ necessitatis, &c.

Superioris iudicio necessitas, decernenda est.

Tertia Quæstio. An peccet Prouincialis, & Guardianus concedens facultatem equitandi non seruata forma statuti?

Respon-

Respondeo, peccare mortaliter, si temerariè id faciant, id est si nullo præhabito examine, nulla cognitâ causa, nulla consideratione facta de Fratris, equitare volẽtis veracitate, & qualitatibus, Secùs non. Potest enim esse, vt subditus licentiam petens, sit persona grauis, probatæ vitæ, & regularibus moribus ornata, de qua præsumi non possit mendacium, in re tam graui: Tunc enim Superior credens, non peccat contra regulam, licet peccet contra statutum, quod non esse mortale affirmo, quia est lex pœnalis, quæ secundum nostras leges sub mortali non obligat. *Cordub. in cap. 10. regulæ quæst. 3. punct. 3. ex summistis V. lex. & quæst. 6. introductoria. §. sed & notandum.* Sufficit enim, vt Superiori probabiliter constet, subditum habere veram necessitatem. De guardiano autem dico non posse talem licentiam concedere de iure, cum, & statutum, & Sanctissimus supracitatus pœnis recensitis subijciat Fratres, *Qui absquè licentia Prouincialis, vel in casu vrgenti, Superioris Localis, de consilio, & iudicio trium discretorum Conuentus in scriptis obtenta, equitare ausi fuerint.* Ex quibus verbis patet. Primò nõn posse guardianos solos licentiam concedere. Secundo, non sufficere consilium exquirere, sed debet sequi discretorum iudicium. Tertiò, si isti fuerint indiscreti, & vnus cum guardiano consentiret, posse guardianum licentiam concedere, quia in æqualitate votorum prçualet pars, ad quã inclinat Superior. Quartò, in casu, quo discreti ob aliquam minùs iustam causam non consentirent, & necessitas esset manifesta, posset etiã solus guardianus cõcdere, quia non irritatur actus, nec corrigitur ius commune, & naturale cum tanto in commodo. Quinto, contrafaciens guardianus nullam pœnam incurrit ex bulla, nam verba illa, *Si contrafecerint, suis officijs eo ipso destituti remaneant*, Referuntur ad immediatè antecedentia, *Concedentes Prouincialibus, &c.* Nõn ad guardianos, & Discretos, Vt patet legenti, sed ex statuto, in quo non compræhenduntur Discreti. Et in hoc statutum est moderatum, cum sufficiant tres tantum, nec necesse sit adhibere omnes discretos, Quorum delectus spectat ad guardianum, non tamen absolutè voluntariè, sed cum ordine dignitatis, & antiquitatis, Vt scilicet conuocet digniores, nisi casus aliter ex ratione suadeat.

Peccant prælati non seruantes formam statuti circa equitationem.

Quarta Quæstio, si in absentia prælatorum possit ipse necessitatus sibi declarare necessitatem?

Respondeo affirmatiuè, quia epicheia facit, prætermissio rigore legis, amplectendum esse, quod recta ratio dictat, & quod faceret prælatus si adesset. *Sot. lib. 1. de iust. quæst. 6. art. 3. Suar. lib. 6. de legibus. cap. 10. num. 13. & lib. 8. cap. 1. Miranda tom. 2. q. 30. art. 6. Villalob. 1. part. tract. 2. diffin. 40. num. 2. Rodrig. tom. 1. q. 22. art. 3. & quæst. 46. art. 2.* At si prælatus adesset, & manifestam necessitatem cognosceret, dispensaret; ergo & subditus idem sibi declarare, & concedere potest. Licet enim ordinariè, & regulariter hoc spectet ad prælatum, qui solus potest in tali præcepto dispensare, vt probat *Corduba cit. quæst. 4. cap. 10. §. sed pro maiori prædictorum, &c.* Et patet ex præsentibus statutis; attamen cum necessitas legem non habeat, non debet subditus perire, vel graue damnũ pati ex prælatorum absentia, Maximè cum regula dicat, *Non equitent, nisi manifesta, &c.* Quasi verò ipsismet Fratribus, committat necessitas equitandi iudicium; Saltem in casu absentię prelatorum, quibus de iure id competit, non debet tali indulgentia subditus, priuari. Et sic declarauit Iulius Secundus in suis

Per epicheiam, potest subditus sibi declarare necessitatẽ.

constit.*cap.3.par.vlt.Nisi in itinere aliqua superueniente necessitate(vbi tunc alicuius prædictorum,non posset haberi iudicium)cogatur.*

Quinta Quæstio,an sub mortali teneatur prouincialis Socios, sibi adsciscere, qui pedes ambulare possint?

Prouincialis debet eligere Socios qui pedes ambulent.

Respondeo affirmatiuè,quia est præceptum regulæ,nec dispensari potest sine vrgenti causa,vt sibi eligat secretarium,& Laicum, qui equitent, ex hoc præcisè quia Socij sunt,cum similes his, alij multi in prouincia reperiantur; nec necessitatur prouincialis ad hos,præcisè assumēdos,cum equè benè, & fortasse meliùs cum alijs suum munus transigere possit : Ergo hoc statutum obligat ipsos ad peccatum mortale. Hinc meritò idem Sanctissimus disponit.*Concedentes Prouincialibus, & Prouinciarum Commissarijs, vt vno, eoquè vili iumento,pro se tantum, non autem pro Socijs, in necessitatis articulo vti possint : aliàs si contrafecerint, eo ipso destituti remaneant*. Quæ verba concernunt. primò,concessionem vilis iumenti id est asini, vel ad summum muli; equus enim vile iumentum non est, sed equitatura diuitum,& dominorum. Secundò non semper, sed *in necessitatis articulo*. Quæ ab ipsismet prælatis iudicanda est. Vnde nullum est priuilegiū, sed mera declaratio regulæ. Tertiò, socij sunt Laicus, & Secretarius, alij enim non conceduntur. Quartò, priuatio officiorum vltra materiam præcepti importat culpam grauem. Quintò, non incurritur, nisi post sententiam, etiam in foro conscientiæ, Ex alibi dictis. Valet autem responsio in delectu per se talium sociorum,equitatura indigentium,non autem in casibus incidentibus,& singularibus,quia si in lungo itinere lassarentur, vel debilitarentur, ne cogatur sæpè socios mutare, poterit præsenti sociorum necessitati dispensatione succurrere.

Sexta Quæstio. Quibus vt plurimùm concedi possit equitandi licentia, etiamsi sani sint?

Qui vt plurimum equitare possunt.

Respondeo,ex Iulio Secundo supracitato dicente,*Quibus etiam necessitatibus satis vrgeri declaramus,& dicimus,Prælatos maiores ordinis,ac Visitatores graues, ac solemnes Prædicatores,qui pro negotijs ordinis, & animarum profectu habēt per terras,& loca,& prouincias frequenter discurrere,vel ad capitulum,& similia longius ire;Et quorum vita,& salus est ordinis necessaria, quæ aliàs posset exponi periculis,& infirmitatibus: Tales enim ex hoc non sunt suæ regulæ in aliquo transgressores,imò à suis Superioribus debent pro loco, & tempore ad id compelli, pro communi bono ordinis,et animarum conseruando cum et de vita communi, et regulæ obseruantia sit,Fratres,et maximè tales, in tali necessitate posse equitare, vt apertiùs exprimit regula.* Nec ista censeri debet regulæ relaxatio, sed literalis explicatio, rationi naturali subfixa, quia minus præceptum cessat, vbi maius apparet. *cap. duo mala et cap. Nerui testiculorum. d.* 13. Cum ergo maius præceptum sit prouinciarum visitatio,ordinis regimen, causarum expeditio, religionis decus, diuini verbi prædicatio, animarum conuersio, &c. Ob quas ipse Seraphicus P. etiam aliquando equitauit, & hæc sine equitatione præstari non possent (etsi enim B. Ioann. Parens primus Generalis post Sanctissimum Patrem pedes totum ordinem visitauit,& aliquot alij prouincias pedestres lustrauerunt,& de facto nunc lustrant(attamen alij talia exempla imitari non coguntur)sequitur debere cedere præceptum de non equitando.

Septima Quæstio, Qua pœna sint digni indebitè equitantes, & equitandi licentiam concedentes?

Respon-

Respondeo grauissima; præcisa enim culpa lætali, quam eos incurrere, nulli dubium est, non solùm ex præcepto regulæ, sed etiam ex scandalo: Nam maximè sæculares, & alij religiosi scandalizantur, dum vident Fratres Minores, iuuenes, robustos, ac sanos equitare, vel quadrigare, cum lippis, & tonsoribus compertum sit, nos equitare non posse; sine remissione in culpabiles exequendæ sunt pœnæ statutorum, carceris, suspensionis, vel priuationis ab officijs, & destitutionis à iure suffragiorum. Et cum hæc sit præcepti patens transgressio, & passim in abusum euadat, trahatquè secum, necessitate materiæ, paupertatis transgressionem; vt supra dictum est; Rigorosè practicandæ sunt constitutiones, equitationem vetantes, punientes, & permittentes. Addo dispositionem Vrbanam citatam, quæ addit statutarijs pœnis priuationem officiorum, & inhabilitatem ad omnia officia, &c. Non tamen indifferenter, sed *qui ausi fuerint equitare*, vbi requiritur ausus, & temeritas, quæ veram necessitatem excludunt, iuxta dicta de Epicheia supra *quæst.* 4. Et est notandum, Superiores pœnas posse remitti ex rationabili causa à Ministro, & Commissario, Generalibus. Quæ remissio non valeret, nisi adesset rationabilis causa, iuxta disputata de dispensatione in præceptis Superiorum.

Equitantiū indebitè pæna.



REGV-

Caput. IV.

De Pecunijs non recipiendis.

STATVTVM I.

Ter in anno, in communitate Fratrum legantur Constitutiones Nicolai Tertij, & Clem. V. quæ nostram Regulam declarant.

Pontifices, qui regulam secundum puritatē declararunt. Hi enim duo Summi Pontifices, vltra Gregorium IX. Innocent. IV. Gregor. X. Ioann. 22. Ex professo declararunt regulam Ordinis Seraphici, & difficultates circa paupertatem Euangelicam, quam profitentur Fratres, enodauerunt. Vndè probè sciri, & memoriter retineri debent. Et secundum declarationes ipsorum, sequentia statuta elucidari.

STATVTVM II.

Qui denarios, vel pecuniam receperit, aut propria authoritate, alium ad recipiendam, vel in particulares, & proprios vsus conuertendam substituerit, proprietarij pœnam luat.

Vt sequentibus præludamus, aliqua in genere examinanda sunt. Primum, quid nominē denariorum, & pecuniæ intelligatur?

Quid denarij, & pecunia. Respondeo, *Denarij sunt signata moneta: pecunia, quælibet res, quæ accipitur, vt vendatur.* ita patres in sua expositione *cap.* 4. Quod priùs declarauerat meliùs capitulum generale Palleusiellum *aun.* 1470. *Nomine pecuniæ intelligitur omnis res, quæ procuratur, vel recipitur, non vt Fratres vtantur ed immediatè, sed eo animo, vt commutetur in alia, vendatur, vel distrahatur.* Clariùs Iul. 2. in *statut. cap.* 4. *par.* 7. *Nullus Prælatus, vel Frater libros, blada, vina, iocalia, vel alia quæcumquè mobilia, vel immobilia recipiat, aut retineat intentione vendendi, aut etiam animo aliquid emendi, vel comparandi, pretio ex talibus æstimato, vel determinato pretio illarum ad pretium rerum emendarum. Cum talia facere, vel tali nomi-*

nomine recipere, vel retinere, sit pecuniam recipere, & habere. In quem sensum declararunt verba regulæ. *Nullo modo denarios, vel pecuniam recipiant. Corduba quæst.1. in cap.4. pun.1. Bonauentura, Hugo, Pisanus, Serena conscientia, quatuor Magistri*, quos citat, & sequitur idem *Corduba. Miranda cap.67. Io. Rousserius in idem cap.4. quæst.3.* Licet non sit omninò improbabilis opinio *Cypriani Cappucci ni lect.1. in c.4.* dicentis, denarios, & pecuniam esse sinonima, quia communiter pecunia apud vulgus, pro signata moneta accipitur, nec apud illud remansit, nomen pecuniæ, significare pecudes, vel peculium, quę comutabantur antiquitùs. Nec credendum est S. P. N. F. attendisse ad legales acceptione pecunię, sed ad communes vsum loquendi. Et quidem Clemen. *V. in Clemen. exiui.* pro eodem omninò, accipit pecuniam, & denarios. nam § *porro.* ait, *Quocirca quæstus omnis pecuniæ, ac oblationum, pecuniarum receptio in Ecclesia, vel alibi, cippi, siue trunci ordinati ad offerentium, seu donantium pecunias reponendas.* & idem sæpius in hoc §. repetit, & certè panni, blada, &c. Non reponũtur in cippis, sed denarij. *Et §. quia igitur.* ait *Dicimus quod successionum huiusmodi, quæ etiam ex sua natura indifferenter ad pecuniam, & etiam ad alia mobilia, & immobilia, se extendunt, &c.* Vbi nomine pecuniæ denarios intelligit, quia eam contraponit mobilibus, & immobilibus, quæ secundum communem opinionem, nomen pecuniæ sortita sunt. & Nicolaus 111. *in cap. exijt. à §. Cæterum.* declarando modos recurrendi ad amicos spirituales, solùm pecuniam nominat. Nulla facta mentione denariorum, idque sæpiùs. Cum hoc tamen stat, quod pecuniæ nomine etiam alia à denarijs veniant, nam idem Clemen. §. *Proinde.* Recenset inter transgressiones huius præcepti, quod *Equos insuper & arma, eis oblata in funeralibus, indistinctè recipiunt.* Subiungens §. *Circa equorum. Circa equorum autem, & armorum oblationes, illud decernimus obseruandum, quod per declarationem prædictam in pecuniarijs noscitur eleemosinis definitum.* Vbi hæc mobilia inter pecunias reponit.

Quidquid sit de nominis ethymologia, hoc vnum certum est, vetari in regula receptionem nummorum, denariorum, monetæ, pecuniæ, & quidquid vt pecunia recipitur; idque sub peccato mortali, & sub grauissimis proprietariorum pœnis.

Secundum, Quæ vis est huius præcepti? Respondeo, denarios, vel pecuniam sibi appropriare, vel suo nomine expendere, vel expendi facere. ita statutum in terminis, hoc enim sonat, *Recipere*, & includit (secundum *Hugonem*) proprietatem, et vsum. & secundum Clemen. V. *Præcipere quod, et qualiter expendatur, computumque exigere de expensa, eam quomodocumque repetere, siue deponere, aut deponi facere, capsulam pecuniæ, vel eius clauem deferre, hos actus, et similes sibi Fratres illicitos esse sciant. prædicta enim facere, ad solos dominos pertinet.* Ratio autem huius declarationis fundatur in abdicatione proprietatis, & in præcepto de non recipiendis pecunijs. Si enim eas nec habere, nec petere possumus, neque consequenter expendere, vel expendi facere valemus: quia quod nostrum non est, authoritate propria contractaremus: Quod est contra votum paupertatis, & præceptum hoc regulæ. *Quid est, recipere denarios.*

Hinc multa probatur statuta. Nimirùm, *Qui denarios apud se vel in cella, vel alibi, vel in sæcularium manibus depositos habuerit,* Hoc enim ostendit dominium. *Proprietariorũ actus.*

Quod de eleemosinis, nihil emi, nihil vendi, aut disponi, sine Syndico Apostolico possit. & hoc item ius ostendit.

Quod

Quod instrumenta, vel contractus, vel cuiusuis generis scripturarum, in quibus fateantur Fratres, se pecunias recepisse, nullatenus fieri liceat. Nam Dominorum, vel eorumdem Procuratorum est, tales, scripturas conficere, Nisi in nudum executionis testimonium formarentur, vt statutum sequens ostendit.

Nemo sine licentia Superioris eleemosinam pecuniariam pro se, vel pro alijs Fratribus quærere, aut accipere audeat. Proprietas enim est, dum independenter à Superiore (cui prouisio commissa est) aliquid exquiritur.

Pœna proprietariorum mulctetur, qui sine Superioris licentia eleemosinam pecuniariam in manu Syndici Apostolici tenuerit, nec non qui quouis modo debita contraxerit. Hæc enim sine proprietate fieri non possunt, vt declarauerunt *Nicol. III. §. cæterum. & Clemen. V. §. porro. in c. c. exijt, & exiui.*

Capsulas, discos, cippos, &c. ad colligendas eleemosinas, quouis prætextu, & cap. ab Ecclesijs nostris, remoueri sub excommunicationis pœna ipso facto, præcipimus, Etiamsi confratriæ essent, & sæcularium. Contrariatur enim declarationi Nicolai III. qui, destinauit, ad conseruandas eleemosinas, vel dantes, & substitutos, vel Syndicos Apostolicos, idquè ad regulę obseruantiam, quæ præcipit Fratres nullo modo recipere, vel per se, vel per alios, denarios: & parum refert, si iste alius sit animatus, vel inanimatus. Vnde Clemen. V. §. *porrò V. quò circa*, ait. *Quo circa quæstus omnis pecuniæ; ac oblationum pecuniarum receptio in Ecclesia, vel alibi, cippi, vel trunci ordinati ad offerentium, seu donantium pecunias reponendas, sunt eis simpliciter interdicta.* A qua dispositione nō eximūtur capsæ in Sacristijs pro Missis, Quia sunt realiter constitutę ad recipiendas eleemosinas pecuniarias; Quia eleemosinæ, pro missis, verè sunt offerentium. & infra §. *quapropter.* Declarat illicitos esse actus, *Quibus Frater deponi faciat pecuniam, vel reponi, prædicta enim ad solos dominos pertinent.* & certè deponi, vel reponi præcipitur pecunia, cum in capsa præcipitur reponi eleemosina pro Missis. Quod æquiualet, *alicubi tenere, exponere, &c.* Nec valet recurrere ad proprietatem Sedis Apostolicę, cuius nomine talis pecunia reciperetur, & per manus Syndici extraheretur, quia illamet Sedes Apostolica, quæ sibi, rerum Fratribus vsui necessariarum, dominium reseruauit, declarauit modos, quibus talis pecunia pro Fratribus recipi posset, nimirùm per Syndicos, &c. & licet concedam, abesse proprietatem, si non recipiatur nomine Fratrum, nec in illa Fratres dominium ostendant; negare tamen non possunt, esse contra hoc preceptum regulæ, tam strictè declaratū à Summis Pontificibus. Vnde ad tollendum has capsulas, quæ aliquando ad fidelem administrationem eleemosinarum, per concessionem Gregor. 13. in Sacristijs tenebantur, in Congregatione generali Romana *an.* 1628. de mandato Sanctissimi Vrbani VIII. per prælatos ad hoc specialiter deputatos, in hæc verba sancitum fuit.

Capsæ, et trūci prohibiti.

Capsæ vel trunci, ac recipiendas eleemosinas pecuniarias, etiam promissis oblatas, non solùm ab Ecclesia, sed etiam à Sacristia, & a quacumquè parte, quæ sit intra clausuram Conuentus omninò prohibentur, sub pœna inobedientię, & excommunicationis maioris. oblatæ autem eleemosinę, pro missis, nullo modo intra clausuram conuentus, aut intra Ecclesiam, vel Sacristiam, ab aliquo recipi permittantur. Guardianus, qui contrarium permiserit, priuetur officio suo.

Nullum enim maius Minoricæ Societatis propudium inueniri poterit quam has capsulas in Ecclesijs, & locis Fratrum aspicere. *Ioann. Terrini tract. super.*

di-

*dispens.Fratrum Min.Concil.3.2.p.concl.*qui citat *cap.qui certè.11.quæst.3.*ait.*Acceptio nummorum prævaricatio veritatis est.*& alia addit.Licet enim peius sit scortari,non obedire,&c.Attamen,quia paupertas,cum denariorum odio,& repulsa,est nostri instituti specialis prærogatiua, & distinctiuũ,publica in hac transgressio,vel transgressionis apparentia,maximè Seraphicam Religionem deturpat.*Vitandi sunt*(inquit *Hugo de Dina*)*turpes,quæstus pecuniæ,præsertim publici,& communes in loco aliquo, & per vicos, vbi & species mala est, nec intentio exponi potest multitudini. Et ignominiosum est, vt qui sua propter periculum repulit, rursum propter aliena, se periculo exponat.* Loquens de quæstuatione facta pro alijs. Hoc est pro nostra Religione Idolum abominationis in templo Dei sedens,in quo potius Seraphicus Pater(etsi munditiei templorum esset zelantissimus obseruator)stercus adesse pateretur,quam nummos.& nummorum capsas: Quippe qui Fratrem, qui ab Ecclesia pecuniam collegerat, in asini stercus linguam immergere iussit. Et ex nullo alio loco flauit, vel flabit ventus,Minorici ædificij muros concutiens, quam ex pecuniæ,vel affectu, vel quæstu.

Pecunia Idolum, abominationis.

Tertiò, An liceat aliquando nobis, denarios, vel pecuniam per nos, vel per alios recipere,vel petere,vel deferre,vel tangere?

Respondeo primò, si isti actus dicant authoritatem,ius,dominium,&c.Nullo modo,vel occasione permittuntur.Quia immediatè violant votum paupertatis, & proprietatem inducunt,super qua nec Summus Pontifex potest licentiam indulgere.cap.cum ad Monasterium.de statu Monach.

Respondeo secundò,possumus petere denarios, seu recurrere,ad amicos spirituales,propter infirmos, vestimenta,constructiones conuentuum,emptionem librorum,& instrumentorum artis,ac alia his similia, *Vt Nicol.III.& Clemen.V.* declararunt ex verbis regulæ cap.4. *Tamen pro necessitatibus infirmorum,& alijs Fratribus induendis, per amicos spirituales Ministri tantum, & Custodes sollicitam curam gerant, &c.*in his enim duabus necessitatibus, alias similes includi,supradicti declarauere Pontifices. sicuti nomine Ministrorum, & custodum, etiam Guardiani, & alij Fratres, quibus superior talem quæstuationem committeret, intelliguntur per declarationes prædictas, & statuta ordinis, dummodo tamen pecuniæ recipiantur, & expendantur per ipsos dantes, vel eorum substitutos,vel per syndicos Apostolicos,quia immediata pecuniæ contrectatio, nobis est vetita.

Quibus casibus possumus ad amicos spirituales recurrere.

Respondeo tertiò, tangere pecuniam per curiositatem,vel eam à terra subleuare,vt Domino tradatur,vel accipere nõ vt pecuniam, sed vt talem materiam, vt v.g.ex illa calix confletur,&c.Remoto scandalo,non est peccatum contra regulam, quia vetatur contrectatio pecuniæ,vt pecunia est,nimirum vt pretium rerum, non contactus physicus; nam si tangimus calices, & monilia, possumus etiam tangere aurum, & argentum, quæ in monetis reperiuntur. Esset tamen peccatum,si adesset scandalum.

Pecuniam tangere,quãdo peccatũ.

Respondeo quartò, deferre aliorum pecunias, in custodiam tenere in casu necessitatis, &c. Non est contra regulam, quia hoc non est moraliter pecunias recipere;eas tamen ad Syndicum deferre,pro necessitatibus Fratrum expẽdendas vel apud se retinere, per diem,aut noctem,Syndico posthmodum consignandas,peccatum mortale est,quia est expressè vetitum per declarationes dictorum Pontificum, & est contrectatio pecuniæ, saltē instrumentaliter,& vt substitutus

Deferre,vel custodire aliorum.

dan-

dantis,&c. Non enim tantammodo nobis inhibita est receptio pecuniæ per appropriationm,sed etiam per contrectationem, & expensionem moralem, siue mediatè, siue immediatè, siue domi, siue alibi retineatur, dummodo consensu Fratrum fiat; quia si quis sæcularis nummos in conuentu, vel inuitis, vel inscijs Fratribus deponeret, posset Superior illas per sæcularem alium ad Syndicum mittere, pro veris necessitatibus expendendas. Vel illas interim, ne quis surripiat, vel alius videat, ad tempus abscondere.

In necessitate possimus pecunias petere,& contrectare.

Respondeo quintò, in necessitatis articulo possumus denarios, petere,& accipere, ac expendere: puta si Missionarius apud infideles reperiatur, nec alia via superfit pro victu &c. ius enim naturale pręualet positiuo. Cuiusmodi Sanctissimus D.N. Vrbanus 8. declarauit pro locis terrę Sanctæ, vbi fideles administri, & Syndici non reperiuntur, & necesse est, ob maius bonum, & ad maiorem Dei gloriam,& Ecclesię vtilitatem loca illa in Religione Catholica conseruare. ita etiam, si Summus Pontifex institueret Fratrem suum eleemosinarium, non peccaret, pecunias erogando,&c.

STATVTVM III.

Eleemosinæ omnes pecuniariæ pro necessitatibus Fratrum quoquo modo aduenientes, per Syndicos Apostolicos de consensu Prælati tantùm expendantur, cui commissum est iudicium de veris necessitatibus, cuiquè stare subditus obligatur.

Pecuniæ per Syndicos Apostolicos expendantur.

De Superiori tamen licentia. Cuius iudicio stādum.

Concernit idem præceptum, ab ijsdem Summis Pontificibus declaratum. Quia tamen necessitates pro temporum,& locorum varietate mutãtur, ęquum fuit, in morali hac diuersitate, vnum statuere, qui de veris, hic, & nunc necessitatibus decernere posset. Hinc omnium sollicitudo quiescit, dum vni committitur: omnium scrupuli cessant, dum constitutus à lege, quid faciendum sit, præcipit. Sic fuit decretum per Eugenium Quartum,& Sanctus Ordinis Pattes, vt in statuto: Estquè iuri communi, naturali,& diuino conforme. Ratio enim dictat, in dubijs tutiorem partem eligendam esse: tutior autem est, vbi Prelati iurisdictio inclinat. Ecclesiæ controuersię ad Summum Pontificem, & Episcopos; & veteris legis difficultates ad Summum Sacerdotem referebantur. Sic etiam, ne conscientię Fratrum inquietatentur, & in re nimis varia, nimis difficili erraretur, necesse fuit iudicium quietatiuum ad Superiores remittere.

STATVTVM IV.

Ad puritatem Regulæ obseruandam, licèt Procuratoribus vti possumus.

Eos concesserunt Martinus IV. & V. Eugenius IV. Nicol. III. Clem. V. Pius II. Sixtus IV. Alexand. V. & VI. vt videre est *in firmam. trium ordinum. par. 2. tract. 1.* Sed mirùm, quam variè, quam diuersè, pro supplicantium spiritu. Nicol. enim III. & Clemen. V. qui regulam non relaxauerunt, sed secundum literam declarauerunt, Syndicos concedunt in eo solùm casu, *Vt res non vtiles Fratribus vendant, & pecuniam recipiant, ac pro eorumdem necessitatibus expendant. Sic c. exijt. de verb. signif. in 6. §. si verò res huiusmodi.* & *Clem. exiui. eod. tit. §. porrò. V. cum autem recusus.* Martinus verò V. in Bulla, *Per vigilis more Pastoris*, edita 6. *Kal. Aug. Pon. sui an. 13.* concessit *Generali, & Socijs vnum eleemosinarium secularem, vel alterius Religionis, qui exigeret, teneret, & expenderet à Prouincijs necessaria pro Generali, & comitatu ipsius, eorumquè tam Generali, quam generali capitulo rationem redderet.* Quod statutum fuisse in generali capitulo Assisinate, idem Pontifex refert, & lectum, ac pronunciatum per B. Io. de Capistrano, dicit *firmamentum trium ordinum par. 2. tract. 1. pag. 32.* recensetur q; inter famosas constitutiones Martinianas. idem Pontifex eodem anno 10. *Kal. Septemb.* concessit, *Procuratoribus, vt possessione, & bona quæcumq; mobilia, & immobilia, ac annuos prouentus, hactenus præfato ordini, & eius conuentibus relicta, & in posterum relinquenda, aut alijs nominibus acquisita, vice, & nomine Romanę Ecclesię, ad quam omnium rerum mobilium, & immobilium huiusmodi ius, dominium, & proprietas, nullo medio spectat, recipere, capere, tenere, & possidere, ac ipsorum fructus, redditus,* & *prouentus petere, exigere, et percipere, illosq; in commodum, &c. Fratrū, & de ipsorum consilio, requisitione, & assensu, possint, & debeant, non obstantibus, &c. Loco cit. fol. 64.* Priorem autem Martinianam confirmauit Eugenius IV. *an. 2. sui Pont. 4. Kal. Mai. 1432. Declarans, quod Generalis possit pro suis necessitatibus eleemosinas à quibuscumq; recipere, qui spontè illas sibi voluerint erogare, dummodo ab exigendo, & extorquēdo pœnitus abstineat. Quod possint etiam facere Prouinciales in Prouincijs, et Procuratores ordinis in Romana Curia.* Quas Martinianam, & Eugenianam in sua bulla, *Ad exequendum Pastoralis officij debitum.* confirmauit Pius II. *ann. 1458. Pontif. sui an. 1. ibid. fol. 65.* Sixtus autem IV. *an. 1471. pridie Kal. Mar. Pont. sui an. 1.* prędictas cōcessiones confirmat in bulla *Dum fructus vberes,* & extēdit, quod Fratres possint institui hæredes, ab intestato succedere, & quæcūq; bona mobilia, & immobilia possidere, sicuti qui habent bona in communi. Alex. V. concessit conuentui Gratianopolitano, Prouincię S. Bonauen. quod *Fratres possint petere, recipere, exigere, donare, tangere, vel habere, ac in suos, ad quos erogata, vel donata forent, conuertere posse, siue per se, siue per eorum Procuratores, bona tamen mobilia.* & Alex. VI. qui hoc refert in bul. *Ea quę per nos. an. 1499. 3. Kal. Septemb. Pont. sui an. 8.* Extendit etiam ad bona immobilia, & ad totam Prouinciam Francię. Tandem in statutis Martinianis, *c. 4.* dicitur. *Statuimus, & ordinamus, iuxta declarationem Nic. 3. Clem. V. & Mar. 4. quod quilibet Conuentus, seu locus habeat suū Procuratorem Iconomum, Syndicum, et actorem, cui omnis eleemosina pecuniaria, & alia quæ ad pecuniam reduci possunt, integraliter assignentur, qui easdem dispensare debeat fideliter pro reparatione Conuentuum, ad alias quoq; necessitates Fratrum pro tempore occurrentes, sic quod fratres nullo modo denarios, vel pecuniam recipiant.*

Syndicos qui concesse rint.

Syndicos Nic. & Clemen.

Syndicus Martini V.

Quarum concessionum nonnullas esse puritatis regulæ destructiuas, & surreptitię impetratas, tota obseruātia tenuit, & pręcipuè probauit *Magister Io. Perr.*

Concessiones relaxatiuæ, & surreptitiæ.

in suo tractatu doctissimo super *dispensatione Fratrum Minorum*, relatus *4.par. firm.à pag. 119. ad 132.* & a *Collect.firm. eiusd.2. par. tract.1. à pag.63.* & declarauit Iul.2.*in stat.Papalib.c.4.par.3.* vetans nos vti posse declarationibus huiusmodi, præsertim Eugen.4.& Sixt.4.nullus enim dubitat hæredes habere ius, quod regulæ puritati repugnat:& bona immobilia, ac redditus, successio ab intestato,& alia huiusmodi,quæ conueniunt habentibus bona in communi,prohibita esse Minoribus obseruantibus per Con.Trid.Sess.25.de regularib.c.3.& ne circa modos habēdi Procuratores, & eius actus diù immorer; Solùm vnā quæstionē maximè necessariā,& à nōnullis expetitam,examino.Nimirū,an stantib. modernis ordinis statutis,& Apostolicis declarationibus, liceat nobis vti.Syndico Apostolico secundum omnes actus illius,Seu Syndico, per Martinum V. concesso.

Mouit quæstionem doctissimus *Corduba in c.4.regul.q.16.*& primò certum est actus Syndico concessos per Inn.4.Mar.4.& 5.Nic.4.Paul.4.esse quinque.

Syndici 5. actus. Primus est, recipere posse nomine Eccles.res omnes mobiles, & immobiles oblatas,donatas,in testamento relictas,excepta pecunia.

Secundus,vendere, commutare, alienare inutilia, & pretium in necessitates Fratrum conuertere.

Tertius,Repetere relicta Fratribus;etiam in iudicio, etiam pecuniam.

Quartus,Agere in iudicio pro omnibus causis, iuribus, & actionibus, Fratribus competentibus.

Quintus,Recipere nomine Sedis Apostolicæ pecunias,& res pecuniarias,vndecumq;& quomodocumq;prouenientes,easq;in necessitates Fratrum,de mandato Superiorum expendere.Et hic vltimus actus reperitur in Martiniana,confirmata cum antecedentib.à Paulo 4.*ann.*1555.

Vti possumus Syndico quoad primum,& secundum. Certum est secundò,apud omnes, posse nos,& debere vti Syndico Apostolico,quoad primum, & secundum actum. Quia sunt expressi in declarationibus Nic.3.& Clem.5.vt videre est,apud *Speculatorem,Collectorem,Cordubam,Sorbum Politium,Rodriguez, Hier.Rodr.Mirandam, Portel, Cyprianum, Rousserium, & alios regulę Expositores.*aliàs non possemus vitæ subuenire,& regulam secundum puritatem obseruare.De tertio autem, & quarto actu,multi ex supradictis affirmant,non esse contra regulam, nec dispensationem in regula. Tū quia Syndicus non agit nomine Fratrū,sed Sedis Apostolicæ;tum quia sicut possumus in necessitatibus ad amicos spirituales recurrere, ita in simili potest Syndicus relictas pecunias,ad Fratrum necessitates subleuandas expetere, implorato iudicis officio tāquā pauperum partis,nulla actione, vel iurisdictione ostēsa ex parte fratrū,& agere pro tuendis iuribus conuentuū, & fratrum.Quando enim *Clem. exiui.de verb.signif.in 6.§.Amplius cū dicitur.*fratres non debere assistere in Curijs,id nō prohibitur tāquā,quid mali essētialiter cōtinens,sed tāquā *habēs speciē mali,*quasi iudicēt homines,*Fratres Curijs assistēte, aliquid quærere tanquā suū & ideo nō debent se talibus litigiosis actibus immiscere,vt & testimoniū habeant ab his,qui foris sunt,& euitent propter hoc scandalum plurimorum.*patet igitur in se nō esse malum,assistere in Curijs, petēdo non tanquā suum,sed implorādo Iudicis officium:Quod multò magis possunt facere procuratores Sedis Apostolicę.

Etiam tertiū, & quartum.

Tota difficultas est circa quintum actum,& continet duo pūcta.Primum, an talis actus sit dispensatio circa essentialia præcepta regulæ.Secundum, an renūciatis

ciatis dispensationibus, & priuilegijs relaxatiuis regulæ in toto capitulis generalibus, possimus sine peccato vti Syndico, quoad hunc quintum actum.

Corduba loco citato se in sua medulla citans, tenet Primò vltramontanos licitè vti hoc Syndico, *& temerè, periculoseq; affirmari contrarium*, quia damnantur Papa concedens, & toto Sancti, ac doctissimi Patres, qui Martinianam receperunt. Secundò, in Martiniana dispensari circa essentialia, seu substantiam regulæ, & præceptorum, sed solùm circa modos, ad quos non tenentur fratres sub mortali, quia non omnia posita in declarationibus Nic. 3. Clem. 5. obligat ad mortale. Tertiò, Temerariam fuisse ignorantiam collectoris priuil. suiq; Magistri Speculatoris, authoritatiq; Pontificiæ iniuriosam, eoquod dixerint, Martinianam esse paupertatis Minoricæ destructiuam, quia verè fratres non recipiunt pecuniam, nec per se, nec per interpositam personam, sed Syndicus Apostolicus illam recipit nomine Papæ, nō fratrum: nec curare debent fratres, quid faciat Ecclesia Romana, sed si indigent, possunt recurrere ad Syndicum & œconomum Sedis Apostolicæ tanquã pauperes, nihil iuris in pecunijs habētes. Quartò, vtentes Martiniana, esse dispensatos. Primò, quia pecunia nō expēditur nomine dātis, sed Papę, & dans non potest illam reuocare, quia ampliùs sua non est, nisi ius expresè sibi in pecunia reseruauerit; potest enim Papa disponere de datis ad pias causas, etiamsi dominium eorum apud alios mancat; idquè manifestè conuinci in bonis incertis. Secundò, quia data pecunia, statim possunt dicere fratres offerenti, da illam syndico; & hi non tenentur petere assensum dantis. & expectare illius substitutionē, sicuti ex Nic. 3. & Clem. 5. tenebantur; & per hoc ab his suffragib. liberētur. Tertiò, syndicus tenetur expēdere pecuniã, ad dispositionē Superioris qui ampliùs nō debet cauere ab omni dispositione pecunię per Syndicum expēdēdæ, sicuti tenebatur per supradictas declarationes. *Hęc Corduba*.

Etiã quoad 5. actum affirmat Corduba, et quo modo.

Nec sine ratione, quia declarationes Nic. & Clem. concernunt modos, quib. practicari potest præceptum, *nullo modo denarios, vel pecuniam recipiant, etc.* ita ut nō transgrediatur illud fratres, modus autē non est rei substātia, sed *adiacens rei determinatio*, vnde potest variari, rei inuariata substātiam. sic preceptū *sabbatha sanctifices*, nō est variatum circa substantiã, sed in circūstantia diei, & propterea retento cultu, Deo debito, non transgreditur Ecclesia preceptum diuinum, etiãsi sabbathum in diem dominicum commutarit. ita siue per Nico. & Clem. siue per Mart. & Paul. remaneat illibatum præceptū, *denarios non recipiãt*, quia per syndicū Apostolicū (qui non est persona interposita, nec agit nomine fratrū, sed est procurator sedis Apostolicæ) ipsi fratres nō recipiūt pecuniã, nec per se, nec per interpositam personã, vt expresè declarauerunt Nic. 3. cit. §. *si verò huiusmodi.* & Clem. 5. §. *porrò.* mutati sunt autē modi, quia Nicol. & Clem. aliquos assignarunt: Martin. & Paul. alios: qui omnes continentur sub dispositione, quã facere potest sedes Apostolica, de bonis datis fratribus, quorū ipsa dominiū habet: nec vitiat minoricam paupertatem, si isti concesserunt suo procuratori, vt plura recipere posit, quam concesserint illi; hoc enim ad fratres nō pertinet, sed ad Papã. Sufficit nobis, si in necessitatibus recuramus ad procuratorē Papæ, sicuti in similib. recurrere possemus ad alios amicos spirituales. nō igitur sunt inquietādæ conscientiæ fratrum, cū illos dispositio Apostol. non offendat.

Modus non est rei substã tia.

Hoc tamen non obstante, & remissa ad effectū huius disputationis, tam rigorosa censura, quãm alia trudere non est animus, in quo, & ipse sibi est contrarius

in c.x.regu.q.6.vt dicemus in fine horum commẽtariorum, dico.in Martiniana contineri dispensationẽ relaxatiuã puritatis regulę,quæ si non esset,fratres pec. carent mortaliter,non solùm circa modo,,sed etiam circa substantiam pręcepti *de non recipiendo pecunias*.cui sententię adhærent, qui regulam in sua puritate obseruare desiderant,remotis glosis, & speculationib.destructiuis.*Manuale,n. 36.Casarub.V. Procurator* §.8.*Sorb.ibid.Polit.hic n.*53.*Io. Ximens hic q.*14.*concl.* 3.*Ciprian.infra citandus*. Fundamentum est.quia pura obseruantia regulæ est,dũ seruatur secundum declarationes Nic. 3.& Cle. 5. vt totus ordo, & sentiuit, & sentit, & ad quas prouocatur,dũ de pura obseruantia incidit difficultas, vt ipsemet Mar.5 protestatur in suis constitutionibus, &c.& expræsè traditur.*c.exijt. de verb.signif.in 6.*§.*Verũtamen Ver.ad plenam obseruantiã regulæ.* & infra.*In aliquibus etiam, regulã ipsam concernentibus,puritati eorumdẽ conscientiæ prouidere.* & infra.*Ad obseruandam ipsius regulę,ac pręceptorum eius omnimodam puritatem. & clem.exiui.eod.tit. Quia verò prædictæ regulæ obseruatores affectant, ad purum, & plenum regulam firmiter obseruare*. & patebit infra, ex determinationibus multorum comitiorum generalium, & ingenuè testatur ipse Cord.in c.x. q.6. sed in Martiniana cõtraitur multis declarationibus essẽtialibus regulę,ergo,&c,

Syndicus Martini V. regulæ puritati repugnat.

Probatur minor(in qua est tota difficultas)Primò,nam *c.exijt.cit.*§.*insuper.ne vtensilia* prohibetur,*recipi ad thesaurizationem,vel eo animo,vt distrahant,seu vẽdant, nec sub colore prouidentiæ in futurũ, nec alia occasione.quinimò in omnib.apparet in eis,quoad dominium omnimoda abdicatio,& in vsus necessitas.*Sed Corduba dicit, V.actum esse, *Pro recipiendis nomine Papæ omnibus eleemosinis pecuniarijs,quibuscunq;vndecumq;& quomodocũq;prouenientib.* Hęc autem est manifesta thesaurizatio,vt declarauit Clem. 5.de superfluis nõ habendis, *Cum hæc*(inquit) *sapiant thesaurizationem,seu copiam,paupertati tantæ(quoad humanum iudicium) derogans manifestè.*Et negari non potest, Syndicum Martinianum recipere superflua,,cum omnia oblate recipere possit.Qui autem non videt Thesaurizationem,copiam, in vsu non necessitatem, paupertati Minoricæ esse contrariam,& tangere essentiam, & non tantum circumstantias præcepti, nescio si videat in regula Minorica.

Secundò, §.*cæterum*.Declaratur, nominari debere à dante substitutum, &c. Et si hic modus seruatur,affirmat Pontifex,*Quod in nullo regulæ puritas infringitur, aut quomodolibet ipsius obseruantia maculatur*. Ergo mittere statim pecuniam ad Syndicum ex martiniana, & Corduba, est infringere puritatem regulę, & maculare obseruantiam,& non tantùm modum.

Tertiò,§.*Ita tamen*, dicitur.*Ita tamen, quod pænès ipsum dantem dominio, proprietate, & possessione ipsius pecuniæ,cum libera potestate reuocandi sibi pecuniam semper,vsquè ad conuersionem ipsius in rem deputatam,&c.*Martiniana autem directè huic declarationi opponitur, concernenti, non tantùm puritatem modalem, sed etiam essentialem regulæ; Quia dans eleemosinam, non tribuit illam Ecclesiæ Romanæ, sed fratribus, qui eam tantùm recipere possunt,quam concędit regula.Et Syndicus Apostolicus legitimè illa retinere potest,quæ in suum dominium acceptat Ecclesia; sed Ecclesia; non acceptat dominium, quòusquè illud apud dantes remanere potest, siuè sibi reseruent, siuè non reseruent, Audi Clem.V. §.*Sicquè declaratum fuit. Propter quod, & rerum omnium concessarum, oblatarum, & donatarum Fratribus (quos, & quarum vsum, facti scilicet,* ordi-

ordini, & ipsis Fratribus licet habere) proprietatem, & dominium in se, & Romanam Ecclesiam receperunt. Et secundum hanc declarationem Martinus 4. & 5. & Paulus IV. concesserunt Syndico recipere pecunias: Qui non sunt credendi, voluisse tollere dominium donantium, & sibi appropriare, si illud æquè benè, & meliùs apud donantes remanere potest; Eò vel maximè, cum de hac re expressam mentionem non faciant. Ergo violatur, seù dispensatur, & in substātia præcepti, & in voto paupertatis; quia cum proprietas non sit apud dominos, non apud Ecclesiam, remanet residere apud Fratres. Super quo articulo non cadit dispensatio, dicto *cap. cum ad Monasterium. de statu Monac.*

Nec video, dantes statim amittere dominium eleemosinæ, itaut si illam vellent, reuocare non possent, Cum hoc expressè non caueatur. Et præsumendum est Summos Pontifices, voluisse prouidere necessitatibus Fratrum, & minùs, quàm possent, vulnerare decretales, in corpore iuris inclusas. Quod si ad institutionem relatam Syndicorum, consecutiuè appareat. Romanam Ecclesiam, sibi assumere dominium omnium rerum Fratribus oblatarum, vt declarauit *Iul. II. in suis statut. Papal. cap. 4. par. 2.* dicens. *Licet Nicolaus III. §. & quia in prædictorum. & §. Ad hæc quia Fratribus ipsis. Et nihilominus, quia cuius sit talis pæcuniæ: ac talium, & quarumcumquè rerum impertinentium, vel superfluarum proprietas in dictis declarationibus non exprimitur, quæ tamen non videtur remanere taliter danti, vel leganti, siuè soluenti, & à se dominium abdicanti, & transferenti, nec Fratribus esse potest, nec Papa in declarationibus prædictis exprimit, quod talium rerum, quarum vsum Fratribus habere non licet, ipse Papa, vel Ecclesia Romana, dominiū recipiat, sed rerum dumtaxat quarum vsum licet Fratribus habere. Ex quibus sequitur, quod nec ad talia recurrere Fratres, nec huiusmodi in vsus Fratrum licitos, sine alicuius possessoris authoritate conuertit possunt: Nisi fortè dicantur transire iure poli in dominium Papæ, vt bona incerta, quia est Pater omnium pauperum, & nihilominus specialis Fratrum Minorum, cum etiam iuxta leges, seruus Domino, & filius Patri acquirat. Vt in dicta declar. Nicol. III. §. Ad hæc allegatur. Et c. ideo pro declaratione, & suppletione istius casus, Summi Pontifices Nicolaus IV. Martinus IV. & V. Procuratores Papæ, & Ecclesiæ Romanæ instituerunt, qui eorum nomine pecunias, denarios, & alia superflua vel statui nostro non consona reciperent, & expenderent. Nec dicendi sunt interprsita persona; vnde Fratres talibus vtentes non debent dici vti dispensationibus, aut dispensati esse.* Attamen non video, quomodo in his concessionibus, & declarationibus non sit dispensatio relaxatiua regulę. Fatentur enim, Procuratores Apostolicos recipere *denarios, pecuniam, superflua, & statui nostro non consona.* Et lippis atquè tonsoribus euidens est, talia repugnare statui obseruantium regulam. Qua autē ratione, hæc statui nostro non consona, & contraria, fiant consona, & conformia, vix intelligi potest, sine dispensatione. Concedo siquidem posse (in quo magnæ gratiæ referendæ sunt Sanctæ Sedi Apostolicæ, quæ Minoricum sodalitium tam paternè semper amauit. atquè curauit) Sūmos Pōtifices ordinare, vt aliqui suo nomine denarios, & diuitias recipiant, & in vsum Fratrum expendant. Sicuti posset quilibet Princeps Sæcularis, & persona priuata tale opus constituere, ad quod eleemosinaliter Fratres recurrere possent sicuti ad alios amicos spirituales: attamē aliquid plus includūt Syndici Apostolici, nimirū, quod recipiāt eleemosinas datas Fratribus, quibus nolentibus, sicut nolle debent in casibus non *Sedes Apostolica, quā Minorico sodalitio affecta.*

 permissis,

permissis,nihil recipiunt;& vix,aut nunquam,eleemosinæ pecuniariæ ad manus Procuratorũ peruenient,quæ à fratribus quæstuatę non sint:itaquè ipsi in causa sunt,vt in præcepto regulæ,quod est Minorici instituti fundamentum,iniuratur offensio,ad cuius reparationem, & fratrum instãtias,Summi Pontifices concesserunt tam largas dispensationes. Et solùm video posse saluari, non esse dispensatum in regula per hasce concessiones,quando pecuniariæ eleemosinæ sine consensu,& requisitione fratrum darentur Procuratoribus Apostolicis,ad quos tanquam ad amicos spirituales,in permissis casibus recurrerent, sicuti facerent ad quèlibet aliũ.Sed vt hæc meliùs cõprobẽtur,& meditatio Cordubæ elidatur.

Quartò, Adduco Clem. V. §.*porrò* dicentem. *Cum dictus Sanctus volens Fratres suos super omnia à denarijs,seu pecunia esse totaliter alienos,præcepit firmiter, vt nullo modo denarios, vel pecuniam recipiant, per se, vel per interpositam personam; istumquè articulum declarans Prædecessor noster,casus,& modos posuerit,quibus seruatis à Fratribus,non possunt dici,nec debent per se, vel per alios pecuniæ receptores,contra regulam,& sui ordinis puritatẽ:Dicimus Fratres teneri summoperè, quod pro alijs causis,& sub modis alijs,quã ponat prædecessoris nostri declaratio, ad dantes pecunias,seu deputatos nuncios non recurrant, ne(si secus ab ipsis attẽtatum fuerit)transgressores præcepti,& regulæ meritò possint dici.* Videat nunc Cord.si sit accidentalis modus ista declaratio,& si Superiores possunt *quomodocũq; quãdocumq;& qualitercũq;*ordinare,& disponere de pecunia,apud Syndicos existẽte. Ergo si post Martinianam Superiores non tenentur cauere à dispositione pecuniæ,vt tenebãtur,necessariò admittenda est dispensatio in grauissimo præcepto regulæ.Isti enim modi,intrinseci sunt paupertati Minoricę,quorum destructio, & mutatio,seu conseruatio,inducit destructionem,mutationem,& conseruationem substantiæ talis paupertatis.

Quintò,Idem Clemen.ait. *Quocirca quæstus omnis pecunię, & oblationum pecuniarum receptio in Ecclesia,vel alibi,cippi, vel trunci ordinati ad offerentium,seu dantiũ pecunias reponẽdas:nec non quicumq;recursus alius ad pecunias, seu habentes ipsas, qui per declarationem prædictam non conceditur, hęc (inquam) omnia eis sunt simpliciter interdicta.Ego sanè*(inquit P.Cyprian.*lect.x.in c.4.regul.*)*nõ aliam differentiam video inter cippos, & Syndicos quoad hunc quintum actum,quamquod cippi sunt inanimes Syndici;Syndici verò sunt animati cippi.*

Si respondeatur Clementem loqui de pecunia, quæ reponitur nomine Fratrum,& de recursu ad amicos spirituales,eorumquè substitutos,non de reposita apud Syndicum nomine Papæ, ad quem non recurrunt Fratres tanquam ad amicum spiritualem,sed tanquam ad Syndicum Apostolicum.

Contra est, quia etiam Syndici recipiunt pecuniam oblatam Fratribus, non Sedi Apostolicæ, cui nemo donare intendit;& Fratres, nec per se, nec per alios illam acceptare debent, vt idem Corduba hic §.*quoad tertium actum*, affirmat, nec ad illam recurrere: & melius esset, si ad Syndicum recurrerent tanquam ad amicum spiritualem,in casibus permissis:& si Pontifex prohibet hunc recursum in persona magis legitima qualis est Donans, & eius substitutus, multò magis prohibere censendus est in Syndico, qui est persona subsidiaria. Quod si legitimè fieri dicatur,necesse est confiteri dispẽsationem in essentiali puncto regulæ.

Sextò,idem Clemens V.*Quod temporibus messium,& vindemiarum sic copiosè granum, & vinum colligunt mendicando, & in cellarijs recondunt, quod per*

anni

anni residuum absq; mendicatione possunt trāsigere vitam. Item equos, & arma eis oblata in funeralibus recipiunt indistinctè. Hæc autem esse contra puritatem regulæ, patet ex textu, & ex communi sensu Fratrum, ergo recipere pecunias indifferenter, quod plus est, & congere denarios *quomodocumquè, & quomodocumquè aduenientes*, eosquè in manus Syndici reponere, & paratos semper habere, est etiam contra puritatem regulæ. Nec iuuat dicere, illos recipi à Syndico, quia Corduba affirmat per hunc quintum actum posse Superiorem dicere, *Defer pecuniam ad Syndicum:* Ergo illam suo nomine, seu Fratrum recipi facit, alias nullo modo recipiendas: in quo optarem, meos, Fratres in casu hoc practico speculationes deponere, & praxim, quæ seruatur aduertere. Quia vt optimè probat *P. Ximenes cit. n.* 110. Fratres euadunt veri Domini, & dispositores taliū eleemosinarum, quia liberè vtuntur eis in quemlibet vsum, quæ est diffinitio dominij apud *S. Thom. 2. 2. quæst. 66. art. 2. & quæst. 78. art. 2. cum Magistro in 4. d. 1. & Doct. in cap. quo iure. d. 1. & cap. Exiui. de verb. signif. in 6.* & se habent cum Syndicis tanquam Domini cum suis administratoribus, quippè tota dispositio est fratrum, quorum rogare est præcipere, quod in re idem est, ac habere bona in communi; & nihil refert, quod Domini non vocentur, quod formalitates inueniantur, &c. Quia obseruantia regulæ non consistit in verbis.

Pro secundo autem puncto, an stantibus renunciationibus priuilegiorum relaxatiuorum, possimus in conscientia, vti Martiniana?

Resōpdeo negatiuè. Nam in multis generalibus Capitulis. *Toletano* 1606. *Romano* 1612. *Congregatione generali Romana* 1628. *Toletano* 1633. Renunciatæ fuerunt declarationes, & dispensatione relaxatiuę: & declaratum, hucusquè in regula dispensatum non esse. Quod clarius, & fortius factum fuit per breue Sanctissimi D. N. Vrbani VIII. publicatam, & acceptatum in generali Congregatione Romana 1628. in quo præcipitur obseruantia regulæ secundum declarationes Nic. III. & Clem. V. & annullantur omnia in contrarium: & certum est posse capitula generalia renunciare priuilegijs; & dispensationibus. *Portel. V. Generalis n. 5. Compend. priuil. eodem tit. §. 14. Hieronym. Roder. resolut.* 124. *num. 26. apud quem Rodrig Miranda. & ipse Corduba in adnot. ad priuil. V. absolutio ordinaria quoad Fratres. §. 7. fin.* Appono verba breuis Vrbani, æditi ann. 1625. 1. Octob. cuius initium est, *Sacrosanctum Apostolatus ministerium Statutis* (inquit) *& per eos in Capitulo generali proximè præterito decretis inhærentes, &c. Quod de cætero, perpetuis futuris, temporibus, omnes, & singuli eiusdem ordinis professores iuxta dicti ordinis regulam, nec non declarationes à piæ mem. Nicol. III. & Clemen. V. Romanis Pontificibus desuper emanatas, cum calepodijs, &c. Prædictamquè Iulij II. prædecessoris; & quascumquè alias concessiones, seu indulta, tam per literas Apostolicas, & motu proprio, quàm viuæ vocis, oraculo, & alias quomodolibet contrarias, abrogamus.* Quæ ad verbum replicata sunt in dicta *Congregatione generali Romana statuto primo.* ac etiam in *Toletano* 1633. *tit. de obser. regulæ statuto. item primo* in quo additur; *Atquè adeo districtius pręcipitur omnibus, & singulis nostræ Religionis Patribus, et Fratribus, vt declarationes regulæ nostrę, per Nic. III. & Clemen. V. ęditas omninò seruent. nulla penitus admissa contra prædictam puritatem regulæ dispensationes: qui contrafecerint pœnis, aduersus instituti nostri transgressores taxatis, omninò subiaceant.* Ex quibus clarum est, hoc tempore nos vti non posse Martiniana; tum quia est contra puritatem regulæ, vt probatum

Post renunciationes priuilegiorū relaxatiuorum Syndico Martiniano, vti non possumus.

Capitulum generale priuilegijs renunciare potest.

batum est;tum quia(ex concessione Cordubę) est contra declarationes horum duorum Pontificum.

Obijcies primò, *Ex Miranda cap.79. in regulam.* Clem.VIII. *in Capitulo generali Romano* 1600.præcipit obseruari ab omnibus Martinianam,& in se recepit dominium omnium pecuniarum.*y quedò(inquit)de todo punto reuocanda la otra constitucion,y mandado del Señor Nicolas terzero.*

Respondeo primò,si verum esset hoc,iam per breue Vrbanū esset reuocatū.

Respondeo secundò,breuè quod citat,non vidi,eius tamen summarium, initio statutorum illius capituli præfixum,legi, in quo confirmat statuta in forma communi,*dummodo Sacris canonibus,Concilio Tridentino, & decretis Apostolicis non sint contraria.* Ergo non sunt reuocatæ declarationes Nicolai III.in corpore iuris insertæ.

Respondeo tertiò,examinando statuta,primum est, *Declaratur iuxta sancita per dominos Papas Martinum V.& Paulum VI.quod dominium pecuniæ,licito modo oblatæ pro fratrum necessitatibus, ad Sedem Apostolicum spectat.* Quæ verba non opponūtur Nicolai III.declarationi, quia loquitur de pecunia licito modo oblata.Modus autē licitus est,quē hic pontifex declarauit.Non alius,qui cōtinet dispensationem. *In dubijs enim ad ius recurrendum est Zasius in lib.2. ff.de orig.iuris.l.1. §.cumque hęc.C,de vetere iure encul.l.ob carmen. ff. de testibus.apud Ioannes Caluinum in lexico numer. 60. & 70. Dubia in meliorem partem interpratanda sunt. l. cum creditor. ff. de furtis. in dubijs tutior pars est eligenda.l. si fuerit. §.vltimo.ff.de rebus dubijs.*& alia apud *Barbosam.axiom.*78. *num.*1.& 2. Melior autem, & tutior est illa, quæ puritatem regulæ asserit. Quis enim reuocatam tam famosam decretalem putet, per vnum statutum in forma communi confirmatum? Qui autem nollet elusorias esse concessiones Martini, & Pauli, videbere confiteri dispensationem, iam repudiatam: vel eos loqui de pecunijs, quarum ignorarentur Domini, quę ad papam spectant: & sic benè locutus est Corduba.Tandem,esto sit validissimum hoc statutum,iuxta mentem Mirandæ, iam nunc per tot succedentia capitula reuocatum est.Secundum statutum in eodem capitulo sancitum est tale.*Præcipimus,ne sub aliquo colore,vel prætextu, ampliorem, quam necessitas expostulat, suppellectilem alicui concedant,sed Fratres omnes ad puram obseruantiam Martinianæ constitutionis reducere conentur.* Nec verbum quidem vltra additur,vt mirum sit,vnde tanta Miranda depromserit.Hoc enim statutum de pecunijs non loquitur, sed de suppellectile superflua super qua præcipitur obseruari Martiniana,non quoad omnia, sed quoad suppellectilem.alias dixisset constitutiones Martinianas non constitutionem, quam sic ex *firmamento trium ord.p.4. pag.15.* exscribo. *item sani Fratres in dormitorio culcitris,& puluinarijs de pluma, & linteaminibus non vtantur,cingulum habeatur.chorda communis, & rudis, & omnis curiositas ab ea penitus abscindatur.* & fusè priùs præscripserat de vestitu Fratrum,&c.& sic patet, quam malè concedant aliqui,reuocatas esse decretales in corpore iuris inclusas per talia statuta,cum ista,nec minimum illa tangat.

Obijcies secundò, Paulum IV.in bulla *Ex Clementi.apud bullar. Rodrig. pag.* 369.qui super omnes alias facultates Syndicorum relaxat. *Nec(inquit) propter præmissa Fratres Minores contra regulam Sancti Francisci, quam professi sunt, & profitebuntur in futurum, siuè contra statuta regularia sui ordinis in aliquo facere*

In dubijs,ad ius recurrēdum est, & tutior pars eligenda.

facere, vel fecisse, imò cum illius obseruatione quoad hoc, & pura, & sana conscientia, sine alicuius conscientiæ scrupulo vixisse eatenus, & in posterum viuere. En temeritas quam inurit Corduba, contrarium sentientibus. Qui aliam qualificationem similem Martini V. notari vult, dicentis, *Et pura obseruantia in suo vigore seruetur.*

Respondeo, hanc bullam esse subreptitiam inter cæteras, & subreptitiè impetratam à Reuerendissimo Clemente de Monelia tunc Generali, certum est. Nã cum subreptio ex narratiua, & supplicatione dignoscatur, vt dixit *Ioann. Perrini tractat. de dispensat. ff. min. in solutione argumentorum, ad primum.* & hic alijquè Pontifices moti sint, quia illis expositum fuit quod eleemosinæ essent attenuatæ, quia necessitates patiuntur, quia cum hac collectione eleemosinarum, quietius, & tranquillius viuerent. & vt *Paulus* 4. ait. *Vt exclusis quibuscumquè sollicitudinibus, liberiùs, & quietiùs, diuinis possent vacare obsequijs, Fratres Minores regulæ obseruantiæ huiusmodi, & animarum saluti peramplius proficere.* Hæc enim, aliaquè similia friuola, falsa, & regulæ contraria sunt. Quia licet, commodiùs viuatur cum collectione pecuniarum, imò, & cum redditibus, tamen quietiùs in conscientia, & in obseruantia non viuitur. & prima vacatio diuinis obsequijs est obseruatio regulæ, secundum suam puritatem; & quò pauperiores sunt Fratres, & suæ regulæ obseruantiores, eò meliùs animarum salutem promouere possunt, quia secundum illud dictum. *Nemo sibi malus, alijs bonus esse potest.* & Minores non sunt introducti in Ecclesiam Dei, vt liberiùs, & quietiùs viuant, sed vt mendiciùs, & abiectiùs. Nec statim recurrere debent ad tertium modum viuendi in religione, scilicet ad oblata sponte, vel quartum scilicet ad recursum ad amicos spirituales, sed ad primum per laborem, & ad secundum per mendicationem, vt probè nouauit *Anonimus scriptor in additionib. ad Ioan. Perinum in eodeo firm. 4. par. pag.* 129. Hinc priuilegia, vel concessiones, quæ impetrantur, tacitis veris causis, propter quas, Pontifices talia non concessissent, subreptitia sunt, & nulla. *cap. super literis. de rescriptis.* Nec credendum est, amantissimos Ecclesiæ Romanę Præsules, voluisse deformare vnico verbo insigne Minoricæ paupertatis priuilegium, sine magna causa. *cap. Ecclesia. de elect.* Nisi dicere velimus sciuisse Summos Pontifices corruptelam, & voluisse Fratres à peccato immunes reddere, vt *securius possent, &c.* Vt credo accidisse. Sed in hoc est dispensatio, quam repellimus. Colligo etiam subreptionem ex alio capite, quia Paulus IV. affirmat Fratres viuentes secundum Martinianam, *Non violasse statuta ordinis.* Hoc autem in veritate non subsistit, quia Martiniana in multis est contraria, & pessumdedit statuta Narboñẽsia facta à S. Bonauentura, ac Farineria, & quæ tulit S. Bernardinus, vt videre est in quadam Epistola, quã dedit ad Fratres, ac etiã altera, in *firmam. pag.* 178. & 179. Nec mirum est, quia cum hæc consistant in facto, Pontifices ex supplicantium suggestione mouentur, & licet Corduba contrariũ sentiat, alij tamẽ ante ipsũ, subreptitias, & malè impetratas tenuerunt Bullas Clemen. IV. *obtentu diuini nominis.* Martini V. citatum Pij 2. *Ad exequendum.* Eugen. 4. *Apostolicæ Sedis cura.* Sixti Quarti, *Dum fructus vberes.* Alexand. VI. *Ea quæ per nos.* De his supra dictus *Anonimus in fine additionis* ait. *Cõcessiones, et Bullæ subreptitiæ, & relaxatoriæ, & excessiuè quæ meritò (velut falsæ, et nullæ, saltem in certis passibus vbi excesserunt) repudiantur, & repudiandæ docentur, &c.*

Surreptio vnde cognoscatur in bullis.

Respondeo secundò, *Tuta conscientia viuitur secundum hanc concessionem,*

Quia adest dispensatio. Vt exprçssè dicit Martiniana, *Misericorditer dispensamus.* Religio autem dispensationes repudiat nunc.

Objicies tertiò, Martinianæ Constitutiones compositæ, & lectæ fuerunt à B. Ioann. à Capistrano, doctissimo, æquè, ac Sanctissimo in *generali Capitulo Assisij ann.* 1430. *In firmam. pag.* 180. Ergo temerarium est asserere à tanto Viro prodijsse statuta Regulæ destructiua.

Respondeo, actum fuit in illo capitulo de vnione obseruantium, & conuentualium, cui consulens Beatus, dispensationem petijt, non pro obseruantibus, sed pro Conuentualibus. Elicio ex verbis statuti, post facultates Syndici, *Non adstringentes* (inquit) *eos præterea, qui voluerint prædictas declarationes* (Nicolai scilicet, & Clemen.) *seruare, qui in voto suo satisfacientes, seruare debeant, & tenere.* Ecce vita verè obseruantium Regulam, quam ipsi, & alij reformati obseruabant, qui reperiebantur in diuersis conuentibus; alijs minùs perfectis, & ad decliue tendentibus, est dispensatione subuentum.

Obijt quartò. Opinio Cordubæ, doctoris classici, est probabilis, eò vel maximè cum de materia ex professo tractet, & asseclas nactus sit; Ergo potest teneri, etiam si opposita sit probabilior, ex communiter scribentibus apud *P. Aloysium à Cruce in fine operis super Bullam Cruciatæ, & compositionis, &c.*

Respondeo, nunc non est probabilis, post tot generalium Capitulorum decreta: Etsi viueret, sententiam retractaret.

Tandem coronidem disputationi appono, verba Martinianæ dicentis. *In omnibus autem, quæ vltra hoc, videntur magis arctare Fratres, siue ex declaratione Clementis, siue quacumquè alia declaratione Summorum Pontificum, vel aliorum quorumcumquè, Apostolica authoritate misericorditer dispensamus.* igitur declarationes, Nicolai, & Clementis arctant magis, id est, supra ea, quæ de Syndico concessa, & declarata erant primùm antea. Hæc autem arctatio venialis non est, sed mortalis, quia materia venialis, nec arctat, nec indiget dispensatione.

Nec recursus ad dominium Papæ, & ad id, quod Fratres nihil iuris habent in pecunijs satis rem elucidat; tùm quia, hac ratione possemus habere bona immobilia, terras, & castra, dummodo dominium sit apud Papam, & vsus quoad Fratres. Tùm quia ius, & proprietas votum paupertatis conuellit, in primo & sexto capitulo præcepto, ac non recipere, non colligere, non vti, non recurrere ad pecunias, est aliud præceptum sub mortali obligans, quod secundum Regulam obseruare debemus.

Cętera autem statuta circa vsum Syndici elicita sunt ex decretalibus Nicolai III. & Clemen. V. ad literam, ideo illa tanquam iustificata relinquimus.

Caput

Caput V.

DE MODO LABORANDI.

STATVTVM I.

Omnes Fratres, præsertim iuuenes, honestis laboribus, horis competentibus occupentur. Et qui reperti fuerint notabiliter otiosi, voce actiua, & passiua, grauioribusquè pœnis mulctentur.

Tres laboris vtilitates ex Regula colligit S. Bonauentura. nimirùm otiositatis exclusionem; deuotionis inflammationem; necessariæ sustentationis adeptionem; poterat etiam addere quartam, scilicet, valetudinis conseruationem. *Laboris vtilitates.*

Et quidem de otio vitando, deq; vtili labore adhibendo, sacra scatent, & prophana volumina. Multa post alios *ex Basilio Ephrem. Syro, Hieronym. August. Eusebio Emisseno, Cassiano, Isidoro, Bernardo, Hugone Victorino, Alberto Ierosolimitano, Bonauentura, Cartusiano, Laur. Iust. Thoma Campensi, Tritemio, Chrysostom. Anthioco, alijsquè collegerunt. Ioann. Baptista Lezana de Reform. Regular. c.* 10. *Anton. Perez in cap.* 48. *Regulæ Sancti Benedicti, Cyprianus Rousser. lect.* 1. *in cap.* 5. *Regulæ S. P. Francisci, Iulius Nigronus tract. de labore manuali Religios. Peirinus tom.* 1. *q.* 1. *c.* 28. §. 4. *&* 9. §. *Nonum remedium. Polianthea nouissima. V. otium, & V. labor.* Quibus nonnulla breuiter superaddam. *Vitandum otium.*

De labore manuali Religiosis, vel permisso, vel concesso, vel præcepto, multa scripserunt inter Scholasticos *S. Thom. opusc.* 19. *cap.* 5. *& S. Bonauentura opusc. de pauper. Christi. q.* 2. *cont. Mag. Guglielmum, opusc. de tribus quæst. ad Magistrum innominatum. q.* 2. Fuerunt enim Hæretici inter se discordes, qui Religiosis manualem laborem, vel interdicebant, vel præcipiebant; itaut alij dicerent ad amouendam sollicitudinem eos laborare non debere: quod condemnatum fuit in *Con. Niceno. lib.* 3. *de eiusdem con. decretis. c. de his, qui dicunt non oportere Christianos laborare tom.* 1. *con. pag.* 401. Alij ad acquirendum victum, & otium vitandum, ad laborem sub precepto adstringebant. Qui omnes *corrumpunt Ecclesiam, & deprauant Scripturam, vt inquit, & probat S. Bonauen. quia primi simulando falsam iustitiam fouent inertiam, & introducunt otium; nimis ampliantes Verba Euangelica, & arctantes Verba Apostolica.* Secundi autem persequuntur Spem Vitæ, & contemplationis excellentiam. Hinc vtriquè Sanctissimi Doctores firmant hanc conclusionem, *Seruos Dei non teneri ad manuum laborem nisi in casu*, vt ait *S. Thom.* vel *de pauperib. validis aliqui sunt adstricti ad laborem, aliqui verò absoluti, aliquibus indicitur sub præcepto, aliquibus pro consilio, aliquibus nec isto, nec illo modo.* *Hæretici circa labores manuum.* *Non tenemur laborare, nisi in casu.*

Respublica quibus laboribus subſtẽtatur. modo. vt dicit *S. Bonau. qui probat* ab exemplo Reipublicæ Chriſtianæ. Hæc enim ſuſtentatur opere manuali, qua præparantur alimenta, veſtes, habitacula. Opere ciuili, quo gubernatur, defenditur, prouidetur, per Iudices, milites, mercatores. Opere ſpirituali, quo docetur, inſtruitur, paſcitur prædicatione pſalmodia, Sacramentis doctrina, &c. & certum eſt ſecundos, & tertios in Republica non obligari ad labores corporales ex verbis Apoſtolicis, vt aſſerit *S. Auguſt. de opere Monach. c. 21.* ita in Religione non omnes tenẽtur laborare, ſiquidẽ alij præſunt, alij docent, alij Sacramenta miniſtrant, alij ſcribunt, alij prædicant, alij cantant, &c. *Qui laborare tenentur.* Et illi tantùm laborare tenentur ſub præcepto, quibus vel obedientia iniungit, vel cum ſint valido corpore, adquè labores apti & ad ſpiritualia inepti, vitandi otiũ, & acquirendi cibũ, alia via nõ ſuppetit. Quibus autem ad vtrumquè facultas adeſt, labor in cõſilio eſt, nõ in præcepto. in quibus verò validitas ad ciuilia, & ſpiritualia, & inualiditas ad corporalia reperitur, labor nec in præcepto, nec in cõſilio iniungitur. quia relinquere maius bonum, pro minori, cõtra rationem eſt. *Hæc S. Bonau.* Quibus addo *S. Thom.* reflexionẽ. Si enim inquit labor eſt de cõſilio, regulares nõ obligat niſi illis præcipiatur in regula. Si de præcepto naturę, vel diuino, obligat etiam ſæculares, & verè labor non præcipitur niſi in caſu, quo vitari debeant peccata, quod probat allegando tria loca Apoſtoli, in quib. ſolis inuenitur labor in præcepto. Primus eſt *ad Eph. 4. qui furabatur, iam non feretur magis autem laboret, operãdo manib. ſuis. ſecũdus* eſt *1. ad The. 3. cum eſſemus apud vos, denunciabamus vobis quantũ ſi quis non vult operari, non manducet. audiuimus enim quoſdam inter vos, ambulare inquietè, nihil operantes, ſed curioſè agentes. tert.* eſt *1. ad Th. 4. operamini manib. veſtris, ſicuti præcepimus vobis, vt honeſtè ambuletis ad eos, qui foris ſunt.* quib. locis patet præcipi laborem ad vitandum otiũ, furtum, inhoneſtate. quib. alia mala connecti poſſunt. Et in his caſib. non tantùm regularibus, verum etiam Sęcularibus, laborare, præceptum eſt. Iuxta quam doctrinam facilè declarantur loca aliquot Scripturarum, & Patrum, contra præſeferentia.

Religioſis familiaris labor. Hinc in Regulis Monachorum, & Eremitarum iniungitur labor, vt in Regula Sancti Benedicti *cap. 48.* Camaldul. *capit. 2. circa medium. & cap. 35. per totum.* Sancti Baſilij *in reſponſione ad 36. interrogationem.* Sancti Pachomij *in Regula ſibi ab Angelo data* Sancti Iſidori *in Regula Monach. cap.* 5. Sancti Hieronymi *in Regula monach. c. 13. &* 38. S. Bernard. *tract. de vita ſolitaria ad Fratres, de monte Dei.* Iniungitur (inquam) tùm vt contraſignarentur à Monachis Sarabitis, & Gyrouagis; tum quia à principio, Monachi pro maxima parte erat Laici, & plebei, & ideo competebat eis circa conſueta opera occupari; tùm quia erant ſolitarij, & ſibi ſoli intenti, & cum paucisſimorum ſit, ſemper ſpiritualibus attendere, ad remouendum otium, fuit illis labor iniunctus. Nunc autem non eſt ſic.

Labor ſuadetur. Quod autem attinet ad conuenientiam corporalis laboris, habemus præter Scripturas *Canon. 51. con. Sarthaginenſis quarti, in tom. 1. concil. pagin. 729.* dicentem. *Clericus quantumlibet verbo Dei eruditus, artificio victum quærat. Et 52. Clericus victum, & veſtitum ſibi artificiolo, vel agricultura, abſquè ſui officij detrimento, paret. Et 53. Omnes Clerici, qui ad operandum validiores ſunt. & artificiola, & literas diſcant.* Sancitos contra Maſſilianos Hæreticos in Africa, dicentes, Religioſos non debere laborare, ſed in Dei confidentia ſpem habere, ac de alienis laboribus viuere teſte *Epiph. her. 80. & Auguſtino lib. 2. Ret. cap. 21.* Eſt enim *Hæretici laborem prohibentur.*

error

error contra exempla Apoſtolorum, qui artificio panem parabant, *act.* 18. *&* 20. *primæ ad Chorint.*4.*&* 9.*primæ ad Theſſal.*2. *S.Clemen.Roman. lib.*2. *conſtitut. cap.*67. dicit. *Qui in Eccleſia iuuenes eſtis, curate in omnibus rebus neceſſarijs ſedulò miniſtrare, cum omni Sanctitate operi veſtro vacare, vt omni tempore, & vobis, & agentibus adminiſtrare poſſitis, ne Eccleſiam Dei oneratis; Etenim nos quoquè vacantes verbo Euangelij, ſubciſiuas operas non negligimus. Alij enim ex nobis piſcatores ſunt, alij ſcenarum artifices, alij agricolæ, vt nunquam otioſi ſimus.* Et *Sanctus Ignatius Epiſt.*7. *ad Tarſenſes*, ait. *Nemo inter vos otioſus ſit. Et Iuſtinus Martyr.de Vita Chriſtiana,*inquit,*Pudor ille in vitio eſt,vt vereamur,ſi ipſi manibus noſtris opus fecerimus, ne quis nos miſeros, & auxilio deſtitutos ſuſpicetur. Et S.Epiph.hæreſ.*8. ait. *Ex ipſis Dei Sacerdotibus,quidam vnà cum prædicatione verbi, imitantes Apoſtolum, pro viribus, & ſi non omnes,attamen plures proprij manibus operuntur, &c.* Multa alia *Bellar. lib.*2.*de Clericis, cap.*41. *&* 42.*& Baron. ann.*52. *num.*15.16.*& ann.*396. *num.*70.

Et vt ad noſtra redeamus, Quæro primò, Qui Fratres Minores teneantur ſub culpa, manibus laborare? Et ſub tranſgreſsione Regulæ?

Reſpondeo primò, ex ſuperiori Doctrina Superiores, & qui vitæ ciuili inſeruiunt, Sacerdotes, Studentes, Concionatores, Confeſſarij, Lectores, ac Clerici, qui vel pſalmodiæ, vel ſcientijs diſcendis,& docendis,alijſque pietatis operibus in Reipublicæ Chriſtianæ vtilitatem vacant. Item qui contemplationi in aliquo eminenti gradu attendunt, non tenentur ſub præcepto corporaliter laborare. Ita Nicol. III. *cap. exijt de verb. ſignif. in* 6.§. *Continetur quoquè in Regula. Non videtur* (inquit) *ea fuiſſe inſtituentis intentio, quod vacantes ſtudio, vel Diuinis Officijs, & miniſterijs, exequendis,manuali labori, ſeu operationi ſubijceret, vel ad hoc illos arctaret; Cum exemplo Chriſti, & multorum Sanctorum Patruum labor iſte ſpiritualis, tantò illi præponderet, quantò quæ ſunt animæ, corporalibus præferuntur. Ad alios verò, qui ſe in prædictis ſpiritualibus operibus non exercent (niſi tales aliorum Fratrum licitis ſeruitijs occupentur) ne otioſè viuant, verba prædicta declaramus extendi; Niſi & tales tam excellentis, & notabilis contemplationis, & orationis exiſterent, quod meritò propter hoc, non eſſent à tanto bono, & pio exercitio ſubtrahendi, &c.* in quem ſenſum ſcribunt omnes Expoſitores Regulæ. *Qui Fratres laborare nō tenentur.*

Reſpondeo ſecundò, Laici adducti ſeruitijs aliorum Fratrum, vt coquinæ, Oſtio, tonſtrinæ, cannauæ, & his ſimilibus vacantes, alio manuali labori attendere non tenentur. Patet ex Superiori. *Laici quibus laborare debent.*

Reſpondeo tertiò. Qui vltra munia, & ſeruitia ſibi commiſſa, tempus,quod ſupereſt,otio terunt,& in varias tentationes incidendi occaſiones incurrunt tenentur ſub præcepto laborare. *Alenſis* 2. *par. quæſt.*126. *memb.*6. *Otioſi ad laborem obligantur.*

Reſpondeo quartò, Quibus Superior committit honeſtum laboritium, ſpecialiter ſi Laici ſint, illud tenentur exercere, non ſolùm ſub præcepto obedientiæ,ſed etiam ex hoc præcepto Regulæ,quod in hoc caſu non eſt conſilium ſed præceptum. *Quatuor Magiſtri. Cordub. quæſt.*1. *cap.*5. *Regulæ. Cyprianus, ibid. lect.*1. *Labor per obedientiam impoſitus,ad implēdus eſt*

Reſpondeo quintò, Notabiliter otioſos, ſub mortali culpa eſſe,tum ex vitio otioſitatis, quod eſt animæ inimicum, &c. Tum etiam quia ſub grauiſſima pœna prohibetur in ſtatuto, quod ſemper tale in Religione perſeuerauit: in ſtatu- *Otioſus notabiliter in peccato eſt.*

tis

tis enim *Iulij Secundi cap.5. part.1.* dicitur, *Et si qui fuerint notabiliter otiosi, vel in ijs vitiosi, per Ministrum, vel Custodem voce actiua, & passiua priuentur, & ab omnibus promotionibus retrahantur.* Et quidem digna animaduersione, quia nil peius, nil detestabilius, nil turpius reperiri potest in Conuentu, Fratre otioso. Et relictis innumeris Scripturæ, & Sanctorum, ac prophanorum Scriptorum sententijs, placet referre, quæ dixit S P. Franciscus de otiosis: illos enim tepidos esse, atquè ex ore Dei vomendos, iuxta *Apoc.3.* dicebat. Vt in antiqua legenda *cap. de perfect. humilit. lib.1. confor.12. ex S. Bonauentura in Vita eiusdem Sancti cap.5.* Legitur. *Tepidi* (dicebat) *nec se humiliter labori applicantes, de ore Dei citò euomentur. Fratres ergo omnes laborare volo, & exercitari humiliter in bonis operibus, vt simus populo minus onerosi, & cordis, & linguæ malis obuiemus.* Fratrem quemdam otiosum, huc illucquè vagantem, aliorumquè labores manducantem, è Fratrum consortio expulit dicens. *Vade viam tuam Frater Musca, quoniam vis comedere laborem Fratrum tuorum, & otiari in operibus Dei, sicut fucus, apis otiosa, & sterilis, quæ non laborat, sed comedit laborem, & lucrum bonarum apum.* Sic Pisanus lib.1. confor.12. & 22. & lib.2. confor. 2. nil aptiùs, & accommodatius dici potuit; Nam musca animal inquietum, indocile, fastidio afficiens, omnia peruadit, in omnes insilit, omnia fœdat, vt verè dixerit Sapiens, *Ecclesiastes 10. Muscæ morientes, perdunt suauitatem vnguenti.* Quod ex textu Hæbreo aptiùs, *Muscæ mortuæ fetere faciunt vnguentum aromatarij. Musca verò impurũ animal* (inquit hoc loco *Olimpiodorus relatus 2.tom. bibliot. veterum patr. græc. lat. pag. mihi 663.*) *Quod putredines, & vlcera incidendo exugit, aperitq; lacere cutis scissuram. Mortificat autem, & corrumpit oleum vnguentarium musca, cum se in illud temerè proijcit, nam ipso immoritur, & olei vim extinguit.* Sic otiosus omnibus vitijs obuius, vel instructus (iuxta illud *Ecclesiastici 33. multam malitiam docuit otiositas*) nihil virtutis intentatum relinquit, quod corrumpat, & bonum Religionis nomen fœtere faciat. Vnde *Salonius Viennensis Gall. Episcopus tom.1. bibliot. Vet. Patrum pag. mihi 156.* interrogatus. *Quæ sunt muscæ de quibus Salomon dicit, muscę, &c.* Respondet. *Dæmones, vitia, & peccata, hæc enim omnia, exterminant gratiam Spiritus Sancti.* Quare connectentes vtramq; expositionem, colligere licet otiosos esse Dæmones, & destructores Disciplinę Regularis, nec quidquam intactum relinquere, vt benè *Sanctus Bernardinus Senensis de Christiana Relig. Ser.49. ar.1. c.2.* dixerit. *In omnibus mundi ferculis musca cadit.* Et benè in omnibus quia omnium virtutũ destructiuum, & omnium vitiorum productiuum est otium. Nam perdit castitatem, & generat luxuriam. *Ezech. 16. & 49. Hęc fuit iniquitas Sodomę Sororis tuę, Superbia, saturitas panis, & otium ipsius, & filiarum eius.* Quod expertus est Dauid 2. reg.11. perdit sapientiam, & producit stultitiam. *prou.12.11. Qui autem sectatur otium stultissimus est,* pessum dat diuitias, & inducit paupertatem. *prou.10.4. Egestatem operata est manus remissa.* Eneruat animi vires, & hebetat. *Eccl.10.10. Si retusum fuerit ferrum, & hebetatum, multo labore exacuetur, & post industriam, sequetur sapientia.* Deijcit ædificij spiritualis fastigium. *Ecclesiast.10.18. In pigritijs humiliabitur contignatio, & infirmitate manuum perstillabit domus.* Seditiones ciet. *Exod. 5. 17. Vacatis otio, & idcirco dicitis eamus, & sacrificemus Domino.* Soporem virtutum, & esuriem mundanorum immittit, *Prouer. 19.15. Pigredo immittit soporem, & anima dissoluta esuriet.* Difficilem virtutis acquisitionem reddit.

Otiosus vomendus.

Frater Musca.

Dæmones.

Otij effectus

Prouer.

*prouer.*22. 13. *Dicit piger, Leo est foris, in medio platearum occidendus sum.* Quid plura? Religiosum non Religiosum facit. 2. *ad Thessal.* 3. *Denunciamus vobis, vt subtrahatis vos ab omni Fratre ambulante inordinatè.* Quod ex mente *Chrysostomi hom.* 5. in hunc locum inferius declarat, *Audiuimus enim inter vos quosdam ambulantes inquietè, nihil operantes, sed curiosè agentes.* Igitur idem est Frater otiosus, ac Frater inordinatus, quia dixerat, *Et non secundum traditionem quam acceperunt à nobis. Non ergo* (sub infert *Chrysostom.*) *iussit Christus nos vsquam esse otiosos.* Et infra. *Planè enim necesse est, vt qui est otiosus, sit curiosus.* Et qui est otiosus sit inordinatus, quia Deus laborem ordinauit, & otiosus ab ordine suo deficit. Immò hominem non hominem reddit, qui Deus *hominem in Paradiso collocauit, vt operaretur, & custodiret illum. Gen.* 3. Et in toto ente creato, nullum reperit, quod non operetur secundum suam naturam, secundum axioma illud tritum apud Philosophos, *operari sequitur adesse*, ergo si Frater, si Homo, non operatur, vt Frater, vt Homo, æquiuocè talis appellandus erit. Quod fuit Tertulliano argumentum probare Deũ Marchionis non esse Deũ, quia eũ otiosum asserebat. lib. enim 5. cap. 12. ait. *Quanto honestiùs, per aliqua propriæ molitionis indicia cognitionem sui perstruxisset, in tantum Deum dignius credam non esse, quam esse sine causa.* Itaquè huic instituto congruit meditatio *Lippoman. in illud exod.* 23. *Videns Moyses Populum, quod esset nudatus*, quod ex Caldeo legit. *Quod esset otiosus.* Et ex *Augustino quæst.* 146. *in exod. quod esset dissipatus.* esse nimirum idem, otiosum, denudatũ, & dissipatum; Nec otiosis suffragatur, quod malum interim non faciant, quia, vt *Chrysostom.* dixit *hom.* 16. *ad Ephes. Nihil bonifacere, hoc ipsum est malum facere.* probatquè exemplis serui, & agricolæ, qui non furantur, non mœchantur, &c. Attamen non operantur, & tamen flagellantur, & eijciuntur, quia, *hoc ipsum malum est, hoc ipso quod otiosus fuit iniuriam intulit.* Subnectens de manu, *quæ nec linguam excindat, nec oculum effodiat, nec aliud huiusmodi malum committat, tantum verò otiosa maneat, an digna non esset, quæ amputaretur potiùs, quàm circumferretur otiosa, toti corpori nociua? Multò magis istud vtiquè in corpore Christi erit.* Etsi verum sit otiosos etiam esse summè laboriosos, quia otium ipsum, vt potè naturæ inimicum, est pondus ingens, & labor, iuxta acumen *Origenis hom.* 10. *in Matt.* in illud, *Qui portauimus pondus diei, &c. Nos* (inquit) *qui vndecima sumus vocati, sicut illi quidem non portauimus pondus diei, & æstus, portauimus autem pondus eò quod fletimus otiosi, antequam Paterfamilias veniret ad nos, qui dixit nobis. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis. Onus enim erat otiositas ipsa.* Ex quo etiam comprobatur confessio insipientium. *Lassati sumus in via iniquitatis, ambulauimus vias difficiles. Sap.* 5. Et tamen dicebant *cap.* 2. *Vbiquè relinquamus signa lætitiæ, quoniam hæc est pars nostra, &c.* Quo capita vitam otiosorum describit. *Nam frequenter* (inquit *Liranus*) *plus laborant homines ad perficiendum sua peccata, quam iusti ad iustitiæ opera.* Et licet otiosus non semper peccet mortaliter, est tamen paratus, & expositus ad cõmittẽda peccata; quia vt eruditus *Garziar del Valle tom.* 1. *concion. Euãgelici discursu* 20. *n.* 18. dixit. *Otiosus est tanquam res primò occupantis, vt trans aliqua, quæ redundanti flumine reijcitur in alienos terminos, & ibi manet, primò occupantis est, sic te otiosum, & mulier occupat, & hystrio vsurpat, & ludus arrogat, & quasi otiosum præoccupat.*

Ociosus, inordinatus.

Otiosus, non Homo.

Nihil facere, est malũ facere.

Otium est ingens labor.

Otiosus est primò occupantis.

Ideo Seraphicus Pater vbiquè ad vitandum otium, laborem inculcauit, nam

in

in prima Regula Minorum *cap. 7. & in 2. Regula cap. 5.* Et in Regula Monialium *cap.7.* Et in suo testamento ijsdem ferè verbis laborem consuluit, & præcepit. Vt otium animę inimicum effugaret ab ordine, sciens otio maiorem hostem non habere. Vnde *S. Bonauentura in Epistola, quam ad totum Ordinem scripsit,* relata in *firmam. 1. p. pag. 22.* inter cætera Ordinis destructiua, dixit. *Occurrit Fratrum otiositas. Quam plurimi Consopiti monstruosum statutum inter contemplatiuam, & actiuam erigentes, carnaliter, & crudeliter comedunt sanguinem animarum.* Cuius vestigijs insistens Reuerendissimus Bonagratia, qui fuit vndecimus Generalis, in alia simili litera, pręcepit *Discursus inutiles, pernoctationes superfluas, & occasiones damnosas, quę exterminant spiritum omni, qua decet sollicitudine compesci, & cogi Fratres in lectionis studio, ac alijs vtilibus exercitijs occupari.* Quos secuta sunt constanti serie, & obseruantia, generalia statuta Ordinis subsequentia.

Otium, ordinis destructiuum.

Quęro secundò, Quisnam dici debeat notabiliter otiosus, vt culpam grauem contrahat, & pœnas incurrat?

Otiosus notabiliter, quis.

Respondeo, ille qui nec spiritualibus, nec corporalibus exercitijs vacat: qui sæpe monitus à Prælato, adhuc otio marcescit: qui publicas communesquè orationes, quantùm potest, fugit: qui tempus, quod à communibus Diuinis Officijs superest, deambulando, vagando, inania loquendo consumit: qui tandem panem otiosus comedit. *Prou. capitulo vltimo,* itaut si esset Sęcularis, hoc viuendi genere cibum non lucraretur, secundum sensum *Glos. Ord. Panem* (inquit) *otiosa non comedit secundum illud, qui non operatur non manducet, et ipse Paulus de se, Quoniam ad ea, quę mihi opus erant, &c. Ministrauerunt manus istæ vnde luxuriantes Viduas arguens, ait. simul autem, et otiosę discunt circuire domos, non solùm otiosæ, sed verbosæ, & curiosę.* Hi enim verè, secundum *Senecæ* sententiam, *Vini, in otio, tanquam in sepultura,* sunt conditi, & iniusto titulo aliorum labores depascunt.

Otium sepultura viuorum.

STATVTVM II.

Præcipimus, vt post Completorium, omnes tàm Laici, quàm Clerici, & Sacerdotes, per spacium mediæ horæ, Orationi Mentali deuotè insistant. Post Matutinum etiam tantumdem temporis mentaliter orent. Præmissa, ad meditationis materiam, breui Lectione alicuius libri Spiritualis.

Sine Orationis studio nihil Religiosum proficere, & à Deo consequi dixit S. P. Franciscus, apud *S. Bonau. cap. 10. vitæ eiusdem Sancti & Pisanus lib. 1. confor. 12. cap. 5. Orationis (inquit) gratia Viro Religioso firmiter desideranda, sine qua nihil in Dei seruitio prosperabitur, nec aliquid ab ipso consequetur.* Immo nec Dei seruum esse, absquè tali exercitio, eidem Sancto Dominus reuelauit, vt re fer-

Sine oratione Religiosus non proficit.

refertur inter eiusdem opuscula *Collat.* 13. *Ego vobis* (inquit) *confiteor, quod rogaui Dominum, vt mihi dignaretur ostendere, quando sum seruus Dei, & quando non. Ipse autem Dominus benignissimus sua dignatione respondit mihi, Seruum meum veraciter te esse cognoscet, cum Sancta cogitas, loqueris, & operaris*. Quare non mirum si eius filius Seraphicus *Sanctus Bonauentura. opusc. de Procur. Relig. lib. 7. cap. 11.* dixerit. *Omnis Religio arida, & imperfecta est, et ad ruinam promptior, quę Spiritum Diuinæ suauitatis non quęrit, & præcipuum conamen ad studium internæ deuotionis non impendit. Et Cassianus Collat. 9. cap. 2.* Vocat Orationē ligamen omnium virtutum. *Sicut* (inquit) *ad orationis perfectionem omnium tendit structura virtutum, ita nisi huius culmine hæc omnia fuerint colligata, atque compacta, nullo modo firma poterunt, vel stabilia perdurare.* Quod citatus S. *Bonauentura*, imitatus dixit. *Instabilis est bonorum operum structura, quæ deuotæ orationis frequentia non compaginatur, sicut paries sine cemento.* *Vnde quis cognoscere potest se esse seruum Dei.*

Sed relictis, imò suppositis, innumeris, quæ adduci possent ex Sacris libris, & Scriptoribus de necessitate, vtilitate, & conuenientia orationis, quæ consultò prætereo.

Quæro primò, An Fratribus Minoribus imposita sit oratio mentalis sub præcepto. De vocali enim, vt de Diuini Officij recitatione, & orationibus Laicis impositis, dictum est, obligare sub mortali, nunc autem quæro de oratione mentali?

Respondeo, aliquando orare mentaliter, sub mortali obligantur. Ratio est, quia sub mortali tenentur attendere studio perfectionis. *Suar. lib. 1. de oblig. Religios. cap. 4. Corduba. in Reg. S. Francisc. cap. 1. quæst. 3. Rodrig. tom. 3. quęst. 48. art. 1. Nauarr. in cap. quia portio. 12. quęst. 1. num. 10. Sanchez lib. 6. in decal. cap. 5. num 10. S. Thom. 2. 2. quęst. 186. art. 2. & 9. Caietan. ibid. Valentia 1. 2. disp. 7. q. 5. punct. 6. Vasquez ibid. disp. 158. cap. 6. num. 57. Barthol. à S. Fausto de Vit. propr. cap. 1. num. 10.* Sed acquirendæ perfectionis præcipuum instrumentum est oratio mentalis, quæ est (moraliter loquendo) simpliciter necessaria ad consequendum finem, intentum per statum Religiosum, vt ait *Lezan. tom. 1. cap. 7. n. 24.* vbi citat *Caietanum 2. 2. quæst. 82. art. 3.* dicentem. *Non posse vocari Religiosum, qui saltem semel in die ad huiusmodi exercitium non se transfert.* Quod dixerat, à *Suar. tom. 2. de Relig. lib. 2. cap. 4. num. 3.* Licet enim perfectio, principaliter in caritate consistat, quæ est perfectionis vinculum, quæque nos summè Deo vnit; ad obtinendam tamen, conseruandam, augendamquè hanc charitatem, absolutè necessaria est oratio mentalis, quæ est vnica causa instrumentalis talium effectum. Non ignoro sententiam *Nauarri in Enchir. cap. 20. num. 61. & Suarij supra* illum citantis, & sequentis *à num. 4. ad 7.* non dari præceptum speciale, positiuum, vel diuinum de oratione mentali, nisi quantùm occurrat obseruare particularia præcepta, confessionis, contritionis, dilectionis Dei, vitandæ tentationis, &c. Quibus necessariò adnexa est consideratio mentalis, & quædam mentis in Deum eleuatio, Atquè adeo esse temerarium docere, quod omnes fideles teneantur ad statos dies, vel horas meditationis, & mentalis orationis; Et Religiosos non teneri sub præcepto ad orationem mentalem ex vi sui statutus, & iuris diuini, nisi id vouerint, vel in Regula præcipiatur, Eòquod status Religiosus non affert specialia præcepta, præter ea, quæ vouentur, & in Regula continentur. Et non omnia media ad perfectionem ordinata obligant sub

Orare mētaliter aliquādo sub p. m. obligamur.

Qui sentiāt contrarium.

ſub præcepto. Nec omnia, quæ ponuntur in Regula obligant ſub mortali. Et quod magis vrget, in Regula noſtra nullum adeſt præceptum de oratione mentali, nam in hoc *quinto capitulo*, vbi dicitur, *Laborent fideliter, & deuotè, itaquod extluſo otio, animæ inimico, Sanctę orationis, & deuotionis ſpiritum non extinguant, cui, &c.* Omnes expoſitores dicunt eſſe conſilium, & in illo capitulo nullum reperiri præceptum, *Vt Corduba in ſumm. capituli. Et in opuſ. de contentis in Regula, ex Gondiſaluo, Nicolao de Auximo, & alijs, collecto*, ponuntur hæc verba in *cap. 7. de admonitionibus ad bonum*. Et in *cap. 10.* vbi dicitur. *Attendant, quod ſuper omnia deſiderare debent habere Spiritum Domini, & Sanctam eius operationem, orare ſemper ad eum puro corde.* ijdem expoſitores, ex vi Regulæ admonitionem eſſe affirmant, quod ex titulo ipſo capituli apparet; quod eſt de *Admonitione, & Correctione Fratrum*. Et in nullo alio loco, præter capitulum tertium, vbi de officio diuino Clericorum, & Laicorum agitur, reperitur facta mentio de oratione. Et licet verum ſit, in duobus citatis locis agi de oratione mentali, attamen ſub præcepto impoſita non requiritur. Et cum ex ſupradictis, ſtatuta ordinis ad culpam mortalem non obligent, non apparet vnde imponendum eſt Fratribus onus mortalis culpæ de oratione mentali. Nimirum, quia neque ex præcepto diuino, neque ex naturali, vel poſitiuo iure, neque ex ratione ſtatus Religioſi, neque ex Regula reperitur expreſſum.

An in regula ſit præceptũ de oratione mentali.

Attamen perſiſto in mea ſententia, quæ eſt *Ioann. Viguery in Inſtitutionibus ad Chriſtianam Theol. cap. 5. de Virtute iuſtitiæ §. 5. V. 5.* vbi ait. *Mentaliter orare eſt præceptum iuris naturæ, & diuini obligans omnes, ſicut ſe ſubijcere Deo, & petere ea, quę ſunt ad ſalutem neceſſaria, quę omninò noſtram excedunt capacitatem, &c. Maximè autem orare tenemur in articulo neceſſitatis corporalis, vel ſpiritualis, &c. Et ideo omittendo peccat mortaliter. Andreę Vega. de Iuſtificatione lib. 12. cap. 23. in medio.* Vbi explicans media neceſſaria ad perſeuerantiam, iuxta mentem S. Con. Triden. nimirùm Ieiunium, eleemoſinam, & orationem, de oratione ait. *Quia imbecilles ſumus, & multis nominibus impares hoſtibus noſtris ſpiritualibus, pręcipua pars perſeuerantię ex Dei dono eſt, primum, & ante omnia neceſſarium ad perſeuerandum, eſt iugis, deuota, & feruens oratio.* Quæ eſt redditio cauſæ à priore cur orare debeamus, nimirùm indigentia diuini auxilij ad perſeuerandum, non tantùm in accepta iuſtificatione, ſed in acquirenda perfectione, & conſeruanda, cùm par ratio vtriuſque ſit, quoad Religioſos, qui damnantur, niſi acquirendæ perfectioni ſecundum ſuas Regulas ſtudeant. Equidem *Concil. Trid. Seſſ. 6. capit. ait, Hoc iuſtitię incrementum petit Eccleſia cum orat. da nobis fidei, ſpei, & charitatis augmentum, Et cap. 11. ex Auguſt. de natura, & gratia cap. 43. Concil. Araſicano 2. cap. 25. Hieronym. Epiſt. ad Creſiphontem* ait. *Deus impoſſibilia non iubet, ſed iubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adiuuat vt poſſis.* Igitur iubet, vt petamus, quod non poſſumus, eſſe aut perſeuerantes in ſtudio perfectionis, ex nobis non poſſumus. Et in *cap. 13.* replicat, orationes neceſſarias eſſe ad perſeuerandũ, & hoc eſt de fide, & nulli Catholico dubium eſt: Licet non ſit de fide, vt mortaliter hæc auxilia imploremus. Attamen experimento conſtat, vt plurimùm orationibus mentalibus, quæ feruentiores ſunt, id nos aſſequi. *Gregor. de Valentia tom. 3. diſput. 6. queſt. 2. puncto 3.* Qui ex Sancto Thom. multis probat diuinum, & naturale orationis præceptum, neceſſarium ad ſalutem, præcipuè tempore neceſſitatis, *Vt cũ quis* (inquit) *ſentit graue*

Qui affirment orationem mentalem, iniunctã eſſe ſub mortali.

uem tentationem, cùm est opus arduum aggressuris. Et citat *Medinam quæst.* 11. *de oratione*. *Et Siluestrum V. oratio. num.*8. Et sub infert, *Eum, qui longo tempore non orauit, aliquando peccauisse mortaliter, omittendo orationem, quia longo tempore (moraliter loquendo) incidunt grauissimæ tentationes, ad quas reppeliendas oportet ex præcepto orare*. Nec video, quæ maiores tentationes accidere poterunt, quam circa obseruantiam votorum, & Regulæ quæ sunt Minoricæ perfectionis instrumenta, &c. Quinimò ipse *Suar. citat. tom.*2. *de Relig. lib.*1. *cap.*28. *à num.*3. Satis clarè probat, orationem, non solùm esse necessariam ad salutem, necessitate medij, Ex *S. Thom.*2.2. *quæst.*83. *art.*3. *Hieronym. Epist. ad Ctesiphontem, & lib.*1. *contra Pelagianos*. *August. cum alijs Patribus Aphricanis Epistol.*90. *& de Ecclesiasticis dogmatibus cap.*56. *Chrysostomo Ser. de Moise*. *Matt.*7. *Petite, & accipietis*. *Luc.*18. *Oportet semper orare*. *Matt.*26. *Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem*. Idquè optimè probat ex ordine diuinæ prouidentiæ, quia Deus vult operationem nostram, tanquam causalitatem causę secundæ, sicuti in adultis ad gloriam requirit meritum, & ad iustificationem peccatoris, dispositionem, quam ponit *Concil. Trid. Sess.*6. *cap.*4.5.6. Et ne dubium remaneat, an præceptum orandi sit de oratione tantum vocali, idem *Suar. cap.*9. *n.*5. probat de rigore obligare tantùm ad orationem mentalem, ex *Medina, S. Thom.*2.2. *quæst.*83. *art.*12. *Sylueſtro & alijs*; quia licet possimus orare vocaliter, satisfacimus tamen præcepto, orando mentaliter. Ex his omnibus infero tale argumentum. Ad necessaria media acquirendę perfectionis, Religiosi sub mortali tenentur; sed oratio, & pręcipuè mentalis, est necessarium medium ad acquirendã perfectionem, ergo sub mortali tenentur ad orationem, pręcipuè mentalem.

Dixi in responsione, teneri aliquando ad orandum mentaliter, quia hoc semper, idest quotidiè, & in omnibus statutis horis, quibus fieri solet, sub tali rigore non obligat, quando autem obliget, patet ex dictis, nimirùm cum tentatio contra Regulę obseruantiam vrget, cum difficilem nobis se se pręstet perfectionis adeptio; cum nos in charitate frigere cognoscimus, &c. idque omnibus diebus quibus, id nobis contingere videmus. Eo præcipuè casu, quando per orationes vocales non calescimus, siquidem in meditatione ignis exardescit. Mitto orationis mentalis contemptum, quem esse peccatum mortale, nemo inficias ibit. Mitto etiam, dum nulla adhibita diligentia in consessu mentaliter orantium, frigidas, & materiales orationes vocales arripimus. Quia lata culpa, & neglectus contemptui cõparatur, verè enim monstrum est, inter meditantes & contemplatiuos, nonnullos semper garrire. Nisi vt citat. S. Thom. q. 83. art. 12. docet) fiat, interrumpendo mentalem, *Ad excitandam interiorem deuotionem, & ex abundanti redundantia ab anima in corpus, illud psalm. lætatum est cor meum, & exultauit lingua mea*. Concludo cum determinatione statutorum Papalium *Iul. II. cap.*3. *par.*3. dicentium. *Iuxta monitionem Regulæ nostræ c.*10. *dicentis, super omnia studeant habere Spiritum Domini, & Sanctam eius operationem, id est operum eius, ac vitæ, & passionis recordationem, siuè meditationem, & imitationem, orare semper ad eum puro corde, &c. Nam hæc potissimè requirit Religionis perfectio ad quam pro posse tendere, & operam dare tenentur omnes Religiosi, & maximè Minores, qui ad ista specialiter sunt vocati*.

Quæro secundò, An melius sit, conuenire Fratres in vnum, in Ecclesia, Choro, vel Oratorio ad perficiẽdam orationem mẽtalem. An verò expediat singu-

[…] […]ijs cubiculis, vel separatis locis orare solitarios.

Communes orationes qui, & quomodo aduersentur. Respondeo, examinauit ex professo quæstionem hanc *Nigronus in Regulis comm. Regula 1. à num. 17.* probans, separatim esse orandum, idq; grauissimis (vt ait) de causis. Tum quia non omnes possunt statuto tēpore conuenire. Tum quia nō omnes possunt per integram horam flexis genibus orare. Nec expedit homines actuosos bis in die in vnum congregare. Tum quia oratio, quæ coram alijs fit, non potest in particulares quosdam impetus, & effectus erumpere. Tum quia alij alios strepitu, vel motu corporis incommodant. Tum quia Sancti, & Sanctorum Magister Christus, priuata loca, remotis arbitris ad orandum eligebant; quinimò, & docuit in cubiculo, clauso ostio orandum ad Patrem.

Simul orare antiquissimū est. Verum sentio standum esse cum nascentis Ecclesiæ consuetudine, & legitimo diuinorum eloquiorum spiritu. Fatetur enim *Suar. tom. 2. de Relig. lib. 4. de orat. publica Ecclesiæ cap. 1. num. 5.* Esse doctrinam certam de fide, quod Chorus Ecclesiasticus in quo publicæ, & communes orationes fiunt à Populo Christiano, sit Sanctus, & à Spiritu Sancto introductus in Ecclesia. Nomine autem communis orationis intelligit etiam mentalem, quæ à communitate Religiosa fit, ad quam personæ omnes eadem hora conueniunt ex communi ritu, & consensu. Licet suæ Regulæ innixus, putet non esse necessarium, vt orantes in eodem cōmuni loco proximè conueniant, sed sufficere, vt in eadem domo, in diuersis Cellis, vel diuersis Domibus, imò, & Populis eadem hora ad orandum, vel mentaliter, vel vocaliter conueniant. Vt quis deducere possit, esse communem orationem, quam faciunt Itali, & Hispani horis vespertinis, & nocturnis, quæ communitas nimis laxa est, & à nostro instituto discedens. Sufficit conuentum in communi loco orātium esse de fide ex Suario, & à Spiritu Sancto introductum, idquè optimè probat *act. 1. Erant perseuerantes vnanimiter in oratione.* De quo *Chrysost. hom. 79. ad Populum Magna* (inquit) *vis est orationis in Ecclesia concorditer à Populo oblatæ, &c. Et domi quidem orari potest, sic autem, vt in Ecclesia non potest, vbi tanta patrum multitudo, vbi clamor ad Deum vnanimiter emittitur, &c. Et cap. 4. Qui cum audissent vnanimiter leuauerunt vocem ad Deum, & dixerunt, &c.* Poterat ex *cap. 12. Petrus quidem seruabatur in carcere, oratio autem fiebat ab Ecclesia ad Deum pro eo.* Cuius vim ponderans *Chrysostom. hom. 2. in 2. cor.* ait. *Deus enim frequenter reueretur multitudinem vnanimem, & cōsentiētem in præcando, vt veluti pudore victus non ausit illis negare.* Cui accinit *S. Cyprianus Epistol. 1. Quidquid* (inquit) *simul petitur à cunctis, Deus pacis pacificis exhibet.* Poterat ex verbis Domini *Matt. 18. Dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcumquè petierint, fiet illis à Patre meo; vbi enim sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Quæ verba ponderans *S. Cyprinaus Epistol. 8.* ait. *Quod si duo vnanimes tantum possunt, quid si vnanimitas apud omnes esset? Iam pridem de diuina misericordia impetrassemus, quod petimus.* Quam sententiam fusiùs explicat in *lib. de vnitate Ecclesiæ parum post medium. Et Glos. apud S. Thomam, De omni petitione, quæ fit à consentientibus in vnitate Ecclesiæ dat confirmationem cum subdit, si duo ex vobis, &c. Audis de omni re? Et S. Ambros. lib. de Pœnitentia. Multi animi dum congregantur vnanimes, fiunt magni, & multorum præces impossibile est contemni.* Et nescio an Christus ex promissione conueniri posset in istorum doctrina, quia dispertiti in varijs cubiculis non sunt simul congregati.

Orationis cōmunis vis.

Congre-

Congregatio enim corporum vnionem dicit in vno loco. Nec caret mysterio, quod Spiritus Sanctus, nec promissus, nec datus sit, nisi Discipulis in eodem loco manentibus, & orantibus. Nam *Luc. vltimo*, dicitur *Sedete in ciuitate, donec induamini virtute ex alto.* Hoc autem sedere interpraetati sunt Apostoli de communi, sedata, ac feruenti oratione, *act. 1. Tunc reuersi sunt Ierosolimam à Monte, qui dicitur olineti, & cum introissent in cænaculum ascenderunt vbi manebant, &c. Hi omnes erant perseuerantes vnanimiter in oratione. Et cap. 2.* dicitur. *Erant omnes pariter in eodem loco, & factus est, &c. Optima dispositio* (inquit *Ioan. Mariana in suis scholijs ad illa verba, perseuerantes vnanimiter) concordia, & oratio ad accipiendum Spiritum Sanctum. Et Cyprian. lib. de orat. dominica, Perseuerabant in oratione vnanimes, orationis suæ, & instantiam simul, et concordiam declarantes.* Poterat hunc conuentum orantium in veteri testamento reperire, vt *Iudith 7. Filij Israel, vt viderunt multitudinem illorum, prostrauerunt se super terram, mittentes cinerem super capita sua, vnanimes orantes. 1. Regum. 7. Conuenerunt in Masphath, hauserunt aquam, et effuderunt in conspectu Domini, & ieiunauerunt in die illa, atquè dixerunt, peccauimus Domino.* Probat etiam hanc veritatem ex priscis Scriptoribus. *Clem. Rom. lib. 8. cap. 34. Precationes facite manè. Quod si ad Ecclesiam prodire non licuerit propter infideles, congregabis Episcope in domo aliqua, &c. Quod si neque in domo, neque in Ecclesia congregari poterunt, psallat sibi vnusquisque, canat, oret, saltem duo simul, aut tres.* Iustino *Mart. apol. 2. pro Christianis. Baptizatum ad eos, qui Fratres dicuntur, ducimus in eum locum, quo conuenerunt comprecandi causa, &c. Tertulliano apolog. cap. 39. Conuenimus in cœtum, & congregationem, vt ad Deum quasi manu facta precationibus ambiamus orantes, hec vis Deo grata est.* Quod replicat *lib. 2. ad Vxorem cap. 4. & 5. & cap. 2. apolog. ex Plinio, Cecilio. Ex Concilio Aquisgranensi c. 130. Isidoro lib. 1. de diuinis offic. cap. 22. Arnobio lib. 1. aduers. gentes Epiph. lib. 3. contra heres. in fin. Basilio Epis. 93. apolog. ad Clerum Neocæsar.* Qui locus clarus est de oratione secreta, & mentali, ait enim. *Quid iam obtinuerunt ritus omnibus Ecclesijs Dei concordes sunt, & consoni, de nocte siquidem Populus consurgens, antelucano tempore domum orationis petit, & in labore, tribulatione, ac lachrymis idesinentibus facta demum confessione, tandem ab oratione surgentes, ad psalmodiam instituuntur, & Augustino Serm. 251. de tempore. Veniant ergo* (inquit) *cuicumquè possibile sit, ad vespertinam, atquè nocturnam celebrationem, & oret ibi in conuentu Ecclesiæ pro peccatis suis Deum. & c. Plinio Cæcilio Secundo. lib. Epist. 10. Ep. 97.* Qui referens ad Traianum Imperatorem primitiuæ Ecclesiæ mores, ait inter alia. *Affirmabant autem hanc fuisse summam, vel culpæ suæ, vel erroris, quod essent soliti stato die ante lucem conuenire, carmenq; Christo, quasi Deo, dicere secum inuicem.* Nec Religiosorum tantum hunc morem fuisse, sed omnium vtriusq; sexus Christianorum, affirmat, *Multi enim* (inquit) *omnis ætatis, omnis ordinis, vtriusq; sexus vocantur in periculum.* Legendus *Durantus cap. 26. de ædium Sacrarum Religione, præcipuè num. 3.*

His addo *Concilium Parisiense sub Gregorio IV. et Ludouico, ac Lothario Imperatoribus, relatum tom. 6. con. pag. 351.* vbi instituitur *capitulum nonum.* Quod ad Ecclesiam orandi gratia frequenter conueniri debeat, in quo adducuntur multa loca Scripturæ, vt *Lucæ vltimo. Erant semper in templo laudantes, & benedicentes Deum, et Act. 2. Erant perseuerantes in doctrina Apostolorum, et*

communione, & orationibus. & cap.3. Petrus, & Ioann. ascendebant in templum ad horam orationis nonam. Adducitur etiam. *Origines hom. de Rebeccha*. Et concluditur, vetitum esse in *Concilio Laodiensi cap.58*. In priuatis domibus oblationes fieri, quia scilicet, etiamsi in omni loco offeratur Deo oblatio munda, & vbiquè fundi possit oratio, vt in eodem *Concilio cap.13*. decernitur, tamen oblata in locis publicis, ac Sacris, Sanctior, & efficacior est, quia communem repræsentat Ecclesiam. *Templum enim (*inquit *Stephanus Papa VI. relatus tom.7. concil. pag. 127.) est domus Dei, & orationis, in quo est specialiter respectus diuinus, assistunt ibi Angelici ordines pro Populo deprecantes, qui preces nostras ad aures præferunt Domini Sabaoth.* Quod non verificatur de priuatis cellis, ad quas non sunt intenti oculi domini die noctuquè, sicuti ad templa, in quibus Regulares de more, suas orationes instituunt. *Et S. Thom. 2.2. quæst. 84. art. 5. ad 2.* tres rationes adducit, nimirum Consecrationem, cui reuerentia deuotior exhibetur. Sacra mysteria, & Concursum multorum. In quem sensum scripserat *S. Basilius Ep. 68. Oratio, quæ non est comprecatores nacta, multò est se ipsa languidior.* Idem sensit *Tertull. in apolog. cap.39. Melius tamen, atquè longè vtilius est, ad Ecclesias accedere, in illisquè orare, & Chiysostom. hom. 79. ad Populum. In Ecclesia autem maius aliquid est, vbi clamor ad Deum vnanimiter emittitur. & Augustin. serm. Quod non quæritur, &c. Non est locus vbi non sit Deus, & in Ecclesia maximè.*

Cur melius sit orare in templo.

Regulares simul orant.

Addo Maiorum instituta. *S. Benedictus in Regula cap. 20. 50. 52.* de oratione in oratorio facienda præscribit. *S. Augustin. in Regula cap.4.* de communi oratorio præcipit. Ex quo sui, *Premonstratenses, & Prædicatores distin. 1. constit. 3.* ordinant, Fratres in choro bis in die ad orationem mentalem assistere. Addo tandem morem vniuersalis Ecclesiæ, qui Romæ perpetuus est, conuocandi scilicet populum Christianum ad orationem quadraginta horarum, dum nimirum exposito sollemniter Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, fideles coram pijssio Saluatore, & mentales, & vocales orationes fundunt. Concludat Petrus Ribadeneira in festo Dedicationis Ecclesiæ Saluatoris. Cuius verba latinè reddita hic appono. *Aduertendum est (*inquit*) quod licet in omni loco orari possit, quia Deus vbiq; existens, nos auscultat, docetq; Tu autem cū oraueris, intra in cubiculum tuum, &c. Orationes tamen publicæ in publico loco fieri debent, quæ est Ecclesia, in qua, etiā particulariter factæ, efficaciores euadunt, ijs quæ extra Ecclesiam fiunt.* Quod probat ex Chrysost. ho. 3. de incompræhensibili Dei natura. tom. 5. dicente (licet ipse non ad verbum Sancti Doctoris sententiam referat) *Sed ò frigidam excusationem, quam à compluribus audio, orare, vel domi possumus. Te homo decipis, & magno in errore versaris. Nam etsi domi datur etiam orandi facultas, tamen fieri non potest, vt domi tam benè ores, quam in Ecclesia, vbi tot patres, vbi clamor, fælici Societate excitus, ad Deum immortalem refertur. Non pariter exoras, cum Deum solus obsecras, atquè tuis cum Fratribus. est enim in hoc plus aliquid, videlicet concordia, conspiratio, copulæ amoris, & charitatis. Tempore illo mi Frater charissime, non solum homines clamorem illum tremendum reddunt, sed etiam Angeli Domino genuflectūt, & Archangeli rogant, & Deus vestram reueritus, atquè, exosculatus concordiam, & illis pœnam dimittit, & vobis peccata absoluit.* Hec Chrysostomus, cui subnectit Ribadeneira. *Et ratio est, quia Ecclesia, quæ est domus Dei, & locus orationis, monet nos cogitationes colligere, & soli orationi intendere; Prætereà videre alios orantes, deuotionem accendit, & coram Sanctissimo Sacramento orare,*

nostros

nostros tepidos affectus excitat, & frigida corda calefacit. O quam benè, & solidè. Nos autem in choro, ad Sanctissimi Sacramenti præsentiam communiter oramus. Nec ab hoc vtili exercitio ratrahimur ob rationes, priuatas; Sunt enim parui momenti, quæ vtiliorem hunc modum reddant, oratione, quæ fit in communi oratorio.

Nam quod omnes conuenire non possunt tempore constituto, vel quia non eadem hora surgunt omnes, vel quia Senes, vel quia adolescentuli, vel quia debiles, &c. Reijcitur ratione, & experientia. Ratione, quia Regulæ generales; exceptiones patiuntur: Etsi ad communem locum conuenire non possunt, nec è lecto surgent, in eodem cubiculo oraturi, nisi quis eosdem in stratis orare vouerit. Quod sanè in necessitate fieri poterit; sed quantum deceat, viderint alij. Nec propter aliquorum particularium defectum, relinqui debet antiquissimus Ecclesiæ orandi modus. Experientia, quia in alijs Religionibus sunt Senes, adolescentuli, valetudinarij, &c. Et tamen media nocte surgunt ad laudes Deo decantandas, & orationem fundendam, & summo mane euigilant ad idem pium exercitium. Ne dum Franciscani, & alij strictores Regulares, qui vt plurimum, induti ordinario amictu, dormiunt, sed etiam alij, quos intempesta nocte, & antelucanis horis expergefactos, suis vestibus indui oportet. Ergo causa ista non est grauissima.

Sed non omnes flexis genibus per horam persistere possunt. Parum hoc, quia orantes, statuę esse non debent, vt eodem situ omnes assistant. Qui non possunt, petita licentia, surgant, sedeant, cum & leuatis manibus Moisem, & equitantem Iosue, & sedentes Apostolos in cænaculo, & prostratum Christum Domunum, & stantem Dauidem, in oratione legimus. Nec opus est addere authoritates, quia eas suprà Author ad hanc rem copiosè congerit, nec qui orat, aut alterius situm attendit, sed suam mētem attollit, vel minus suo muneri vacat, quod alios diuersa corporis positione orantes aduertit. Videmus in Ecclesijs, etiã optimè cōpositis, & ad deuotionē ordinatis, alios genuflexos, alios stantes, alios modestè sedentes orare, nec propterea, vel conturbamur, vel ab oratione desistimus.

Atqui difficillium est (inquit) homines actuosos bis in die congregare in vnum. Sed nulla est Religio, quæ actuosos homines non habeat, & in magnis, & in paruis domibus, occupatissimos suos Religiosos non contineat. Dicam breuiter, quæ in Seraphico ordine ex instituto, & ex praxi quotidiè fiunt, Vt appareat si auctosos homines alat; Summo mane excitantur Fratres instrumento quodam ad valuas cubiculorum in pacto, à quo, interposito medietatis horæ, vel minoris spatio, vel ad chorum Clerici, vel ad scholam studentes, vel ad peculiaria conuentus munia, & labores Laici postquam Sacrum audierint, sine dilatione concurrunt. Recitatis prima, & tertia, & absolutis lectionibus (vbi studia viguerint) Sacedotes celebrant, Clerici, & aliquot alij conuentualem Missam auscultant, & si quid temporis vsquè ad sextam, & aliquando nonam supererit, lectioni, & priuato studio impendunt, aut impositum ab obedientia munus exequuntur. Celebrata Missa connentuali reliquæ horæ canonicæ, secundnm formam Ecclesiasticam recitantur. Quibus peractis statim à choro ad mensam concurritur. Post mensam, per horam circiter, inter suos ordines, Sacerdotes, cum Sacerdotibus, &c. Collocutionibus fraternis, animum leuant. Etsi æstiuum tempus fuerit, dato signo, omnes sub silentio, ad suas cællas confugiunt, vel

Quotidianum, & perpetuũ, exercitium Fratrum minorum.

somnum capturi, vel aliquid operis, sine strepitu, arbitrisquè facturi. Ac deinde per excitatorem moniti, omnes surgunt, & ad Ecclesiam concurrunt. Clerici, vt Nonam recitent, Laici, vt completa psalmodia, cum Clericis (inter quos Sacerdotes, Lectores, Studentes, & in primis Superiores numerantur, omnes omninò, nemine, nisi cognita necessitate, excepto, iuxta decreta Clemen. v I I I. pro reformatione Regularium, & pro veteri consuetudine) Orationi mentali vnius, si obseruantiores fuerint, vel saltem mediç horæ, vacant. Quem morem è veteri, & nouo testamento accipiunt, dum legimus Petrum, & Ioann. ascendisse in templum ad horam orationis nonam. *Act.* 3. Christum Dominum hora nona Spiritũ Patri, & commẽdasse, & tradidisse, & Danielem statas preces Deo obtulisse, Vt aiunt *S. Clem. lib. 8. const. Apostol. cap. 34. Cyprianus de oration. dominica; Athã. de Virginitate, Basil. ser. 1. de institut. Monach. Hieronym. in cap. 6. Danieles. Cassian. lib. 3. institut. cap. 3. Rhabanus Maurus lib. 1. de Institut. Cleric. cap. 6.* Nec deest ratio, quia tempus illud meridianum Dæmonum insidijs est obnoxium *psalm. 90.* Mediæ veluti nocti simile, quia ob calorem, vt plurimum gentes quiescunt, ob captum sonum spiritus, & vapores resident; & cum sit studijs, & corporalibus exercitijs minus aptum, fructuosius orationi impenditur.

Completa oratione, & tempore vsquè ad Vesperas intercedente (quod paruum est) vtiliter expenso pensum vespertinum persoluitur. Laici ad operą redeunt, Clerici, & Sacerdotes ad lectiones, & studia, Superiores, & Officiales ad negotia, & munia, vsquè ad Completoriũ; post cuius absolutionem, ad orationis mentalis idẽ exercitium reditur: Et hoc tempus perpetuum est, ac fixum per totum annum: Quia illud meridianum, à festo exaltationis Sanctæ Crucis, vsquè ad eiusdem Sanctæ Crucis Inuentionem, in nocturnum mutatur, vt breuitatis dierum habeatur respectus. Itaquè media nocte surgentes omnes, nisi Superiori probata necessitas excuset, Matutinas Laudes Deo canunt. & postea recensitum orationis pensum absoluunt. Regij Prophetę, hominis actuosissimi, & occupatissimi exemplo, qui media nocte ad orandum surgebat, & septies in die Laudes Domino persoluebat. *Si Studentes* (inquit *Ambros. Offon. 7.*) *Doctrinis Sæcularibus perparum somno indulgent, quantò magis, qui Deum cupiunt cognoscere?* Videant quæso, an actuosi sint Religiosi isti, & tamen bis in die præter psalmodiam, ad communes orationes in Choro, vel in Ecclesia colliguntur.

Grauiorem causam adducit, *Qui multi conuenientes simul, sibi mutuo incommodant, & impediunt attentionem.* Si ista causa subsisteret publicas, & iam narratas orationes conuelleret; quia cum omnes illę orationes sint, attẽtæ, ac deuotæ esse debent; atqui ad illas conueniunt senes excreantes tussientes, spuentes. Et iuuenes. qui non sunt educati apud Sacerdotes Ægpyptios, cum nasturtio, & ante tempora Platonis, & Mulieres, & paruuli, A quibus necesse est rumorem excitari, &c. Ergo melius esset conuertere illas in priuatas. Hoc autem omninò est absurdum. Laudò, & opto orantium externam compositionem, quam in omnibus huiusmodi communitatibus adesse indubitatũ suppono, & de nostris præter vetera adsunt nuperrima *Toletana Statuta ann. 1633. Titulo de Culto Diuino.* Sed reformationem istam, ob casus rarò accidentes non admitto; cum sputum, & excretio orationem non turbent; quod melius conijci poterit, si ipsemet orans in cubiculo expuere, & tussire cogatur.

Grauissima causa apponitur, cohibitio exteriorum actuum. Ad quam respon deo,

deo, orationes mentales Regulariũ, alias esse communes, alias priuatas. Priuatę admittunt brachiorum expansiones, humi prostrationes, suspiria, soliloquia, lachrymas, &c. Et de his intelliguntur authoritates, quas author adducit *à n. 19. ad 24.* Communes autem debent esse à singularitatibus immunes. Si quis Religiosus in hos effectus, vel affectus erumpit (non enim sunt omnes) vel sequestratus orare poterit, vel habenas in priuatis orationib. laxare. Interim communem modum in communitate seruet. Et licet ex parte patiẽtis tales excessus (si liberũ illi fuerit) potius culpa contrahatur, quam laus: ex parte tamen adstantium compunctionis, & maioris feruoris incitamentum esse poterit. Maximè si nouerint ex spiritus feruore procedere. Adest exemplum, quod de se ipso narrat *S. Augustinus lib. 22. de ciuit. Dei cap. 8.* de miraculosa sanatione cuiusdam Innocentij, nobilis viri Carthaginensis, quem orationibus Saturnini Episcopi Vzalensis, Helosi Presbyteri, Aurelij Episcopi, cuiusdam Diaconi, sanitati redditũ, se pręsente fatetur. Sed de vi, & modo orationis sic ait. *Inde ad orationem ingressi sumus, vbi nobis ex more genua figentibus, atq. incumbentibus terra, ille se ita proiecit, tanquam fuisset ab aliquo grauiter prostratus, & cœpit orare. Quibus modis, quo affectu, quo motu animi, quo fluuio lachrymarum, quibus gemitibus, atquè singultibus succutientibus omnia membra eius, & pœnè intercludentibus spiritum, quis vllis explicet verbis? Vtrum orarent alij, nec in hæc eorum auerteretur intentio, nesciebam. Ego tamen prorsus orare nil poteram, hoc tantummodo breuiter in corde meo dixi, Domine, quas tuorum preces exaudis, si has non exaudis? Nihil enim mihi videbatur addi iam posse nisi vt expiraret orando, &c.* Huius autem orationis effectus fuit, infirmi miraculosa sanatio. Ex qua narratione multa ad rem præsentem habemus. *Magnus orationis feruor.* Primò, morem in conuentu orandi. Secundò, genuflexiones, incubationes, prostrationes. Tertiò, exteriores effectus, lachrymarum, gemituum, singultorum. Quartò, distractionẽ aliorum. Quintò, effectum, quem motus illi in circunstantibus generarunt, admirationis, ędificationis, compendiosæ cuiusdam orationis, ex orantis Episcopi feruore conceptæ. Et quod talis oratio, quæ primò intuitu distracta, inatencta, & contra modernas Regulas facta videtur, fuerit efficacissima, miraculi probauit euentus.

Adducuntur Sanctorum exempla, & authoritates de sequestratione orantium, quæ Christi Domini solitarijs orationibus, & authoritate firmantur; ait enim *Matt. 6. Tu autem cum oraueris intra in cubiculum tuũ, & clauso ostio ora patrem tuum in abscondito.* Attamen vel omnia ad priuatas non communes orationes (vt dictum est) pertinent. Vel Monachorum, qui vt solitarij morantur, etiam solitarij orant, institutum concernunt. Non enim, quæ de solitarijs dicuntur trahi debent ad homines, qui in omnib. actib. in commune conueniunt, oratione excepta. quæ vel maximè communis esse deberet. Christus autem, & priuatim, & cum Apostolis orauit. Priuatim vt in deserto, in monte, &c. Cum Apostolis, vt in cœnaculo Ioann. 17. vbi integra refertur oratio, quam ad patrem habuit. *Et c. 28.* dicitur. *Egressus cum discipulis suis trans torrentem cedron, vbi erat hortus, in quem introiuit ipse, & Discipuli eius, sciebat autem Iudas, qui tradebat eum, locum, quia frequenter Iesus conuenerat illuc cum Discipulis suis.* Quod *Luc. cap. 22.* ait. *Egressus ibat secundum consuetudinem in montem oliuarum, &c.* Causa nimirum orationis, vt *Lyranus, Carthusianus artic. 43. in Ioann. & 48. in Lucam. Chrysostom. hom. 82. in Ioann. & 84. in Matth. Bonauen-*

Christus, & solus, & cũ Apostolis orauit.

uentura in cap.22.Lucæ.& 18.Ioan.Victor Anthiochenus in cap.14.Marci. Et alij cum modernioribus.*Salmerone,Barradio,à Lapide,(Maldonato,* Commentantur. Et licet in nocte passionis auulsus sit ab eis tanquam iactus est lapidis; alijs autem noctibus non dicitur hoc fecisse,cum tamen *Frequenter conueniret illuc cum Discipulis suis.* Et extra sensum literæ non est,quod in illo loco multoties cum Apostolis orauerit,de vtroquè orationis genere suam informaturus Ecclesiam, vt in simili de loculis,& paupertate declarat Nicolaus Tertius.*cap.Exijt.de verb. signif.in 6.§.porrò.*dicens.*Egit Christus, & docuit perfectionis opera, egit etiam,& infirma,sed vtrumquè perfectè perfectus existens,vt perfectis,& imperfectis se viam salutis ostenderet, qui vtrosquè saluare venerat.* Nec etiam abscessisse Christum etiam illa nocte, facit,quòminus, cum Discipulis tribus non orauerit,cum in tam propinquo discessu, & videri, ac audiri potuerit,sicuti qui in eadem Ecclesia orant,aliquantulum ab inuicem distantes, non facit,vt simul non orent,sicuti nequè, quod simul non auscultent sacrum. Vnde cum ipse Nigronus dixerit ex multis,sensum literalem verborum ,illorum *intra in cubiculum tuum, &c.* Sit quod vitemus ostentationem, & hypocrisim eorum, qui publicè, & in angulis platearum orabant. Vt clarè videtur in textu. Hoc autem optimè vitatur ab orantibus in communitate.

Quod tandem incommoda non vitentur, patet discurrendo per singula. Nam oratio facta in cubiculis non est, communis, sicuti nec comestio,quæ eodem tempore fit in diuersis domibus,de quibus dici nō potest,quod in communi comedant. Hac enim ratione, etiam in communi psallere dicerentur, omnes Ecclesiastici vnius ciuitatis, & Regni,quia iuxta Ecclesiasticas Regulas,Vespertinas horas, vel nocturnas eodem tempore omnes recitant.nec corrigitur aliquroum defitia,etiamsi excubitores vel inspectores visitent orantium cubicula, tum quia improbus labor esset,si quotidie omnium cellas,quis visitare deberet, eò vel maximè in numerosis domibus. Tum quia vix fieri potest, quod cubiculi fores dum aperiuntur non obstrepant, & dū vitatur excreatio, inciditur in hos frequentes strepitus. Tum quia abscedente inspectore, potest recens à somno euigilans in eundem, sine arbitris recidere. Tum deniquè, quia ipsi inspectores tunc temporis non orant.Melius igitur est,vt coram omnibus oretur, ad vitanda omnia hæc incommoda. Quod autem apud veteres mos aliquando fuerit, vt Abbas aliquis, vel Prior,vel Senior,Subditorum cellulas circumiret,vt desidiosi corriperentur,& nunc etiam in quamplurimis obseruatur,non est tanti ponderis,vt hūc laborem excuset,cū melius fieri posset,omnibus in vnum coeuntibus.

Quæro tertiò,An mortalis culpa sit deserere, vel grauiter deordinare exercitium quotidianum orationis mentalis in communitate?

Orationis mentalis exercitium, notabiliter, deserere, quæ culpa.

Respondeo primò, ex dictis in prima quæstione, non tenentur,particulares sub mortali orare mentaliter in communitate,quia per speciales orationes possunt singuli tentationibus,& necessitatibus occurrere.

Respondeo secundò, Si notabiliter publicum,& commune orationis exercitium desereretur,Superior,ac etiam subditi,qui essent in causa,peccarent mortaliter.Ratio ex dictis elicitur, quia fit in ordinatio in re, ex qua pendet decor, & conseruatio disciplinæ Regularis. Vnde optimo iure, graui pęna tales negligentes puniuntur. Do mentem *Iulij Secundi inflat utis Papalibus capit. 3. part. 3.Quò maximè* (inquit) *Religionis nostræ obseruantia augeri, & statui debet,*

secun-

secundum sententiam Sancti Francisci, eoq; ablato (quod absit) citius ruere. Quapropter cum non debeat reputari vera obseruantia ibi esse, aut durare posse, vbi de tali orationis, & meditationis iugi exercitio, parum, vel nihil curatur. Quod etiam de quocumq; Fratre tali spiritu deuotionis carente, & non curante, & exterioribus, ac vanis occupationibus voluntariè nimis dedito, dicendum censemus. Ideoq; maximè Nouitij, & iuuenes in suæ conuersionis principio ad hæc debitè instruantur: Nam experientia certa docet, quod sine tali fundamento, quo gratia, & charitas à Deo recipitur, & inflammatur, intentio rectificatur, & actus diriguntur quidquam virtuosum, & firmum ex eis sperari vix vnquam potest. Verè, & solidè. Quibus accinunt, & antecedentia, & subsequentia statuta generalia, vsquè ad Toletana ann. 1633. Titulo *De culto diuino.*

STATVTVM III.

Sacerdotes quotidie celebrent. Clerici, & Laici singulis octo diebus, in Quadragesima vero, & Aduentu, bis saltem in Hebdomada, communicent. Confiteantur autem omnes Sacerdoti approbato ordinis, & concesso, saltem bis in Hebdomada.

Methodicè quidem ab oratione ad Sacram Synaxim, ad cuius perceptionem oratione disponimur. Sed statutum hoc in limine offendit S.P.N. Franciscum, qui in Epistola scripta ad vniuersos Sacerdotes Ordinis, relata *par.1. firmamenti pag. mihi 21.* ait *Moneo præterea, & exhortor in Domino, vt in locis, in quibus morantur Fratres, vna tantum celebretur missa in die, secundum formam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Si verò in loco plures fuerint Sacerdotes, sic fit per amorem charitatis, alter contentus audita celebratione alterius Sacerdotis.* Atquè ita obiecit contra missæ celebrationem Philippus Melanton apud *Bellarminium lib.2. de Missa cap. 10. argum. 12.* A qua difficultate, vt se extricaret *Ecchius*, negauit hanc epistolam esse supradicti Sanctissimi Patris, vel Authorem loqui de vnica Missa feriæ quintæ maioris hebdomadæ. Ipse autem *Bellarminius* censet, si loquatur de alijs diebus, falsum dixisse. Eò vel maximè, cum dicat, vnam Missam in die celebrari secundum formam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quia Honorius Tertius, qui fuit Sinchronon Sanctissimi Patris in *cap. cum creatura de celebration. Missarum,* Respōdet nōn esse relinquenda anniuersaria pro Defunctis, in diebus festis, &c. Et secundum hanc censuram cautè legendam in hac parte esse Epistolam, monet *Margarinus de la Bigne tom. 5. Biblioth. veterum Patrum pag. 829.* Vbi aliquot opuscula eiusdem Sanctissimi Patriarchæ referuntur.

Sensus monitionis B.P.F. quod celebretur vna Missa.

Verum epistolam esse germanam S.P.N. confitentur non solum *firmamentum citatum,* sed etiam *P. Lucas VVadingus in libro,* in quo eiusdem Sancti opuscula collegit, & in *1. tomo Annal. anno* 1226. *num.* 10. Et licet verum sit, plures Missas dici posse, & nostris temporibus debere. Attamen tempore S.P.N. talis mos in vsu non erat. Petrus enim Blesensis, qui fuit tempore Sancti Fran-

cisci

cisci (mortuus namquè est ann. 1200. vt testatur *Ioann. Busæus in præfatione ad Lectorem, præfixa operibus Blesensis*, & Seraphicus P.natus est ann. 1182. & mortuus ann.1226.) *Epist.* 86. repræhendit Magistrum Alexandrum Monachū Carthusianum,volentem transire ad Cluniacenses,eo quod.*In ordine Cartusiensi causaris* inquit, *& arguis,quod singulis diebus missas non faciunt, atque huius Religionis,aut potius superstitionis obtentu, tuum machinaris egressum*. Et infra, *Scis quia Monachorum Pater, & sacri Ordinis Institutor*, Benedictus, *Nec etiam Sacerdotij gradum attigit, expersq;missarum multo tempore, etiam in die Paschæ, vtrum Paschalis esset solemnitas ignorauit. Paulus Primus Eremita, & Antonius;Petrus,& Paulus Apostoli,atq;cæteri,quorum laus est in Euangelio non leguntur singulis diebus salutis hostiam immolasse*. Quod etsi in exemplum trahi non debere,probet *Busæus in notis,ad hanc Epistolam*;affirmat tamen *Illis primis ordinis Carthusianorum incunabulis ita receptum, vt ob reuerentiam Sacramenti à quotidiana celebratione abstinuerint.* Cui accinit *Ioan. Mauburgus vir æq;pius,ac doctus in suo Roseto Titulo quarto Alphab.12. §.3. de celebratione missarum. Post lit.T.*dicens. *Raro sacrificat sacer ordo Carthusien. vt notat magister Iacobus de Hersodia, & alij, in hoc, vt aiunt, antiquos Patres sectantes Marcum Ammonium, Apollonium, Muscium, cæterosquè Eremitas, qui, vt Odilo Cluniacensis scribit,rarius Sacramentaliter,spiritualiter vero comunicabant semper,Ne assiduitate generaretur contemptus. Et VVadignus citatus num.11.*citat multò antiquiorem, *Philippum Abb.bonæ spei* S.Bernardo coæuum, qui probat consuetudinem priscorum Monachorum, de vna in Monasterijs Missa celebranda. Ad vitandum secularium concursum.

Antiquitus rarius celebrabatur.

Equidem si ad vetustatis trutinam conferatur, inueniemus à principio nascentis Ecclesiæ semel in die Missæ Sacrificium in qualibet Ecclesia offerri solitum.Liturgiæ enim Sancti Iacobi Apostoli,Sancti Petri,Sancti Marci Euangelistæ,Sanctorum Basilij, Chrisostomi, Gregorij Theologi, Cyrilli Alexandrini, quæ habentur in 2. *tomo. græcolatin. bibliot. Vet. Patrum a principio*. Item Missa Christianorum Regni Mallabarici apud Indos. Missa Ætyopum, quæ canon vniuersalis appellatur. Missa Mozarabum, Officium de mysterijs ante consecratis Lyturgiæ Magni Basilij, Gregorij Teologi, Cyrilli Alexandrini. Ordo Diuini Officij Gothici Mystarabum, quę habentur *tom.6. eiusdem Bibliot.initio*. Adeo prolixæ sunt, & populum respondentem, & assistentem habent cum Clerico,&c.Vt bis in die celebrari sine fastidio non potuerint: Eò vel maximè, cum alius particularis modus Missam celebrandi non tradatur.Et licet illis primis temporibus aliquos quotidie celebrasse narretur, vt de Sancto Andrea Apostolo; qui *Quotidie immolabat Deo agnum immaculatum: In actis Passionis ipsius.*& de Pontificibus dixisse Christum refert S. *Hyppollitus orat. de consumatione mundi, Venite Pontifices, qui pretiosum corpus meum & sanguinem quotidie immolastis*, Et ex prisco more quotidie communicandi fideles. *Act.2.Tertullian.lib.2.ad Vxorem.Hieronymus Epist.28.ad Lucin.Augustin.Epist. 122. Cyprianus de orat. dominica. Ambros. lib. 5. de Sacrament. capitulo quarto*, Colligat citatus Busæus Apostolos, & priscos Sacerdotes quotidie celebrasse, attamen potest dici, quod S.Andreas,& alij quotidie celebrauerint in diuersis locis,& Ecclesijs,non autem in eadem Ecclesia,& quod quotidiè communicauerint quidem, non autem celebrauerint, cum ex veteri more pa-

In principio nascētis Ecclesiæ vn.a Missa celebratur.

teat

teat : vnam in vno loco missam celebratam fuisse.

Hinc manarunt decreta Concilij Nannetansis *tom. 7. Conciliorum pag.* 159. relatum *de celebrat ion. Miss. cap. Vt dominicis*, quod Missa in dominicis, & festis audiatur in propria paraecia, itaut, *Si alterius Parochianus in Ecclesia Missam audire velit, statim eijciatur, & ad suam parochiam redire compellatur.* Quod signum est, vnam solummodo solitam celebrari Missam. Et in *Concilio Antisiodorensi sub Gregorio Primo celebrato, an.* 590. *tom.* 4. *conc. pag.* 522. *can.* 10. decretum fuit. *Non licet super vno altario in vna die duas missas dicere: nec in altario vbi Episcopus missas dixerat, presbyter in illa die missas dicat.* Et vnum, vt plurimum illo tempore fuisse in Ecclesia altare constat, tum ex altare Sancti Petri, quod in Lateranensi Balica etiamdum esseruatur, tum quia nascentis Ecclesiae tempora ad imitationem Synagogae vt cumque deducebantur, in templo autē Salomonico, & in toto veteri testamento vnum semper fuit altare. Tùm quia Christus Dominus *Matt.* 5. dixit. *Si offers munus tuum ad altare.* Quod ad nouā legem relatum fuisse, docet ex Hieronymo, Hylario, Optato, Cypriano, Victore Papa, Cirillo Hierosol. Clemen. Romano, noster *Franciscus Feuardentius in additione ad Alphons. de Castro lib.* 1. *V. altare.* Cui accidens Paulus ad *Heb.* 13. *Habemus* (inquit) *Altare, de quo edere, &c. & Cyprianus epist. ad Iubaianum, ad Stephanum Papam, ad Plebem vniuersam, & alibi* de vno altari loquuntur. *S. Ignatius Martyr epistola ad Philadelphios, Vna* (inquit) *est caro Domini, vnum poculum, vnum altare,* in quem sensum, *& S. Iacobus Apostolus, & Dyonis. Areopag. & Clem. Roman. & Martialis Christi discipulus* loquuntur apud citatum Feuardentium. Quia licet consueuerint aliqui ex veteribus, praecipuè *Tertullianus, & Cyprianus* nomine altaris, cultum ipsum intelligere contra schismaticos, attamen facta allusione vnici altaris dominici, contra quod illud erigere nefas erat, etiam de materiali altare intellexerunt. Et in Oriente, vnam tantum Missam in diebus dominicis celebrandi, in qua caeteri communicabant consuetudinem fuisse, refert *Cas. lib.* 3 *de institutis coenobiorum cap.* 11. *& Epiph.* quae est 20. inter epistolas Hieronymi, & S. Leo. 1. epistol. 81. relat. *de conscer. d.* 1. *Necesse est, &* 16. *quaest.* 1. *cap. Hinc est.* Accedit *Concilium Laodicenum cap.* 49. *Quod non oporteat in quadragesima panem benedictum offerri, nisi in dominica, & sabbatho.* Hec apud *P. Antonium Hiquaeum in quarto, dis.* 13. *quaest.* 2. *numero* 155. *&* 156. *& S. Bonauentura lib.* 2. *de profectu Religios. cap.* 77. ait. *Circa Sacerdotes autem, hęc forma potest teneri, vt nec nimis rarò, nec nimis continuè celebrare studeant. Nimis enim continuè celebrare, aliquam videtur notare irreuerentiam, &c.*

Haec tetigisse visum fuit, ad defendendam Sancti P. epistolam, quę insolens quid non habet. Caeterum plures Missas, eodem die, aliquando etiā tunc temporis celebrari, & plura altaria erigi in eadem Ecclesia consueuisse, non inficior. Ad cuius probationem fusè, & doctè orauit in Concilio Basileensi *tom.* 8. *conc. pag.* 464. *Henricus Kalteisen. Ordinis Praedicat. Coroll. quarto ad tertium articulum Bohaemorum*, qui negabant quotidianam Missarum celebrationem, & altarium multiplicationem. Mutata nimirum antiquitate, vt in multis alijs factum cernimus, ob Sacerdotum multiplicationem, ob culparum frequentiam. contra quas quotidiana medicina succurrendum est. Ad refricandam languescentem iam, & veluti obliteratam dominicę passionis memoriam; ad fusissimę, & veluti immensae

Plures Missae quare celebrentur.

mensæ fidelium multitudini satisfaciendum, cui vna oblatione impossibile est satisfieri. Eò vel maximè cum frigescat primitiui spiritus ardor, & senescens Ecclesiæ iuuentus, vix cum hoc diuini amoris fomento calescat, ideo optimè factum fuit, vt quotidie Missæ sacrificium offerretur.

Quod autem Bellarminus epistolam falsitatis arguat, quod vnicam celebrari Missam dicat, secundum formam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, potuit mitius censeri; Tum quia forma Romanæ Ecclesiæ non se tenet ex parte vnice celebrationis, sed ex parte Missæ, vt nimirum vnica Missa celebretur, non quia hoc præcepit Ecclesia, sed secundum ritus, rubricas, & formalitatem in Ecclesia consuetas: Tùm quia ex canone Honorij III. de celebrat. Missarum citato, potius conuincitur oppositum: Nam si plures Missæ eodem die celebrari tunc temporis consueuissent, vt quid consulere summum Pontificem, num celebrari possent? signum igitur est, etiam tempore Honorij, ac S.P. Francisci perdurasse morem de vnica missa, quam paulatim vniuersalis consensus cæperat immutare.

De communione, qui scripserint. De communionis autem frequētia, celeberrima habemus Sanctorum placita, & documenta. Rem ex professo disputarunt *S.Th.3.par.quæst.8.art.10.et 4.sent. d.12.quæst.3.art.1.S.Bonauentura in 4.d.12. quæst.2 art.2.& de profectu Religios. cap.77.de tentationibus deuotorum. Alensis par.4. quæst.11. membr. 2. ar.4. §.1. quæst. 2. & 3.* Cum quibus alij recentiores post sanctos *Ignatium epistola ad Ephesios. Iustinum Apol.1. Basilium epist. ad Cæsariam Patritiam, Chrysostom. hom. 5. in 1. epist. ad Timot. & 28. in 1. ad Cor. & 3. in epist. ad Ephes. Cyrillum lib.3. in Ioan.c. 37. Teoph. in 1. ad Cor.11. Tertull. de orat. Cyprian. in orat. dominicam. Hieronymus lib.1. contra Pelag. Ambr.4. de sacram. cap.6. & lib 5. cap.4. August. ser. 28. de verbis Domini. Et epist. 118. ad Ioan. Gregor. in cap.1. lib.1. Reg. quos citat, & sequitur Greg. de Valent. tom.4. dis.6. quæst.8. pun.4. circa fin. Anastasium Synaitam quæst.7. Vualafridum Strabonen. de reb. Eccl. cap.21. Algerum lib. de Sancto. cap.8.*

Qui quotidianam communionem nō laudant. Hinc peruetus quæstio, an liceat quotidie communicare, exemplo nascentis Ecclesiæ, an verò expediat aliquando intermittere. Turrianus *Selectarum par.2. disp.1. dub.1.* Contra quotidianam communionem ait, *Hæc doctrina ita vniuersè intellecta, mihi videtur contra omnes doctores scholasticos, qui expressè docent non esse quotidiè communicandum. Vnde existimo prædictam sententiam non posse sine temeritate defendi, quæ est contra Doctores Scholasticos communiter, & contra Ecclesiæ vsum, & præceptum,* Censuram tamen refellit, *Ioann. Sanchez in Selectis, disputat.22.* In qua fusissimè, & doctè contrariam sententiam defendit: Supra, quam nihil esset addere, si quod speculatiuè deducitur praxi etiam firmaretur. Citat enim supra 43. Doctores quotidianam communionem dissuadentes. Et 30. alios in oppositum inclinantes.

Qui laudāt.

Semel, vel bis communicare in Hebdomada, suadetur. Quod autem communicare semel, vel bis in Hebdomada, pium, Religiosum, & spirituali profectui apprimè accomodatum sit, omnium calculis approbatur; omnes enim, qui negant quotidianam communionem, approbant Hebdomadariam. Qui verò affirmāt, multò magis istam includunt. Apponam aliquorum sententias. *Sanctus Bonauentura in lib. 2. de profectu Religiosorum cap. 77.* Postquam se remisit varijs hominum meritis, studijs, institutis, ac Spiritus Sācti illustrationibus, ait. *Vix tamen aliquis ita Religiosus esse videtur, & Sanctus, exceptis, Sacerdotibus, quin semel in septimana sufficiat ei ex consuetudine communicare*

nisi

nisi specialis causa, quandoquè, vel ratio plus suadeat, infirmitas superueniens, festiuitas solemnis, vel inusitatæ deuotionis feruor, & intemperata desiderij sitis, &c. Sanctus Thomas 3. part. citata art. 10. fine. Post consideratum sacramentum in se, & respectu dispositionis recipientis, iuxta quod continuè, & intermisse reci pi posset, concludit. *Consulitur tamen in libro de Ecclesiasticis dogmatibus, omnibus diebus dominicis esse communicandum.* Refertur autem liber inter opera *Augustini tom. 3. cap. 53. & citatur de consec. d. 2. cap. quotidie* Vbi dicit *Quotidie Eucharistię communionem percipere, nec laudo, nec vitupero. Omnibus tamen dominicis diebus communicandum suadeo, et hortor, si tamen mens sine effectu peccandi sit, &c.* Et à *Magistro in quarto d.* 12. Vbi & Scholastici. Augustino concordat *Hieronymus in epist. ad Galat. cap. 4. in illa verba Dies obseruatis, et menses, etc. Itaquè* (inquit) *sicut nobis licet, vel ieiunare semper, vel semper orare, et diem dominicam accepto Domini corpore indesinenter celebrare gaudentibus, etc.* Quo loco morem illorum temporum taugit, dominicis diebus communicandi. Accinit *Crysostom. ser. de Eucharistia in Encænijs tom. 3.* Vbi de dispositione ad Eucharistiam agens, inquit. *Centum sexaginta octo horas habente Hebdomada, vnam, et solam horam sibi segregauit Deus, et hanc in opera secularia, et ridicula, et in conuenticula insumis?* Quod ab Apostolis constitutum fuisse, affirmat *Epiphan. lib. 3. contra Hæreses tom. 2.* parum ante finem operis. *Communiones* (inquit) *siue synaxes fieri ordinatę sunt ab Apostolis, quarta, & pro sabbatho, & dominica. Quarta vero, & pro sabbatho ieiunium statutum est vsquè ad horam nonam* & post pauca. *In die dominica matutinis horis cōmuniones fiunt. & Cyrillus Hierosolimitanus catechesi decima. Quemadmodum* (*ait die dominico audisti, nobis in synaxi differentibus in illud secundum ordinē Melchisedech. & Catheches. 14. Sed diuina dispensatione factum est, vt plurima secundum exiguitatem nostram externo die dominico per Deigratiam audiueris, in synaxi &c.* Ad quem effectum *Fabianus Papa tom. 1. concil. post Epist. 3. Fabiani pag.* 121. decreuit, *Vt omnib. dominicis diebus altaris oblatio ab omnibus viris, & mulieribus fiat, tam panis, quam vini, vt per has immolationes à peccatorum suorum fascibus liberentur.* in qua oblatione etiam communicabant vt patet ex *Ancyrano Concilio can. 6. tom. 1. pag. 276. Post alios duos annos communicare sine oblatione, & sic ad id quod perfectum est venire.* Quo loco Binius. Oblationem ait, esse sumptionem corporis, & sanguinis Domini, quam veteres lapsis in idolatriam, per multos annos negabant, & ad solam communem orationem eos admittebant. Et patet clarissimè ex *cap. 9. responsorum Nicolai Papę I. ad consulta Bulgarorum tom. 6. conc. pagin. 640.* vbi cousulentibus illis, *An quotidie in quadragesima communicare deberent*; Affirmatiuè consulendo respondit, cuiusmodi in Romana Ecclesia seruabantur. Et addit. *Verum de his, qui Ecclesiam quidem intrant, nec tamē facta oblatione communicāt, sacri canones fortè sufficienter enūciant, qui, &c.* Et sic vsu receptum apud Orientem, & Hispanias tradit *Vualfridus strabo de rebus Ecclesiast. c. 20. dicēs. Alij omni dominica, vel omni sabbatho apud Orientem, & Hispanias Missas facientes commemorationis Passionis dominicæ omni septimana si facerent, sufficere credebant.*

Quare non est mirum, si ordinum institutores omnes ferè Hebdomadariam imposuerint communionem S. *Pachomio Abbati* dixit Angelus, Regulā tradēs. *Ingredientes autem ad Christi communionem sabbatho, et dominica zonas soluant, et pellem ouillam deponant. in Vitis Patr. lib. 8. cap. 38.* Ad cuius imitationem

Anacho-

*Anachoreta quidam solitarius veniebat sancto die dominico, & sumebat veneranda mysteria.lib.*10. *cap.*86.& Abbas Hellenes *lib.* 8.*cap.*59. *ex Ruff. lib.*2. *cap.*11. *Accessit ad quosdam Monachos, cum esset dies dominicus, & dixit eis, cur hodie non egistis synaxim?* Et traijciens nilum dorso crocodilli, immanis bestiæ, Sacerdotem ad celebrandum vexit, & verbo bestiam occidit. Et S. *Athanasius* ab Hieronymo in latinum versus *lib.*1. *cap.*12. refert Sanctum Barlaam dicentē Iosaphat Regi. *Alij procul inter se constructis ædiculis dominicis diebus ad vnam, & eandem Ecclesiam pergunt, ac diuina mynisteria, hoc est incruentum puri corporis, ac pretiosi sanguinis Christi sacrificium præcipiunt.* S. Benedictus *in Regula c.*38. *Lecturus tota Hebdomada, Dominica ingrediatur, qui ingrediens, post Missas, & communionem, petat ab omnibus pro se orari.* Et infra. *Frater autem Hebdomadarius accipiat mixtum, priusquam incipiat legere, propter communionem Sanctam.* Vbi Magister Anton. Parez num.12. *Ecce* (inquit) *qualiter olim Monachi omnibus totius anni Dominicis communicabant.* Præmonstratenses *dist.*1. *cap.*17.*num.*25. *Singulis octiduis tam professi, quam Nouitij pura confessione conscientiam suam emundent, & sacrosancta Eucharistiæ communione seipsos reficiant.* Canonici regulares Lateranenses 1.*par. cap.*27. *Omnes Fratres prius facta pura peccatorum confessione. saltem semel in mense deuotè communicent.* Camaldulenses ex Sancto Romualdo *in Regula cap.* 25. *Sacræ communionis Sacramentum omnes, qui in Eremo commorantur in ambabus quadragesimis singulis diebus dominicis; extra verò, quadragesimas semel in mense ordinariè ad Missam conuentualem suscipiant.* Prædicatores *dist.* 1. *cap.*1. *Communionem verò Generalem haberi volumus tempore Aduentus, & quadragesimæ singulis diebus dominicis, reliquis verò temporibus ad minus de quindena ad quindenam, & alijs quibusdam solemnitatibus arbitrio Prælati determinandis.* Carthusienses 2.*par.cap.*7.*num.*31. *Consulimus, & hortamur, vt præter publicam communionem, quæ fit singulis mēsibus, Monachi non celebrantes, singulis saltem Dominicis diebus, & solemnitatibus, in priuata missa communicent.* Cistercienses Ordinis B. M. Fuliensis cap.38. Regulæ S. Benedicti. *Omnes non Presbyteri, solis donatis exceptis, Dominico quoquè die, & festis communicent. Qui voluerint frequentiùs, possint, de Confessarij sui licentia.* Canonici S. Georgij in Alga *dist.*1. *cap.*15. *Hortentur ad S. Communionem sæpenumero Clerici, & Conuersi omnibus Dominicis diebus, & solemnitatibus communicent.* Augustinienses Eremitæ 1.*part.capit.*9. *Hortamur omnes Fratres, vt in omnibus Dominicis tam Quadragesimæ, quàm Aduentus deuotè communicent.* Oliuetani *par.* 2.*cap.* 58. *pag.*91. *Nouitij, & oblati bis in mense S. Eucharistiam sumant, & in omnibus solemnitatibus, infra hebdommodam occurrentibus. Tempore verò Quadragesimæ, & Aduentus singulis Dominicis* Carmelitæ *par.*1.*cap.*11.*num.*1. *In omnibus Dominicis totius anni omnes non Sacerdotes in priuatis Missis Communicare debent.* Mitto recentiores.

Miraculum Sancti Æremitæ.

Confessionis frequentia.

Sacramentalis verò confessionis frequentia, deducitur tùm ex frequentia communionis, quam præire debet; tum ex puritate conscientię, cui Deo dicatæ personæ studere tenentur. Quod sine frequenti culparum expiatione vix assequi possumus. In iure autem communi menstruæ confessionis pręceptum inuenimus. Vt in *Clem. Ne in agro. de statu Monachorum.* §. *sanè.* vbi dicitur. *Singulis mensibus tam in Monasterijs, quàm extra, sublata occasione quacumquè ad confessionem saltem semel accedant omnes, & singuli Monachi. Et in prima Dominica men-*

mensis cuiuslibet,in Monasterijs semper communicent. Et in *Concilio Tridentino Sess.25.de Regul. cap.10.Admoneantur Moniales, vt saltem semel in singulis mensibus confessionem peccatorum faciant, & Sacrosanctam Eucharistiam suscipiant*. Facit ratio generalis, quam subiungit. *Vt eo se salutari præsidio muniant ad omnes oppugnationes Dæmonis fortiter superandas*. Licet enim nos, cum nec Monachi,nec Moniales simus,sub harum legum præscripto non veniamus; Nec ipsosmet nominatos, ijs sub mortali adstringi,quia Clemētina,vel non continet præceptum,vel moderata fuit per Tridentinum,quod solam admonitionem ostendit,Vt tradunt *Suar.tom.4.de pœnit.disp.36.sect.5.n.7.Rodrig. tom.1.quæst.52.art.4. Miranda de Monialibus quæst.10.art. 1.concl.1 & tom.2. quæst.35.art.3.Reginaldus in praxi lib.29.num.73.Fagundes Præcept.2.lib.2.cap.2.num.*18.quidquid alij in contrarium sentiant. Attamen ad duplicem confessionem in hebdomada faciēdam tenemur ex vi statuti generalis, quod semper in Seraphico Ordine permansit. Nā in statutis Papalibus *Iul.II. cap.3.par.1*.de Sacerdotibus dicitur. *Sacerdotes Missas priuatas religiosè, & deuotè,cum debita præparatione,& culparum suarum præcedente confessione celebrare studeant*.Et par.2.*Fratres non Sacerdotes, præcedente confessione peccatorum, de quindena in quindenam adminus semper communicent. Et sæpiùs in hebdomada confiteantur, vt per vtriusquè Sacramenti frequentiam Sanctæ conuersationis puritas in vtroquè homine obseruetur. Et Salmaticensia cap.5.Fratres,qui non sunt Sacerdotes de quindena in quindenam per totum annum(demptis quadragesima, & Aduentu in quibus singulis Domicis debent communicari) recipiant cum deuotione Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum.Bisquè adminus in hebdomada confiteantur peccata sua*.

Sed quæritur primò, Cur magis confessionis,quàm communionis frequentia imponatur.

Respondeo, quia ad perfectionem acquirendam magis necessaria est confessio, quam communio. Peccata enim charitatem(quæ perfectionis est vinculum) expellunt; peccata, præcipuè letalia, confessione, non communione tolluntur. Quia sæpius peccatores sumus,quā iusti,septies quippè in die cadit iustus, ideo confessionem familiariorem habere debemus. Hinc S. Bonauentura in *Regula Nouitiorum c. 3.sit (inquit) confessio frequens; & si potes confiteri quotidie, benè quidem,sin autem,de tertio in tertium diem,saltem studeas confiteri*.vbi de communione c.4.ait. *De frequentia communionis non audeo suadere,nisi quod August.suadet,&c*. Vnde Clem.v11.de Nouitiorum institutione §.*Curam adhibeat*,inquit. *Cognoscant conscientiæ puritatem, crebram illius discussionem, Sacramentorum frequentiam, confessionis præsertim, quæ bis saltem singulis mensibus fiat*. Et de frequentia communionis non præscribit. Hinc *Pluries in die conscientiam examinare*,Nouitios voluit,quod timoratis Religiosis obuium,& familiare est.

Magis necessaria est confessio, quam communio.

Quæritur secundò,Quomodo obligamur ad celebrandum,communicandum, confitendum?

Respondeo, ex vi statuti, non sub culpa mortali, nisi in casu contemptus,& scandali. Cum nimirùm communitati admiratio generaretur, si Sacerdos ter, quater,quinquies absq; sufficiēti excusatione sacrum nō faceret,& reliqui statis temporibus,vel Eucharistiam non reciperent,vel sine Sacramētali confessione.

Non tenemur sub p. m.ad frequētiam confessionis, & cōmunionis.

Dices si mortalia peccata non habeat,an venialia confiteri teneatur, etiam sub mortali?

Re-

Reſpondeo, ita ſenſerunt *Caiet.to.1. opuſculor.tit.5.q.5. Cano.in releƈt.de pœnit.par.5.Naua.in c.Placuit.de pœnit.& remiſ.d.*[illegible]*.6.n.122.Sil.V conf.1.n.4.Graf.1.par.deciſ.lib.2.c.38.n.36.Ang.V.conf.2.n.27.Ricc.&* [illegible] *apud V*[illegible] *n cadela bro,vbi de conf.n.52.* Quia ſtatus perfectionis in quo repetiũtur regulares, & mẽs ſtatuentium,hoc videtur innuere,aliàs fruſtratorium eſſet ſtatutum,cum vt plurimùm,Religioſi mortalia peccata non habeant. Etſi non immediatè,ratione peccatorum venialium,quæ non ſunt materia neceſſaria confeſſionis, ſaltẽ mediatè,ratione ſtatus regularis,qui maiorem perfectionem dictat,& factæ profeſſionis,vidẽtur obligari ſub mortali ad hebdomadarias,& frequentiores cõfeſſiones venialium,ſi alia peccata non adſint. Attamen contrariam dicendũ eſt cum *Sua.Rod.Miran.Fagun.citat.à Molſ.traƈt.7.c.20.n.21. Leza.to.2.n.34. Bar.in Cle. in agro.cit. Belloch.in praxi morali caſuum reſeruatorum par.1. q.1. num. 29.* & omnibus alijs ſentientibus, fideles non teneri ad annuam confeſſionem in vim capituli,*Omnes vtriuſq;ſexus.de pœnit.& remis*,Si peccata mortalia non habeãt Et ad vitãdum ſcandalum ſufficere,quod ſe confeſſario præſentent, fateanturq; ſe mortalia non habere. Videantur Authores apud,*Fagundes ſupra cap. 1. num. 2.* Et infra.Quod multò magis rem præſentem peruincit, quia præceptum annuę confeſſionis obligat ſub mortali ſtatutum verò Ordinis minimè, niſi in certis caſibus.Nec ratio adducta è ſtatu Religioſo vrget, quia venialia charitatem,etſi remittant in feruore, non tamen tollunt in ſubſtantia, nec amicitiam Dei diſſoluũt.Vnde cum iuſtus ſepties in die cadat,& per internos animi motus reſurgat, non cogitur ad confeſſionis confugere Sacramentum.Itaquè Religioſus,etſi optimè faciat,ſi bis in hebdomada,& ſępiùs venialia confiteatur,tamen poſſet ad vitandum ſcandalùm, dicere confeſſario ſe non habere materiam neceſſariam quam confiteatur.Nec enim peioris conditionis eſt alijs Chriſtianis, vt cogatur peccare mortaliter , vbi alij non peccant , nec ex legibus ordinis obligatur.

Dices ſecundò,Etſi habeat mortalia,An teneatur confiteri ſub mortali bis in hebdomada?

Reſpondeo,affirmat *Sot.in 4.d.18.q.1.ar.3.ibiq;Paluda.d.17.q.2.ar.5.& Maior.q.2. Inn.in c.omnis vtriuſq;ſexus. de pœn.& remiſ. cum Gloſ. in Clem. 1.de ſtat. Mon.* verum iſti loquuntur de Monachis S.Ben. de quibus Clem. & vbi regula præcipiat confeſſionem,vel ſtatuta obligent ſub mortali. Cum ergo noſtra ſtatuta talem obligationem non importent,dicendum eſt nequè in hoc caſu obligari ſub mortali, vi ſtatuti.Vi autem ſtatus regularis,qui tendentiam ad perfectionem includit, affirmatiuè reſpondeo.Peccata enim mortalia ex directo perfectioni repugnat, vnde qui tenentur ſub peccato mortali tendere ad perfectionem,tenentur etiam in quocumquè tempore peccata remouere mortalia. Poſſet quidem idipſum præſtari per contritionem,includentem votum Sacramenti,attamen,quia an vera ſit,cognoſci non poteſt,erit ad confeſſionis remedium recurrendum.

STATVTVM IV.

Quoad Culpas, & Disciplinas statutis diebus faciendas, secundum Prouinciarum consuetudines obseruentur.

Culparum nomine, inteligitur publica coram Prælato, in Capitulo, vel in refectorio quotidianorum defectuum confessio. Disciplina verò, est, proprij corporis spontanea flagellatio. Quę nunquā interruptæ, à principio ordinis, vsq; ad præsentem diem in viridi obseruantia perseuerant. Consuetudo autem est, *vt capitulū culparum fiat, & teneatur, perpetuò, ad minus tribus dieb. in hebdomada in quibuscūq; Cōuētibus, & locis ordinis nostri, In quo quotidianæ culpæ, & negligentiæ prius communiter, &c. Et postea sigillatim, & specificè, ac plenè recognoscantur humiliter, incipiendo à minorib. vsq; ad maiores inclusiuè.* ita stat. Papal. *Iul.2.c.7.par.34.quæ.par.36.* de disciplina subiungunt. *Quia consueuerunt Fratres post Completorium, & Matutinum accipere disciplinam in communi, ter in hebdomada, iuxta alia ordinis statuta ob memoriam passionis Christi, dicendo psalmos Miserere mei Deus, Et Deprofundis, Et Antiphonam. Christus factus est pro nobis obediens, Cum orationib. Respice quesumus, Et Fidelium Deus, vel alijs. Ideo hortamur, vt qualibet Prouincia seruet suam bonam consuetudinem, etc.* Et citantur constitutiones Bened. XII. Quibus subscripserunt salmanticensia *c.5. Fratres in singulis dieb. solitis secundum consuetudinem Prouinciæ cognoscant culpam suam et faciant disciplinam in communitate. Et Neapolitana cap.12.et 13. Nouitij primum, si ibi fuerint, sin autem Clerici, ac Laici, postea Sacerdotes à minoribus incipientes, bini, ac bini coram Prælato accedant, et genibus flexis culpas suas, tum vniuersè, tum sigillatim, prout opus fuerit, iuxta vetustissimam, probatissimamquè Religionis nostræ consuetudinem singuli dicant, et recognoscant.* Vetustissimam autem fuisse hanc consuetudinem, fatetur S. Bonauentura in *speculo disciplinæ ad Nouitios par.1. cap.10.* Vbi plura docet de modo, & tempore confessionis publicæ faciendæ.

Culpæ, & disciplinæ quoties fiant.

Verum sciendum est, aliquam diuersitatem reperiri in hoc mortificationis genere, Nouitij enim, & Clerici, non Sacerdotes, ac Laici iuuenes quotidie publicè se accusant coram Prælato, & salutares pœnitentias accipiunt. Cæteri omnes ter tantum in Hebdomada die nimirum lunæ, mercurij, & veneris. Item iuuenes, vltra disciplinam communem, quæ ab omnibus fit in choro, ijsdem diebus, aliam sibi ex instituto, infligunt, vel in refectorio, vel in capitulo. Capitulum item solemniter die veneris tenetur præmissis, & subiunctis quibusdam præcibus, exhortationibus, & præceptis, quæ fieri solent, de quo infra, vbi de capitulo culparum, alijs autem diebus in communi refectionis loco suos defectus accusant, nisi grauissima occasio aliud Superiori suadet faciendum.

Aliæ Religiones, quid ordinent circa has mortificationes.

Fuisse autem prisci regularium moderatoribus culparum confitendarum morem, & probatū, & præceptum, probant ipsorū instituta. Sanctus enim Benedictus cap.7. ait. *Si omnes cogitationes malas cordi suo aduenientes, vel mala à se absconsè*

consè commissa per humilem confessionem Abbati non celauerit. Et de confessione publica intelligi etiam debere dicit *Magister Perez num.* 48. Suarez *tomo* 4. *de Relig. lib.* 10. *c.* 6. *n.* 4. quidquid in oppositum opinatus fuerit Turrecremata. *capitulo* enim 46. & 49. Abbati patefaciendas esse culpas iniungit. S. Basil. *Regul.* 26. *& fusioribus*, ait. *Mentis suæ archana aperire Fratribus ijs, quibus datum illud negotium sit, vt adhibitis facilitate, & misericordia ægrotantes curent*. Camaldulenses *cap.* 45. *Regula. Nouitij qui adsunt sigillatim flexis genibus culpas suas dicant. Postmodum professi Fratres per ordinem à Superioribus incipientes sigillatim genibus flexis suas culpas confiteantur, & postea prostrati veniam petant, & vel singuli seorsum, vel omnes simul pœnitentiam à maiore recipiant*. Et de Disciplinis sibi infligendis fusè agunt *cap.* 41. S. Augustin. in Regula. *Quicumque autem in tantum progressus fuerit malum, vt occultè ab aliquo literas, vel quomodolibet munus acceperit, si hoc vltrò confiteatur, parcatur ei, & oretur pro eo*. Quod sibi applicantes tanti Patris filij præmonstratenses *distintio.* 1. *capit.* 7. *n.* 4. de capitulo culparum statuentes aiunt. *Capitulo omnes intersint, & qui se in aliquo sentiunt deliquisse, à Iunioribus incipiendo in medio capituli loco ad hoc aptato, ingenua se prouoluentes clara voce culpam suam humiliter fateantur, & veniam petant. & n.* 14. statuunt de communi disciplina corporali accipienda qualibet sexta feria. Prædicatores autem *distint.* 1. *cap.* 17. §. 3. *Pro huiusmodi culpis, & his similibus veniam petentibus, & non proclamatis (id est accusatis) tres correctiones in capitulo dentur*. Quod declarant, debere *Fratres accusare se in capitulo de culpis, & pœnitentiam sibi iniunctam facere, & dist.* 2. *cap.* 6. de capitulo quotidiano. & Canonici Lateranenses 1. *par. constit. cap.* 25. *Vt in nostra Religione conseruetur humilitas, & integritas obseruantiæ semper Dominico die consueuimus tenere capitulum generale pro audiendis culpis Fratrum. & cap.* 22. decernunt *De modo faciendi disciplinam in sero*. Patres de mercede *dist.* 2. *cap.* 17. de capitulo quotidiano, in quo præcipitur, *Post hec ingrediantur Nouitij, & suo ordine quilibet Fratrum flectat genua, & dicat, Pater veniam peto, & surgat, & stando humiliter confiteatur culpas suas, accusando se de defectib. manifestis, &c*. Canonici Regulares Sancti Saluatoris *cap.* 29. *Qualibet septimana habeatur capitulū de culpis, &c. Statimquè omnes prosternant se, suas culpas confitentes*. Cælestini *tract.* 1. *cap.* 19. *In singulis Monasterijs, & locis principalioribus, bis in hebdomada, scilicet quarta, & sexta feria, capitulum culparum habeatur*. Montis Virginis *cap.* 24. *nu.* 2. *Singulis sextis ferijs teneatur capitulum culparum, more bonorum Religiosorum, ibiquè vnusquisquè dicat suas culpas, &c*. Augustinianenses Eremitæ 6. *part. cap.* 1. *Singulis sextis ferijs capitulum de culpis, absquè vlla dispensatione, omninò fieri præcipimus, nisi occurrat aliqua solemnitas, &c*. Canonici Sancti Georgij in Alga *disp.* 1. *cap.* 17. *Vel sexta feria, vel sabbatho subditi, cum omni humilitate profiteantur culpas suas, Hilariterquè satisfactionis onus impositum suscipiant à Rectoribus*. Fulienses *cap.* 46. *In eo capitulo omnes Fratres de peccatis breuiter, & apertè se accusent, &c*. Carthusienses 2. *par. cap.* 8. *num.* 4. *Dominicis diebus dumtaxat Monachi omnes publicè recognoscant culpas suas, &c*. Et ita passim cæteri alij regulares, qui puritati, & austeritati student, iuxta *Petri Blessensis comment. in cap.* 2. *Iob*. Sententiam *Duo (inquit) sunt, quæ hominem mirabiliter à peccatis seruāt, scilicet frequēs confessio, & frequentior disciplina*. Quā suo tempore non solùm regularibus, sed & Clericis Secularibus, & Laicis, atquè nobilibus, & Principibus com-

communem fuiſſe probat *Buſeus* ex multis eiuſdem authoris Epiſtolis, in Notis ad citata verba.

Quantæ autem vtilitatis, imò & neceſſitatis ſit publica culparum(leuium tamen,& quę infamiam non irrogent,aliàs ſtatutum eſſet irrationabile)confesſio, deduci poteſt tum ex officio Prælati,qui ſuas oues agnoſcere debet,vt illas curare poſſit,vnde hoc eſſe.*De ſubſtantia officij paſtoralis,* Dixit *S. Bonauentura in lib. de ſex alis cap.*7. Tùm ex parte ſubditi,qui corrigi deſiderat, & benè viuere. Nā vt inquit *Caſſianus lib.* 4.*de Inſtitutis renunciantium, cap.*9.*Generale, & euidens indicium diabolicæ cogitationis eſt, ſi eam ſaniori confunditur aperire.* Et in *Vitis Patrum lib.*5.*libel.*5. de fornicatione. *n.*13. dicitur, *Nihil dæmonem ſic lætificat, quomodo ſi abſcondantur cogitationes,& nihil eum ſic extediat,quomodo ſi reuelentur ſtimulationes eius.*Et *S.Bonauentura citatus in ſpeculo diſciplinæ*, ait, *Qui non vult corripi,non vult corrigi,ideo Fratres ab omnibus corripi, & ab omnibus erudiri affectent.* Vnde *Ioann. de Mauburbo in Roſeto Tit.* 4.*Alphab.*12. *membro quarto.* ait,*Defectus correctionis noxius eſt valdè,& periculoſus:*ita *Quod ſine illa nulla per ſtare poteſt Religio in vigore.Diſciplinam* ſiquidē eſt Religionis magiſtra, & *VBI RIGOR,IBI VIGOR.Et vbi deeſt correctio,ibi abundat peccati corruptio.*O vtinam hæc, omnium Prælatorum, & Subditorum cordibus adhęrerent? Non enim tot Sanctarum Religionum declinationes, & lapſus cerneremus.Si quæ ſanctè à pijs viris adhibita ſunt fragilitati ſubſidia, ſubmoueantur, in malum, ad quod pręponderat,corruat neceſſe eſt, in ceremonias abijſſe ſubſtantialia,ſummoperè eſt deplorandum. Legatur *Peirinus in formulario lib.C.cap.*32.vbi nonulla ad rem præſentem congerit. Nos plura daturi infra, vbi de capitulo locali.

Vtilitas confeſſionis culparum.

DE STVDIIS.

STATVTVM V.

Prouinciales in ſuis Prouincijs ſuper ſtudiorum Reformationi diligenter inuigilent. Habeatquè quælibet Prouincia ſtudia Logicæ, Philoſophię, & Theologiæ,aliàs Prouinciæ nomine deſtituatur.

Confirmatum in generali *Capitulo Romano ann.*1600.*pro Ciſmontana Familia. Statuto* 2. Tres hoſtes habent ſacrarum literarum ſtudia.Indoctos, Spirituales, Indeuotos.Indocti ex oppoſitione pugnant.Spirituales zelum, non ſecundum ſcientiam habentes,putant Religionē in humilitate fundatam,inflantibus ſcientijs peſſum dari, & Sancti Patris Franciſci zelo fulciuntur, dum Fratri Ioann.de Stiachia Miniſtro Bononiæ,qui iniuſſus Bononię ſtudiū ſcientiarū erexerat ſcripſit.*Tu vis deſtruere ordinem meum,deſiderabam enim,& volebam exemplo Domini mei, Fratres meos magis orare, quam legere.* Quem etiam ominoſa maledictione, & morte puniuit. Patere arbitrantes in Regula Sanctiſſimi Inſtitutoris

Studiorum hoſtes.

S.P.F. ſententia circa ſtudia.

mentem, ijs verbis *cap.*10. *Non curent nescientes literas discere.* Indeuoti autem, cum vitam, ducant à doctrina discordem, scientiarum odorē coram Pharaone, & huiusmodi foetere Aulicis faciunt. Adsit *S. Isidorus lib.3. de sum. bono cap.37. & refertur in Concilio Aquisgran. sub Stephano 5. cap.29. tom.6. concil. pag. 257. Interdum* (inquit) *doctoris vitio, etiam ipsa verax doctrina vilescit, & qui non viuit sicut docet, ipsam, quam prędicat veritatem, contemptibilem facit. Arcus peruersus est lingua Magistrorum, docentium benè, & viuentium malè, Qui bene docet, & malè viuit, tanquam æs, aut cymbalum sonitum facit alijs, ipse tamen sibi manet insensualis. Qui benè docet, & malè viuit videtur bonum malo coniungere, lucem tenebris permiscere, veritatem mendacio mutare, &c.*

Scientia sine exemplo, mala.

Verum quia non minus Religionem, & Ecclesiam mala scientia, quàm mala ignorantia persequuntur ad statuti soliditatem.

Quęro, An licet Fratribus Minoribus studijs, non tantum sacris, verum etiam Philosophiæ vacare.

Possumus vacare studijs etiam philosophiæ.

Respondeo affirmatiuè. Ex *S. Bonauentura opus. determinationum in Regulam, quæst.3.* Vbi rem in terminis disputat. *S. Thoma opus.19. cap.2. & 15. vbi ait. Monachis maximè studere, & docere conuenit.* Et aliud opinantes Iuliano Apostatæ assimilat. *Et opusc.68. Trithemio in lib. exhortatorio ad Monachos serm.4. & ho.4.* de lectione, & studio diuinarum scrip. Guilelmo Peraldo *de prof. Monach. part.3. cap.3.* Vt taceam *Hieronymum Epist. ad Florentium. item ad Paulinum in Prologo Bibilior. Clem. Stromatheum lib.7. strom. Anselmum de Contemptu mundi. Aug. lib.1. de doctrina Christiana, S. Ephrem sirum parænesi 1. & 16. & omnes alios Sanctos Patres, ac Scolasticos,* qui facto docuerunt, quid Religiosi circa studia facere debeant?

Ratio nobis propria est, quia *cap.9. Regulæ* dicitur. *Nullus populo audeat prædicare, nisi à Ministro Generali fuerit examinatus, & approbatus, &c. Et quod in prædicatione, quam faciunt sint examinata, & casta eorum eloquia, &c. Sed constans est* (inquit Nicolaus Tertius *in decretali exijt, de verb. signif. in 6.*) *quod hæc supponunt scientiam, scientia requirit studium exercitium verò studij conueniēter haberi non potest sine vsu librorum, &c.* Ergo nobis ex instituto Regulæ indicta sunt studia, *S. Bonauentura in citata quæst.3.* externæ proximorum vtilitati, & tutandæ contra Hæreticos fidei debito, addit vtilitatem propriam, *Vt seruus Dei* (inquit) *sciat semetipsum benè regere, & virtutes à vitijs discernere, & notitiam Dei, & futurorum præmiorum clarius intelligere, &c.*

S. Antonius de Padua primus, Lector Theologiæ in Ordine Minorū.

Epistola S. P. F.

Nec exemplum ex Sancto P. Francisco adductum officit, nam illi aliud opponimus, nimirum Institutionem S. Antonij Patauini in Lectorem S. Theologię factam ab ipsomet Seraphico parente per sequentem epistolam, relatam, inter opuscula Sancti Patris *Epis.3. & to.1. an. Vuad. an.1222. n.32. Charissimo meo Fratri Antonio, Fratres Franciscus in Christo salutem. Placet mihi, quod Sanctæ Theologiæ literas Fratribus interpræteris, ita tamen, vt neque in te, neque in cæteris* (quod *vehementer cupio*) *extinguatur Sanctæ orationis spiritus, iuxta Regulam, quam profitemur. Vale.* Quod etiam declarat, cur maledixerit Ministro Bononiæ, non quia studium erexerit, sed quia studium *ijs constitutionibus muniuerit, quæ potius doctos, quàm pios procrearent.* Vt hæc referens *Vuadingus ad an. 1220. n.16.* affirmat.

Nec minus obstant citata Regulæ verba, quia illa non de Clericis, sed de Lai-

Laicis ab omnibus expositoribus intelliguntur.

At(inquiunt) scientiæ inflant, charitas ædificat. Minorica Religio in summa humilitate & abiectione fundata est, dedecent pauperrimos studia, cathedræ, disputationes. *Monachus non doctoris habet, sed plangentis officium*, inquit *Hieronym. Epist. ad Riparum*, *& Monachi officium est, non docere, sed lugere*, ait *Bernardus ser. de tentationibus Monach. qui est* 64. Vnde B. Ægidius videns Religionem doctis repleri, exclamauit in spiritus feruore. *Parisius, Parisius destruis Ordinem Beati Francisci*, Vt refert *Pisanus libr.* 1. *confor. fruct.* 8. *pag. mihi* 52. Et inter alias machinas, quas admouere debebant Dæmones ad expugnandam Religionem Seraphicam, vna, & potentior erat, vel literatorum receptio, vel educatio, vt conclusum fuit in synodo quadam diabolica, in qua perditioni ordinis prospiciebatur: Eò vel maximè si sæculares scientias opus sit addiscere, & loco breuiarij, & Sanctorum librorum, debeamus reuoluere Tullios, Plautos, Aristoteles, Auerroes, &c. *Tu Monache*(inquit *Hugo de Claustro Anim. lib.* 3.) *sẽper ieiunijs, & fletibus insistere debes, & tu philosophari quæris? Simplicitas Monachi philosophia eius est. Sacerdotes*(ait *Hieron. ad Damasum*) *dimissis Euangelijs, & Prophetis, videmus comœdias legere, & amatoria bucolicorum versuum verba cantare. Et August. de vera Religio. cap.* 29. *In consideratione creaturarum non est vana, & peritura curiositas exercenda, sed gradus ad immortalia, & semper manentia faciendus.* *Scientiarum mala.*

Respondeo omnia hæc, & alia, quæ bono sensu protulerunt Patres, nulla sunt, Quia scientia paupertati, & humilitati, ac perfectioni non repugnat, imò maximè opitulatur, quia nihil magis impedit nos a cognitione prosequendorum in via Dei, quam ignorantia, quæ *cunctorum errorum est mater. d.* 38. *capi. Ignorantia.* Quæ nos diaboli membra constituit. *ibid. capi. finali.* Sacerdotio indignos reddit, & ab ipso repellit. *Os.* 4. Vanos sensus nostros facit *Sap.* 13. Dei populum capituum abducit. *Is.* 5. Eumquè interitui, & temporali, & æterno facit obnoxium. *Baruch.* 3. Diuinis flagellis cædendos exponit. *Os.* 3. à Deo omniscio nos ignorari facit. 1. *cor.* 14. Est enim scientia mentis nostrę perfectio naturalis, quam supponit Deus, tanquam præcipuum instrumentum regendæ Ecclesiæ, & salutis hominum procurandæ; hinc inter dona Sancti Spiritus numeratur. *Is.* 11. *& prou.* 9. dicitur. *Vbi non est scientia animæ, non est bonum, & cap.* 8. *Omnes qui me oderunt, diligunt mortem. & cap.* 17. *Qui euitat discere, incidet in mala.* Vnde grauissimè *S. August. Pessimæ matris*(inquit) *ignorantiæ, pessimæ itidem duæ filiæ sunt, scilicet falsitas, & dubietas: illa miserior, ista miserabilior: illa perniciosior ista molestior.* Et de scientia *Ber. in can. Vtraque cognitio Dei scilicet, & tui, tibi est necessaria ad salutem; quia sicut ex notitia tui venit in te timor Dei, atq. ex Dei notitia, itidem amor, sic è contra, de ignorãtia tui superbia, ac de Dei ignorantia desperatio: nã ignorãtia sui initium omnis peccati: ignoratia Dei consummatio omnis peccati.* Propterea Súmmi Pontifices, & concilia sanctissimè decreuerunt, vt Religiosi in suis monasterijs bonarum, & sacrarum literarum studijs vacarent, vt *Clementina, Ne in agro §. penultimo, de statu Monach & c. quia nonnulli* 5. *de Magistris. & cap. super specula. Eod. tit. Concil. Trid. Sess.* 5. *cap.* 1. *de reform. Clem. VIII. de reformat. Regula. circa initium. Paulus V. Apostolicæ seruitutis.* inhærens Clementinæ 1. de Magistis. Ne dum scientiarum, sed & linguarum studia, quæ minus necessaria sunt, Regularibus præcipit. Coro- *Scientia virtuti non repugnat, imo fauet. Ignorantiæ mala.*

eidem apponant verba Martini V, in c.10. *Regulæ Minorum. Strictissimè* (inquit) *exhortantes in visceribus I. Ch. Fratres omnes, vt vbicumquè viderint idoneos ad studia promouendos, totis viribus auxilium eidem impendant, cum scientia donum Dei sit; armatura ad defendendam S. Fidem Catholicam, corona ordinis, lumen veritatis, & vita in tenebris ambulantium.* Itaquè nec statui Religiosorum, nec Minorum in specie, repugnat scientia, Vt optimè probat *S.Thom.2.2. quæstio.188. art.5.* Rupugnat tamen superbia, scientia ventosa, quæ est sine charitate, scientia ad ambitionem ordinata, ad sui vtilitatem, non ad Dei gloriam. De his variè suos filios monuit Sanctissimus P. nam in admonitione ad omnes Fratres cap.7. ait. *Illi sunt mortui ad literam, qui tantum verba sola cupiunt scire, vt sapientiores teneantur inter alios, &c. Illi sunt viuificati à spiritu diuinæ literæ, qui omnem scientiam quam sciunt, reddunt eam altissimo Domino.* Et in exhortatione quadam facta Fratribus dixit. *Nolite timere, quoniam non post multum tempus venient ad vos multi sapientes, & nobiles, eruntquè vobiscum prædicantes Regibus, & Principibus, &c. Estote ergo in tribulatione patientes, in orationibus vigiles, in laboribus strenui, &c.* Et alia vice. *Nolo Fratres meos cupidos esse scientiæ, & librorum, sed volo eos fundari super Sanctam humilitatem, & imitari puram simplicitatem, &c.* Et loquens de vanis, & tumidis Prædicatoribus, dicebat. *Multi sunt Fratres, qui totum suum studium, & sollicitudinem ponunt in acquirendo scientiam, dimittentes vocationem suam Sanctam, extra viam humilitatis, & Sanctæ orationis, mente, & corpore euagando, &c.* Et agens de bonis Prædicatoribus, *Volo* (inquit) *Ministros Verbi Dei esse tales, vt studus intendentes spiritualibus, nullis alijs officijs impediantur, Laboret Prædicator magis exemplo, quàm verbo, magis lachrimosa prece, quàm loquaci sermone, &c.* Ex quibus conijcere licet, quas scientias amabat, & quas odio habebat Sanctissimus Patriarcha. Lucernas nimirum fumantes sine oleo deuotionis, æs sonans sine calore charitatis: Eos qui plus lectioni, quàm deuotioni, plus Tullio, quàm Euangelio student. Eos (inquam qui è domo animæ Magdalenam expellunt) qui in creaturarum consideratione sistunt, qui philosophiam, & gentilium literaturam Sacræ Thologiæ non sternunt, & cum Moyse, Daniele, Paulo, Ægyptiorum, & Caldeorum scientias in populi Dei obsequium captiuas non ducunt, sed sibi dominari permittunt. *Hieronym. Epist. ad Magnum.* Legendi sunt *Basilius hom. de legendis libris gentilium. Naz. or. in funus S. Basilij. Ambros. lib.3. de Fid. Hieron. ad Galat.3. Chrysostom. hom.3. in Epist. ad Titum. August. lib.2. de doctr. Christiana cap.28. S. Thom. 2.2. quæst.188. art.5. vbi, & Caiet. Rodrig. tom.3. quæst.64. art.5. Lezana de reform. Reg. cap.11. Peirinus tom.1. quæst.1. cap.3. Cyprianus Cappucc Lect.7. in cap.10. Regulæ. Miranda cap. 106. in Regulam. Corduba quæ. 8. in c.10. Regulæ,* Et omnes alij Expositores Regulæ in eundem locum.

Quæ scientia Religiosis repugnet.

STATVTVM VI.

Habeatur Lectio Theologiæ moralis. Et in Ecclesijs capacibus, etiam Sacræ Scripturæ.

Ita

Ita Tridentinum *Sess.5.cap.1.de reform.* in hæc verba. *In Conuentibus verò aliorum Regularium, in quibus studia commodè vigere possunt, Sacræ Scripturæ Lectio similiter habeatur.* Et Clem. VIII. de reform. Regul. *Lectio Sacræ Scripturæ, vel casuum conscientiæ bis in hebdomada, præscriptis diebus in singulis Monasterijs, & c.* Quod decretum fuisse prius in *Concilio Colonensi sub Germano, tradit Author obseruationum doctrina in Concil. Trid. è biblioth. Bellarmini prodeuntium.* Satisfieri autem cum lectura Theologiæ moralis, seu casuum conscientiæ docet *Rodrig. tom.2.9. & art.vlt.* Ex praxi. Et elicitur ex citato decreto Clemen. VIII. in quo præfata concilij ordinatio declaratur, dum dicitur. *Lectio Sacræ Scripturæ, vel casuum conscientiæ.* Non enim omnes conuentus talis lecturæ sunt capaces. Et ideò consultò ait Concilium, *In quibus studias commodè vigere possunt.* Et multò magis his decretis satisfieri per lecturam Theologiæ Scholasticę, dicendum est, quia illa Sacrę Scripturę declaratio est, & à Sacra Scriptura dependet, ac Theologiæ moralis, seu casuum conscientiæ principia docet, & fundamenta sternit. Quibus eò perfectis obeditur, cum ipsa S. Scriptuta in Ecclesia declarantur. *Sacræ Scripturę lectio bis in hebdomada, et moralis theologię.*

Verum scientiam moralem summoperè amplectendam esse, eiq; prę cęteris studendum, docet status ipse regularis, ad salutem animarum ordinatus. Licet enim Scholastica maiorem splendorem pariat, & dogmatica, in terris, vbi hæreses grassantur, magis sit necessaria, moralis tamen est veluti panis in cibo, qui nobis, & alijs, quotidie est applicãdus in confessionibus excipiendis, & in dubijs, enodandis. Speculatiua scholastica intellectum instruit, ibiquè sistit, at moralis actiones humanas moderatur, vnde meritò *Lactantius Firmianus lib. 3. institut. c.7.* dixit. *In morali totius Phylosophię ratio continetur. Et S. Gregor. Neocęsariensis in orat. panegyrica ad Origenem. Omnium* (inquit) *est multò maximum, & cuius gratia laborat gens tota philosophorum, quasi ex varia reliquarum omnium disciplinarum consitione, bonos fructus colligit. Et Plato in Alcibiade 2.* vocat moralem disciplinam, *Scientiam optimi.* Quia ex *Seneca Epist. 88. Errores nostros discutit, & lumen admouet, quo discernantur ambigua vitę. Et lib.7. de Benef. cap. 1.* appellat illam *Scientiam vtilem, atquè necessariam, reliqua oblectamenta otij.* Et hæc scientia nobis, qui curandis animarum languoribus destinamur adeo necessaria est, vt *Iustinianus Imperator. ff. de & inst. & iure. initio.* Sacerdotes appellauerit iuris peritos, quia æquum ab iniquo, & licitum ab illicito separant. Do verba legis. *Cuius merito qui nos Sacerdotes appellet: Iustitiam namquè colnaus, & boni, & æqui notitiam profitemur, æquum ab iniquo separentes, licitum ab illicito discernentes.* Cui si qui opponat Sacerdotes, Confessarios, Concionatores, moralis scientiæ ieiunos, conijciet quantùm à veri Sacerdotis merito distent. Ex scribo auream *Henriquez in procemio suæ moralis Theologię sententiam. Doctrina* (inquit) *Theologię, que de moribus, & conscientię casibus agit, necessaria est, non solùm pastoribus, & theologis, sed ipsis etiam iurisperitis. Huius tanta est dignitas, vt ad animarum salutem doctor illius factus sit filius Dei incarnatus, qui docuit in qua re finis beatus hominis consistat, & ad illius consecutionem eximia sacramentorum media instituit; explicuit que sint pręcepta naturę, & gratię, & c.* Addo ex communi doctrina apud *Suar. tom. 4. in 3. par. disput. 28. sect. 2.* necessariam esse tantam scientiam moralem in confessario, qua sciat peccatorũ mortalium, & venialium discrimina, eorumdem species, numerum, & circumstan- *Moralis sciëtię laudes.*

tias, pœnitentis debitam dispositionem doloris, ac propositi. Quæ peccata, restitutionem, vel reseruationem adnexam habeant. His enim deficientibus, confessarius peccat mortaliter, ac etiam pœnitens, qui talem medicum scienter suis vlceribus curandis elegit, & multoties confessio redditur nulla. Cui peccato obnoxij sunt Superiores, & Examinatores, qui hosce imperitos ad aliorum confessiones excipiendas admittunt; iniurij Deo, proximo, & Sacramentis: Ac ab Ecclesia, & Sacerdotio meritò repellendi, *quia* (secundum *Oseam* 4.) *scientiam repulerunt*.

Ex quo concludo, grauiter peccare Prelatos, qui in aliquibus, saltem Prouinciæ conuentibus, casuum conscientiæ lecturas non instituunt, in quibus futuri confessarij erudiantur. Qua in re eosdem diligentiores cuperem neuè totum eruditionis robur in Scholasticis subtilitatibus constituerent, quibus aer quidem verberatur, aues tamen, à diuina lege auolantes, non capiuntur.

STATVTVM VII.

Studentes ab horis primæ, & completorij, funeralibus, & Missis extra conuentum celebrandis eximimus.

Studentes à choro, et laboribus quomodo exempti.

Nullus omninò (inquit Clem. viii. de reformat. Regularium) *à Chori seruitio censeatur immunis, &c. Cum Lectoribus autem, & prędicatoribus Superiores, ijs tantùm diebus, quibus eos legere, aut prædicare contigerit, dispensare possint. Idem quoquè pręstare valeant cum ægrotis, & studiorum causa legitimè impeditis.* Et habet fundamentum in iure. *de Magistris. cap. super specula.* vbi *tam docentes in theologica facultate, dum in Scholis docuerint, quàm studentes in ipsa, integrè per annos quinquè percipiant prouentus prębendarum, & beneficiorum suorum.* Et dispensantur à residentia, & à seruitio chori, &c. Quod confirmatur in *Concilio Tridentino Sess. 5. cap. 1. Sess. 14. cap. 5. & Sess. 25. cap. 6. de reformat.* Et fauet ratio, quia ad finem necessaria sunt media: nec studio vacare potest, alijs occupationibus distentus. Et cum studium sacrarum literarum, ad quod liberalium etiam ordinatur, sit nobilius, quàm horarum recitatio in choro, rationabiliter factum est, vt hæc cedat. Nec interim publica functio psalmodiæ intermittitur, quia in conuentibus studiorum, reperiuntur semper alij Sacerdotes, & Clerici, qui choro ad omnes horas intersunt. Mitto licitas recreationes, quas, Superior studentibus vult concedere *Peirinus citat. dicto 7. & tom. 2, quęst. 2. cap. 2. n. 81.* ad animi vires subleuandas. Licet enim hæ ad Eutrapeliam spectent, & ab *Arist. 4. Ethic. c. 8.* inter virtutes numerentur, attamen religiosis parcè sunt arripiendæ.

STA-

STATVTVM VIII.

Studentibus, extra Conuentum exeundi ſemel tantum aut bis in menſe, licentia concedatur; Niſi cauſa legitima, diſcretis conuentus beneuiſa, aliud ſuadeat.

Peirinus ſupra citatus *dict.4. ex Nauar. Sebaſt. Medices, S. Antonino, Tabiena, Reginaldo, Lambertino* ſubſtinet peccare mortaliter ſtudentes, qui ſunt notabiliter negligentes. Quia occupant locum aliorum, abutuntur commoditate illis data, contemnunt ſcientias, iniuria afficiunt Magiſtrum, & offendunt Religionem in re grauiſſima. Fundari autem poteſt in iure, ex paritate rationis: ſicut enim ſcholares, qui per ſupracitata iura percipiunt fructus beneficiorum, etiamſi in choro non aſſiſtant; ſi tamen notabiliter otioſi ſint, & ſtudijs non vacent, peccant mortaliter, & Scholaſticorum priuilegijs non gaudent. prout tradunt *Tiraquellus, Maſcardus, Rodriguez, Proſper de Auguſtino, Sanctarellus, quos citat, & ſequitur Barboſa allegat. 56. num.* 24. Ita etiam regulares ſtudijs addicti non poſſunt gaudere priuilegijs ſtudentium, ſi ſtudio, nomine tenus vacent: Vt in ſimili diſcurrit *Rod. tomo* 1. *quæſt.9. artic.*10. quia ceſſat priuilegium, ceſſante cauſa priuilegij, ex *Silueſtro, ab eodem citato, V. Priuilegium. quæſt.*10. Idquè multò magis currere affirmo in eo, qui ſibi procurauit ſtudium, quiquè non iuſſus per obedientiam ſtudet. Quia iſte, licet fortaſſe peccet contra obedientiam, non tamen ita grauiter peccaret contra obligationem ſtudendi, quam inuoluntariè aſſumit, vnde defectus incidentes, non ſunt adeò illi imputandi, ſicuti qui ſe in talem obligationem ſpontaneè iniecerit.

Studentes notabiliter negligentes peccat mortaliter.

Hinc rationabiliter ſtatutum, & vagationis cauſam remouet, & veræ neceſſitatis admittit: Quam debere eſſe vrgentem, vel ipſe Diſcretorum conſenſus indicat, qui niſi in grauioribus negotijs non exquiritur. Eò vel maximè, cùm aliter faciendi Guardiano facultas adimatur, qui in adminiſtratione ſui conuentus, & in concedendis licentijs, extra conuentum exeundi, abſolutam obtinet poteſtatem. Vnde infero, grauiter etiam peccare Guardianum, qui ſua facilitate, ſtudentibus, lectiones relinquendi occaſionem præbet.

Reperitur autem hoc ſtatutum in Capitulo Generali Romano *ann.* 1571. & 87. & 1639. *ac Neapol. c.*50.

STATVTVM IX.

Studens ſi ſcandalum commiſerit, vel inſolens fuerit, de Superioris Localis, & Lectorum conſilio, ad Prouincialem mittatur, ſtudio omninò priuandus.

Aliàs

Aliàs in suo conuentu salutaribus poenitentijs maceretur.

Atquè hac ratione, & literis, & disciplinæ regulari cautum est. Non enim propter quemlibet excessum priuandus, vel à studio est aliquis remouendus. Nam si in suo conuentu corrigi potest, non est, cur ad Prælatum, & ad Ecclesiam deducatur. Eò vel maximè cum iuuenes, vt plurimùm studijs applicentur, & tritum sit illud Ambrosij. *Prona lapsibus est iuuentus*. Attamen cum disciplina Regularis, omnibus studijs sit præferenda, incidente casu, quo salutaribus poenitentijs defectus emendari non possit, vulnus grauis transgressionis, ense recidendum est, ne disciplina deperdatur. Cum experimento compertum sit, tales vitiosos, literarum accessu deteriores fieri, conuertentes salutarem cibum scientiæ, in sui, & Religionis perniciem. Prostant Arrius, Iulianus Apostata, cæterique Hæretici, qui malè partis literis Ecclesiæ bellum intulere. Vndè *psalm*. 118. scientia post bonitatem, & disciplinam collocatur. *Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me. Non solam* (inquit *Laurent. Iustin. de casto connubio capit*. 14.) *à Domino poposcit Propheta, sed bonitatem, & disciplinam. Tunc nempe vtilis est, scientia, cum perducit ad sapientiam, cùm diuinitatis radios ostendit, cum verbi præbet notitiam, cum rectè viuendi mores instruit, &c. Hæ sunt causæ, propter quas quisquè scire debet, sine quibus nemo sapit*. Et priùs dixerat. *Scientia sine gratiarum debita actione, inflat, & perdit. Præstantiusq. est humiliter nescire, quàm sciendo præsumere*. Et de *humilitate cap*. 5. *circa finem. Laudabilis* (inquit) *est scientia, & omninò necessaria ad seruandam iustitiam, &c. Cæterùm quantum in seipsa commendabilior est scientia, & nescientibus vtilior, tantò ea malè vtentibus, & peruersè interpretantibus, & prauis moribus de honestatibus intelligitur esse perniciosior*.

Vitiosi, literis peiores euadunt.

Huc collimant omnes execrationes scientiæ, & studiorum à Sanctis Patribus productæ. Stultus non est armandus, ignorans seipsum; at malè doctus etiam alios perdere potest. Vnde maxima circumspectione circa studentes vigilandum est, vt nec ignorantia, nec scientia ordinem confundant.

Quando sciētia spiritum Orationis extinguit.

Quod autem Fratres studijs dediti, & prauis moribus instructi, peccent mortaliter, patet ex Regula *cap*. 5. *Dummodo Sanctæ Orationis, & deuotionis spiritum non extinguant*. Et inter laboritia, quæ pertinent ad honestatem, Nicolaus Tertius, & Clemens V. reponunt, vel in primis studia. Cum ergo per malam conuersationem, & peccata, spiritus orationis, & deuotionis extinguatur, certè taliter studentes peccant mortaliter, hoc transgrediendo præceptum; Quia ex *Corduba quæst. 2. in c. 5. Regulæ*, extinguere spiritum orationis, & deuotionis est, *Ipsum totaliter opprimere, occidere, & abijcere. Ille enim propriè spiritum extinguit, qui abiecta oratione, ea quæ sunt carnis & sanguinis humana sectatur, & inquirit, vt aiunt Hugo, Pisanus, Serena conscientia quæst. 69. & expositio sine titulo*. Licet enim non imponat Legislator preceptum laborandi, vt omnes dicunt, attamen supposito quod quis laboret, & extinguat spiritum orationis, &c. peccat mortaliter ex ratione status regularis.

STATVTVM X.

Præcipimus, vt doctrinam Scoti scriptis compræhensam, & dilucidatam (prolixis materjis omninò relictis) studiorum Lectores ex professo, explicare conentur.

Si qui autem Lectores, Seraphici S. Bonauenturæ lectionem, aliquando interserere voluerint, permittimus.

Quæro 1. An Scoti lectio sit vtilis, & alijs Doctoribus præferenda?

Respondeo primò, est maximè vtilis ad acuendum intellectum, ad indagandam veritatem, ad difficultates enodandas, ad animandas, & vt ita dicam, viuificandas scholas, inter quas subtilissimi nomen adeptus est. Hæc omnia, & plura alia probant *P. Lucas VVuadingus tom. 3. annal. ad ann.* 1304. *& tom. 1. operum Scoti à PP. Hibernis Collegij Sancti Isidori Romani, collectorum, vbi de eius Vita. Et Nitela Franciscanæ Religionis contra Bzouium ad Ann.* 1294. *n.* 1. *pag. mihi* 14. Et infra fusissimè. Et post alios *P. Arthurus in Martyrologio Franciscano ad diem* 8. *Nouembris.* Vbi innumeros citat de Scoticæ doctrinę excellentia, & vtilitate tractantes. *Vgo Cauellus ante tertium sententiarum.* Quod cum quotidiana experientia comprobetur, relinquo.

Scoti lectio in quo vtilis

Respondeo secundò. Scoti doctrina alijs præeminet, non in ordine, claritate, vel facilitate, sed in subtilitate acumine, & instrumentis ad indagandam veritatem, & aduersarios deijciendos: Vix enim contra Scoticas speculationes nutantia aliorum fundamenta subsistunt. Viderunt illi, quorum doctrinam Scotus examinandam suscepit, & ad scholasticę veritatis trutinā vocauit. Caietanus (vt vnus sufficiat pro omnibus) contra solum Scotum commentaria in summam Sancti Thomæ digessit, quem solum, *præfat. in p.* 1. contra munitissimam sui Doctoris arcem, fortissimum ducem expertus est. Cuius subtilitatem, & copiam, ne in arcem Tomisticam irrumperent, si repulit, vel Successores assecuti fuerint, docti vidēt. Cæterùm ordinis defectus Scoto cōmunis est cum omnibus Magistri interpretibus. Claritatem in obscuritatem vertere videntur. *Difficilia intellectu, quæ indocti, & instabiles deprauant.* Vt de Diuo Paulo fassus est *S. Petrus Ep.* 1. *c.* 3. aquarum profunditas obscuritatem ostentat: Quæ cōmunia sunt Scoto cū Platone, Aristotele, Paulo, Tertulliano, Alexandrino Clemente. Nec enim pretiosa, & excellētia passim obuia, Scoti Osores cū discipulis Christi dicere possūt, *Durus est hic sermo, & quis potest eū audire? Io.* 6. nec propterea panis vitæ nō est, quia non intelligentib. durus videtur. Hinc oritur difficultas, quę pulchritudinē, pretiositatē, & honestatē comitatur iuxta prouerbiū apud *Platonē in Hippia maiore. Difficilia, quæ pulchra* Et apud *Plutarchū in libello de liberis insti-*

Scotus claritate, & ordine alijs inferior. Subtilitate tamen omnib. Superior.

Scotus quare obscuras.

instituendis. Difficile bonum est. Et difficilia, quæ honesta. apud eundem *Platonem 4. de Repub.*

Quæres secundò. An Scoti doctrina tradenda sit in declaratione literæ ipsius, An nouo quodam ordine scriptis redigenda?

Respondeo. Variant gustus, & sententiæ. Laudant alij textualem expositionem, pauci scripta: quisq; suos patitur manes, vel acceptos, vel inuentos. Ipsamet Franciscana Religio, varia varijs temporibus, & sub Prelatis varia sentientibus, statuta condidit, ante *ann.*1494. quo statuta Vallisoletana generalia, pro Cismontana Familia sunt condita, non inuenio ordinis determinationem. Licet enim *P. Lucas Vuadingus in censura, lib.* 1. *sententiarum Scoti, præfixa,* referat Lycheti tunc Generalis præceptum *ann.*1520. factum, *Vt Theologiæ studiosi, tantum se occupent in lectionibus Scoti, & commentarijs eiusdem, quæ præcisè sunt ad mentem Scoti, &c.* Attamen cum illud fuerit præceptum, & non statutum generale, cum illius officio expirauit. Præterquam quod cum lect. & commentaria etiam scripta esse possint, nihil certi habemus, statuta enim Salmaticensia edita *ann.*1508. nihil de doctrina, vel de docendi genere præscribunt. sola Vallisoletana *ca.*5. *tit. de studijs,* aiunt. *Præcipimus, vt literam Scoti solum, & non alios Authores ex professo explicare conentur* Romana vero. *an.*1612. *tit. de Lectorib. & scolasticis. Lectores* (inquiunt) *scripto dictent suas lectiones, quas per materias tradant, ne dum ex Scoto doctrinam haurientes; sed quod primum est, ex scriptura, patrib. & concilijs, ac cęteris scholasticis eruditionem captantes.* Postmodum in generali Congregatione Romana *an.*1615. fuit decretum. *imponitur Patrib. lectorib. Theolog. vt declarato breuiter textu Scoti; facta electione alicuius doctoris Scotistæ, quantum expediens fuerit, in vtilitatem studentium illius doctorinam explicent, ac sequantur.* Tolet. tandem 1633. *tit. de studijs.* non solum imponunt doctrinam, & literam Scoti in Theologia, sed etiam in Philosophia, quæ è Scoto hauriri, & componi à 4. patrib. præcipitur. *Quem postea cursum* (inquiũt) *ea lege semper sequi debebunt Philosophiæ Lectores; qui si scripto in suis lectionib. ab aliqua ex sententijs in eodem cursu contentis deflexerint, irre missibiliter lectoratus officio priuentur: possunt tamen, si velint, ore tenus tantum in aliquam ex dictis sententijs, velut Scoti doctrinæ non consonam, inter dum insurgere.* Nunc quoad scripta ex statutis, pręter claram iam citatam determinationem, quæ facta fuit præsente, & dictante Reuerendiss. P. Paulo Sulmonen. tunc Commissario Generali, summo in doctrina Scoti Theologo, & de re literaria, ac orandi eminentia optimè merito, non colligitur vetita esse, quia solum doctrina Scoti commendatur, & eius doctrinæ lectio, ac commentatio; hoc autem fieri potest, & oretenus, & scripto. Et in capitulo generali Tolet. *ann.*1633. in quo Scoti doctrina præcipitur super omnia, dicitur. *Lectores philosophię, & theologiæ, lectoratu priuentur, si directè, vel indirectè, voce vel scripto deflexerint à Scoti doctrina.* Vbi etiam scripta tradi supponuntur.

Scotus scriptis, ne an in textu explicandus.

Quod autem melius sit docere scripto, probo 1. quia Scotus in suis sententijs non est ordinatus, multa congerit, more veterum illius ęui scholasticorum, ad declarationem terminorum, grammaticæ, logicę, philosophię, matematicę, metaphysicæ, &c. quæ superflua sunt studentibus qui supponuntur his facultatibus iam studuisse. Aliorum sententias adducit, examinat, impugnat, relicto sæpius lectorib. vel arbitrio, vel coniectura, quid ipse sentiat, vt *Camell. in monitione ad*

Melius est docere scriptis.

Lecto-

Lectore n.7. quæstiones omnes examinat propositis priùs negatiuę partis argumentis, quæ in fine soluit itaut teneatur lector, nouum sibi formare ordinem,& veluti acu nautica, & tabulis, in litera Scoti nauigare ; hæc omnia docendi methodo repugnant, quæ in facilitate, & docilitate, præcipuè cum tyronib. consistit. *Docilitas est prudentiam erudiendi imperitos.* dixit S. *Isid.in* Synonim. *& Hugo in Disdasc.lib.5. Lectio duob.modis animo fastidium ingerere solet, & qualitate, si obscurior fuerit: & quantitate, si prolixior.* & idem *Isi. de norma viuendi c.11.* ait. *cum autem instruis alios, obscuritate noli vti sed ita dic, vt intelligaris, ne loquendo, simplicib. displiceas, ne prudentes offendas,* propterea (inquit *Clem. Alex. lib.5. strom.c.4.*) *disciplina dicta est illuminatio, & lib.4.ex Democ.* dicit. *Naturam,& doctrinam, esse persimilem.* natura enim ordinatè,& à faciliorib. incipit. Hinc ex Cic. Quintil. Arist.& alijs illud commune principium, *orator debet suos auditores reddere dociles, beneuolos,& atentos,&c.*

Docendi methodus in facilitate, & docilitate consistit.

Secundò, Certum est, i. bonum lectorem non debere docere tantum solam doctrinam Scoti, sed addere moderniorum speculationes, Patrum, Conciliorumque sententias : nisi enim hęc præstet, ieiunus nimis, & siccus euadet, cum contra impugnatores modernos Doctoris sententiam tueri debeat. Certum est 2. hæc omnia menti retinere non posse lectorem, nisi excerpat, adnotet, ordinet, aliàs inordinatè,& tumultuariè procedet. Certum est.3. discipulos has addititias lucubrationes nec mente retinere, nec post lectionem meminisse posse; nec vbi eas inueniant scire, quia textus Scoti illas non continet; ergo deducitur non benè,& vtiliter doceri, sine scriptis; contrarium enim facere cogit discipulos multos euoluere libros, contra *S. Th. à Gers. & apud Peir.cit.* §. *vnico. c.30.* laudatam sententiam, *exercere se in vno doctore.*& aliam *liberet me Deus à lectore vnius libri.*& aliam *Sen. onerat discentem turba, non instruit, multoquè satiùs est paucis te authorib. tradere quam errare per multos.* Scripta autem vnus liber sunt, sed copiosus, & omnibus numeris absolutus.

Scotus cum aliorum doctrina tradendus.

Tertiò, in lectura textus paucę completæ materię doceri possunt. Multa Scotus non tetigit, multa ex professo non tractauit, multa imperfecta reliquit, vt de Auxilijs diuinę gratię, de peccatis, de legibus, de moralibus materijs, &c. Principia quędam sparsim tradidit, quę venari, & colligere oportet, eaquè nouis Conciliorum,& Patrum sententijs firmare,& recentiorum speculationes pro,& contra impugnare. Quod sine scriptis impossibile est pręstari. Et hęc super omnia Theologis, Cōcionatoribus, Confessarijs necessaria sunt. Hinc colligi potest, cur multa turba Scotistarum ieiunam Theologiam, & solis quibusdam subtilitatibus refertam habeant; & ea literatura, quę verè doctos, & peritos facit, careant. Non negauerim, multos post scholasticas concertationes, varijs S. Scripturæ, & Conciliorum, ac Patrum libris attendere : attamem hoc suę disciplinę non comportat ingenium,& quam proficuum sit à viua Doctoris voce solidam hanc, variamquè doctrinam combibere, experti,& doctiores agnoscunt.

Quartò, Omnes fatentur summam Sancti Thomę verè esse angelicam in claritate, facilitate, & ordine, quę sine alia mutatione literaliter tradi posset ; attamen, non in nudo textu, sed scriptis, eiusdem professores docent. Ergo multò magis fieri debet hoc in texu Scoti, si Lectores non se, sed alios docere volunt: Et discipulos breui ad perfectum adducere. Hinc factum, quod multi ex nostris, commentaria in Scoti doctrinam ediderint, varia quidē,& solida eruditione

S. Tho. verè angelicus.

ne

ne referta, sed iuxta Sancti Thomæ ordinem digesta, vt inter Moderniores Theodorus Smysing. à Monte Piloso, Clemens à Carouinea, &c. Et inter antiquiores magna ex parte Nicolaus de Nisse. Quare cum profectus Discipulorum, sit post spiritum, cui prospicere debet Religio, & hic à modo docendi, & discendi dependeat, summopere vigilandum est, vt Lectores communi studeant vtilitati.

An autem in schola dictari debeat lectio, an verò anticipatè, vel post, à scholaribus scribi, Lectorum arbitrio relinquendum est. Si tamen me iudicem audire velent, consulerem, id præstandum in ipso lectionis tempore, tùm quia scribendo suum faciunt, quod est alienum, tùm quia recentiùs delineata, viua Lectoris voce explicata, magis hærent animo, & memoriæ. Hæc loquor espertus in vtroq; discendi, & docendi genere, & literam in textu explicando, & eamdem scriptis compræhendendo. Laudarem etiam breuiter textus declarationem, vel voce, vel scripto præmitti, & postmodum scriptas materias dictari.

Quæro tertiò, An liceat à Scoti sententia discedere.

Frãciscana Religio in Scoti verba non iurat. Respondeo primò, Religio Franciscana in verba Scoti, nec iurauit, nec iurat, sicut facit Prædicatoria Familia *dist.2. c. 14. Suarum Constitutionum, Titulo de Studentibus.* Vt patet ex citatis initio q.2. Statutis. Licet *Philippus Faber Fauen. tomo 1. Suarum disput. Theolog. præfatione ad Lectorem*, dicat Conuentuales teneri ad sequendam doctrinam Scoti, ex Constitutione Pij V. Sed quia illa fuit confirmatiua quorumdam statutorum, non plus obligare puto, quam ipsa Statuta. Quinimò ex Statutis Alexandrinis pro Conuentualibus factis *c.5.* dicitur. *Quatuor libros sententiarum, cum quæstionibus Doctoris subtilis, aut alterius, puta Alexandri de Ales, Bonau. Franc. Maironis, aut Richardi, prout cum auditoribus conuenerint: Non enim omnis ad acumina Scoti idoneus est.* Suadet enim non præcipit Religio, tenendam esse vbiq; doctrinam Scoti. *Nec omnipotentem putat authoritatem*, vt dixit *Clemens Alexandrinus lib.4. strom.c.1.* Nec cum *Plinio lib.1. Epist. Authoritatem pro ratione sufficere*. Nec enim Scoti discipuli peioris cõditionis esse debent Magistro: Scotus enim à Varrone suo magistro sæpius recedit. Quem sequuti sunt deinde *Aluarus Pelagius, Gualterus Burlęus, Guglielmus Ocham, Petrus Aureolus*, & alij Scoti *Auditores, sed non per omnia sectatores, plures enim, non paucas Scoti sententias impugnarunt, alij per omnia fermè se ei opposuerunt*, inquit *VVadingus in Vita Scoti citata c. 19.* Nec absq; ratione, quia licet in rebus fidei captiuare debemus intellectum; in alijs autem seruire (*Non enim me cuiquam mancipaui, nullius nomen fero, multùm magnorum virorum iudicio, aliquid è meo vendico, nam illi quoque non inuenta, sed quęrenda nobis reliquerunt. Sen. Ep.45.*) Et quod alter scripsit rescribere, & semper ex libro loqui. Pitagoricam ferulam formidantes iuxta *Senecę Ep.33.* sententiam. *Turpe est enim seni, aut prospicienti senectutem ex Commentario sapere. Hoc Zeno dixit. Tu quid? Hoc Cleantes. Tu quid? Quousquè sub alieno moueris? Impera, & dic, quod memoriæ tradatur, aliquid, & de tuo profer. Omnes itaquè istos nunquam Authores, semper interpretes sub aliena vmbra latentes, nihil puto habere generosi. Sen.Ep.33.* Atq; ac si intellectu simili, vel excellentiori alij præditi esse non possent (*Nequè enim quasi lassa, & effœta natura nihil iam laudabile parit. Plin.lib.6. Epist.*) Nec mussitare, nec dehiscere, & animum omninò seruilem induere, lumini naturali repugnat: Hoc enim est, semper esse discipulum, & repetitorem,

nunquam

nunquam doctorem. Et certè literaliter illi congruere nomen Lectoris. Quia ex alieno libro legeret. Adsit *Seneca c.1.de Vita beata. Nihil* (inquit) *magis prę-standum est, quam ne pecorum ritu sequamur antecedentium gregem, pergentes, non quò eundem est; sed quò itur*. Si enim ex *Augustino Epistola 18. ad Hieronym. Solis eis scripturarum libris, qui iam Canonici appellantur didici hunc timorem, honoremquè deferre, vt nullum eorum authorem, scribendo aliquid creasse, firmissimè credam. Alios autem ita lego, vt quantalibet sanctitate, & doctrina polleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi, vel per alios authores Canonicos, vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat, persuadere poterunt*. Et idem relatus *c. noli.d.9.* de Hilarij, Cypriani, Agrippini, & aliorũ authoritate loquẽs ait. *Non sic leguntur, tanquam ita ex eis testimonium proferatur, vt contra sentire non liceat, sic vbi fortè aliter sapuerint, quam veritas postulat*. Et idem *Epist. 3. ad Fortunatianum. Nequè enim* (inquit) *quorumlibet disputationes, quantumuis Catholicorum, & laudatorum hominum, velut Scripturas canonicas habere debemus, vt nobis non liceat, salua honorificentia, quę illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare, aut respuere, si fortè inuenerimus, quod aliter senserint, quam veritas habeat, diuino adiutorio, vel ab alijs intellecta, vel à nobis. Talis ego sum in scriptis aliorum, tales volo esse intellectores meorum*. Si in quam hæc Christiana ingenuitas valet respectu Sanctorum Patrum, qui summa veneratione sunt digni, quantò magis valere debebit respecto Scoti, qui est Scholasticus, & inter probabilia, vt plurimùm incedit? Legantur *Alphonsus de Castro lib.1. aduer. hæres. c.7. & Cano. lib.8. de locis. c.4. & Campanella in Philosophia, &c.* Hinc affectus excessui Illustrissimi, ac Reuerendissimi P. Ioann. Baptistæ à Campanea, tunc Generalis, nunc autem Dertosæ Episcopi condonandum est statutum vltimi capituli Toletani, quo præcipitur, tenendam esse Scoti Philosophiam, à nescio quibus concinnatam, eiquè sub priuatione lecturæ adhærendum, nec aliqua ratione inpugnandam. Est enim ille, vt Scoticæ doctrinæ apprimè eruditus, ita eidem summè propensus. Attamen ordinem in hac parte supra Patres Prædicatores grauauit. Illis enim (qui vt diximus in verba Magistri iurant) tantùm imponitur loco citato, *Ne Fratres legendo, determinando, respondendo asserere audeant ex propria sententia oppositum eius, quod communi omnium iudicio, creditur assertum esse à Sanctissimo Præceptore*. Et rationabiliter quidem, quia non est sequendum iudicium trium, vel quatuor, sed omnium commune. Nos autem qui libertate intellectus fruimur, & in Scoti verba non iuramus, adstringimur ad Philosophiam, à 4. Scotistis collectam, itaut ab istorum iudicio resilire non liceat, nisi oretenus, & dubitatiuè, non assertiuè. Et vt dicebat *Seneca Ep.54. precario philosophari*, & cum *Philone lib.2. leg. alleg. Intellectu vulgari, & collectitio.* quod *Chrysol. ser.81. Veritatis latrocinium. Et S. Zeno ser. de Iacob. Stabularium doctorem*. Appellant. Quia in eo aliorum placita stabulantur, non nascuntur: Vt appareat quantulacumquè possit consuetudo, & affectus, *Vt nouam nuptam anum ducamus. Phil. de agricult.* Verùm statutum executioni non est mandatum.

Scoti doctrinam, quomodo sequi teneamur.

Respondeo secundò, Licet non teneamur sub peccato sequi doctrinam Scoti ex præcepto Religionis, debemus tamen ex decentia, & consensu, mordicùs illius mentem, & sententias tueri, nec ab illis resilire; Tùm quia iam consuetudine inductum est, vt Scotum in nostris Scholis publicè interpretemur: Tùm quia

super

super omnes Scholasticos vtilis est ad veritatis indaginem, & mirè cōtra hostes, tùm fidei, tùm eius doctrinæ, argumentorū arma ministrat; Tùm quia nulla est in Scoto propositio, quæ probabilis non sit, & quæ faciliter defendi non possit. Tum quia eius doctrina post tot sæcula, concilia, & examinationes, nunquam de errore, aut improbabilitate notata fuit, vt de alijs legitur. Tùm quia doctrina Scoti clara est, & facilis, dum fuerit intellecta, & veluti aurum ex fodinis erutum, opera doctorum Magistrorum: Non enim esset subtilissimus, & eminētissimus, si triuialia, & passim obuia tradidisset. Tùm deniquè, quia est pia, sana, Catholica; bile, & felle carens; modesta, humilis, & apposita ad illuminandas mentes Scholasticas. Legātur *c.17.& 18. VVadinghi in vita Scoti cit.* Quo tendit statutum cap. Generalis Toletani *an.1633. Tit. Pro Cismontana Familia*, in quo declaratio literæ Scoti vni Lectorum committitur, nec scripta lectio improbatur.

S. Bon. lectioni vocādum. Respondeo tertiò, Seraphici Bonauenturæ doctrina interseri potest Scotistis speculationibus tanquam condimentum sapidum; & quod quam gratum Religiosis intellectibus euadat, docet Collegium S. Bonauēturę nostrorum Patrum Conuentualium in Vrbe, in quo Scotus in S. Bonauen. insertus, gloriosos palmites, & suauissimos fructus in Seraphici Ordinis splendorem emittit, vt videre est in *Vrbanis statutis in c.5. Regulæ. tit.4.n.14.* Nec abnuunt nostri Patres Capucini, qui Sancti Bonauenturæ doctrinam docentes, speculatiuis, & moralibus diuitijs instruuntur.

S. Th. apprimè studendum. Respondeo quarto, Angelici, ac Sanctissimi D. Thomæ Aquinatis summam terere, atq; præ manibus habere non minùs proficuum, & necessarium iudico: Non tantùm ex ea parte, qua contrariæ scholæ professores, alterius vires nosse oportet; verum, quia summopere vtilis est, & necessaria ad materiarum dispositionem, ad virtutum moralium intelligentiam; & vt vno verbo absoluam, vbi Scoto non fuerit contrarius, omninò sequendus.

Alex. Alēsis etiam voluendus. Nec relinquēdus Alexand. Alensis, qui ob varietatem, & puritatem doctrinæ, doctor irrefragabilis, fons vitæ, & Doctor Doctorum Parisijs meruit appellari. Fuit enim S. Thom. & S. Bonauent. Pręceptor. Ex cuius doctrinæ plenitudine *reliqui suas impleuere lacunas* (inquit *VVadingus to.1. ad an.1245. n.19.*) qui adducit Gersonem scribentem S. Th. suam summam, maximè secundam secundę ex summa Alensis concinnasse: & Vincentium Bellouacēsem (in cuius speculi moralis lib.1. & 3. prima secundę, & secunda secundę S. Th. reperitur, quiq; fuit S. Th. coætaneus) opus illud collegisse, & cōpilasse ex scriptis Alensis, Vt *n.20. & 21 Idem P. VVading. probat.* Hęc dixerim, vt quos sequi oporteat, cognoscamus.

Ex illo S. Th & Bellouacensis plura sūpserūt.

STATVTVM XI.

Lectores Logicæ, & Philosophiæ triennio suum cursum absoluant.

Lectores autem Theologi quatriennio, quatuor Scoti sententiarum libros interprętentur.

Con-

Congruum tempus erudiendis Discipulis destinatum, limitatum autem ex sacris canonibus: Nam *c. super specula de Magistris*. Conceduntur fructus beneficij, integrè per annos quinque studentibus in publicis vniuersitatibus studiorum, quod tempus sufficiens visum fuit, vt docibiles Clerici Theologicas disciplinas doceantur. Hinc quia immẽsas materias tùm philosophicę, tum Theologicæ facultates continent, præcipuè in via Scoti, qui totus ferè est in hisce difficultatibus occupatus, præcipitur in priori statuto, vt resecatis prolixis materijs, vtiliores doceant. Nunquam enim ex scholis excederent, si omnes omninò prolixitates examinari deberent. Aristoteles, 20. annos Platonis Auditor fuit, apud quem veluti incanuit, nam cum ad illum decimum octauum annum agens accessisset, quadragenarius ferè discedere voluit. Nos enim, qui aliquando Magistri futuri sumus, apud Doctores incanescere non debemus. Sufficit solida omnium materiarum hausisse principia, nostris studijs, & lucubrationibus aliquid concedendum est. Appono antiquorum nostri ordinis Patrum sententiam in *Statutis Alexandrinis c. 5. initio*. In primis iuxta constitutiones generales factas ann. 1384. *Ordinatur quod quilibet promouendus ad Baccalariatum pro cursu in omnibus studijs iuret coram Capitulo generali, quod per tres annos sequentes leget 4. lib. sententiarum, lecturas continuando per singulos annos, in 4. anno leget biblia in eisdem Scholis, si opus fuerit: in quinto autem tanquam Baccalarius formatus, respondebit ordinario cuilibet Magistro regenti in eisdem Scholis, & ante principium 6. ann. non assumet magisterium*.

Tempus, quo absoluere debẽt lectores.

STATVTVM XII.

Lector non fiat, nisi completo studio; generales conclusiones antea propugnet, & suorum Lectorum testimonio de sufficientia, et probitate commendetur.

Nec Theologiam, ante artis cursum docere permittatur.

Scientiarum defectum, etsi tempori edaci, & cadenti naturæ magna ex parte imputandus venit nullam tamen potiorem causam agnoscere, quam Doctorum insufficientiam, certum est. Ex illo enim notissimo principio prodit. *Nemo dat, quod non habet*. Gigantes, Longęuos, ac robustos, antiquitas vidit, nũc pigmęos homunciones effœminatos cernimus, quia mures, mures progignunt. Audiuimus doctissimos Thomam, Bonauenturam, & Scotum. Quia Magistros habuerunt Alexandrum Alensem, Albertum Magnum, Varronem. Nunc diffusas, & in pluribus extensas scientias videmus, non tamen intensas. Multiplicantur Magistri sine vberi disciplinæ censu. *Multi, iuxta vetus elogium, cum loqui nesciant tacere non possunt, docentquè scripturas quas non intelligunt; & cum alijs persuaserint, eruditorum sibi assumũt supercilium, priùs imperitorum Magistri, quàm Doctorum Discipuli*. Scripsit *Hieronym. ad Demedrjadem Virginem*.

Scientiarũ casus ex prę ceptorũ debilitate procedit.

Magister sciat priusquã doceat.

Et vt dicit *Sidonius lib.3. Epist. Miser est, qui ante compulsus est docere, quam discere, & ante præsumens bonum prædicare, quam facere, tanquam sterilis arbor, cum non habeat opera, pro pomis, spargit verba pro folijs; & cum non adsit medulla sensum, abundat spuma verborum. Magister enim* (teste) *Hieronymo Epist.89. Probæ ætatis, & vitæ, eruditionisq; est deligendus.* Nec desunt (*Gregoriano calamo in prologo Pastor.*) *Qui dum metiri se nesciunt, quæ non didicerunt docere concupiscunt; qui pondus Magisterij tanto leuius æstimant, quanto vim magnitudinis illius ignorant*, Quid si Magisterium importunis precibus, & fauoribus affectent? Nec cõpletur in illis satyricum illud, *Iuuenalis, sat.7. Pænitint multos vanę sterilisq; cathedrę.* Quinimò (vt argutè dixit *Petrarca Dial.45.*) *sunt aliqui sic fallacijs assuefacti, vt longo vsu fallendi alios, ad extremum se se fallere incipiant; & quod falsum sciuerint, verum credam.* Cum nimirum cathedram obtinuerint, se ex officio doctos arbitrentur; *Dumq; quod dicebantur, sed non erant, esse crediderunt; quod esse poterant, non fuerunt*, Vt idem *Franciscus Petrarca* discurrit. Audiant cathedræ prætensores *Nazianzenum in apologetico, seu orat. prima. Meo iudicio* (inquit) *admodum stultè, temerèquè faciunt illi, qui priusquam ipsi satis doctrina instructi sint, aliorum se Magistros profitentur. Stultè, si non ignorantiam suam præsentiant: temerè, si cum eam intelligunt, hoc negotium sibi assumere audent.* Et infra. *Tam malè affecti sumus, vt maior pars nostrum, ne dicam omnes, priusquam sacra volumina, vel de nomine nouerimus: si duas, aut tres pias voces edidiscerimus, ac ne id quidem ex lectione, sed ex eruditione, protinus Samuelem ab ipsis incunabulis sacrosanctum in ore habemus. protinus sapientes summus, & pręceptores, et rerum diuinarum sublimes, et scribarum, et legislatorum primi, nosque ipsos calculo nostro cælestes designamus, ac vocari ab omnibus Rabbi expetimus.* Quo Poeta quidam dixit. *Etenim vacuo pectore quisquè docet.* Equidem *Scriba doctus profert de thesauro suo noua, et vetera.* Prius formare debet thesaurum scientię, deinde in alios promere. Magistri, Cherubinis assimilantur; Cherub. enim ex fontibus hebræis interpretatur, *Quasi Magister*, vel *scientia multiplicatus*, vel *multisciius*, & propterea *Dion. de cælesti hier. capitu.4.* Cherubim appellat, *Inferiorum pręceptores.* ideo indignè Magistri nomen obtinet, qui scientia plenus non est. Hinc in Magistris laudatur discendi affectus: Nam Diuus Paulus 1. *Tim.3.* inquit. *Oportet Episcopum doctorem esse.* Quem deinde. *Epist.2. capit.2. Docibilem esse affirmat.* Quia in Magistro, inquit *Aug. lib.4. contra donat. cap.5. Diligendum est, non solùm, vt scienter doceat, sed etiam, vt patienter discat.* Vnde *Hieronym. Epist.4. ad Rusticum, Discamus* (inquit) *nos priùs non loqui, vt postea ad loquendum ora reseremus. Nihil nobis videatur rectum esse, nisi quod discimus, vt post multum silentium, de discipulis officiamur Magistris. Et Petrus Damian. lib.2. Epistol, 14. Melius est* (aic) *doctoribus à discipulis discere, quam superbè, quæ recta sunt ignorarè. Honestius est maiori, vt quæ nescit addiscat, quam quæ discenda sunt nesciat.*

Cherubini quid significent.

In Magistro requiritur probitas.

Nec sola scientia sufficit, requiritur probitas, vt non minùs mentem erudiat, quam informet affectum; *Quia docere, & non facere, non solùm lucri nihil, sed & damni plurimùm confert. Grandis enim condemnatio est componenti quidem sermonem suum, vitam verò suam, atquè operam negligenti*, dixit *Chrysost. in lib. de Compunctione cordis. Et S. Isidorus Pelusiota lib.4. Epist.20. Danda* (inquit) *nobis opera est, vt probitatem habeamus, per quam pietatis doctrina euadit fide digna:*

Nam

Nam ei, qui non benè viuit, nemo fidem adhibebit, vitio quippè, & recta dogmata dehonestate, eaquè recipi non permittente. Vtrumquè igitur retinendum est, tam virtus, quam sana pietatis doctrina, vt quorum alterum sit fundamentum, alterum corona, atquè ornamentum. Et *Epist.* 125. exponens Thomæ Monacho illud. *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ, &c.* ait. *Doctoris lucerna animetur, & irrigetur, & alatur à virtute patria (internæ videlicet rationis) ne tenebrosa sit, & luminis expers.*

Nec tantum requiritur vt Lectores non sint mali, & manifestè scandalosi, hos enim quis ferat? Sed debent esse deuoti, & spirituales, vt vno cōtextu intellectum informent, & voluntatem inflammēt. *Tunc maximè* (inquit *Chrysost. citatus à Billio ad capit.* 90. *lib.* 1. *parallelorum Damasceni*) *bonarum rerum studio inflammantur discipuli, cum Magistrorum exempla ob oculos habent. Et Nazianzenus Alimonia eius quoquè qui alios nutrit, doctrina est.* Scito quidem exemplo, quia cum doctrina frequenti imbibuntur mores, vnde bonus cibus scientiæ, minus deuota Magistri conuersatione delibutus, in insanum alimentum conuertitur. Hinc *Chrysost. hom.* 9. *in cap.* 5. *Qui docet* (inquit) *verborum suorum sit ipse exemplum, vt magis opere doceat, quàm sermone.* Vt hac ratione persuadeat discipulis, quod catholica mente docet; alias ipsemet redderetur, suæ doctrinæ corruptor; quia vt idem *Chrisost. ho.* 51. *in cap.* 25. *Matth.* ait, *In fide docere debemus, vt credamus sic esse, sicut docemus. Ille non facit bonum, non credit bono, qui non credit in bono, non docet in fide. Vera est enim illa doctrina* (inquit *Isid. lib.* 3. *sentent. cap.* 36.) *quam viuendi sequitur forma. Et Io. de Manburgo in suo Roseto tit.* 4. *Alphab.* 15. *&* 19. *littera Z.* ex multis Authoribus ait. *Turpissimum est Magistro, si cum vita pugnet oratio; plus homines oculis credunt, quam auribus, & longum est iter per præcepta; breue, & efficax per exempla. Ex Sen. Ep.* 6. Tandem *officium doctoris est* (Authore *Sancto Augustino lib.* 4. *de Doctrina Christiana, apud S. Bernardinum Senensem de Relig. Christiana, dominica quadrag. ser.* 18.) *Illuminare, delectare, & flectere mentes Discipulorum.* Quod sine probitatis exemplis fieri non potest. *Et deuotio.*

Hinc colligitur peccatum Lectorū, approbantium suos discipulos ad lecturā, & Superiorū in idē omnes cōsentientes. Cū enim sit res magni momenti, si indignos, vel eruditione, vel probitate ad alios docendum habilitant, peccant mortaliter, & de iustitia tenentur ad omnia damna, quę Religioni propterea obueniunt. Argumēto *c.* 18. *de refor. Sess.* 24. *Conc. Tridentini* §. *Quod si iudicio Episcopi digni non fuerint, alium, qui dignus sit, nominent.* Vbi prouisionem factam de indignis ad Scholasterias, nullam declarat: Vt etiam decernitur *c.* 1. *de refor. Sess.* 5. in quo lecturas huiusmodi *idoneis personis, & dignioribus Magistris* conferri mādatur: Vt taceam de ijs, qui lecturam ambiunt indigni, de his enim nulli dubium est, quod superbia, & iniustitia grauissimè peccant. Vt tādem intelligant, quātū importunis ambientium precibus, & inordinatis malorum Prælatorū affectibus resistendum sit. Lege *Peirinum tom.* 2 *quæst.* 2. *cap.* 2. *à nu.* 76. Cui adde *capit. oportet.* 8. *quæstion.* 1. in quo doctoris qualitates S. Clemens, B. Iacobo proponit; sed ante alios *Aluarus Pelagius lib.* 2. *de planctu Ecclesiæ. cap.* 33. *de vitijs Doctorum, & Magistrorum.* *Peccāt mortaliter indignos, ad lecturam approbantes.*

Quam conclusionem extendo, non tantùm ad substantiam statuti, sed etiam ad circumstantias: Vt nimirùm peccent mortaliter, non solum habilitantes indignos

scientes. Gen.3. igitur cum à Lectoribus supræmam doceamur scientiam, debemus nostros summè honorare Magistros; Quia ex *Cassiodoro. lib.4. Epist. Dignū videtur, vt qui est scientia præditus, reddatur honore reuerendus.* His aliæ rationes accedunt. Prima ex *Liuio Decad. 1. lib.4. Magni fiunt animi magis honoribus.* Quia ex *Valerio Maximo lib.2. cap.6. Virtutum vberrimum alimentum est honos.* Et ex *Chrysost. de reparatione lapsi. Honor verus virtus est animi.* Quod viderunt statuta Vallisoletana. *an.*1593. a d dignitates, Magistros grammaticę habilitantia. *Vt sic* (inquiunt) *munus ipsum tantoperè necessarium, & alacriùs subeant, & studiosiùs exerceant.* Secunda, quia diuino ad hoc adigimus pręcepto. Nam 1. *Thim. 5. Duplici honore honorandi sunt, maximè qui laborant in verbo, & doctrina.* Qui locus licet agat de Episcopis, & curam animarum habentibus, tamen ex identitate rationis, de Doctoribus, & Prędicatoribus communiter accipitur. *Duplici honore* (inquit Sedulius) *idest magno, propter gradum officij, & doctrinæ.* Quem sensum habet S. Primasius. Et S. Anselmus ait. *Vt in hoc sæculo accipiant honorem stipendiorum à subditis, & in futuro honorem gloriæ. Et S. Remigius, Duplicem,* inquit, *honorem præcipit exhiberi, in salutationibus videlicet, vt humilient se illi subiecti, & in exhibendis donis temporalibus. Theodoretus* autem. *Vsquè adeò,* ait *res est laudabilis doctrina, duplici autem honore posuit pro ampliori.* sed *Chrysost.* plenius. *Maximè* inquit, *qui laborant in verbo, & doctrina. Vbi modo sunt, qui dicunt sermone, & doctrina opus non esse? Quandoquidem tanto studio Thimoteum Paulus admonet dicens. Ista meditare, in his esto. cap.4. Vaca lectioni, & hos omnium maximè iubet honorari; causamquè addit, multum enim laborem sustinent, quam verò id iustè. Cum enim alius non vigilet, nequè curis maceretur, sed passim securus, & quietus in quotidianis fabulis, & consessibus sit; hic autem concidatur sollicitudine, & meditationi perpetuò insistat, idque maximè si exterioris disciplinæ sit rudis, quis non videat, quanto sit cæteris honore præferendus? Quippe qui seipsum tot laboribus, & ærumnis exposuit. Est enim linguis innumeris propositus ad lacerandum: alius culpat, alius laudat, alius detrahit, alius memoriam, alius compositionem in ius trahit, magnaquè illi constantia ad ista tolleranda opus est.* O quam apposité, vltrà quod nihil. Et hunc locum Vallisoletana statuta adducunt. Tertia est legis authoritas. *C. enim, de Professoribus, qui in Vrbe Constantinop. de emeritis Magistris,* quos nos iubilatos appellamus, decernunt pijssimi Principes Theodosius, Arcnadius, & Valentinianus. *Cum ad 20. annos obseruatione iugi, ac sedulo docendi labore peruenerint, placuit honorari, & his qui sunt ex Vicaria dignitate connumerari.* Hos autem vocat *Comites,* Abbas in *proemio decretalium num.6.* quibus accinunt *C. de Comitibus, & Tribunis scholarum. Et C. de officio Magistri officiorum. Atque hic titulus honorarius est,* inquit *Pandulphus Prattęrus apud Ioan. Caluinum in lexico V. Comites scholarum, inuentus à Constantino Imperatore dum singulos quosque honore aliquo cumulare cupiebat.* Citatquè *Euseb.4. de Constantini Vita.* Nollem autem verificari posse, quod dixit Reuerendissimus Sampson de Brixia, nostri ordinis Generalis 37. in generali Capitulo, Cremonæ celebrato. *Quod olim in ordine dominabatur vera Conscientia, paulatim dimissa est primo sillaba, Con, & remansit vera scientia, Nunc autem Fratrum malitia, & negligentia deperyt, & secunda sillaba videlicet, sci, quia scientia, & studia deperierunt in ordine, & solum remanet, entia, quia Fratres moderni, tanquam lapidei, etiam bestiales, & mali, sine conscientia, & sine scientia*

Docendi labores.

remanent velut entia bruta. Sic in 1.*par. Memorialis ordinis fol. mihi* 37.

Quæstio secunda, Quid varijs temporibus circa Lectores Iubilatos in ordine nostro decretum fuerit?

Magistri in obseruantia quando desierunt, & vbi persistãt Respondeo, post separationem obseruantiæ à conuentualitate, desierunt obseruantes Magisterio laureari, Prouincijs tantum Franciæ, Turoniæ; & Sancti Bonauenturæ, in magno Parisiorum Conuentu, hac facultate relicta, Iuxta earundem Prouinciarum priuilegia, in generali Parisino Capitulo *an.* 1579. approbata. Ne autem virtuti debitus honor detraheretur, & ob rationes, quæstione prima recensitas, introductum est, vt emeritis Lectoribus, aliqua priuilegia concederentur, quæ fouendæ quidem superbiæ, non inseruirent, virtutis vero, ex animo amplectendæ incitamenta præberent. Itaquè in Congregatione

Lectoribus priuilegia vbi, & quando concessa. generali Neapolitana. *an.* 1590. statutum fuit. *Sacræ Theologiæ Lectores, qui per sexennium lecturæ huiusmodi operam nauarunt; socium gratũ ex propria Prouincia assumendum habere possint. Qui vero in posterum Sacrã Theologiam decenniò, sine interpolatione aduentus, et quadragesimæ legerint eorum priuilegijs, exemptionibus, et prærogatiuis, in omnibus, et per omnia gaudeant, qui ministeriatus officio functi sunt.* Quæ ad verbum translata fuere in hęc, quæ commentamur Vallisoletana statuta, & confirmata in eo Capitulo generali *anno*. 1593. In generali postmodum Romano Capitulo *an*. 1612. tempus lecturę extẽsum, & aliquę conditiones adiectę fuerũt. Titulo enim pro Vltramontana Familia dicitur. *Ad*

Tẽpus, quo Lectores legere debẽt. *euitandam pluralitatem Lectorum Iubilatorum, pręcipitur, vt nullus gaudeat iubilationis priuilegio, nisi tribus annis Logicam, & Philophiam fuerit interpretatus, et Sacram Theologiam duodecim, septem mensibus per singulos annos, in fine cuiuslibet sufficienti probatione exhibita præscripti temporis. Et Lectores Theologiæ diuersas materias interpretentur per continuos annos, sine interpolatione aliqua officij. Si quis autem tempus legendi ita fuerit interpolatus, eò vsquè acquisitum ius ad iubilationem amittat,* Decernit postea, duos tantum pro quolibet studio Theologiæ posse esse Iubilatos, & qui excederent, subrogentur decedentibus, ordine acquisiti iuris. In quo Capitulo pro Cismontana Familia quoad Studentes, & Lectores, Vallisoletana mox citata confirmantur. Tandem in comitijs generalib. Toletanis. *ann*. 1633. statuitur, *Qui semel ad Philosophiæ lectoratum admissi fuerint, nusquam nisi ex graui vitę, vel doctrinæ defectu à lectoratus exercitio dimoueantur, imò semper sine vlla penitus interruptione conseruentur in ipso, vsquesquò iubilationis honorem obtinuerint.* Quod tamen statutum reuocatum fuit in nuperrimo Capitulo generali Romano *Ann. 1639. Titulo De Lectoribus.* Et iure quidem, quia prætendere ius ad honores, eos, qui nullum ius habent, nimis ab humilitate, & à regulari disciplina recedit. *Possunt igitur à Magistris Prouincialibus amoueri de consensu Diffinitorij, & alijs muneribus destinari. Eodem namquè iure Lectores primò instituere, & cum libeat, amouere, ad Ministrum Prouincialem & Diffinitorium pertinet.* Nequè mutationis admiratio subeat, quia Toletanum scientiæ, Romanum humilitati fauit; illi præsedit supranominatus Illustrissimus, & Reuerendissimus à Campanea, qui ita scientię erat addictus,

Dictum notabile. vt eum dicentem audiuerimus. *Plus ęstimo, quod sim Lector Iubilatus, quam Generalis. Etsi cuncta mihi auferrentur, relinqueretur tamen Scotus, nihil mihi deesse existimarem.* Attamen in illomet generali capitulo declaratum fuit,

Vt

Vt doceant totidem annis, sine vlla interpollatione, vel intermissione, vel intromissione ad alia officia: nec possit recompensari requisitus numerus annorum, per hoc, quod bis in die legant, itaut tali prætextu annum vnum velint computari pro duobus, sed seruetur statutum ad literam.

Quia tamen in quolibet generali Capitulo aliquid, vel addebatur, vel demebatur, vt certus modus iubilationis in ordine seruaretur; Apostolicæ firmitatis robur accessit. Primò, enim Clemens Octauus; & Postmodum Sanctissimus Dominus Noster Vrbanus Octauus *Ann. 1638. 2. Martij*, in constitutione, *Cum sicut accepimus*. Decreuit secundum præscriptum literarum Clem. VIII. & statuta generalia, ac præcipuè Toletana, seruandum esse statutum Neapolitanum, & Vallisoletanum, scilicet, quod non Iubilent, nisi exactis tribus annis in Logica, & Philosophia, & decem in Theologia. Quod si intermitti contigerit, duodecim, secundum statutum Romanum. Quod lectio introducatur in studijs, à Capitulo, vel Congregatione Generalibus institutis.

Admissi aliter, nulliter Iubilati censeantur, etiam de iam Iubilatis. Confirmat statutum Romanum, quod non possint esse nisi duo Lectores Iubilati pro quolibet studio generali, quorum vno deficiente antiquior subrogetur.

Duo tamen de nouo præcipit. Primum, *Singulis quibusquè annis publica, & authentica attestatio à Guardiano, & Discretis, eorum manu propria, & iuramento firmata, Conuentusquè sigillo obsignata conficiatur, & publico conuentus Archiuio seruetur, vbi, cum opus fuerit reperiatur.* Alterum. *Pro seruanda pace, reprimendisquè querelis, in hac Curia in dies exurgentibus, & quod plurimi, non probato legitimè lectionis tempore, & cum maiorum deceptione, Superiorum, iubilationem obtinuerunt, statuimus pariter, & ordinamus, vt præfato more informationes, & temporis ad Lectionē constituti, attestationes per Ministros Prouinciales de nouo cōficiantur, & ad Superiores generales firmatæ, sigillatæquè remittantur, vt hac ratione reclamationibus, & abusibus obuiam eatur.* Mandat tandem ne aliter iubilatio fiat. Super quibus variæ quæstiones examinandæ sunt. *Motus proprius Sanctissimi D. N. circa lectores iubilatos.*

Quæstio tertia, Si non legisset Logicam, sed tres annos Philosophiam, vel è conuerso, duos annos Logicam, & vnum Philosophiam, An vitiaretur Iubilatio. Vel si non lecta Philosophia, legisset 13. annos Theologiam?

Respondeo negatiuè, Dicit enim. *Nisi prius tres annos Logicā, & Philosophiā docuerit.* Nec distinguit, vnum pro Logica, & duos pro philosophia: Cum regula *vbi lex non distinguit, etc.* Et cum plus sit legere Philosophiam, quam Logicam; & Theologiam, quam Philosophiam; præstito hoc secundò, melius menti legis satisfactum puto. Religio enim præmiare exercitium virtutis intendit, in ordine ad eiusdem religionis seruitium. *Plus enim semper in se continet, quod est minus de reg. iuris in 6. capit. Plus.* Et certū est, in vtilitate religionis plus præstare Lectorem Teologiæ, quam Logicæ. dari enim potest casus, vt studens aliqnis eminentis ingenij, declaratus Lector, destinetur a Generali ad lecturā philosophiæ, omissa Logica; vel Theologię, omissa philosophia, idquè iustis de causis, puta quia prę manibus meliores Lectores non occurrebant, & in hoc casu non debet grauari iste, qui tot annos Theologiam docuisset. *Rationi congruit* (inquit lex *c. rationi. de reg. iur. in 6.*) *Vt succedat in onere, qui substituitur in honore.* Et è contra, *et qui sentit onus, sentire debet, et commodum.* Eodem, *et in legem committi putarem, si verba legis complectentes, contra legis niteremur voluntatem. cap.* *Quid, & quot annos docere debeant.*

*certum est.eod.*in quo solo casu valere sentio hanc doctrinam,quia regulariter, studia etiam requirunt Logicam,& Philosophiam,quę doceri debent à iunioribus, & minus dignis, & firmum debet teneri statutum,ne ad Theologiæ, lecturam,ijs omissis admittantur. In hoc siquidem legi fraus inuritur, & religioni præiudicium.

Quæstio quarta,Si anni isti non essent completi?

An anni debeant esse completi.

Dies inceptus, quādo pro completo habendus sit.

Respondeo,in notabili defectu,puta,si ex septem mensibus,legisset tantum sex, vel quinquè, dico impediri iubilationem: si verò defectus non esset notabilis,sed quindecim v.g.dierum,non impediretur.Ratio est,quia licet simus in materia fauorabili respectu iubilandi, tamen hæc materia respicit præiudicim Religionis,quę suo seruitio notabiliter fraudatur. Vnde non valet regula *l.qua ętate.ff.de testam.Dies inceptus habetur pro completo,* quasi mensem inceptum esse sufficiat, vt resoluit *Rota inter recentiores,apud Farin.decis.*175.*nu.*7.*& Barthol.de Vechis disputat.*11.*dub.*4.*num.*3.Quia tamen sumus in moralibus,vbi parum pro nihilo reputatur, dicendum est, paruum præiudicium, non esse Iubilationis impedimentum.

Si autem dicas,concesso, quod quindecim dies non impediant, isti in 13.vel 15.annos multiplicati, summam sex,aut septem mensium constituunt, quod est tempus notabile?

Respondeo negatiuè,quia licet sit notabile respectu multorum, Non admitto calculum in ordine ad totam iubilationem, qui solum præcipitur obseruari respectu cuiuslibet anni.

Quæstio quinta,Si Lector in his annis infirmaretur?

Quid si infirmarentur.

Respondeo in breui, dierum, vel aliquorum mensium infirmitate, Iubilatio non interrumperetur: tamen si annum, vel annos decumberet, non computaretur tempus infirmitatis pro lectura.Ratio est,quia Iubilatio datur ex causa lecturę impræstitæ, & præfinitæ: ergo notabiliter cessante lectura,sequi non debet iubilatio *l.si vno anno.ff.locati conducti.*§. *Item cum quidam.* ibi. *Rescriptum est ab Antonino Augusto, non immeritò procuratorem Cęsaris ab eo vecturam repetere, cum munere vehendi functus non sit: Quod in omnibus personis similiter obseruandum est.* Et cessante causa finali cessat effectus. *cap.Magnæ.in fin. de voto, & voti redemp.vbi Abb.num.*14. Et datum ex vna causa, si illa causa non sequitur, reuocatur.*l.*1.*ff.de condictio.causa data, causa non secuta.Et C.de condictione ob causam datorum.l.pecuniam.* Videndus est, *Barbosa Axiomate* 48. *vsquè ad num.*24.Et Doctores,qui dicunt seruo infirmo non currere salarium ex iustitia, si infirmitas longa sit.*Angelus V.Familia.*quod ad Verbum more suo exscripsit *Syluester ibid.n.*4. citantes canonistas in *cap.*1.*de Cler.ægrot.Filliuc.tract.*36.*cap.*6.*quæst.*7.*Antonius Corsetus in repertorio Abbatis,V.Infirmitatis tempore.*Fauent verba statutorum, & Constitutionis Vrbanæ, *Sine vlla intermissione edocuerit.* Longa autem infirmitas intermissio est.Quod si statuta non admittunt Prædicationem Aduentualem,& Quadragesimalem nec interpolationem officij,puta Guardianatus,quæ ad magnum Religionis obsequium, & splendorem diriguntur,multò minus admittent longiorem infirmitatem.

Cessante fine cessat dispositio legis.

Si dicas Minister (ad cuius priuilegiorum participationem Iubilatio ordinatur)si electus infirmetur,non propterea,sua priuilegia amittit,ita etiam Lector Iubilandus.

Respon-

Respondeo negando paritatem, quia ille habet ius ex electione, iste ex labore. Quinimò si Minister per infirmitatem reperiatur inhabilis, officio absoluitur, & si duos saltem annos in officio non transegerit, priuilegijs caret.

Si replices, Clericus ægrotans, etiam per totam vitam, recipit fructus sui beneficij?

Respondeo, at iste debet beneficium in titulum, & fructus dantur illi, titulo substentationis. In casu autem nostro non est sic.

Si iterum dicas. Leo Decimus in Constitut. *Dum suauissimos*, Confirmans studium generale Vrbis. §. *quinto*, ait. *Sed ipsi ad legendum conducti solitis temporibus, legitimo impedimento cessante, commissum sibi legendi munus obire, &c. Et si quis ex eis non legitimè impeditus, à legendo cessauerit, quoties id fecerit, toties, &c. Vbi legitimum impedimentum excipit?*

Respondeo, hæc est dispositio specialis, quæ nostræ non est similis. Et præterea, si conductus ad legendum, per totum annum non legeret infirmitate detentus, nequè ex iustitia suum salarium lucraretur.

Si tandem opponas, prout de facto opposuit quidam, qui impeditus, ob malitiam (vt ipse putabat) sui prelati, & pretendebat, sibi computari tempus, ad iubilationem, quo à lectura vacauerat. Lectori inculpabiliter impedito, currit tempus, & salarium, pro lectura, & consequenter ad iubilationem, ex communi sententia, quam tenent *Farin. par. 2. decis. Rotæ. decis. 598. n. 8. Cardin. de Amaral. de Iud. Ver. salarium n. 6. Riccius in praxi Curiæ. resol. 159. n. 2. Molina de primogenit. lib. 2. c. 3. n. 13.* pro quo multæ afferuntur sententiæ late in Portugallia, quæ in rem iudicatam transierunt. *Portel. part. 3. casu 27. à n. 1.* Maximè, quando ex malitia proueniat impedimentum. *Rot. decis. 13. de probat in nouis. n. 6. Valasc. tom. 2. Consult. 134. num. 4. Barbosa in remissio. de contractu societatis ad ordinat. regiam. lib. 4. ad §. 1. num. 15.* Quia sic impedito debetur æqualis satisfactio *Pinel. C. de rescind. vend. par. 1. rubr. cap. 2. num. 14.* Ne dolus patrocinetur. *cap. contingat. de dolo. cap. sugestum. de appellane* tertij, bonum alterius malitia impediatur. *cap. nostram. de empt. & vend. cap. tuæ de cleric. non resid.*

Respondeo, valent istæ allegationes, & sententiæ, vbi lege cautum non sit, nō currere iubilationem, nisi cum effectu lectura non præstetur, quidquid sit de causa huius defectus, siue ad malitiam alterius, siue ad naturale impedimentum referatur, quia constitutio non exceptuat impeditos, cuiusmodi exceptuantur infirmi, rationabiliter impediti, Ecclesiæ vtilitati addicti, pro lucrandis distributionibus quotidianis, aliàs non lucraturi, nisi interessentes. *cap. 1. de Cler. non resid. in 6.* Cum igitur in religione nostra, pro consequenda iubilatione, non excusentur applicati concionibus, & officijs, quæ in eiusdem religionis vtilitatem vergunt, quia nimirum premiatur tantum actuale seruitium lecturæ, multò minus admitti debet alterius malitia. Eò vel maximè cum iste doli effectus, non redundet in ipsum dolosum, quo casu eidem patrocinari non deberet, sed in religionem, quæ non est in culpa.

Quæstio sexta, Si Superior generalis, Lectorem actualiter legentem destinaret ad aliquam commissionem, in qua (vt sæpius contingit) annum vel annos insummeret, vel ex hac familia in Hispaniam mitteret ad Religionis negotia peragenda, &c. esset ne hæc interpolatio, iubilationem impediens?

Re-

Respódeo affirmatiuè, Quia licet Generalis possit Lectorē, quò voluerit, mittere, non potest tamen circa iubilationem aliquid innouare. Ecce Vrbana lex. *Mandantes præterea, omnibus, & singulis Suporioribus & Fratribus in virtute Sanctę Obedientię, &c. ne circa prędictorum Lectorum Iubilationem, quidquam aliud, quam in prędictis statutis disponitur, vllo vnquam tempore, de cętero facere, vel tentare prę sumant.* Statuta autem Romana decernunt. *Sine interpolatione aliqua officij*, Toletana autem. *Sine intromissione ad alia officia*. Et certum est, hæc esse officia, ergo immediatè Iubilationi opponuntur.

An interpolaretur iubilatio per negocia.

Quæstio septima, Si aliter concessa Iubilatio subsisteret?

Respondeo negatiuè, Ita Vrbanus. *Quod Lectores, qui non interuenientibus dictis conditionibus admissi reperirentur, eò ipso nulliter Iubilati censeantur.* Et addo peccare mortaliter Superiores, & Subditos, qui sine statis conditionibus Iubilationem concedunt, & petunt: Et puniri posse, Tùm quia in re graui iustitię leges violant, Tùm quia Sanctæ Obedientiæ, ac indignationis Apostolicæ pręceptum transgrediuntur.

Aliter concessa iubilatio non subsistit.

Quæstio octaua, Si non seruaretur adamussim forma attestationis præceptæ, puta si non subscriberetur à Guardiano, vel ab omnib. Discretis, si non muniretur sigillo, si nō seruaretur in Archiuio, si nō fieret quolibet anno, sed solum quolibet biennio, vel trienuio, an talis attestatio admitti deberet ad Iubilationem?

Respondeo primò, Hùc reuocanda est communis doctrina de lege dante formam actui, qua deficiente, deficit actus, à nobis supra allata: & videndum est, an quælibet ex illis conditionibus sit de essentia, & substantia actus, an verò illi accidentalis, & certum est, has præscribi ad repellendas fraudes, & perturbationes, querelasq; vt expræsse fatetur Sanctissimus: Quare si remotis fraudibus, & perturbationibus, aliquid bona fide, & ex causa relinqueretur, non p ntò vitiari Iubilationem, iuxta tradita per *Decium in cap. 1. de appellat. n. 5. & infra. Cephalen. con. 35. n. 46. lib. 1. Menoch. cons. 131. n. 15. Osach. Pedem. decis. 92. n. 15. Tuscum pract. conclus. lib. 3. lit. F. conclus. 414. num. 36.* Quod scilicet forma relicta vitiat actum, nisi quando lex, seu statutum inducens formam, consideret effectum, Vt est in casu nostro. hinc.

Non seruatis solemnitatibus attestationum, quando violatur.

Respondeo secundò, Si timeretur, quod spacio tot annorum amitti possent informationes, & attestationes in Archiuio conuentus, dum per manus multorum Superiorum transire debeant; Dico posse Lectorem apud se subscriptas; & sigillatas attestationes conseruare, suo tempore exhibendas; nec admitti debet suspicio falsitatis, quam nec Summus Pontifex præsumit sed ait. *Vbi cum opus fuerit, reperiantur.* Et sic valet alia doctrina. *Tiraquelli ad leges connubial. glos. 6. n. 34. Paris. con. 33. n. 29. 30. lib. 2. Roland. cons. 81. à n. 25. Mascard. de generalis statuti interpretatione conclus. 9.* Non attendi formam, quando necessitas impediat illam adimpleri.

Forma non attenditur quando necessitas adimpletionē impediat.

Respondeo tertiò. Nequè vitiat Iubilationem, si nō quolibet anno, sed quolibet biennio, aut triēnio, imò si in fine decenij Guardiani, & Discreti iurarent, aliquem legisse statutis temporib. Quia etiam hoc præstito, satisfit menti, & intentioni statuentis, qui requirit annuas probationes, ne excidant. *Tuscus supra. conclus. 419. n. 21. & 22. Mascardus citatus à num. 76.* Si enim statuentes interrogati fuissent, an in tali casu aliquis esse iubilandus, vtiq; assensissent, quia tantum attenditur, an vere tot annos docuerit, & iuridicè probetur. *Brun. in tract.* stan-

Mens legislatoris attēdi debet.

*stantibus masculis. art.9. quæst.5. Mascard. supra num.*82. Licet hoc difficile videatur, ob temporis longitudinem, attamen non est impossibile, imò idem Sanctissimus decernit in dubio collatæ iam iubilationis ante suam constitutionem, *Vt præfato more informationes, & temporis ad lectionem constituti attestationes, per Ministros Prouinciales de nouo conficiantur, & ad Generales firmatæ, sigillatæque remittantur*. Equidem cum hæc forma inducta non sit, nisi ab *ann.*1638. Et loquatur de iam Iubilatis, ibi *Cum deceptione Superiorum iubilationes obtinuerunt*. Non potest loqui de informationibus annualibus, sed de eisdem vnica vice attestantibus, talem per decennium legisse. Accidere enim potest casus, vt Guardiani, & Discreti illius temporis mortui sint: Et in hoc casu, sufficere censeo, si Fratres tunc temporis cum Lectore conuiuentes, de lectura testentur; Aliàs præcluderetur via iam iubilatis, suam iubilationem iustificandi. Neque possessione priuandi sunt, si probare non possent iubilationem per nouam formam inductam, quia leges non cauent in præteritum, nisi vrgentes in contrarium rationes appareant.

Respondeo quartò, in posterum fieri debent attestationes secundum legem. Sed dato casu, quod Guardianus, vel aliquis Discretorum nollet attestationem annuam subsignare, quid iuris? Si constaret, id contra iustitiam fieri, & malo animo, posset haberi recursus ad Superiorem generalem, vel prouincialem, qui deberent alijs scientibus, illam attestationem signandam committere. Dari enim debet remedium contra fraudes, tam ad fauorem Religionis, quàm Iubilandorum. Et licet pro forma requiratur, vt hæc probatio fiat per *authenticas, iuratas, & sigillatas attestationes*, tamen personæ, quæ testari debent, subrogari possent Guardiano, & Discretis. Probatur ex doctrina, in casu Concilij Tridentini, disponentis *Sess.*25. *cap.9. de reformat.* quod iuris patronatus titulus probetur fundatione, vel dotatione *ex authentico documento*. Authenticum autem est, Scriptura publica, cui creditur absque alio adminiculo: *cap. cum dilectus. de fide instrument.* Publica autem fit per actuarium, vel iudicem, cum duorum saltem testium subscriptione aut præsentia. *Glos. V. si Scripturam in cap. de fide instrument. Piaseg. in praxi noua Episcop. par. 2. c. 5. num. 6.* In qua tamen probatione licet Concilium testes non admittat, tamen si testes examinentur, & processus producatur, admittitur tanquam scriptura authentica. *Menoch. consil.*336. *num.*23. *Campanilis, in diuersorio Iuris canonici rubr.*11. *cap.*13. *num.*40. *Rota apud Farin. decis.*502. Nec facienda est vis in forma, quæ si omittatur, etiam in minimo, totum vitiat. *cap. Pisanis. de restitut. spoliat. V. Mandati formam.* quo loco *Barbosa multos authores congerit. Et cap. cum dilecta. in fin. de rescript.* Quia non omnia hæc esse de forma essentiali, certum est. Et multoties in requirentibus scripturam admittitur probatio per testes: per textum expressum, in *cap. Auditis. de in integrum restit.* vbi *Abb. notat.*2. *Decius in Rubric. de constit. num.*12. *& Felin. n.*6. *& alij*.

Autenticũ testimoniũ, quodnã sit.

Forma in minimo omissa, quandò vitiat actum.

Testes loco scripturę succedere possunt.

De essentia huius attestationis esse puto, quod fiat per Superiorem, & Discretos, vel alios, ipsis deficientibus; Quia si Guardianus moreretur, sufficeret fieri à Vicario: si Discreti abessent, remota fraude, possent subscribere illi, qui loco Discretorum succedunt. Si nollent, ex malo dolo, Superior posset destinare commissarium, qui rem examinaret, & ab alijs, duobus vel tribus fides testimoniales acciperet. Subscribi autem, non puto necessarium, quia posset Guardianus laborare

Essentialia pro attestatione iubilationis.

borare

borare chiragra,& Discreti,vel etiam ipse Guardianus, esse Laicus, scribere nesciens.Et hoc casu sufficeret fieri scripturam publicam de mandato Superioris, in qua testetur etiam, ipsos scribere non posse, quæ ab alijs Fratribus testibus subscribi deberet: Ideo enim dixi, Authenticam, & publicam fieri scripturam per Iudicem,& testium, vel subscriptione, vel præsentia. Nequè est necesse, vt omnes Discreti subscribant, sed sufficit maior pars, discurre à simili de electione.

Respondeo quintò,defectus sigilli puto vitiare attestationem,Quia hæc inducitur ad firmandum testimonium de assensu Guardiani,aliàs facilius fraudes fieri possent. Et cum nulla sit causa excusans ab impressione,videtur legis contemptus: præterquamquod consuetudine inductum est in Religione, vt attestationes Superiorum,suorum sigillorum impressionibus muniantur. Et hoc maximè authenticum reddit testimonium.

Quæstio nona,Quis modus seruandus sit in his attestationibus faciendis?

In attestationibus nō debēt fieri processus.

Respondeo, Intelligo ab aliquibus fieri processus cum interrogatorijs, &c. quod vel ab ignorantia,vel à superstitione dependet: Non enim processum, vel informationem requirit lex,Sed *Singulis annis publicam, & authenticam attestationem à Guardiano,& Discretis,eorum manu propria,& iuramento firmatam, conuentusquè sigillo obsignatam.*Sufficit igitur,si Discreti in cella Guardiani congregati faciant ab vno ipsorum,vel à quopiam alio scribi.*Nos infrascripti N. Guardianus,&c.Et N.N.N. Discreti conuentus. N. fidem facimus, & cum iuramento testamur,Patrem.N.Lectorem Generalem S.Theologiæ,vel Logicæ,&c.In hoc conuentu legiße suas lectiones omnibus diebus, quibus legi consuetum est, scilicet quotidiè,vel singulo quoquè biduo,vel triduo, vel hebdomada,nec aliquo modo interpolasse,aut intermisisse spatio vnius anni,nimirùm à Kalendis Ianuarij ann.* 1640. *vsquè ad hanc idem Kalendarum eiusdem mensis ann.* 1641. *in quorum fidem, & testimonium, nos qui præsentes fuimus, & de causa scientiæ nouimus hasce fieri mandauimus, & nostrarum manuum subscriptione munitas, sigilli conuentus impræssione iussimus roborari,præsentium exemplar eidem P.Lectori concessimus, quarum originale in Archiuio dicti Conuentus conuenit de iure seruari.Datum, &c. Ego N. Guardianus.&c.Ego N.Discreto affirmo.*

Attestationis forma.

Quæstio decima,Qui sunt Conuentus.Iubilandis Lectoribus apti?

Studia pro iubilatione instituenda, & quæ generalia dicantur.

Respondeo,*Instituti à Capitulo, vel Congregatione generalibus vbi studia formata viguerint.* Ita ex Statutis, Apostolica sanctio. Et iuri conformat,quia studia sæcularia Generalia, quæ Vniuersitates appellantur, talia non sunt,nisi per Papam,Regem,seu Principem non instituuntur. *Perez l.1.tit.10.Cassan.in catalogo gloriæ mundi part.10.consid.32.Hortig.in patrocinio pro Cæsar auggymnasio.part.1. à n.13.& part.3.n.2.*

Studium formatū quod nā dici meretur.

Ponderatione tamen digna est particula illa, *Vbi studia formata viguerint,* Quia si nec formata sint,nec vigeant,priuilegio hoc carent. Formatum studium dico, vbi adsunt Discipuli cum Magistro, qui se exerceant in studio. Est textus expressus. *cap. Tuæ fraternitatis. de Clericis non resid.* Nec enim sola præsentia facit studium, sicuti nec sola præsentia chorum, nisi psallatur, necesse est igitur,vt per concertationes scholasticas quotidianas,menstruas,annuas scholares exerceantur,& tot sint discipuli,qui competens studium constituat.Ne quis docens vnum, aut duos, Lectoris generalis nomen sibi vsurpet. *Accepta* (inquit

Inno-

Innocentius 3.) *licentia, se ad villas transferunt, vel Castella, in quibus nullum est, vel minus competens exercitium studiorum, vtrum prabēdarum suarum fructus sint talibus conferendi?* Et respondet negatiuè. Quo loco *Abbas Nota* (inquit) *quod paria sunt, nullum in loco esse studium, vel minus competens.* Ex qua doctrina infero. non posse concedi iubilationem Lectori, qui legerit in loco, vbi studia non viguerint, etiam si è generalibus Capitulis destinata fuerint.

Quæstio Vndecima, An seruent leges, Lectores, qui non quotidie legunt, sed alternatim, vel per dies, vel per hebdomadas?

An alternata lectio iubilationi repugnet.

Respondeo negatiuè, Quia hæc est interpolatio medij saltem temporis anni, & grauissimè studentes, & Religionem defraudans. Non enim ex septem mensibus, legunt tres. Quod si in Toletanis statutis nō admittitur, *Quod possit recompensari, quod bis in die legant,* Sed requiritur, *Vt doceant totidem annis sine vlla interpolatione, vel intermissione, vel intromissione.* Qua ratione tolerari potest, quod medium tempus sine lectione transigatur? Præterquā quod adest lex expressa in statutis Vallisoletanis, quæ terimus c.5. circa finē *Tit. de studijs.* quæ talis est. *Omnes, & singulos Lectores admonemus, vt nunquā à lectura deficiant, nisi legitimè impediti. Ad recuperandas vires, semel, & iterum singulis mensib. à lectionib. vacare, & è domo egredi, concedimus. Quod si notabili temporis spatio absfuerint, aut legere neglexerint, lectura priuentur.*

At inquiunt, consuetudo talis viget in tali studio?

Respondeo, friuola excusatio. Consuetudinem non facit conuentus, sed ipsimet Lectores, sibi potius quam studio placentes. Et si essent, Sanctissimus, in sua constitutione consuetudines tollit, *Non obstantibus statutis, consuetudinibus, &c.*

Sed ponuntur aliquando tres Lectores, quibus quotidiè audiendis pares discipuli non sunt.

Respondeo, hoc tollendum est, nec Lectorem multitudine studia sunt oneranda. Nequè trudi debet clauus clauo. Habent enim Superiores Generales authoritatem in ædificationem, non in destructionem. Et nullum maius onus studentibus addi potest, quam Lectorum multitudo, quæ cibum quidem scholariū dentibus ingerit, sed nōn ad digestionem, verum ad confusionem Destinare aliquem ad lecturam, est priuati affectus iudicium; sed studentibus discendi commoditatem præbere, publici muneris est.

Quæstio Duodecima, Si duo Lectores pro eodem studio iubilandi, ac in deficientium locum coaptandi, eodem die lecturam inierint, itaut vterquè lecturæ cursum absoluerit, quis eorum sufficietur?

Qui iubilandi in pari pretensione.

Respondeo, Antiquior in habitu, vel, si hoc non constet; doctior, vel probior; non enim sine causa Superioris arbitrium in alterutram partem inclinare debet. cęteris autem paribus, quem Superior maluerit.

Quæstio decimatertia, Quis est concedendę Iubilationis Superior ordinarius?

Superior ordinarius iubilationis.

Respondeo, qui extra suam Prouinciam in studijs generalibus legunt, iubilationem à P. Generali obtinere debent, vt in sua postmodum prouincia testatum faciant exactū laborem, & eius pręmium: non enim potest sua Prouincia (apud quam iubilationis honore gaudere debet) iudicium ferre super lectura exacta in aliena prouincia, quia prouincialis, vel Capitulum prouinciale, non est iudex super attestationibus alterius Prouinciæ. Nec prouincia illa in qua legit,

po-

potest cohonestare Lectorem hoc priuilegio, quo frui debeat in sua. Igitur ad Generalis iudicium deferendum est, & ita in praxi: In sua verò Prouincia cursum lecturæ absoluens, potest à Capitulo, vel Diffinitorio prouinciali iubilatus declarari, Quia inibi attestationes seruantur, ibi laborauit ibiquè honorandus est, cum præcipuè Prouinciæ intersit illum in numerum iubilatorum recipere. Atquè ita Vrbana constitutio, *Quod Lectores, qui non interuenientibus prædictis conditionibus per Prouinciam, vel per Superiores generales ad Iubilationem admissi reperirentur, eò ipso nulliter iubilati censeantur*. Vbi vtramquè partem responsionis comprobat. Casus autem dubiæ iubilationis ad Generales aduocantur, ex iure speciali, quia huiusmodi controuersiæ melius à Generalib. quàm è Prouincialibus terminantur.

Quæstio decimaquarta, Cum lex decernat, interpolatam lecturam, duorum annorum prorogatione sanari, meritò dubitabit aliquis, si interpolatio minor fuerit, puta quia vno aduentu, vel vna Quadragesima prædicatum est: vel maior, nimirum quia legendo, trium vel quatuor annorum spatium interposuit, anæquè intermissio reparabitur duobus annis.

De interpolatione aduentus vel Quadrag.

Respondeo, interpolationem Aduentus, & Quadragesimæ accipiendam esse per totum decennium, singulis annis, qui dies si computentur, duorum circiter annorum tempus constituunt. itaque reponit statutum Vallisoletanum, adamussim tempus, quo à lectionibus vacatum est: Et hunc esse sensum statuti, patet ex illius verbis. *Qui verò impofterum, sine interpolatione Aduentus, & Quadragesimæ, Sacram Theologiam decennio legerit, &c.* id est si decennio legerit, & quolibet anno ab his prædicationibus vacauerit: Non enim aliter interpretari potest, quasi verò, si vno anno tantum prædicet in Aduentu, vel in Quadragesima, remittat postea duos annos lecturæ, hoc inquam nec litera statuti, nequè ratio patitur. Quia postquam determinatum fuit tempus decennij, & accidebat, Lectores in his temporibus a lectura vacare, Romanum Capitulum, addidit duos annos, qui anni à Sanctissimo D. N. Vrbano, pro defectu lecturæ reponuntur. igitur si breuius tempus à lectura cessatur, dummodo annum non superet, puto emendari posse per breuiorem dilationem. Si verò vltra prædicationes dictas vlterius vacaretur, puto prorogandam esse supra biennium dilationem lecturæ; alias complendo decennio non esset rectè prouisum. Nec Sanctissimus nouam legem inducit, sed statuta confirmat.

Si concionaretur, sed etiam leg.

Quæstio decimaquinta, Quid si Lector concionaretur quidem, sed lecturam quotidiè continuaret?

Respondeo, Non interpolaretur lectura, Quia non prohibetur prædicatio, nisi quia lecturam impedit.

STATVTVM XIV.

Alchimiam, aliasquè artes, & doctrinas suspectas, & ab Ecclesia damnatas, exercentes, docentes; vel ad eas spectantes libros, scriptaquè retinentes, sint id

facto

facto excommunicati : & legitimè conuicti, voce actiua, & passiua perpetuò priuentur, carceribusque mancipentur Prouincialis arbitrio, iuxta criminum qualitatem.

Alchimiam prohibuit Ioan.22.in *Extrau.spondent.* in qua Laicis, præter restitutionem, & carcerem, infamiam irrogat. Clericos autem priuat etiam beneficijs, & inhabilitat. Sed quidquid sit de huius artis subsistentia quam fallacem omninò, & iure prohibitam volunt. *Angelus V. Alchimia. Oldradus quæst.74. & consil.69. Andreas de Isernia in c. quæ sunt regalia. Fabius de Mõte Sancti Sauini. Hieronym. Zanetti, Albertus Brunus, summistæ V. Alchimia. Ioann. Andreas Cassaneus, Surgetus, Eymericus, apud Pennam in part.3. Directorij, pag. mihi* 144. Alij è contra vt naturalem defendunt, qui videndi sunt apud *Valent. Pereiram, Martinum del Rio*, quos citat *Sanchez. lib.2. in decalog. cap.* 40. *num.* 51. & *Barbosa in Extrauag. spondent.* Certum est Fratribus Minoribus, qui summam paupertatem, & omnimodam alienationem ab auro, & argento profitentur Alchimiam esse è directo oppositam, illisquè conuenire posse, vt castis Monialibus Lenocinium. Hinc meritò, excommunicantur, alijsquè pœnis plectuntur. Arbitrium autem Prouincialis progredi potest, ad pœnas proprietariorum, quia non potest Alchimistam facere, nisi sibi materias quasdam arroget: & si scandalum genitum sit (dant enim manus alchimistæ monetarum falsificatoribus, vt Ioann.22. fatetur) & præstigiatoribus, vt Eymericus affirmat, vsquè ad triremes, vel perpetuum carcerem. Nihil enim vt hoc, pauperrimam, humilemquè Religionem infamat.

Alchimia prohibita.

Et si concedam, in hoc peccato, posse dari venialem culpam, cum nimirum ex curiositate, in domo alterius, sine scandalo, operationem aliquam breui faceret, librum vel scriptum legeret, &c. Vt in omnibus rebus moralibus accidit: Nec incurri excommunicationem, nisi post sententiam, ex statuto ordinis, etiãsi ipso facto apponatur, quia in iure communi, sola destitutio ab officijs, & inhabilitatio reperitur, illæquè comminatoriȩ; attamen si paucitatem materiȩ excedat, & huic damnatæ professioni vacetur, vel studeatur, semper erit peccatum mortale.

An sine culpa exerceri aliquando possit.

Nomine autem artium damnatarum ab Ecclesia, non intelliguntur illæ, quæ ad Officium Sanctæ Inquisitionis quomodo libet spectant, vt sunt incantationes Geomantiæ, Hidromantiæ, Æromantiæ, Piromantiæ, Chiromantiæ, Necromantiæ, Inuocationes dæmonum ad amorem, thesauros, sanationes, &c. Libri vel scripta ad hæc pertinentia, quia istæ immediatè inquiri, iudicari, definiri debent ab eodem Sanctæ Inquisitionis Officio, nec possunt regulares quicumquè in his, vel minimum se immiscere, sub priuatione suorum officiorum, inhabilitate perpetua in posterum, & excommunicatione latȩ sententiȩ Papæ reseruatȩ, ac à Paulo V. fulminatæ in const. *Romanus Pontifex ea interdum. Ann.* 1606. *Kalend. Septembris*. In qua præcipit omnibus, & singulis regularibus denunciare debere tales defectuosus vicinioribus ordinarijs : Adestque speciale decretum Sancti officij factum *Ann.* 1601. 3. *Maij*. Has igitur causas, statutum hoc tem-

Artium dãnatarũ exercitio vacantes, Sancto Inquisitionis Officio sistendi.

tempore non tangit, licet ante constitutionem Paulinam disponere potuisset ex concessione Pij Quarti in bulla, quæ incipit, *Pastoris*, in qua præuentionem in causis fidei religiosorum Superioribus indulgebat. In Alexandrinis sequentia prohibentur *cap.5. Mandatur Fratribus vniuersis, ne Alchimiam, aliasquè vanas, & damnatas artes, Aquarum inhonestas distilationes, & ad malum incitantes, vt sunt artes, quæ spectant ad vanum mulierum ornatum, vt sunt armillæ odoramenta, vnguenta, & huiusmodi exercere audeant. Similiter artes, quæ sine strepitu non possunt fieri, vt fabrilis.*

Artes Fratribus interdictæ.

STATVTVM XV.

Puerum, aut Sæcularium Scolas, in Conuuentu, vel extra, nullus regat. Contrafaciens, per triennium actibus legitimis destituatur.

Scholas sæcularium regere, nobis vetitum.

In Concilio Aquisgranensi sub Paschali Primo *Ann.*817. celebrato, decretum fuit *Thom.6. pag.299. cap.25. Vt schola in Monasterio non habeatur, nisi eorum, qui oblati sunt*, idest Nouitiorum. Cuius rationem reddit *S. Basilius in regulis breuioribus*, quærens *Nunquid conueniant, vt inter Fratres Magister sit puerorum sæcularium?* respondet. *Remoto autem huiusmodi proposito, ac spe*, nimirum educandi illos in disciplina, & correptione Domini quod proprium est parochorum, quibusquè in *Concilio Constantinopolitano 6. can.4. & 5.* illi concilio falsò adscriptos, vt ex Surio *Seuerinus Binius censet in fine huius concilij tom.5. pag. 390. & Catechismo Romano sect.9. præfat.* committitur; & refer *Suar. tom.4. de relig. lib.5. c.5. n.9.* ad alium licet sensum, *hoc nequè Deo gratum, neq; ex decreto, aut ex vtilitate nostra esse existimo.* Et loquitur sanctus de educatione à Patribus debita, circa mores, doctrinam Christianam, disciplinam, &c. Hoc autem à Religiosis scholas regentibus, præstari facile non potest, licet in partibus infidelium, vbi charitas vrgeat, nec Minorica religio pueros primis elementis, & Christiana pietate imbuere dedignatur, vt fatetur, vltra experientiam, *P. Arthurus in Martyrologio Franciscano fol.653. §.219.* Atquè hac ratione, & proximorum saluti, vbi necessitas adest; & Religiosorum quieti, vbi Parochi id præstare possunt, statutoquè consultum est. Quod duo Summi Pontifices Iulius Secundus, & Martinus Quintus in S. nostræ Regulæ Capitulum confirmarunt. Ille part.3. Iste in fine capituli. Et Alexand. Sextus in idem cap.5. Regulæ.

STATVTVM XVI.

Artem medicam, extra ordinem, vel pulsum tangendo, vel pharmaca ordinando, sub priuatione actuum legitimorum, per biennium, & arbitrario carcere, nullus exerceat.

Prima

Prima ratio est,quia mors aliquando ex cura potest accidere,hinc nascitur irregularitas.*cap.Tua nos.de homic.voluntario.* Licet de sectione ibi sit sermo, tamen dicitur.*Monachus multum delinquit officium alienum vsurpando, quando sibi minimè congruebat.* Ergo Religiosi officium non est medicina. Quæ ratio non tantum Clericos,sed etiam Laicos, seu Conuersos comprehendit,quia Regulares sunt. *Medicinam exercere nõ possumus.*

Secunda Ratio,Tam medicina, quàm chirurgia sunt negotia sæcularia,regularem statum dedecentia,vt dicit ex *Nauarro, Rosella,Siluestro, Armilla,Tabiena, & Abbate Sanchez lib.6.in decal.cap.14.num.18.* Ergo etiam si nullo iure speciali sint prohibitę,*censentur vetitę ex titulo.Nę Clerici, vel Monachi Sęcularibus negotiis se immisceant.*

Tertia Ratio, Quia esset nobis conturbationis, & inquietitudinis occasio, dum deuoti, ac etiam non deuoti,potius curari vellent ab vno medico Franciscano,quàm à Sęculari; & sic quotidiè disciplina regularis violaretur: & Sæcularibus ipsis scandali,& æmulationis occasio daretur,quia cum non deceat omnes curare,deesse aliquib.partialitatis nota incurritur,& murmurationis instrui tur ampla seges.Mitto mulierum frequentiam,& alia pericula, quæ vitare debemus,ac Medicorum inuidiam.

Intra Conuentum autem,si quis peritus fuerit,nec Clericus,vel si Clericus,legitimam facultatem habeat;vel de Medici licentia operetur,medicinam exercere permittitur.

Sicuti etiam in necessitatis articulo permitteretur etiã circa aliquem Sæcularem,quia hoc casu, necessitas facit licitum, quod aliàs erat illicitum; & facit textus *cap.ad aures.de ætate,& qualitate.*firmant *Herniq.Sarg.Auila, Bonac.Molina quos citat,& sequitur Barbosa lib.1.Iuris Ecclesiastici cap.43.n.56.* *Necessitas excusat.*

STATVTVM XVII.

Sportulas, Pileos, vel Galeros, aut Coronas, vel quidquam de bombice, lana, iunco, aut palea,vel tornatile, cuiuscumquè generis, venalia sub proprietariorum, vel grauiori pœna fieri interdicimus.

Superiorum etiam quorumcumquè licentiam tantum pro Communitate,et pijs causis suffragari declaramus.

Non prohibetur labor,sed quęstus,religioso statui, & paupertati repugnans. Multæ enim hinc perturbationes, multę regularis disciplinæ corruptelæ, multa scandala oriuntur;Dum suo quisquè marte,& comparandæ horum laborum mate- *Laboris quę stus vetatur.*

materiæ, & profundendo in res vetitas tempore, & captandis inſanis amicitijs occupatur. Vnde S. Pachomius *lib.* 1. *de Vitis Patrum. c.* 43. comburi iuſſit quingentos Pſiathos, ſeu ſtoreas ex iunco confectas, quas Monachus quidam, coquinæ addictus texuerat, tempore, quo coquinæ vacare debebat, inquiens. *Sicut vos traditam vobis erga diſpenſationem Fratrum regulam deſpexiſtis, ſic ego paſſim labores veſtros incendio concremaui, quatenus coguoſcatis, quàm pernicioſum ſit, Patrum inſtituta conuellere.*

Fundatur autem ſtatutum ſuper voto, & præcepto paupertatis Minoricæ, Quæ nec ſibi aliquid proprium, nec alteri aliquid venale fieri permittit: Si enim opera prædicta ſine licentia Superioris, vel facit, vel vendit, vel donat, proprietatem incurrit. Si licentia adſit, poterit quidem Frater Minor aliqua parua, & minuta donare, vt expreſsè declarauit Nicol. III. *cap. Exijt de verbor. ſignif. in* 6. §. *de Vilibus autem mobilibus*. Vendere autem, nec cum licentia Superioris poteſt. *Clemen. exiui. eod. tit.* §. *Item quod alicubi exceſſiuos hortos. Et* § *Licet verò non ſolùm.* vbi declaratur hoc *repugnare regulæ, & ordinis puritati*. Et recipere prætium rerum, *ad naturam, & formam prouentuum appropinquat.* Adde Conſtitutionem Clemen. VIII. de largitione munerum. Inconuenientia autem, quæ ex huiuſmodi operibus datis, vel elargitis naſcuntur, recenſet *S. Hieron. Epiſt. ad Nepotianum*, monens ipſum, vitare mulierum conſortia. *Crebra* (inquit) *munuſcula, & ſudariola, & faſciolas, & veſtes ori applicitas, &c. Sanctus amor non nouit.* Sunt enim hæc particularium amicitiarum aucupia, quibus in Religione nil peius. *Tria* (inquit Iſidorus de ſummo bono lib. 1.) *ſunt munerum acceptiones, quibus contra iuſtitiam humana vanitas militat, nempe fauor amicitiarum, Adulatio laudis, & corporalis acceptio muneris. Faciliùs autem peruertitur animus rei corporeæ munere, quàm gratiæ, laudiſquè fauore.*

Donare autem communitatis nomine, & ob pias cauſas, Clementis VIII. lex eſt. Conſtitut. *Religioſæ Congregationes*, à Sanctiſſimo, in Conſtitut. *Nuper à Congregatione*, ædita 16. *Octobris* 1640. de qua infra.



CA-

CAPVT VI.

Regulæ, & Conſtitutionum.

STATVTVM I.

Ad ſeruandam paupertatem, & cauendam proprietatem, nullus aliquid habeat tanquam proprium: Meum, et Tuum fugiat, & quæ ad neceſſitatem illi conceduntur, nomine communitatis poſſideat.

Iam paupertatem attingimus, Minorici ordinis fundamentum, & culmen. quoniam verò ad eius cuſtodiam multa condita ſunt ſtatuta, quæ ab eſſentia paupertatis dependent, opere pretium duxi, hoc principium declarare, ex quo tanquam concluſiones ſequentia ſtatuta deducentur.

Paupertas euangelica, & quæ eſt vnum ex votis eſſentialibus Religionis (de hac enim tantùm loquimur) eſt illa, quæ opponitur eſſentialiter dominio, iuri, & proprietati. Porro dominium eſt facultas, ſeu ius, re quapiam vtendi, & fruendi tanquam ſua, & independenter ab alio, quia ex legibus, rei ſuæ quiſquè arbiter eſt, & moderator. Qui enim de re aliqua plenè, & liberè diſponere poteſt, is dominus in iure appellatur. Hinc licet pignus, & hypotheca ſit ius in re, quia tamen creditor non poteſt diſponere de re pignorata, non eſt Dominus; & Tutor, & Curator habent diſpoſitionem rerum aliorum, non ſunt tamen Domini, quia non habent plenam, & liberam facultatem. Hinc diuiſio illa dominij in directum, & vtile, Directum enim eſt domino proximum, Vtile conſiſtit in vſu. ne duo domini ſint in vna re, puta in Emphyteuſi. *Paupertas euangelica quid ſit. Quid dominium. Dominium directum, et vtile.*

Differt autem dominium à poſſeſſione, quia vt inquit *Connanus in Commentario Iuris Ciuilis lib. 3. cap. 3. n. 1. duo ſunt in re, quæ omninò eſt noſtra, dominium, & poſſeſſio: illud iuris eſt, hæc facti. Dominio facimus rem noſtram, Poſſeſſione illam detinemus, & occupamus.* *Dominium, & poſſeſſio differunt.*

Vſus verò eſt ius vtendi re aliena, ſalua rerum ſubſtantia, hic autem diuiditur in Vſum fructus, in Vſum iuris, & Vſum facti, Vſufructuarius habet ius percipiendi omnes omninò commoditates, & fructus quomodocumquè è re proueniant. Vſuarius non niſi neceſſarios ad ſuſtentationem ſui, & Familiæ pro ſua conditione, itaut nihil deſit, nihil ſuperſit: ille ad voluptatem, & lucrum, iſte ad meram neceſſitatem. ille poteſt fructus alijs dare, legare, ad hæredes transmittere; hic ſi præter neceſſitatem propriam alijs dat, tenetur ad reſtitutionem, niſi ſeipſum illis priuet. *l. plenum. ff. de vſu, & habit. §. ſi vſus.* Vnde de vna, & eadem re poſſunt eſſe duo Vſuarij, ſi vtriſquè ſufficiat, non duo Vſufructuarij, *Vſus iuris, vſusfructus, vſusfacti.*

 ctuarij,

ctuarij, aut Domini. Vsus facti est, qui in solo facto consistit, sine quo humana vita conseruari non potest, vt cibi, vestis, &c. Et Vsus iuris est, ius vtendi aliqua re, dicitquè facultatem, qua possumus rem alienam in nostrum vsum conuertere, eiusdem tamen salua substantia.

Paupertatis essentia. Paupertas igitur excludit omne dominium, omnem propietatem, omnem possessionem, omnem vsum, excepto vsu facti, qui naturalis est, cuiquè renunciare non possumus.

Proprietatis actus. Dominium autem, & omnia superiùs dicta consequuntur actus, qui sunt necessarij, & opportuni ad conseruandum nos in illis, vt est defendere, iudicialiter petere, sibi ab vsurpationibus rem suam vendicare, & è contra, donare, vendere, alienare, legere, perdere, &c. iuxta dicta. Ex quo deducitur à conceptu essentiali paupertatis, excludi omnes species dominij, & possessionis recensitas, ac etiam omnes actus, illas consequentes: itaut si aliquid horum habeatur, votum paupertatis infringitur, & proprietatis peccatum committitur.

Paupertas in communi, & in particulari. Verùm, cum dominium, possessio, &c. possint esse in communi, & in particulari, votum paupertatis non excludit essentialiter in omnibus regularibus, nisi hoc secundum, quia omnes Religiones paupertatem vouent, non tamen in cõmuni pauperes sunt, possident etiam bona temporalia in communi. Nobis tamen Minorib. vtraquè paupertas est de necessitate, itaut nec in communi, nec in particulari aliquid habere possimus, Vt amplissimè, & docuit, & decreuit Nicolaus Tertius. *cap. exijt. de verbor. signific. in 6. §. Dicimus.* Vbi allatam doctrinam adducit. Et firmauit. Tridentinum *Sess. 25. de reg. cap. 3.*

An autem perfectius sit esse pauperem in communi, & in particulari, quam in particulari tantum, non disputo: Quia post disputata à tempore Ioann. 22. & præcipuè hoc sæculo, contra latissimę paupertatis Minoricæ obtrectatores, per *Cordubam quæst. 1. in cap. 6. Regulæ, Cyprianum lect. 3. in diem capitulum, Arthurum in Martyrolog. Franciscano ad 4. Octobris, & in additione. Nitelam Franciscanæ Relig.* (cuius Author *P. Anton. Hiqueus*, licet sub nomine sęculari, mortalitatis debitum exsoluit, præteritæ noctis hora quinta, quo die hæc scribo, 26. *Iunij ann.* 1641. cuius memoria in benedictione sit. Fuit enim Vir de Religione Minorica, de regulari obseruantia, & de re literaria optimè meritus (Amico integerrimo, qui me ad hanc commentationem distractum, & nil cogitantem suasione, & charitatis impulsu coegit, grati animi, pauca hęc verba, monumentum esto) in concertatione de Christi, & Apostolorum paupertate à *pag.* 201. *ad* 321. vbi fusissimè, & solidissimè *cap. 7. pag. 315.* citat in hanc rem *Sotum, Nauarr. Alcoser. Ledesmam, Menchacam, Quesadam, Bañes, Bellarmin. Salonium, Molinam, Azor. Valentiam, Lessium, Vasquez, Sanchez.* preter antiquos *Alensem, D. Thomam, D. Bonauenturam, Henricum de Gandauo, Ochamum, Aluarum Pelagium*, & omnes Expositores Regulæ S. P. Francisci. Soli facem præferrem; Aliud enim est particulares aliquas Religiones tam arctam paupertatem non profiteri; aliud verò, Christi & Apostolorum paupertatem suę cõformare, itaut quidquid supra paupertatem in communi est, à moralitate, meritoquè deijcere, atquè more Æthyopum (vt sapidè ludit *Cyprianus in fine lect. 1.*) cum ipsi albi esse non possint, Christum nigrum depingunt.

P. Antonij Hiquei memoria, & laus.

Sed, vt sub vnum aspectum Minoricę paupertatis regula, ex Euangelio desumpta appareat, quæ fusiùs collegerunt regulæ Expositores *S. Bonauentura Pisanus,*

gus, Hugo de Dina, & alij, Aluarus Pelagius de planctu Ecclesiæ lib. 2. Acap. 55. ad 63. Gulielmus Ocham in defensorio paupertatis(licet in Ioann. 22. iniquus)qui innumera Sacræ Scripturæ, & Patrum testimonia adducit: & post alios Nitela citata, breuiter adducam: sunt autem, quæ sequuntur.

Nolite possidere aurum, nec argentum, nequè pecuniam in zonis vestris, nō peram in via, nequè duas tunicas, nequè calceamenta, nequè virgam, dignus est enim operarius cibo suo. Matth. 10. *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet, vbi reclinet caput suum.* Matth. 8. Luc. 9. *Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te, quid ergo erit nobis? Vos qui, &c.* Matth. 19. Marc. 10. Luc. 18. cui præcessit consilium Christi. *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni, & sequere me.* Et de victu Christi ait, Luc. cap. 8. de Mulieribus, quæ Christum sequebantur, *Quæ ministrabant ei de facultatibus suis*, Vt nec quid comederet haberet, adeò vt post actum Hierosolimis triumphum, coactus fuerit *abire foras extra ciuitatem, ibiquè manere. Et mane facto reuertens in ciuitatem, esurire?* Matth. 12. ad hospitandum scilicet in domo Lazari. Et cum de tributo intentaretur quæstio, opus habuit miraculo, *Vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle: & aperto hore eius inuenies staterem, illū sumens da eis pro me, & te.* Matth. 17. Quem sequuti Apostoli dixerunt *Argentum, & aurum non est mihi, &c.* Act. 3. *Sicut egentes, multos autem locupletantes, tanquam nihil habentes, & omnia possidentes.* 2. Cor. 6. & meritò, quia Dominus noster Iesus Christus *Propter nos egenus factus est, cum esset diues, vt illius inopia vos diuites essetis.* 2. Cor. 8.

Paupertas in cōmuni, & in particulari euangelica est. Ex Euangelio.

Subscribunt Patres. Naz. orat. 42 *Simili modo, si quis Discipulus ad prædicandum Euangelium mittitur, frugalitati, & simplicitati studeat, quippè præter id, quod nec as, nec baculum, nec duplicem tunicam habeat, etiam nudis pedibus iter facere oporteat.* Sanctus Ephrem. de Monachis. *Et ipsi Apostoli, cum interrogassent, ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te, non amplius ipso relicto abierunt in mundum, nequè conuersi sunt retrorsum, videlicet ad sęculi diuitias.* S. Basil. regul. 70. cap. 28. *Non debet, cui traditum est munus Euangelij, aliquid plus possidere, quam quantum naturalis vsus desiderat* id est vsus facti, inde subnectit. *Nolite possidere aurum, &c.* Eusebius de pręparat. lib. 3. cap. 7. *Mores quoquè Apostolorum à cupiditate omnis generis pecuniæ alienos, quis non obstupescat?* Et infra *At illos etiam re ipsa compleuisse, quod dictum est, constat.* Et infra. *Ergo nō habens Petrus, quid daret, confessus est, se ab omni possessione auri, & argenti abhorrere, his verbis, Argentum, & aurum, &c.* Epiphanius lib. 2. her. 61. *Apostoli, qui & ipsi nihil possidebant, & ipse Saluator nihil in terra possedit, sed non eiecit mulieres, ipsi, & Discipulis eius ministrantes.* Ecce vsus facti. Chrysostom. hom. 33. in Matth. *Non dixit, non accipiatis vobiscum, sed non possideatis, vt si & aliunde sumere possint, recusarent tamen, ac perniciosam hanc ægritudinem fugerent.* Et alia multa infra. Et hom. 23. *Nolit, inquit possidere aurum, nequè argentum, &c. postquam hęc enim operibus ostendit, tunc etiam verbis firmiora præcepta constituit. Vbi hoc ergo monstrauit? audi dicentem. Filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet.* Et hom. 64. *Difficile in Regnum cęlorum diuites intrabunt. Cur autem Discipulis adeò pauperibus, vt nihil prorsus haberent, hæc dicit? Sanè vt eos erudiret, ne pudori paupertatem sibi putarent, & quasi respondeat,*

Ex Patrib.

quam ob rem nihil habere eos permiserit. Et hom.8.in acta. *Argentum, & aurum non est mihi. Non dicit non habeo hic, qualia nos dicimus, sed prorsus non habeo.* Nissenus lib.de beat.hom.1. *Etenim huiusmodi paupertas non videtur mihi discrepare ab ea ægestate, quæ beata iudicatur: Ecce omnibus quæcumquè habebamus relictis, sequuti sumus te, inquit Petrus, quid igitur erit nobis? & quod est responsum? beati pauperes spiritu. Vis scire quis pauper sit? qui corporalem opulentiam animæ diuitijs permutat, qui propter spiritum ægenus est, qui terrenas diutias veluti quoddam onus excussit, & abiecit.* Teodor. in 2. ad Cor. 8. *Respicite ad Dei filium, qui causa nostræ salutis extremam paupertatem suscepit.* Et infra. *Perfectionem definuit Dominus omni ex parte perfecto, pecuniæ contemptu, & voluntaria paupertate.* Euthimius in ps.21. *Summus Rex Regum Christus de pauperrima matre natus est, non in domo, sed in spelunca, positus non in lecto, sed in præsepio, vilissimis, & contemptibilibus pannis induebatur, nulloquè comitatus seruo circumibat, atquè ipso etiam carebat tugurio, & ab alijs ei alimēta præstabantur.* Theophil. in illud Luc.10. *Edentes, & bibentes, quæ apud illos sunt,* ait. *Vide qualiter Discipulos mendicare instituit, & pretio eos alimentum habere noluit.*

Tertul. de Idol. cap.18. *Ille Dominus in humilitate, & ignobilitate incessit, domicilio incertus, vestitu incultus, vultu inglorius.* Hilarius psalm.64. *Nequè Regis dignitati, nequè origini summæ paupertatis, atquè inopiæ professio congruit, sed eius vox est, qui vt nos ditescerēmus, pauperem se præstitit, cui, ne ad supremam quidem cœnam, nisi quæsita, & aliena domus fuerit.* Ambrol. Luc.20. *Imaginem Cæsaris non habet Christus, quia imago Dei est. Imaginem Cæsaris non habet Petrus, quia dixit reliquimus omnia. Si non habuit imaginem Cæsaris, cur dedit censum? non de suo dedit, sed reddidit mundo, quod erat mundi. Et tu si vis non esse obnoxius Cæsari, noli habere, quæ mundi sunt, sed si habes diuitias, obnoxius es Cæsari. Si vis nihil Regi debere terreno, relinquè omnia, & sequere Christum.* Et in 7. Lucæ. *Non tàm gloriatur Petrus, quod argentum, & aurum non habeat, quàm quod seruet mandatum domini, qui præcepit, nolite possidere aurum: hoc est dicere; vides me Christi esse Discipulum, & aurum à me requiris?* Hieronym. in illud Matth.10. *Nolite possidere aurum, &c. Dat præcepta Euangelij, satoribus veritatis. Qui diuitias detruncat, propemodum, & necessaria vitæ amputat, vt omnia prouidentia Dei gubernari, seipsos ostenderent, nihil cogitare de crastino. Tantùm accipite, quantùm in victu, & vestitu vobis necessarium est.* Vsus facti. Et Epistol. ad Ageruchiam. *Apostoli toto orbe peregrini, Non in æs zona, non virgam in manu, non caligas habuere in pedibus, & tamen dicere poterant, nihil habentes, & omnia possidentes.* Et Epistol. ad Iulianum. *Vade vende, non partem substantiæ, sed vniuersa quæ possides, & da non amicis, non consanguineis, non propinquis, non vxori, non liberis: plus aliquid addam. Nihil tibi, ex omnibus, metu inopiæ reseruans.* Et aduersus Vigilantium. *Si vis perfectus esse, &c. ad eum loquitur, qui vult esse perfectus, qui cum Apostolis Patrem, nauiculam, & rete dimisit. iste quem tu laudas* (possidere scilicet, & de fructibus facere eleemosinam) *secundus, & tertius gradus est, quem & nos recipimus, dummodo sciamus, prima secundis, & tertijs præferenda.* August. psalm 86. *Paupertatem suam volens dominus commendare, fortasse dixerit, non est substantia; ad summam enim paupertatem peruenit, quando formam serui induit.* Et de bono coniugali aduer. Iouin. cap.8. *Bonum erat, quod faciebant, qui de substantia sua Christo, & Discipulis*

pulis suis necessaria ministrabant; sed meliùs, qui omnem substantiam suam dimiserunt, vt expeditiores eundẽ Dominum sequerẽntur. Et de consensu Euangelist. lib. 2. cap. 30. *Ille Apostolis loquebatur, vt securi non possiderent, neq; portarent huius vitæ necessaria, nec magna, nec minima, ideò posuit nec virgam, ostendens à fidelibus suis omnia deberi ministris suis, nulla superflua requirentibus.* Leo Papa hom. in festo omn. Sanctor. *Beata illa paupertas, quæ rerum temporalium amore non carpitur: huius nobis exemplum primi post dominum Apostoli præbuerunt, qui omnia sua sine differentia relinquentes: ad vocem cœlestis magistri à captura piscium in piscatores hominum, alacri conuersatione mutati sunt, & multos sui similes, fidei suæ imitatione fecerunt.* Beda in illud *Luce 9. Vulpes foueas habent. Quid me propter diuitias, & sæculi lucra cupis sequi, cùm tantæ sim paupertatis, vt ne hospitiolum quidem habeam, & non meo vtar tecto?* Bernardus serm. 2. in cœna. *Nobilis itaquè titulus voluntariæ paupertatis, quam Christus docuit verbo, & consecrauit exemplo. Nec enim habuit propriam domum, in qua caput reclinaret, & in qua cum discipulis pascha manducaret. Nec proprium habuit, vnde tributum solueret.*

Accedit ratio, Quia meliùs, & vitæ Christi, ac Apostolorum conformiùs est, esse pauperem in communi, & in particulari. Nam si paupertas euangelica est perfectio, maior, & maxima paupertas erit maior, & maxima perfectio. Hęc enim beata à Christo appellatur, huic thesaurus in cœlo, regnumquè cœlorum promittitur, *Matth 19.* hanc supra scientiam, prophetiam, & fidem, post martyrium Paulus collocat. 1. *Cor.* 13. hanc voto particulari Deo nuncupamus, votum autem est de meliori bono. *S. Thom. 2. 2. quæst. 88. art. 2.* hæc animum omni sollicitudine liberat, & summæ Dei prouidentiæ remittit, atquè adeo aptius ad charitatis, & perfectionis acquisitionem est instrumentum. *S. Thom. in illud Mat. 19. Si vis perfectus esse.* remouet enim magis impedimenta ad illam, *Quia omnia arbitrari facit, vt stercora, vt Christum lucrifaciamus, ad Phil. 3.* Hæc, omnia quæ habet Deo offert cum vidua. *Luc. 21. & Mar. 12.* estquè magis cruci conformis, in qua Christus nudus pependit, *Vt nos ad perfectæ paupertatis amorem accenderet.* inquit S. Bon. in Apologia pauperum. & verificat illud, *Si quis vult venire post me abneget semetipsum, & tollat crucem suam, &c. Mat. 16.* in hac denique perfectionis viam Christus constituit, *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quę habes, & da pauperibus.* Vnde meritò in *c. exijt. de verb. signif. in 6.* canonizatur in hæc verba. *Dicimus, quod abdicatio proprietatis huiusmodi, omnium rerum tam in communi, quàm in speciali propter Deum, meritoria est, & sancta, quam, & Christus viam perfectionis ostendens, verbo docuit, & exemplo firmauit; Quamque primi fundatores militantis Ecclesiæ, prout ab ipso fonte hauserant in volentes perfectè viuere per doctrinæ, & vitæ ipsorum alueos deriuarent.* Quam decretalem, licet conuellere voluerit Io. 22. malè de tradita doctrina informatus, & in Religionem Seraphicam infensus, attamen præualente lege, & veritate Euangelica, confirmarunt Clemens V. in Concilio generali Lugdunensi. *c. exiui de parad. de verb. signif.* Concilium Constantiense in Constitutione, quæ incipit. *Sacrosancta Constantiensis synodus.* Conc. Trident. *Sess. 25. de Regularibus. c. 3.* vbi bona in cõmuni alijs cõcedit, non verò obseruantibus, & Cappuccinis. & de Pontificib. *Greg. 9. Inno. 4. Alex. 4. Mart. 4. Nic. 4. Bonif. 8. Mart. 5.* qui expressè reuocauit const. *Ad Conditorem Io. 22. Eug. 4.* qui etiã eandẽ constitutionẽ reuocauit, *Cal. 3. Nic. 5. Pius 2. Paul. 2. Six. 4. Alex. 6. Iul. 2. Leo. 10.* quos videre licet apud cit.

Paupertas in communi, & in particulari melior, & eminentior.

Decretalem Exijt, de verbo signif. in 6. qui con firmarint.

Nitelā per totū c.7.Clē.7.Gr.12.Pius 5.Six.5.Greg.14.Clem.8.Paul.5.Greg.15.et vltimò Sanctiss.D.N.Vrb.8.qui ann.1625.die 1.Octobris.pręcepit obseruari constitutiones Nicolai Tertij, & Clemen.v. Et quod mirum est, ipse Ioann.22. Itaquè per 25. Pontifices Romanos, & tria Concilia Generalia (vt prætercam quartum Basileense quod etiam confirmauit decretalem Nicolai Tertij,& Clementis Quinti, antequam euaderet conciliabulum) canonizata est regula, & paupertas Fratrum Minorum cum abdicatione bonorum in communi, & in particulari, vt obmutescant aliquot recentiores Theologi nimis seipsos amantes,& ambulantes in mirabilibus super se, quin more draconum aurum ab hortis esperijs,quo ipsi vti non possunt,alijs prohibere conātur. Et quadam rationum,& verborū specie(quam S.Paulus,vanam Philosophiam appellat) vel stulti sibi suadent, quod non sunt; vel subdoli alios ad mundanas diuitias, & vitæ commoda (quasi hæc summa Euangelij sit,nituntur abducere. Non nego, imò defendo,posse Ecclesiam, bona in particulari,& Religiosos in communi, quoslibet in suo ordine possidere. Valeant Antropomorphitæ,Marsilius Patauinus, Vvaldenses,Fraticelli,Beguini,Beguardi,Vvitclefistæ.qui Ecclesiasticis facultates interdicebant,& antiquiores Apostolici,Cathari,Eustathiani, qui omnibus fidelibus eas exitiales ad salutem esse contendebant. Miror tamen, quantùm nonnulli vitam Christi,& Apostolorum, vel reluctantes ad suos mores trahant, cum suam conuersationem vitæ Christi funiculo metiri deberent.

Quid diuitias Ecclesię negarint.

De loculis Christi,et alijs quę contra paupertatem adducuntur.

Nec facessere negotium debent, vel quod Christus loculos habuisse legatur, Ioann. 12. & 13. vel quod aliqua in Collegio Apostolico empta sint. Mar.6. Ioann.4. & 6. Quia Christus duplicem statum instituere voluit, scilicet totius Ecclesiæ,in qua sunt infirmi,quibus,compati necessarium erat,& perfectorum, quibus paupertatem, exemplo, & verbo consuluit. Ita Nicolaus Tertius citatus. Habuit loculos in casu necessitatis,vt sentiunt *Alensis, Bonauentura, Beda, Glos. Lira, Thomas*. Et in vsus pauperum, *Marc.14. Matt.26. S. Hieronym. in 17. Matt.* Nec illud Luc.21. *Sed nunc qui habet sacculum, tollat simul,& peram.* Quia vel hęc fuit permissio, & dispensatio tempore persecutionis, & extremę necessitatis, vt aiunt *Beda, S. Thomas, Glosa*, Nec ait,*Tollite sacculum*, Sed *qui habet sacculum.Caiet.*dispensatio autem totam legem non tollit,sed particulares tangit.

Soluitur obiectio ex S. Aug.

Nec illud 12. quęst.1. *Expedit.Facultates Ecclesiæ possideri, & proprias perfectionis amore contemni, satis ostenditur, & propria debere propter perfectionem contemni,& sine inpedimento perfectionis, posse Ecclesię facultates,quæ sunt profectò communes, possidere*, Vbi *S. August.* in loculis *Ecclesiasticæ pecuniæ formam* vidit: Quia iam dictum,est Christus perfectis, & imperfectis pręiuit,Nec in solis loculis (in quos collimant) vita Christi,constitit.Primi enim nō solùm Clerici,verum etiam.Christiani,proprium nō habebant.12.*quęst.1.à cap.3.ad.10.*tepescente postmodum feruore, proprium in communi, & tandem in particulari habere cœperunt. Nec absurdum est,consilia euangelica non semper fuisse eodem rigore in Ecclesia obseruata. Concedo esse perfectionem, habere proprium in communi,sed non habere,maior perfectio est.

Soluitur alia ex Ioann. 22.

Nec Ioann.22. in sua extrauag.*Com inter nonnullos*, in quā hęreticam declarat propositionem, *Christus, & Apostoli, nec in communi aliqua habuerunt* Opponitur decretali *exyt*, Nicolai Tertij; Quia hic decernit *Christam viam perse-*

perfectionis ostendentem nihil habuisse, imperfectis autem condescendentem loculos habuisse. Ergo conciliari potest cum Nicolao Tertio, in illa parte, qua imperfectis compati volens, loculos habuit. Nec enim Ioann.22. de tota vita, & omnibus actionibus Christi loquutus est.

Nec tandem vsus facti proprietatem inducit, vt probare contendit Ioann. 22. *Ad Conditorem Canonum*, Quia communiter non tenetur in hac parte, & reuocatæ fuerunt illius constitutiones à recensitis Pontificibus Romanis. Et in iure, vsus à dominio distinguitur, etiam in re consumptibili. Potest enim Dominus reseruare sibi dominium rei, vsquèquò fuerit consumpta, vt patet in conuiuijs. Nec rei destructio est illius acquisitio, aliàs omnis religiosus esset proprietarius, quia vsum abdicare non potest. Hinc *August. in illud ad Philip. vlt. Misistis mihi in vsum*, ait. *Præter vsum in rebus, nihil aliud est quærendum, & qui amplius quærit, malum inuenit. Et Hieronym. in illud* 1.*Tim*.6. *His contenti sumus, signanter dicit, quibus tegamur, vt ostendat, se non quærere, nisi vsum, & Glos. in illud ad Rom*.8. *Omnia vestra sunt*, ait. *Non dominio, sed vsu, sicut res famulorum sunt dominorum, non dominij potestate, sed vtendi facultate*, Vt dicit *Glossa in capit. non dicatis*. 12. *quæstione prima*. Et filius ex bonis Patris habet vsum facti, proprietate apud partem remanente. *l. quidquid C. de acquirenda possessione.* *Soluitur 3. ex vsu facti.*

Conclusio horum omnium est, Paupertatem Minoricam consistere in abdicatione rerum in communi, & in particulari, in quibus Frater Minor nullum ius dominij, possessionis, quomodocumquè habere potest. Et hoc est votum essentiale. *Paupert[as] minor. in quo cōsistit.*

Ex hac Conclusione deducuntur sequentia statuta. *Casus proprietatis.*

Nihil possideatur vt proprium, & vt suum, etiam si ad necessitatem concessum sit. Sic S. Bernardin. in opusculo, casuum proprietatis, relato 4.*p. firmamen. pag*. 178. *Dicere aliquid suum, Aliquam rem esse conuentus, vel ordinis, nisi intelligat de vsu facti. Loci appropriator intelligitur, qui contra voluntatem Superioris in aliquo conuentu, vel cella quoquo modo remanere procurat, maximè si sæcularium id fauore contendat.* Ex S. Bernardino, *Voluntate propria remanere in aliqua cella, Vt proprietarius punitur. Qui sciens, & prudens, sine Superioris licentia clauem cellæ, vel arculæ, secum defert.* Quod intelligi debet cum discretionis sale, nō enim qui ad vrbem mittitur, reuersurus statim, vel post modicum, si clauem non det Superiori, proprietarius censendus erit, nisi aliud in corde gerat. Sed si extra ciuitatem ad dies aliquos emitteretur: quod licet, alijs remotis, proprietas non sit, eius tamen speciem habet: Quod declarat S. Bernardinus. *Ambulando per patriam, secum scienter, & in fraudem Prælatorum clauem cellæ deferre. Clauem alicuius capsæ secretè reponere ne fratres alij aliquid accipiant, & hoc sine consensu Prælati.* Ostendunt enim hæc dominium. 1. Possidere, vt proprium. 2. Dicere aliquid suum. 3. Manere in conuentu, & cella contra voluntatē Superioris. 4. Clauem cellæ, vel arcæ secum deferre.

Libros, & alias res fratris vsui assignatas, si quis apud sæculares sine licentia deposuerit, proprietarius est; Quia independenter de rebus non suis, disponit. Et idem esset si illæ relinquerentur apud alterius ordinis regulares, vel etiam apud eiusdem ordinis fratres, si vellet ea Superiori occultari. Hoc enim proprietatis est, S. item Bernardinus. *In ordine, vel extra ordinem, in manibus sæcularium res commendare, vel reponere, sine licentia Prælatorum.* 5. Deponere aliquid apud sæculares.

Qui

Qui vendit etiam per manus syndici, vel donat, commutat, vel distrahit libros sibi
5. Vendere res sibi assignatas. *assignatos, declaratur proprietarius.* Ostendit enim in illis habere dominium. *Et si extrahit ex formatis Biblioteccis, excommunicationem incurrit, fulminatam per Clementem VIII. & Pium V.*

6 Donare vendere, alienare, commutare. *Donare, vendere, alienare; commutare, largiri, etiam eelemosinaliter vestes, & alia cuiuscumquè generis bona, debita contrahere, libros, vel alia pignori dare; vestimentum sibi concessum cum alio commutare, vel vendere. Sub pœnis proprietariorum prohibentur,* Quia actus proprietarij sunt, vt in multis determinat S. Bernardinus. *Quæcumque deputata pro quocumquè vsu propria authoritate alienare, vel vendere.*

7. Locare prata &c. *Locare prata, terrulas, viridaria &c. actus proprietatis sunt.* Quia ex bonis immobilibus fructus colliguntur; Vnde *sub pœnis proprietariorum; & in posterum fieri, & factas locationes annullari præcipitur.*

8 Seminare frumentum. *Sicuti etiam seminare frumentum, vel aliud quodcumque genus tritici intra, vel extra septa conuentuum preter olera, fœnum, & hordeum pro iumentis,* Quia paupertati, & quotidianæ mendicationi repugnat.

Prohibemus nomine depositi, aurum, argentum, vel quod vis aliud pretiosum in
9. Depositum accipere cum obligatione restituendi, &c. *locis nostris reponi. Deponi tamen aliquando, & sub certis cautelis, sine obligatione ad custodiendum deposita.* Omnia enim hæc ius in deponente, & depositario, concernunt, quo fratres carent.

10. Reddere & petere computos. *Reddere autem computum singulis mensibus, & accepti, ac expensi cum procuratoribus, rationem habere.* quod sub grauibus pœnis imponitur, esset proprietarium, si ius aliquod concerneret. Sed fit tantum ad experiendam Superiorum localium, & Syndicorum fidelitatem, nihil enim iuris in re quacunque, etiam minima, totus ordo habet, Vt optimè *S. Bernardinus* dixit. *Fratribus nulla re vti licet, sine licentia expræssa, vel saltem (sine fraude) præsumpta quantacumquè minima, vt potè nec acum, nec filum, nec aliquam rem, nec obolum, nec valorem oboli;*
Notabile dictū S. Benedicti. *quia secundum S. Benedictum Monachus habens obolum, non valet obolum.* Ideò Superiores fraudantes eleemosinas excommunicatione, priuatione officij, & suffragiorum iuris, ac carcere puniri mandantur.

11. Eleemosinas perpetuas procurare, & acceptare. *Eleemosina perpetua nec procurari, nec acceptari potest. Quinimò si relicta fuerit, renunciari iuridice, præcipitur. Si autem imponatur fratribus, certas missas, & officia celebrari; poterunt, dummodo dispositionem testatorum, non iure legati, sed eleemosinæ puræ nomine recipiantur. Sub pœnis &c.* Atque hac ratione ius non acquiritur, & fratrum necessitati consulitur, iuxta doctrinam *S. Bonauenturæ*, secundum quam, & Capitulum generale Rom. *An.* 1625. & votum S. Congregationis, Regularium, & Sanctissimus D.N. eodem an. declarauit, posse fratres habere legatum perpetuum D. Marchionis de Canete, pro expensis Capitulorum generalium sub titulo tamen simplicis eleemosinę, super qua nullum ius nec habet, nec habere intendit Religio; quæ omnia, & multa alia scitu dignissima, quia copiosè, ac doctè degessit P. *Didacus de Cea in suo thesauro terræ sanctæ lib* 2. *toto c.* 4. vbi Præter communes doctrinas, etiam integra transumpta, & breuia congessit, non replico, nec transcribo.

12. publica instrumenta facere alienationis. *Nulla fiant publica instrumenta à fratribus capitulariter congregatis, vel alio modo se habentibus, in quibus transferatur dominium cappellæ, siuè sepulturæ: darent enim quod non habent,* Nimirùm res, quæ suæ non sunt, vnde meri-

meritò proprietarij censentur. Idem sanctus inter proprietatis actus recenset. 13. qui aliorum vsui nō tribuit rem sibi nō necessariam.

Qui noluerit alteri concedere rem aliquam, qua tunc non vtitur, & non sit prohibitus.

Qui sua authoritate recipit oblationes pecuniæ ab altari, pelui &c. vel eas reponi facit. 14. recipere oblationes pecuniæ in ecclesia.

Qui impatienter quæritur de cella, vel alia re, sibi à Superiore ablata, vel in ea manere procurat. 15. queri de re sibi à Superiore ablata.

Qui commutat vnam rem in aliam sine licentia. 16. Commutare vnam rem in aliam.

Qui retinet res superfluas, vel nimis curiosas. 17. tenere res superfluas, & curiosas.

Qui vendit ligna syluæ, vel fructus hortorum, vel vendere facit. 18. Vendere ligna siluæ &c.

Qui petit mercedes laborum, tanquam sibi debitas. 18. petere mercedem laborū

Qui vtitur rebus incerti dominij, sine facultate legitima. 19. vti rebus incerti dominij.

Qui conuertit res communitatis in suum vsum, sine licentia, & necessitate. 20. conuertere communia in vsus proprios.

Qui pactum facit, vel se obligat ad aliquid soluendum, ciuiliter, tanquam ius aliquod habens. 21. pactum facere, velle obligare.

Qui reseruat eleemosinam, & interim aliam procurat, nulla præsenti, vel imminenti necessitate coactus. 22. reseruans eleemosinas.

Qui non statim dat, seù resignat, quæ à Prælato præcipiuntur, animo illa retinendi tanquam propria. 23. Non statim resignare prælato, quæ præcipiuntur.

Qui contendit propter eleemosinas mortuorum, & missarum, maximè si tunc non indiget. 24. contendere propter eleemosinas defunctorum.

Qui petit satisfactionem de damno in horto &c. Omnia enim hæc, quia dominium sapiunt, sunt proprietatis actus, & contra votum paupertatis, si leuem materiam excedant. 25. petere satisfactionem de damnis.

STATVTVM II.

Loca de nouo non recipiantur, aut relinquantur, sine licentia scripta Generalis, vel sedis Apostolicæ; habito priùs consensu Episcopi, & Diffinitorij Prouinciæ.

Conuentus recipere & relinquere possumus sine licentia Papæ.

Sixtus IV. & Iulius II. reuocauerunt prohibitionem Bonif. VIII. de non recipiendo, vel relinquendo loca fratrum Minorum sine consensu sedis Apostolicæ; concesseruntquè fieri posse de licentia Generalis, vt videre est in *Compendio Priuil. Sorbi.* tit. *Aedificare.* attamen recipi posse sine licentia ordinarij, vetuit *Conc. Trid. sess. 25. c. 3. de regul.* ibi. *Nec de cætero similia loca erigantur, sine Episcopi, in cuius Diœcesi construenda sunt, licentia priùs obtenta.* atque adeò (inquit *Sorbus*) *Nunc sufficit licentia Diœcesanorum, absque alia summi Pontificis authoritate prius requisita:* Licet contrarium decretum fuisse à S. Congregatione Concilij, referat *Zerola in praxi. Episcop. p. 1. v. Monachi.* dicens. S. Congregationem censuisse. *Monachi non possunt ædificare monasteria in parochia,*

in qua

in qua id non habent, sine cognitione, & licentia Papę. Sed verum non est quia abrogatis antiquis concessionibus Sanctiss. D.N. Vrbanus VIII. in Constitut. *Romanus Pontifex* ędita, *ann.* 1624. præcepit. non posse recipi conuentus. *Nisi de expressa licentia Ordinariorum, ac seruata in omnibus, & per omnia sac. canonum, & Concilij Trid. nec non constitutionibus felic. record. Clem.* VIII. *quæ incipit. Quoniam ad institutam, ac decretorum de mandato eiusdem Clementis: nec non similis mem. Greg. XV. Rom. Pontif. prædecessorum, desuper æditorum forma recipere, erigere, fundare, seu aliàs quomodolibe instituere, seu incæpta finire, seu absoluere audeant, vel pręsumant. Sub priuationis vocis actiuę, & passiuę, nec non officiorum quorumcumque, ac in habilitatis ad illa, & alia in futurum, nec non excommunicationis ipso facto incurrendis pęnis &c.* Clemens autem VIII. in citata constitutione decernit, Ordinarios non posse concedere licentiam nouos conuentus erigendi. *Nisi vocatis & auditis aliorum, in eisdem ciuitatibus, & locis existentium conuentuum Prioribus, seu Procuratoribus, & alijs interesse habentibus: & causa, seruatis seruandis, cognita, constiterit, in eisdem ciuitatibus, & locis, nouos huiusmodi erigendos conuentus, sine aliorum detrimento, commodè sustentari posse.* Gregorius tandem XV. in decreto S. Congregationis, facto tempore Pauli V. atque recensito inter constitutiones huius Pontificis num. 31. 17. *Augusti ann.* 1622. declarat non posse fundari conuentus, *Nisi in eo saltem duodecim fratres, aut monachi, seu religiosi inhabitare, ac ex redditibus, & consuetis eleemosinis, sustentari valeant, & quod audiantur Superiores conuentuum, per 4. millia passuum circumexistentium, & tali erectioni consentiant. Vel aliàs ordinarijs constet, commodè posse sustentari, quod fieri debet etiam vbi nulli Religiosi existerent.* Atq; hoc omninò seruandum est, antiquatis omnibus alijs priuilegijs.

Quod non valere, si conuentus in eadem ciuitate de loco ad locum mutetur, sensit cum *Rodriguez, Peirino, Diana, Lezana tom.* 1. *cap.* 9. *num.* 35. *Hier. Roder. resol.* 56. *nu.* 4. addit *Portel, Mirandam*, qui citat bullas Sisti IV. & V. & Leon. X. Neq; hoc est noui iuris, sed veteris, nam 18. 9. 2. *c. quidam Monachorum, in Conc. Calcedonensi, &c. de Monachis. in Concilio Agatensi, c.* 17. *&c. Verò* 16. 9. 1. expressè præcipitur, non debere fundari noua Monasteria sine conscientia Episcopi, ipsoq; permittente, ac probante.

Ex dictis Iustificatur, & probatur sequens statutum.

STATVTVM III.

Licentiam, noua loca recipiendi Generalis non concedat, nisi ei legitimè constiterit, in eo loco, duodecim fratres commodè sustentari posse, &c.

In cōtu 12. Ait enim Conc. Trid. citatum, *In prędictis autem monasterijs, & domibus is saltē fratres tantùm numerus constituatur, ac in posterum conseruetur, qui vel ex redditibus proprijs monasteriorum, vel ex consuetis eleemosinis commodè possit sustentari.* Quod aliàs ordina confirmauit, & mandauit Sanctiss. D.N. Vrb. VIII. in decreto de celebrat. missarum §. *Deinceps verò* cum additione *Alioquin Monasteria, & loca huiusmodi morentur. rijs subsint.*

post

post hac recipienda, in quibus duodecim Religiosi substentari, atq; inhabitare non poterunt, & actu non inhabitauerint, Ordinarij locorum, visitationi, correctioni, atq; omnimodæ iurisdictioni subiecta esse intelligantur. Et fauet ratio quia aliter cogerentur Religiosi ob defectum necessariorum ad victum, & vestitum, extra Monasteria vagari, ad sordidos quæstus se applicare, vel regularem habitum deserere, vt colligitur ex *c. Quoniam. de vita, & hon. Cler. c. Authoritate. de Institution. c. vni. §. sanè. de statu regul. in 6. & Trid. citato.* Videatur Clem. Exiui. de *verb. signif. in 6.*

Super quo decreto dubitatur 1. An duodecim fratres semper esse debebant in tali conuentu, ne ordinarijs subsint?

Respondeo sufficit collocari de familia 12. fratres, & ibi vt plurimum degere, nec opus esse, vt continuò in eo conuentu in habitent: possunt enim ad concionandum mitti, ad peragenda negotia destinari, etiam si plures menses absint; Verificantur siquidem omnia verba decreti, nam habitualiter possunt ibi degere duodecim, & actualiter inhabitare: non enim dicit, *semper actu inhabitauerint.* & ad verificandam actualem habitationem sufficit vnus actus, vel modicum tempus, vel ad summum maior pars temporis. *dubium non est eum quoquè habitare dici, qui ad tempus habitat*, inquit *l. 1. ff. de his qui deiecer. & l. lex cornelia. §. domum. de iniur. & Barthol. in dicta l. 1. & in l. cum de lanionis. §. Sabin. ff. de fundo. instruct.* vt notarunt *Spiegelius, & Prateius. Vnde Clem. causam de elect. & elect. pot.* ibi, *In domo, quam ipse habitare communiter consueuit* inquit Glos. *Licet ibi non habitet, vltra dimidium anni, sed minus.* firmat *Afflict. decis. 384. num. 11.* Quinimò addo, etiamsi non omnes duodecim actu inhabitent de facto, sed remota malitia, & fraude, destinati fuerint de familia, & propter aliquod impedimentum, nondum accesserunt aliqui, adhuc dici possunt actu inhabitare, quia in iure idē est aliquod esse in actu, & esse in via deductionis ad actū. *l. diuortio. §. non solum. ff. sol. matr.* per quem textum ita decidit *Bald. in l. qui sub prætextu. C. de Sacr. Eccl. & Bart. Socin. cons. 70. n. 8. lib. 4. l. si impubere & ibi Bart. n. 2. ff. de tut. & curat. datis, ab his. & l. 12. tabul. Si qua pluuia nocet*, id est *Nocere poterit.* & apud Labeonem, *si rationes tractasse videbitur*, idest *Nocere poterit. l. labeo. ff. de statu lib. & Pomponius. Quid ergo si cœptum sit Argentum fabricari, nondum tamen perfectum, vtrum facti, aut infecti appellatione contineatur: sed puto magis facti. l. etsi. §. infecti. ff. de auro, & argento leg.* Hac ratione Nouitij ordinari poterunt à non suo Episcopo, si morentur in conuentu, sito sub iurisdictione ipsius, in vim *c. cum nullus. de tempor. ordin. in 6.* etiamsi Bonifacius Octauus dicat. *Religiosi verò, &c.* Quia Nouitij, etiamsi non professi, & consequenter actu religiosi non sint, sunt tamen in actu ad professionem, Vt docet *Iodocus Damhouderius in Enchiridio parium, & similium iuris,* Qui hæc allegat. Ex quo verificatur aliud statutum. *Non posse conuentum decorari nomine Guardianatus nisi vbi communitas in Ecclesia, Dormitorio, & Refectorio ab octo saltem fratrib. seruari possit, donec num. duodenarius colloeari possit.* In quo supponitur conuentum nouum inhabitatum ab octo religiosis, non subesse Ordinario, quia non semper necessarius est, & perpetuò hic numerus, qui sufficit esse in ordine ad duodenarium, vt infra.

Non est necesse. 12. fratres semper existere.

Esse in actu, & in via ad actum idem sunt.

Dubitatur secundò, An posito, quod fundatum sit monasterium in loco apto ad substentandum duodecim religiosos, & per aliquod tempus congruam substentatio-

stentationem tribuerit, casu autem locus deterior factus sit peste, bello, &c. Et reditus insufficiens ad talem numerum alendum; An inquam, possit Episcopus visitare Conuentum?

Sufficit numerũ.12.fuisse ab initio.

Respondeo negatiuè, Quia supponitur Ordinario conuentus ædificatus sine spe sufficientis sustentationis, ibi, *Post hac recipienda in quibus duodecim sustentari non poterunt*, id est, quæ recipiantur cum tali claro, & euidenti defectu. Si enim aliquando, remota fraude, talis numerus potuerit ibi alimentari, iam satisfactum est iuribus, & constitutionibus Apostolicis, Quæ non censentur compræhendere casus fortuitos: Statutum enim pœnale non extenditur. *c. statutum de elect. & electi, pot. in 6.* Et sub dispositione simplici non cõpræhenditur casus qualificatus. *Valasc. consultat.* 51. *num.* 51. Et qualitas noua adueniens enti, reponit illud in diuersa natura. *Menoch. remed. 6. recuper. possess. n. 8. & cons. 35. n. 13. Suar. decis. 2. & cons. 321. n. 12.* vbi alios citat. Et in facto habemus beneficia, & Episcopatus remanere cum suo titulo & dignitate, etiamsi fructus, plebem, & populum amittant. *Clem. in plerisq; de elect.* Quia sufficit semel canonicè instituta fuisse: Et decrescente numero statuto Canonicorum, non decrescit Ecclesia, sed iubetur numerus reparari. *cap. cum M. Ferrariensis. Et cap. ex parte. de constit. cap. in Ecclesia vestra de instit.*

Statutũ pœnale non extenditur.

Ad relinquenda autem loca iam constructa, licet de iure communi, *capit. cum ex eo. de excess. Prælatorum. Et Clement. cupientes, de pœnis. Et cap. amico, de relig. domibus.* necessaria sit Papæ licentia; secus ex concessione Iulij secundi, Sixti Quarti, & Quinti, *apud Sorbum V. ædific. Rodrig. Portel. Mirandam, Lezanam citat.*

STATVTVM IV.

Nihil noui, quod decem scuta excedat, sine scripta Prouincialis licentia (quæ de discretorum, & peritorum consilio detur) in conuentibus nostris ædificari, vel destrui possit.

Statutum aliquas rationes adducit. Prima est, quia ædificia sine peritorum consilio facta, sæpe ruinam minitantur: Quod prudentiæ officit.

Sine licẽtia non ædificetur, nec destruatur.

Secunda, Quia spectatoribus inordinata esse apparent, quod Religionis decori opponitur.

Tertia, Quia ex offensione, deuoti eleemosinas subtrahunt, Quod est Religioni nociuum.

Quarta, Quia paupertas offenditur, nam ex inconsulta ædificatione alias eleemosinas petere cogimur ad reparationem expensarum malè factarum.

Ex quibus aliter facientes Guardiani vltra pœnas commeritas, peccant mortaliter, quia grauiter iustitiam, & charitatem offendunt. Et quidem inordinata, ac tumultuaria, & particularium Fratrum arbitrio, conuentuum facta constructio, vel reparatio, reponitur à S. Bonauent. inter pręcipuas machinas, pauper-

paupertatis minoricæ destructiuas. In Epistola enim quam dedit ad omnes Ministros, & Custodes Religionis, ait. *Occurrit ædificiorum constructio curiosa, quæ pacem Fratrum inquietat, amicos grauat, & hominum peruersis iudicijs nos exponit.* Cui accinit P. *Bonagratia* (qui fuit 11. Generalis, cum S. Bonauentura fuerit 9.) in simili epistol. *Volens, & mandans nihilominus, vt in ædificijs, vestimentis, ac cibis, & alijs quibuscumque sancta debeat relucere paupertas.* Et hunc spiritum sequuta sũt deinde comitia generalia ferè omnia, quæ breuitatis causa relinquo.

Porrò ad conuentus, & Ecclesiæ structuram magna cum cautela, & consideratione procedendum esse, docent sacri canones, dum de eorumdem ædificatione disponunt; nam *cap. nemo. dist. 1. de consecrat.* decernitur non posse ædificari Ecclesiam sine præsentia Episcopi, qui crucem figat, & atrium designet, &c. *Et Auth. de Ecclesiis. tit. 9. §. si quis autem voluerit. Et Auth. Vt nullus fabricet oratorij domos præter voluntatem Episcopi.* Vbi dicitur. *Sancimus igitur præ omnibus quidem, illud fieri, & nulli licentiam esse, neque monasterium, neque Ecclesiam, neque orationis domum, incipere ædificare, antequam Episcopus orationem in loco faciat, crucem figat, &c.* idem notatur in *cap. de Monachis. & cap. Quidem.* 18. *quæst. 2. & cap. verè. 16. quæst. 1.* Quorum omnium notare debemus rationem, quamq; x. *Nouellæ 97. Iustiniani*, quæ decernit sacra ædificia, *proemio*, ex scribo. *Plurimi namque nominis causa, non ad opus Sanctarum Ecclesiarum accedunt, deinde eas ædificantes, nequaquam curam ponunt, vt expensas quoque eis deponant, dicentes. & ad luminaria, & ad obseruantiam alimenta, & ad sacra mysteria, sed deserunt eas, etiam in nudis ædificijs constitutas, & ad destruendas, aut omnino sacro mysterio defraudandas, Sancimus igitur, &c.* Vtinam Superiores generales, & prouinciales, attenderent ad huius Sanctæ legis dispositionem, & non cæco, aut voluntario ductu ad fundandos conuentus, & Ecclesias tam facilè descenderent. Vbi tractu parui temporis religiosi in quæstores degenerant, & quod spiritus profectui adhibere deberent, ad cibos comparandos apponunt: Vnde disciplinæ regularis iactura, ordinisq; dedecus emanant: Pauperes omninò conuentus, & Ecclesias Franciscana Religio affectat, aptas tamen regulari instituto: necessarijs, per nón difficilem longamque mendicationem, tum ad spiritualia, tùm ad temporalia conquirenda, refertas. Ex horum defectu color optimus ordinis immutatur, nec Deo debitus famulatus exibetur, Ex hac doctrina deduco, grauem obligationẽ habere Generalem, & Prouincialem circa fundationes Cõuentuum, & circa ipsorum structuram, & modellum. Cùm enim ipsi non sint in arte periti, necessariò, & sub graui culpa peritorum iudicium exquirere, & sequi tenentur: non solùm ex ratione statuti, quod iniungit consiliũ peritorũ, cui stare non tenẽtur; sed ex natura rei, quę talis iudicij sequelã dictat.

Cutè fundẽtur conuentur, & Superiorum in hac re obligatio.

De Hospitibus, & Inrfimis.

STATVTVM V.

Hospitibus benignè receptis, pedes cum Psalmis, & Hymnis, humiliter, et charitatiuè lauentur. Defe-

ctuosos

ctuosos, in hoc Charitatis genere, Superiores Locales, Prouincialis, officio, et suffragiorum iure triennio destituat.

Hospitibus pedes lauentur, sanctorū exemplo.

Christi domini exemplum. *Ioan*.13. sine alia probatione, statutum, Euangelicum esse maximè declaratur. *Ipse enim Dominus, & Magister lauit pedes Discipulorum, & nos debemus alter alterius lauare pedes, exemplum enim nobis dedit, vt sicut ipse fecit, ita, & nos faciamus*. Sed vt huius actionis honestatem, & mysteria aperiamus, antiquiorem hunc morem fuisse, probant sacræ, ac prophanæ scripturæ. *Gen.c.*18. Abraham pedes hospitum Angelorum lauare voluit, *Afferam pauxillum aquæ, & lauentur pedes vestri, & requiescite sub arbore*. & Loth. *Gen*.19. eisdem pedum lotionem obtulit. *Declinate ad domum pueri vestri, & manete ibi, lauate pedes vestros, &c.* Idem charitatis argumentum præstitit Leuitæ senex ille *Iud*.19. *introduxitq; eum in domum suam, & pabulum asinis præbuit, & postquam lauerunt pedes suos, recepit eos in conuiuium*. Et ordinarium morem fuisse, probant verba Christi *Luc*.7. ad Pharisęum. *Aquam pedibus meis non dedisti, hæc autem lachrymis rigauit pedes meos, & capillis capitis sui tersit*. Quare mœroris signum apud Hebræos erat, illotis pedibus procedere, vt 2. *Reg*. 19. *Miphisboseth. filius Saul descendit in occursum Regis, illotis pedibus, & intonsa barba. vnde Sordes eius in pedibus*, fuisse hebręis captiuitate abductis, docet, *Hier. thr*.1. & è contrario, *lauare pedes butyro*, in signū fælicitatis recordabatur *Iob. c*.29. & abundantiæ indicium futurum prædixit Aser Moyses *deut*. 33. *tingat in oleo pedem suum*. id est lotos pedes, vnguentis, & oleo delinire. Et familiare, ac ordinarium fuisse antiquis, hospitibus pedes lauare, tùm ob sordes, tùm ad lassitudinem tollendas, docent *Gretserus in pedilauio, Et Guillermus Hemerus in cap*.18. *genesis. Petrus Ciacconus in Romano Trichnio, & Fuluius Vrsinus Appendice ad Triclin. Ciacconi*.

Hinc ad conseruandam actionis Christi memoriam, & exercēdam humilitatem, charitatemq; prisci fideles, recens baptizatis, pedes lauabant, vt notant *August. Epi*,118. & 119. *ad Ianuarium. Ambros. lib*.3. *de sacram. c*.1. *Bernar. ser. in Cena Dom. Cyprian. ser. de Vnctione chrismatis, Palladius in Lausiaca, Tertull. l.de baptismo. c*.73. legendus est *Ioseph. Vicecomes lib*.3. *de ritib. baptismi. c*.17. & 18. Quomodo autem vetitum fuerit in *Conc. Eliberitano c*.48. *to*.1. *con. pag*.236. docet *Seuer. Binius in hunc locum*, vetitum fuisse, nimirum, ne fieret à Sacerdote baptizante, benè quidem à Clericis, nè putaretur, ad effectum sacramenti, necessariam esse ablutionem pedum.

Et circa alios fideles consueuerunt Prælati, & Superiores subditorum pedes abluere, vt mandatum fuit in *Conc. Tolet*.17. *c*.3. *ac Aquisgran. c*.141. & seruant Summus Pontifex, ac Reges, de Rege enim Galliæ, *Haldegaldus* scribit. *Ad exemplum Domini peregrinorum pedes lauans, capillis capitis sui tergebat*. & de Imperatore Lothario *Cronicum Casinense lib*.4. *c*.125. *Viduis, & Orphanis cum Augusta pedes lauans. tergebat crinibus, et osculabatur, cibum illis largè distribuens*. Qua cærimonia præparabant se ad Martyrium S. Sebastianus, S. Laurentius, & alij.

Quod

Quod autem attinet ad lotionem pedum Fratrum Minorum vltra Christi exemplum, & humilitatis exercitium, adest status necessitas, pedes enim ambulant, & sine calceamentis, ad Christi, & Apostolorum imitationem, ac consequenter lassi, & sordidi veniunt. Hinc lotos in pedibus, baptizandos, dicit *S. August. lib. 2. de Symbolo ad Cath. c. 1.* quia nudis pedibus incedebant, & per lotionem, sordes â pedibus auferri necessarium erat. Cui addere licet reflexionem *Tertulliani,* de ablutione, quam fecit Christus, &c. *Abrahami filiorum pedes, ad probationem, quod ipse esset, abluit, reddens in filijs ius hospitalitatis, quod aliquando illi fœnerauerat Pater.* Nobis S. Pater Fraciscus fœnerauit, iusquè charitatis in Fratribus filijsquè, & deponimus, & rependimus.

STATVTVM VI.

In singulis Conuentibus deputentur cellæ pro recipiendis hospitibus, necessaria suppellectile instructæ.

Mirum est quantis laudibus, & exemplis hospitalitas commendetur. Ex Sacra enim Scriptura habemus Is. 58. *Aegenos vagosq; induc in domum tuam.* Matt. 10. *Qui vos recipit, me recipit.* Et c. 25. *Hospes fui, et collegistis me.* Ad Heb. 13. *Hospitalitatem nolite obliuisci, per hanc enim placuerunt quidam, Angelis hospitio receptis.* 1. Pet. 4. *hospitales inuicem sine murmuratione hospitalitatem sectãtes* Rom. 12. Iob. 31. *foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit.* Deut. 10. *Dominus amat peregrinos, & dat eis victum, atquè vestitum, & vos ergo amate.* *Hospitalitas quibus laudibus commẽdetur.*

Hinc Abrami *Gen.* 18. *Loth.* 19. & *Raab. Ios.* 1. & senis illius apud *Iudices* 19. Sereptanæ viduæ 1. *Reg.* 17. Sunamitis 2. *Reg.* 4. illustria exempla habemus, qui ob hospitalitatem meruerunt à Deo repromissionem incarnationis accipere, à Sodoma liberari, in ruina Hierico præseruari, & in fame nutriri, alijsque gratijs affici. Hinc veteres hospitalitatis eximij cultores. *Quẽ vbi adesse sẽserunt* (inquit Ruffinus lib. 2. de Vitis Patrũ, de Ioanne) *viri Dei, continuò procurrunt ei obuiam, & velut Angelum Dei excipientes adorant, pedes lauant, ad orationem inuitant, mẽsã ponunt, atque omnia, secundum diuinum mandatum, complent charitatis officia.* & ibidem de Monachis Nitriç c. 21. scribit. *Vbi peregrinos Fratres aduenire censerunt, continuò velut examen apum singuli quique ex suis cellis proruunt, atque in obuiam nobis, lato cursu, & festina alacritate contendunt, portantes secum quamplurimi illorum vrceos aquę, & panes; secundum quod Propheta corripiens quosdam dicit. Quia non existis filijs Israel in obuiam cum pane, & aqua.* 2. *Esdræ* 13. *Tunc susceptos nos adducunt primò cum psalmis ad Ecclesiam; lauant pedes, ac singuli quique linteis quib. vtebantur, abstergunt, quasi viç laborem leuantes, re autem vera, vitæ humanæ ærumnas misticis traditionibus abluentes. Sanctus* autem *Bened. c. 53.* suæ regulæ. Patrum, & Sanctorum vestigijs insistens ait. *Omnes superuenientes hospites tanquam Christus suscipiantur.* & post pauca. *ipsa autem salutatione, omnis exhibeatur humilitas omnib. venientib. siue discedentibus hospitibus inclinato capite, vel prostrato omni corpore in terra, Christus in eis*

A a adore-

adoretur. qui & suscipitur. & post pauca. *Aquam in manib. Abbas hospitib. det, pedes autem hospitib. omnibus tam Abbas, quàm cuncta congregatio lauet:* & alia multa verè mira, & Apostolica, quæ toto illo capitulo præcipit. Similia ex parente filij *Camaldulen. c. 6. & 64.* in suis constitutionib. mandant. vbi de lotione pedum hęc in specie habent. *Religiosis, quando apud Eremum pernoctauerint, pedes ipse studeat abluere.* & Montis Olíueti par. 2. in cit. c. 53. *Monachis omnib. hospitibus primo sero à Prefecto, vel ab eius socijs pedes abluantur. Cassinen. ibid. §. pedes hospitib.* vbi quando, & quomodo lotionem pedum perficere sui debent hospitibus decernunt. Augustinien. Eremitæ 2. p. c. 16. *Si hospites à remotis venerint, vel alias fessi fuerint, pedes eis charitatiuè lauentur, si religiosi fuerint.* Canonici S. Saluatoris ordinis S. Augustini c. 7. n. 5. *Eorum per deputatos lauentur pedes, & osculentur.*

Et vniuersaliter omnib. Christianis hospitalitas inculcata fuit in *6. Synodo generali Constantinop. cano. 9. & vlt.* de ijs, qui huic Synodo adscribuntur to. 5. pag. 362. *Admonendi sunt* (inquit) *omnes vt hospitalitatem diligant, & nulli hospitium præbere detractent. etc.* & in *Con. Parisien. sub Greg. 4. to. 6. pag. 328.* grauissimè pręcipitur hospitalitas. Apporto tantum sententiam Origenis, quam citat Concilium c. 14. *Hospitalitatem, inquit, sectantes, Origenes in Ep. ad Romanos. Quam dignè* (inquit) *hospitalitatis magnificentiam vno sermone comprehēdit? dicens enim hospitalitatem sectandam, non illud solum ostendit, quod veniente ad nos hospitem suscipiamus, sed requiramus, & sollicitissimus, et sectemur, et perquiramus vbiq; hospites, nec vbi fortè in plateis sedeant, aut extra tectum iaceant. Recordare Loth. &c.* Idem decernitur in *con. Aquisgran. sub Stephano V. c. 145. ibid. pag. 289. Idem in Trid. sess. 24. c. 8.* & licet ista de Episcopis, & alijs, redditus Ecclesiasticos possidentib. tradantur, tamen Christianæ professionis Tesseram esse ex *Tert.* refert *Perez in regul. S. Bened. c. 53. initio.* de qua diffusè agit. *Barbos. de Episcopi munere tit. 2. glos. 9. per totum.* Et ita est Christianitati coniuncta, vt virtutum opera, aliquādo propter hospitalitatem relinquantur, vt præcipuè est ieiunium: Abbati enim Cassiano interrogāti quemdā Patrum in Ægypto, *Quare regulā ieiunij tēpore susceptionis Fratrū nō custoditis? & Respōdēs dixit, ieiuniū sēper mecū est, vos autē hic sēper tenere non possū: ieiunium quidē, quā vis res vtilis, & necessaria sit, in nostra voluntate est, charitatis autem plenitudinem lex Dei exigit à nobis.* eidem Cass. alius senex dixit. *Ego superuenientibus sexies mensam posui, & dum singulos hortor, e tiā ego ipse manducaui; & adhuc esurio; tu vero hic semel manducans ita satiatus es, vt iam manducare non possis?* & dicenti cuidam solitario. *Ignosce mihi Abbas, quia impediui regulam tuam; ille respondit. Mea regula est, vt recipiam te in hospitalitate, & cum pace dimittam.* Et cum venissent duo Fratres ad quendam senem solitarium, qui non quotidiè manducabat, suscepit eos gaudens, & dixit. *Ieiunium suam mercedem debet. Qui manducat propter charitatem, duo mandata implet, quoniam voluntatem propriam derelinquit, & mandatum impleuit reficiens fratres.* hæc omnia *lib. 5. in vitis Patrum libello 13.* Quid plura? S. P. N. Franciscus tres latrones conuertit ad pœnitentiam, & religionem, solius hospitalitatis ostentione: vt taceam de S. Pachomio, ad Ecclesiam, & de manicheo præsbytero ad fidem conuersis; illo apud Surium in eius vita; hoc in loco citato vitarum Patrum: eos enim non solùm hospitio venientes suscipit, sed abeuntes etiam, perquiri diligentissimè iussit, & cibis, ac humilitatis actib. prosequi,

sequi, vt ad litteram, sententia iam citati Originis, in ipso compleretur. refertur in Cronicis.

Quam autem obligationem hospitalitas inducat erga fratres, docet *Peirinus in formulario lit. O.c. 4.* nimirum sub peccato mortali quia id S. Canones præcipiuut *c. hospitalem. d. 42. c. 1. de emptione, & vend. c. Monachi. de præbendis, & dignit.* præter alia à nobis supra citata Et in nostra regula, *c. 6.* expresse dicitur. *Vbicumquè sunt, & se inuenerint fratres, ostendant se domesticos inuicem inter se, & securè manifestet vnus alteri necessitatem suam, quia si mater nutrit, & diligit filium suum carnalem, quantò diligentiùs debet quis diligere, & nutrire fratrem suum spiritualem?* & licet Clem. V. in Clem. *Exiui*, non reposuerit hospitalitatem inter præcepta, tamē ex iure ipso naturali, & diuino, tenemur eam exercere, prout possumus circa fratres nostros præcipuè, ex iustitia, tum quia sumus fratres eiusdem Religionis, & in bona conuentum, (quæ sunt communia) idem ius habent tam incolæ, quam aduenæ, vt firmat *Lessius 2. de Iust. c. 35. dub. 13. citatus à Peirino:* eò vel maximè cùm hospites subditi sint illius Superioris ad quem accedunt. Et hoc *6. capitulo* præcipit omnimodam abdicationem, & immediatè adnectit hospitalitatem, vt notauit Expositio anonima regulæ in ista verba, *& Notandum in hoc capitulo, quomodo in summo paupertatem, & mutuam charitatem coniungit*, hoc enim deficiente, *fratres ad sibi particulariter prouidendum cogerentur, & tunc paupertas pariter peribit. Et obedientia, simulquè tota Religio destructur*, inquit *Cordub. quæst. 19. in cap. 6* vt doceat, tanquam pauperes, habere ius petendi necessaria apud Fratres. Tum quia expositores regulæ id affirmant. *Quatuor enim Magistri* in citata verba dicunt. *Hic euident et ostenditur, quod perfecta charitas debet esse inter Fratres, quantum ad signum, quantum ad affectum, & quantum ad effectum.* S. Bonauentura *Informat eos circam veram, & non fictam charitatem, vnde addit, quod si mater, &c. consequentia patet, quia amor charitatis fortior est amore carnali, &c. Hæc autem exhortatio trahitur ex Ioa. 14. In hoc cognoscent omnes, quod Discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.* Omnes autem sciunt quantum obliget charitatis præceptum. In eundem sensum scribunt *Hugo de Dina, Pisanus, & Expositio anonima*, quæ dicit. *Hic est aliquid præcepti omnibus Fratribus, scilicet domestica charitas ad confratres.* Et sensatè quidem, quia, vt inquit *Corduba q. 19* licet hoc sit in regula consilium, est tamen in iure diuino præceptum. Tum deniquè, quia statuta sub apostasiæ pœna præcipiunt, ne Fratres itinerantes alio in ciuitate, vel loco, vbi sit conuentus diuertant, sed recta eò se conferant hospitaturi: hoc autem sub mortali obligat: ergo ex alia parte Superiores locales obligat sub eodem præcepto, ad eos charitatiuè suscipiendos. Hinc condignis priuationis, & inhabilitatis pœnis transgressores mulctantur, quia indigni sunt superioris titulo, & Fraternitatis vocabulo, qui hospitalitatem, & Fraternitatem abiecerunt. *Qui enim domus suæ, & maximè domesticorum* (etiam hospites sunt domestici) *curam non habent, fidem negauit, et est in fideli deterior*, vt alibi dictum est.

Hospitalitas quando sub pec. mor. sit.

Nec obijci potest paupertas, quia hospitalitas, etsi hilaritatem requirit, non tamen lautam mensam affectat. affero hospitalitatis mensam, senis Cyrinensis Eremitæ *lib. 4. Vit. Patrum. c. 1. Tunc vero ille flens prægaudio* (inquit Seuer. Sulpit. dial. 1. c. 2.) *ad genua nostra prauoluitur, iterumq; ac sæpius nos deosculans,*

inuitat ad orationem. Deinde expositis in terram ferinis pellibus fecit nos discumbere: apponit prandium sanè locupletissimum, dimidium panem hordeaceum. Eramus nos quatuor, ille erat quintus, fasciculum herbæ etiam intulit, cuius nomen mihi excidit, huius præ dulci admodum suauitate, delectati sumus, & satiati, septem enim diebus apud illum fuimus. En lautissima charitatis mensa paupertas charitatem, non excludit, sed arctissimo vinculo, in Seraphica Religione nectuntur.

Deo ingentes gratiæ referendæ, quod circa hospitum receptionem, lotione pedum, charitatis exhibitione, hilaritatis signis, hymnorum, & orationum recitatione, antiqua patrum statuta seruantur, tam circa nostros, quàm circa alios, præcipuè circa Patres Prædicatores, de quibus hoc *c.6.* ita præcipitur. *Si verò ad loca nostra Religiosi cuiusuis ordinis, præsertim S. Patris Dominici hospitij gratia quandoquè accesserint, humaniter, & benignè recipiantur, & maiora charitatis, & obsequij officia eisdem præstentur, prout per facultates licuerit. Quod si Prior fuerit, Guardiani ei locus detur, Etsi Prouincialis, Prouincialis, &c.* Et circa Patres societatis, de quibus in Capitulo generali Vallisolet. *ann.* 1565. *Cum ordo noster Fratrum Minorum existat, atquè in humilitate præcipua, & charitate fundatus; nouerint Fratres omnes vbiquè terrarum dispersi, religiosos cuiuscumquè religionis humiliter, & humanè tractare, tum maximè eos, qui fuerint de Societate Iesu, quos diligere, & honorare debent, eosquè ad actus literarios, & festorum nostrorum celebrationem, aliosquè actus publicos, ad quos solent religiosi conuenire, cum charitate inuitare, & suscipere, &c.*

Patres Prædicatores hilariter excipiendi.

Et Patres Societatis Iesu.

Esse autem determinatas ædes pro hospitibus, rationi congruit, vt scilicet particularibus demonstrationibus, extra communitatem, recipi possint, conceditur enim aliquantò hilarius excipi, ieiunij rigorem laxari, silentij fræna remitti, quæ commodius in particulari loco præstantur, non quod ad communem mensam non admittantur, hoc enim nefas reputaretur, sed quia, statuta hospitia pro ipsis solis reseruantur, ne aduenientibus hospitibus, incolas incommodari oporteat, vel ipsos, cællarum inquisitione turbari, vel detineri. Hinc S. Pacomius alibi à nobis relatus, dicebat. *Idcirco credidi, esse commodius, vt superuenientes Fratres seorsum susciperentur, in honore maximo constituti. lib.1. Vit. patr. cap.33.*

Hospites in locis particularibus recipiantur.

STATVTVM VII.

In singulis Prouincijs aliquæ Infirmariæ erigantur, infirmarijs, aromatarijs, alijsq; seruitorib. peritis, ac charitatiuis instructæ, in quibus infirmi fratres omnibus charitatis obsequijs curentur, &c.

Superiores, & Fratres, quotidie eos visitent, &c. Negligentes moneant, puniant.

Hoc præceptum est sub mortali obligans. *Clem. exiui de verborum signif. in 6. item quia propterea*, colligitur ex verbis Regulæ *c. 6. Si quis eorum in infirmitatem ceciderit, alij Fratres debent ei seruire, sicut vellent sibi seruiri.* verbum enim, *debent*, præceptum importat, vt idem Clemen. v. declarauit, loco citato. *Infirmorum cura, sub m. obligat.*

Super quos autem cadat hoc præceptum, An super Superiores, an super subditos, an super vtrosque, an omnes, vel aliquos, examinandum est.

Dico primò, Prouincialis, & post illum Superiores locales, principaliter infirmorum curæ tenentur intendere. Ille quidem triplici præcepto regulæ *c. 4. Pro necessitatibus infirmorum, etc. solicitam curam gerant.* & hoc *c. 6. Si quis eorum in infirmitatem ceciderit, alij fratres debent ei seruire, etc.* & diuino, naturalique quoad proximi, nostrumque fratrum necessitatibus adesse debemus. *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Isti autem, & presenti mandato, & obligatione naturali, quod præcipuè Superiores obligat, *Cordub. q. vlt. in c. 6. regulæ*, qui citat *Hugonem, speculum, et communiter Expositores.* *Præcipuè Prouinciales, et Guardianos.*

Dico secundò, Superiores præfati non omnes, semper, & eodem modo debent seruire infirmis, sed gradatim, & secundum suum officium. Prouinciales tenentur in capitulo, vel congregatione, conuentus destinare pro infirmarijs, fratres peritos, & charitatiuos ad infirmorum seruitium in illis destinare, in visitatione diligenter quærere quomodo infirmi tractentur: defectus tum in obsequio, tum in prouisionibus si quos inueniant, rigidè emendare, illosq; in decursu visitationis personaliter inuisere, & consolari. Sæpius autem, si in conuentu, vbi infirmi curentur, longiorem moram trahant. Quinimò in statut. papal. *Iul. 2. vlt.* precipitur. *custos autem in quolibet conuentu suæ custodiæ deputet vnum fratrem, qui eius absentia infirmos visitet frequenter, et Guardianum, et infirmarium prout viderit expedire, sollicitet, ita vt benè prouideatur, et seruiatur infirmis.* Guardiani sollicitudinem maiorem habere debent, vt potè inspectores oculati, eorum, quæ in conuentibus geruntur, quotidiè infirmos inuisere debent, & necessaria secundum possibilitatem ministrare. Negligêtes infirmarios, & seruitores salutarib. pœnitentijs afficere. Ita statuta presentia, & antiquiora Iul. 2. *c. 6. p. 27.* Salmanticen. *c. 6.* vbi aiunt, *Declaramus prædictos Ministros, et Custodes per alios infirmorum seruitio deputatos, hoc regulæ adimplere precepum.* Neapol. *c. 15. infirmorum omnes Guardiani diligentissimam curam habeant, nec quidquam eorum quę superindè, et statutis, et constitutionibus quibusuis præscripta sunt, prætermittant vlla ratione. Rom.* 1612. *tit. de infir. Tolet.* 1633. *tit. de obser. regul. §. super omnia.* vbi multa ad curam infirmorum spectantia statuuntur. *Quomodo Superiores teneantur.*

Dico tertiò, Infirmarij, ac Socij, quibus ex officio incumbit seruire infirmis, peccant mortaliter, si suo officio notabiliter desunt. Tota enim obligatio regulę in ipso collocatur, quia Superiores tenentur ipsos eligere, ac destinare, & postquam elegerint, si aliunde non constet, ipsos non seruire infirmis, conscientia ipsorum tuta est, & libera à transgressione regulę. Itaquè tota obligatio in ipsis residet: peccant autem mortaliter, si infirmis non seruiant, sicut vellent sibi seruiri, vt optimè discurrit *Corduba* citatus, debet autem hoc desiderium regulari secundum rationem, quia si febricitans vellet sibi aquam, & gustui conducentia ministrari, quæ sanitati sunt noxia, Infirmarius non debet infirmo talia petenti concedere: esset enim illum offendere, vt faciebat quidā bonus *Infirmarij grauissimè obligantur.*

frater qui infirmo ad comedendum grossos bolos scindebat,& percuntatus cur ita? *quia* (inquit) *sic vellem mihi seruiri.* vnctio autem charitatis, quę omnium bonorum est artifex, docebit quid circa infirmos præstare debeat. B. Iuniperus Sui pedem truncauit, vt ministraret infirmo, illum desideranti. S. Pater Franciscus cum debili, ac languēti fratre, de nocte, & ipse comedit, & alios comedere iussit, vt infirmū ad comedendū incitaret. *Nescit charitas* (inquit *Hugo de Dina in fin. c.6.*) *occultare quod habet, sed liberaliter communicat, & exponit, consilium, & subsidium deuotè impendit, nequè Fratri se subtrahit indigenti ; amor autem priuatus omnem impedit charitatem, et res, quibus vtuntur inordinatè, diligunt, nec corpus labori, nec res vt charitas exigit, propter fratres libenter exponunt ; at serui Dei charitati firmiter inhærent, eamq; nutrire in se, & in alys student, quia est legis plenitudo, & in ordine isto quasi singulare vsq; hodie infertur habuisse primatum.*

Omnes fratres infirmis seruire debent, & quando.

Dico quartò, Omnes Fratres (si Superiores negligant, si infirmarij desint) sub mortali tenentur seruire infirmis, extra hos casus, nequaquam. Do rationem *Cordubæ.* hoc est præceptū affirmatiuū, quod non obligat semper, & ad semper. sed pro loco, & tempore. vnde quando alij infirmis ministrant, alij non tenentur: visitare autem ægrotos iubentur in omnibus statutis generalibus, in quibus de infirmis præscribitur, præcipuè in papal. *Iul. 2. p. vlt. Ad crebram consolationē, & visitationem infirmorum inducantur etiam aly fratres ibidem commorantes, iuxta rationabile desiderium, vel necessitatem dictorum infirmorum, & prælatorum arbitrium, nisi pestilentes, vel contagioso morbo percussi, vel infecti fuerint. quibus tunc, debito modo, sine aliorum infectione, & periculo ad partem prouideatur.*

Nulla pro visitādis infirmis necessaria licentia.

Nulla quidem requiritur Superioris licentia ad visitandos ægrotos, charitate ipsa licentiam concedente : grandem enim occupationem sibi Superiores arriperent, si in conuentib. magnis, vbi viginti, vel 30. vel sæpiùs vltrà, reperiuntur ægroti, qui ex tota Prouincia ibi confluunt quilibet frater pro visitandis infirmis, licentiam petere deberet. Quinimò ex statuto coguntur sæpiùs illos visitare, & ex praxi scio, post vesperas omnes fratres in infirmaria S. Fr. Romæ quotidiè visitare infirmos, nunc hos, nunc illos, ijsq; varia charitatis argumenta præbere &c. pro Sæcularibus quidem licentia petitur, nō pro fratribus eiusdem domus, qui sciunt quo tempore visitandi sint, & qua hora à visitatione cessandum, Vt charitati parcatur, ne plus nimio occupentur infirmi.

Infirmi contenti sint honestis seruitys.

Dico 5. Infirmi contenti esse debent seruitijs suo statui conuenientibus, nec si aliquid, quod diuitibus præstò esset, illis non ministraretur conturbari debent, nec Superiores tenentur prouidere nostris infirmis, nisi secundum statum pauperem. Stultus esset pauper, si à suis pauperibus more diuitum tractari vellet; ergo multò magis hoc præstari debet à nobis, qui sumus pauperes voluntarij. Ita *Corduba,* qui citat *Io. Philippum, & c. 10. regulæ,* vbi dicitur. *Habere humilitatem, & patientiam in infirmitatibus.* Quo conceptu, & verbis Iulius II. conclusit. *c.6. suorum statutorum.* Appono verba S.P.N. in prima regula. *Si autem turbabitur, siuè irascetur contra Deum, siue contra fratres, vel si fortè postulauerit medicinas, nimis desiderans liberare carnem citò morituram, quæ est animæ inimica : à malo sibi euenit, & carnalis est, & non videtur esse de fratribus, quia plus diligit corpus, quàm animam.* & S. Bonauentura. *Cauere (inquit) debet infirmus, ne superfluitate sua, vel impatientia, sibi seruientem contristet.*

De

De infirmorum seruicio, cura, visitatione multæ leguntur sacræ scripturæ sententiæ, sanctorumq; authoritates, & exempla. Ecclesiastici 7.nu.28. *Nec te pigeat visitare infirmũ, ex his enim in dilectione firmaberis, & Matt.25. Infirmus fui, & visitastis me*. Quare inter opera misericordiæ collocatur. & vt nos illud exerceamus, exercere voluit priùs Deus, & Christus: Nam *psal.* 40. *Beatus, qui intelligit super egenum, & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. Dominus opem ferat illi super lectum, doloris eius, vniuersum stratum eius versasti in infirmitate eius*. quæ sunt propria infirmariorum munera. *Lectus doloris infirmitas est carnis*, ait *August. Ab omni ægrotatione liberabit, & in bonam corporis valetudinem morbum immutabit*, inquit *Theodoretus. Stratum omne versat Dominus in infirmitate languentis, cui adesse dignatur*, inquit Ambros. Christus etiam dominus noster infirmos visitauit, Socrum Simonis *Luc*.4.Lazarum *Io*. 11. paraliticos, cœcos, claudos, in piscina, &c. Quo autem modo curandi, & visitandi sint infirmi docet S. *Dorotheus doct* 14. *Qui cum scientia*, (inquit) *& cognitione ministrat, ideo ministrat, quia ægroto compatitur, quia misericordiæ visceribus mouetur: & quicumq; hunc scopum sibi statuerit, nulla in re aduersa mouebitur, non si ægrotus eum spreuerit, aut maledictis lacesserit, sed in scopum suum intentus feret omnia patientissimè, & certò credet, maiori beneficio se affici ab ægroto, quam ægrotum à se ipso. Hoc autem ignorare vos nolo, eum, qui libenter ægroto deseruiat cum cognitione, releuari mirabiliter ab animi passionibus, & diaboli impugnationibus. Noui fratrem acriter oppugnatum à fornicationis dæmone, & cum ægro ex dysenteriis deseruiret, ab hoc bello esse liberatum*. Euagrius narrat de seniore quodam magno, *quod discipulum suum huiusmodi phantasmatib. nocte oppugnatũ, hac via liberauit, indicto scilicet illi ieiunio, & ægrotorum cura*. & *doct*. 18. *Infirmos cura diligenter, & his compatere, & miserere, quò te postea fortassis ægrotante, excitet Deus aliquem, qui tibi ministret, & seruiat. In qua enim mensura mensi fueritis, remetietur, & vobis* Mat.7. Hieronim. epist.6. in 9. tom.ad amicum ægrotum. *Pars est enim proculdubio maximarum medelarum fraterni consolaminis fructus; & fomes dictorum dulcedine consolantium, leuamen fessis animis introducit*. Et inregula Monachorum Tit. de infirmis, & Peregrinis recreandis. *Si quis* (inquit) *cœperit ægrotare, transferatur ad exderam latiorem, &c. tantùm senum ministerio confoueatur, vt nec delicias vrbium, nec matris quærat affectum*. & in regula Monacharum *cap*.40.ait. *Summoperè seruetur in vobis, vt erga infirmantes sorores cum omni sollicitudine omnis exhibeatur cura hospitalitatis, & præbeantur integrè totius pietatis obsequia. Si desunt necessaria, vendantur, quæ Monasterij sunt, ne temporale aliquod misericordiarum impediat opera. Nulla lex escæ, vel potus, aut stratus, adstringat infirmam, vel debilem. Tamen solicitè cauendum est, ne ingluuies gulositatis sub infirmitatis velamine sua commoda quærat*. B. Laurentius Iustinianus *lib.de Institutione, & regimine Prælatorum c.9. Iis* (inquit) *qui corpore infirmantur, nihil sic congruit, nihilquè sic animã eorum demulcet, quemadmodum si ipsorum verbis adhibeatur credulitas, illorumquè infirmitatibus intelligant sibi compassionem exiberi ex corde. Sæpè si circa ipsos omne studueris persoluere dilectionis obsequiũ. Si vniuersa eisdem impensius ministraueris necessaria, parùm illis fecisti: si non etiam querelis eorum, lamentationibus, eorumquè doloribus, te erga illos compassione cognouerint affectum, &c*. S. Isidorus *in regula Monach. cap*. 21. inquit

Infirmorum cura commendatur in litt. S.

Infirmi quo modo curandi.

Infirmorum cura effectu miri.

ægrotis inseruienti, dum ægrotabit, inseruietur.

Infirmis credendum ad eorum compassionem.

Cura infirmorum, sanæ Sanctæquè conuersationis viro committenda est qui pro eis sollicitudinem ferre possit, magnaquè cum industria præstò faciat, quicquid imbelicitas eorum exposcit. ipse autem sic ægrotis deseruiet, vt de sumptibus eorum vesci non præsumat. ægrotis delicatiora præbenda sunt alimenta: qui enim sani sunt, infirmos tolerare debent. Nullum oportet vel veram infirmitatem cœlare, vel falsam prætendere. S. Benedictus. *in regula c.36. Infirmorum* (ait) *cura ante omnia, & super omnia adhibenda est, vt sicut reuera Christo, ita eis seruiatur, quia ipse dixit, infirmus fui, & visitastis me. Sed & ipsi infirmi cõsiderent, in honorem Dei sibi seruiri, & non in superfluitate sua contristent fratres sibi seruientes.* &c. S. Augustin. in regula. *Lauacrum etiam corporis, cùm infirmitatis necessitas cogit, minimè denegetur, fiat tamen sine murmure, de consilio medici, itaut etiam si nolit, iubente Prælato, faciat quod faciẽdum est pro salute. Si latens est dolor in corpore, famulo Dei dicenti, quod sibi doleat, sine dubitatione credatur. ægrotantium cura siuè post ægritudinem reficiendorum, siuè aliqua imbecillitate etiam, siuè febribus laborantium, vni alicui debet iniungi, vt ipse de cœllario petat, quod cuiquè opus esse perspexerit.* His omnibus accedit canonica sanctio *c. cum ad Monasterium. de statu Monachorum. Porrò debiles, & infirmi, qui minutione indigent, vel aliqua medicina, non seorsum in cameris, sed omnes in infirmitorio, quæ necessaria fuerint, sibi tam in carnibus, quàm in alijs recipiant competenter.* Ita Ionoc. 111.

Infirmis credendũ in ipsorum cura.

Addo vnum, aut alterum exemplum. Refert *Palladius in Lausiaca Hist. c.5. seu sect.6.* S. Macharium, conuertisse ad meliorem frugem Virginem Alexandrinam auaram, & sordidam, fingens vendere illi velle lapides prætiosos inestimabilis valoris; & acceptis quingẽtis nummis, duxit Virginem in Ptochotrophiũ, id est ad hospitale, in quo mulieres in superiori parte, & viri in inferiori comorabantur, membris mutilati, eiquè dixit. *Ecce hyacinti ecce smaragdi, & existimo non inueniri his prætiosiores.* quibus visis, confusa, & compuncta abijt. Idem *c.26.* narrat, Eulogium Alexandrinum diuitem salutem consequutum, ob præstitum obsequium cuidam manibus, & pedibus mutilato, spatio 15. annorum, quem inueniens humi proiectum, duxit in domum suam & sancito voto, *Domine propter nomen tuum accipio hunc mutilatum, & eum me recreaturum, & refecturum spondeo, vsquè ad horam mortis eius, vt ego quoquè per eum saluus fiam.* Tentatum autem à Diabolo mutilatum, & impatienti auersione, ac multis opprobrijs Eulogium impetentem, ac discedere volentem, duxit ad Magnum Antonium, qui eosdem confortans domum simul remisit, dicens. *Si veniens Angelus non inuenerit vos in eodem loco, futurum est, vt coronis priuemini.* Regressi autem, post 15. dies obijt Eulogius, & post tres mutilatus, ambo æternitatis candidati. Huic similis est leprosi curatio facta à S.P.F. quem impatientem, blasphemum, & nonminus anima, quam carne fœdatum, sua mira patientia, & ardenti charitate, & à lepra, & à maculis animæ mundauit, itaut parùm post à mortalitate ad gloriam transierit. Nec mirùm, quia charitatis opera ad æternitatem aditum parant.

Miraculum curationis infirmi.

CAPVT VII.

Regulæ, & Constitutionum.

De Confessarijs, & Confessionibus.

STATVTVM I.

Fratrum Confessiones non audire, nisi proprij Sacerdotes, id est Generalis, Prouinciales, & Guardiani: Aut à Generali, vel Prouincialibus ritè approbati.

Circa hoc breuiter examinanda sunt. Quis sit proprius Sacerdos. An Guardiani sint proprij Sacerdotes de iure, An Custodes, An Visitatores, & Commissarij. An possimus aliquando intra ordinem alijs confiteri. An extra ordinem. Quis habeat facultatem sibi Confessarium eligendi. Quomodo approbandus sit Confessarius. An approbatus in vna Prouincia possit audire confessiones, vel hospitum, vel extra suam Prouinciam. An posita distinctione, inter Obseruantes, & Reformatos, approbatus in vna, possit excipere confessiones in alia, vel ex incidenti, vel data opera. An præscribentibus statutis, quod confessiones in tali loco audiantur, sint inualidæ, si secus fiat.

Prima Quæstio, Quis sit proprius Sacerdos?

Respondeo, ille qui à iure habet iurisdictionem absoluendi, & ligandi. *cap. Omnis vtriusquè sexus. de pænit. & remiss.* Ibi enim præcipitur omnibus fidelibus, vt semel in anno proprio Sacerdoti confiteantur, & non alieno, qui non potest absoluere, vel ligare. Dixi à iure, quia, aliqui ex delegatione Ordinariorum possunt etiam confessiones excipere. At in iure isti non dicuntur proprij Sacerdotes. *Sacerdos proprius, quis.*

Et relictis Summo Pontifice, Primatibus, Metropolitis, Episcopis, Parochis, Cardinalibus, Legatis à latere, qui sunt Ordinarij, vel in tota Ecclesia, vel in suis Diœcesibus, vel in sua Prouincia, vel Familia, de quibus *Syluester V. Confessor primo, num.* 23. descendendo ad Regulares, Proprius eorum. Sacerdos est. Primò, Generalis, & inter nos etiam Commissarius Generalis Secundò, Prouinciales. Tertiò, Superiores locales, quia illi ex officio habent curam animarum, cui necessariò est adiuncta iurisdictio in vtroquè foro. Sunt autem omnes isti, immediati Ordinarij Fratrum, differentes solùm secundum maiorem, vel minorem vniuersalitatem, quia Generalis in toto ordine, Prouincialis in tota Prouincia, Guardianus in toto conuentu. Vide *Suar. tom. 4. in 3. p. ar. S. Th. disput.* 25.

disput.25.sect.2.à n.1.ad 12.Quatuor Magistri in c.7.regulæ. colligunt hanc iurisdictionem ex verbis regulæ. *Si qui Fratrum, &c. Ex regula datur Ministris cura animarum Fratrum.S.Bonauentura in idem c.7.* In illud. *Ipsi verò Ministri si presbyteri sunt,&c.*ait.*Quod regulariter est tenendum, cum habeant curam animarum, & per consequens debeant vultus pecorum suorum cognoscere, & in fide,& moribus ordinare.*Idem *Hugo de Dina* ibid.

Iurisdictio Ordinaria, vel delegata.

Dixi iurisdictionem, quia sola potestas ordinis non sufficit ad constituendum proprium Sacerdotem:Nam nisi habeat iurisdictionem,vel ordinariam supradictam, vel delegatam à supradictis, confessiones auscultare non potest. *Triden.Sess. 23.c.15.de refor. & Sess.14.c.6. & can.9.* vbi huius doctrinæ fundamentum struitur,nimirùm,confessio est actus iudicialis,confessarius est iudex,& pœnitens est reus.Nemo autem potest iudicare, nisi sibi subditum,& in quem habeat iurisdictionem, vel ordinariam, vel delegatam.In susceptione autem ordinis recipitur quidem potestas in corpus reale Christi, non tamen in corpus mysticum, quod est populus, & subditi.Est communis doctrina. Legantur *Rodrig. in explicatione Bullæ Cruciatæ.fol. 80. & tom.1.quæst.regul. quæst. 59. artic. 1.Vasquez in 3.part.tom. 3. distint. 219. Reginaldus in praxi lib. 1. num.169. Sanchez de matr.libr. 3.disputat.32. & 39.Coninch.de sac. tom.2. disputat. 8. Belloch. de cas. reser.quæstion.8. n.62. & alij omnes Summistæ, & Theologi.* Hinc statutis Salmanticen. c.7. sancitur. *Si quis autem ausus fuerit affirmare, quod quilibet Sacerdos possit absoluere à peccato,super quo non habet commissam authoritatem,tanquam errans,& subuersor carceri mancipetur.*

Guardiani sunt proprij Sacerdotes, ex iure.

Quæstio secunda, An Guardiani sint proprij Sacerdotes de iure, an ex statuto ordinis. Et quod ex statuto,videntur innuere verba illa, *De quorum numero etiam Guardiani censentur.*Hæc enim explicatio addita est ad ambiguitatem tollendam. *Et Rodr.to.1. q.12. ar.4.*recitat ex *Corduba*,declaratum fuisse in generali Capitulo Florentino. *Quod nomine Prælati intelligitur Generalis, Prouincialis, Custos,& Guardianus.* Sixt.Quart.*Bulla 14. in bullario Rodrig. fol. 148. Regimini vniuersalis Ecclesiæ.n. 3. 12.* & Clemen. IV. declarauisse Guardianos esse verè Prælatos. At non sequitur, est Prælatus, ergo potest auscultare confessiones, quia, vt dicemus, Custos est Prælatus, confessionem autem auscultare non potest?

Respondeo tamen. Authoritatem Guardianorum,quoad auscultandas confessiones,esse ordinariam,& de iure, non ex priuilegio: Patet ex Superiori doctrina,quia habent curam animarum, non ex delegatione, sed ex electione. Et esto,quod per priuilegia absoluant, cum hæc priuilegia sint perpetua, inducunt iurisdictionem ordinariam,vt doctè *Rodrig. supra art. 11.* Sunt enim Guardiani veluti Parochi,& Archipresbyteri.

Quæstio tertia, An Custodes in nostra Seraphica Religione sint proprij Sacerdotes in suis custodijs?

Custodes nō sunt ordinarij Sacerdotes.

Respondeo negatiuè,quià non habent subditos. Archidiac.in *cap.perlectis. distint.25. & Panorm.in cap. omnis.de pœniten.& rem. Siluest.V. Confessor.1.quæstio. 5.* differunt enim ferè omnes nostri Custodes à Custodibus, qui erant antiquitus, & nunc in Conuentualibus, & Cappuccinis, & in aliquibus paucis nostris Prouincijs perseuerant. Illi enim habebant curam suæ custodiæ. Isti vero non habent nisi merum officium suffragandi in Capitulo generali, & diffinitorijs

ritorijs suæ Prouinciç. Et quidem de antiquis declarauit Gregor. IX. *Articulo quinto, declarat. regulæ. Nisi* (inquit) *Fratres, Ministris, aut Custodibus suis ad loca eorum declinantibus maluerint confiteri*. Quod ad verbum replicauit Innocen. IV. super eandem regulam in *firmam. part. 4. pag. 3. & 4.*

Dices, infra in his statutis, quæ commentamur, Titulo de Absolutione ab excommunicatione ob violentam manuum iniectionem dicitur. *Possit Custos, vel Guardianus absoluere, si Ministri, aut Custodis præsentia infra triduum haberi non possit*. Ergo est Ordinarius quoad principaliorem casum Sedi Apostolicæ reseruatum?

Respondeo, vel hic est casus vnicus, & singularis, quem non licet extendere. Vel sermo est de Custode reformatorum, qui erat Prælatus. Vel retenta est forma loquendi antiquorum statutorum. Cum verè nunc iurisdictionem non habeant, & standum est modernis iuribus; ve loquitur de illis Prouincijs, in quibus remanserant adhuc Custodes, vt colligitur ex *Cord. q. 4. in c. 7. §. Ideo vbi habentur Custodes* Remanserunt enim aliquot Prouinciæ cum antiquis Custodibus, & de his secundum literam intelligi potest statutum. An autem cum hoc solo sint dicendi Prælati, alias diximus. Lege *Hieronym. Rodr. resolut. 49. n. 7.* Vbi retractationem Roderici adducit, & citat *Portel, & Mirandam.*

Quæstio quarta, An Commissarij Visitatores, ad particulares Prouincias destinati, sint Proprij Sacerdotes?

Responeo Affirmatiuè, Quia habent plenariam iurisdictionem super totam Prouinciam, vnde cum plenitudine potestatis expediri vsus obtinuit. Et per statuta generalia Salmaticensia *cap. 10.* declarantur, non delegati, sed *legati, aut extraordinarij*, quia ad vniuersitatem causarum expediuntur. Licet in praxi criminali, ædita pro toto ordine nostro, *Tit. de Iudice*, hos Visitatores inter delegatos recensuerim, quia verè delegati sunt, sed ad omnes causas: vnde in fine visitationis absoluunt Fratres à censuris, & cum eis dispensant. Et in iure cautum est, Legatos Papæ, & Vicarios Episcoporum habere iurisdictionem in foro conscientiç. *Siluest. citat. n. 2. §. Secundo Legatus.* qui tamen habent delegatam authoritatem; & licet non possint Confessores instituere, iuxta prohibitionem ordinis, infra in his statutis, & alibi. & tradita per *Rodr. to. 1. q. 51. ar. 1. Mirand. to. 2. §. 15. ar. 3. Portel V. Commissarius Prouinciæ in Addit. n. 3.* hoc non facit, vt ipsi non possint subditorum confessiones recipere: & sic in praxi obseruatur, & declarauit Six. 4. apud *Rod. fol. 149. bull. 14. n. 13. & 14.* de Commissarijs autem generalibus, in Capitulo generali electis, nulli dubium est, quod hanc facultatē habeant, quia ex bulla Leon. *X. ite, & vos.* sunt verè Prælati, & habent ordinariam authoritatem in sua familia. Sicuti & Comissarij Curiæ in suos subditos, Vt infra dicemus *Rodr. tom. 1. quæst. 53. ar. 3. Mirand. tom. 2. quæst. 13. art. 5.*

Commissarij visitatores sunt ordinarij.

Quæstio quinta, An possimus aliquando intra ordinem alijs confiteri?

Respondeo affirmatiuè. Illis nimirùm, quibus Generalis, vel Prouinciales hoc munus delegauerint, Quinimò Clemen. VIII. in Constitutione de casibus reseruatis, prohibet Prælatis, ne subditorum confessiones excipiant, nisi spontè ad illos accurrere volentium. Quare de iure institui debent Confessarij alij à Superioribus, non solùm, qui sint Pœnitentiarij, sed etiam, qui ordinariè confessiones audiant: Vt taceam laxitatem Religionis, & immensam multitudinem Fratrum, qui ægrè à solis Prælatis audiri possent. Hæc conclusio procedit

Possumus etiam confiteri delegatis.

cedit de peccatis mortalibus,quæ necessariò subijci debent Prælatis,vel ab ipsis facultatem habentib.Nam de venialibus possumus confiteri cuicumq;sacerdoti simplici etiã non approbato ad audiendas confessiones,Quia hæc non sunt materia necessaria Sacramenti Pœnitentiæ,nec ea confiteri tenetur,ac propterea, clauium iurisdictionem non supponunt: Vnde Ecclesia tacita concessione permittit tales ab omnibus absolui. Videatur *Coriolanus de casibus reser.p.1.sect. 3. ar.4.qui Caietanum, Nauarrum, Sotum, & alios* adducit contendentes de ratione,quare à venialibus,à quolibet Sacerdote absolui possumus, quæ sunt a nobis suprà recensitæ.

Venialia etiam nõ approbatis.

Quæst.6.An possumus extra ordinem,vel Religiosis,vel Secularibus cõfiteri?

Respondeo, In casu necessitatis possumus, præcipuè si sit mortis articulus. Tridentinum *sess.14.cap.7.Nulla est reseruatio in Articulo mortis,atq;adeo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes, à quibuisuis peccati, & censuris absoluere possunt.* in cuius margine antiquiora iura citantur. Hinc statutum. *Confiteri extra ordinem,præterquam in necessitatis articulo,& tunc de Superioris licentia, Apostolicis constitutionibus prohibetur.* Constitutiones autem istæ sunt apud *Compendium priuil.V.Priuilegium.& V.Confessio,*nimirum Clem.IIII.Sisti.IIII. & Bonifac. VIII.qui dicit.*Inhibemus vniuersis fratribus vestri ordinis, ne aliquis eorum, nisi in necessitatis articulo, alijs, quam Prælatis suis peccata sua confiteri præsumant, vel alijs, Sacerdotibus eiusdem ordinis, secundum regulæ, & ipsius ordinis statuta.* Quod sanxerunt statuta Papalia *Iul. 2. c. 7. part. 6.* Quinimò, si de reseruatis agatur, peccantes, ab alijs, quam a fratribus ordinis absolui non possunt; ait enim Regula. *Si qui fratrum instigante inimico mortaliter peccauerit, pro illis peccatis, de quibus ordinatum fuerit inter fratres, vt recurratur ad solos Ministros Prouinciales.&c.Si verò Presbyteri non sunt, iniungi faciant per alios sacerdotes ordinis.*Et in hunc sensum explicãt *Hugo de Dina,Pisanus,qui citat Bonifac.*VIII. a nobis supra relatum.*Corduba in summario c.7.Miranda in reg.in reg.c.93.Politius, & alij.* Licet *Cordub.q.3.in c.7.* non putet vetitum esse Ministris per regulam posse delegare absolutionem reseruatorũ extra ordinem,quia in regula solum prohibetur delegatio reseruatorum publicorum, & pro foro exteriori, vt declararunt Greg.VIII.& Inn.IIII.atq;adeo si non obstarent apostolicę constitutiones,etiam nunc possent:& de censuris affirmatiuè tenet.

Etiã extra ordinem in casu necessitatis.

Casus autem necessitatis sunt, Primus, si reperiatur in terris infidelium, vbi nostri ordinis sacerdotes non reperiantur. 2. si necessitetur celebrare, alias scãdalum sequeretur.*Portel.V.Confessor regularis num.*12. 3. Non solum in mortis articulo, sed etiam in probabili periculo mortis, putà si timeretur Hostis, Prædo,crudelitas Potentis, tempestas, minus prospera nauigatio, transitus per itinera periculosa,& insidijs obnoxia: Hæc enim ad articulum mortis reducuntur,& boni viri iudicio determinari debent. *Sylu.V. Absol.*1. *num.* 8. vbi citat *Innoc.Host.S.Thomam,& alios.*4. Esse potest, si vrgeatur periculosis tentationibus, & muniri se existimet peccatorum confessione, ne cadat in peius *Arg.c. fin.de præscript.* ageret enim contra conscientiam: Tunc enim alijs extra ordinem confiteri posset,cum non minus,imò maius, sit periculum animæ, quam corporis.In his siquidem,& similibus casibus,non tantùm concessionibus apostolicis,& ordinis,verũ etiam diuino iure vti possumus, ac naturali. In quo laudo doctrinam *P.Cypriani Cappuccini lect.3. in c.7.Regulæ, & P.Ldou.à Cruce in*

Necessitatis casus, qui.

Bull. Cruc. disp.1.cap.2.dub.23. initio. Vbi multos citant authores, vocantquè communẽ: Qua probant, antiquitus liberum fuisse cuilibet fideli, cuilibet sacerdoti cõfiteri, ex *c. placuit.de pœnit.d.5.c.si quis Monachus. c.doctos 16.q.1.& seqq.S.Anton.3.p. tit.17.c.4. contra Suar. tom.4.in 3.p.disp. 24.sect. 2.& alios.* Quia Christus liberum instituit sacramentũ pœnitentiæ. Postmodũ autem fuit restricta authoritas Sacerdotum, vt illam non exercerent, nisi in quos iurisdictionem iuridicam haberent, non voluntariam pœnitentium, se spontè alicui subijcentium, Quare in casu necessitatis diuina, etiam indulgentia vtimur.

Cuilibet cõfiteri, antiquitus concessum fuit.

Licentia verò Superioris, requisita ad confitendum extra ordinem, sufficit si fuerit generalis; sufficit etiam præsumpta. *Rodriq. tom.1.q.62.art.5. Angles, Silu. Miranda apud Hier. Roder. resol.31. nu.22.* Et licet subditus malitiosè noluisset, discedens à Prælati præsentia, talem licentiam petere, constitutus tamen in vera necessitate, adhuc legis concessione vti poterit, quia præterita malitia non facit, vt præsens necessitas non sit necessitas. Quinimò in licentia itinerandi implicitè continetur licentia confitendi extra ordinem, in casibus à iure permissis. *Mir. tom.2.quæst.36.art.6. Casarubios V. Absolutio ord. quoad fratres §.23. & 55. Lezan.tom.1.cap.18.nu.27.*

Licentia generalis, & præsumpta sufficit.

Sed qui Prælati possint hanc licentiam concedere.

Respondeo de Generalibus, & Prouincialibus certum est, præcipuè quoad casus reseruatos, qui illis tantum committuntur. De Guardianis autem puto etiam intelligi, quia statutum ait. *De Superioris licentia.* Guardianus etiam est Superior, & quod hæc sit mens statuti, probatur ex antecedenti. *Omnes Fratres Guardianis suis, aut Superioribus Prælatis, confiteri teneantur.* Igitur Guardiani sunt illi, quibus præcipuè Fratrum suorum confessiones committuntur. Et fauet ratio, quia Guardiani sunt Curati, & Parochi Fratrum; Parochi autem possunt concedere suis subditis licentiam confitendi, alteri Sacerdoti. *cap.omnis. de pœnit. & remis.* Ergo etiam Guardiani, & verè graue nimis esset, si discessurus Frater, hanc licentiam petere vellet à Prouinciali, multas leucas distante. Et sic seruatur in praxi.

Qui Superiores possunt licentiam concedere, confitendi extra ordinem.

Quæstio septima, Qui possunt sibi Confessarium independenter ab alijs, diligere?

Respondeo ex *c. ne pro dilatione. de pœnit. & remis. Episcopi,& alij Superiores, nec non minores Prælati exempti, præter sui Superioris licentiam, prouidum, & discretum sibi possunt eligere Confessorẽ.* Inter Prælatos exemptos numerantur Generalis, Prouinciales, Commissarij Visitatores, Superiores Locales, Cõmissarij, & Procuratores Curiæ Romanę. *S. Anton.3.par.tit.17.c.2.§.3. Siluest. Confess.1. §.8.Palud.in 4.Margarita Confess. Rosella Confess.3.§.17.Supplem.eod. §.14.Rod.tom.1.quæst.20.ar.29.Adde Dian.tom.3. tract.2.de dub. regul. resol.1. & 3. Sà V. Confessor.num.1.Suar.tom.4.in 3.part.disp.27.sect. 2. Ludouic. à Cruce in Bullam Cruciatæ disputat.1.capitu.2. dubio 26. numer. 6.* Et non solùm in Conuentu, vel iurisdictione, verùm etiam extrà. Et possunt subditorum confessiones audire, quia priuilegium est personale, non locale. Nec requiritur, quod talis Confessarius electus sit ex approbatis, quia id textus non dicit, sed possunt eligere non approbatũ, approbatur enim per ipsam electionem, aliàs nõ esset differentia inter Superiorem, & subditũ. Hanc opinionẽ dicit communẽ *Coriol.p.1.sect.1.art.21. num.4.5.6. & citat Anton. Gabrielem,*

Qui possint sibi comissarium deligere.

Etiam non approbatũ.

Adrian.

Adrian. Palud. Syluestrum, Sotum. Et Compendium priuil. V. ab solutio quoad Fratres. Annotation. Cappuccini. Adde *Peirin. tom. 1. priuil. in constitut. 4. Sixti IV. Lezan. tom. 1. cap. 18. num.* 81. Optimè, à quadam prætensa declaratione Concilij à Barbosa producta, se expediens. contrarium tenet *Rod. tom. 1. quæst. 62. art. 4. Ludouicus à Cruce in Bullam Cruciatæ, disputat. 1. cap. 2. dub. 16. num. 12. & infra, & dub. 23. per totum. vbi num. 4. conclus. 1. citat Azor. Suar. Vasquez: Et totus est in decreto Concil. Tridentin. Sess. 25. capit.* 15. Sed non loquitur de Regularium, sed Sæcularium confessionibus. præterquam, quod ly, *Idoneum*, vult esse ex iudicio Episcopi, cùm concilium supponat idoneum ex *c. fin. de pœnit.* Erat autem tunc sine tali iudicio, nunc autem examinari, vel approbari debet, sed non respectu, eorum qui sunt priuilegiati in corpore iuris, cur nõ derogat. *Portel. V. Confessor. Regul. n.* 14. idem sentit, & extendit istam facultatem *art.* 14. Etiam ad Vicarios conuentum, non quidem ex vi *c. Ne pro dilatione*, sed consuetudinis. Istam tamen consuetudinem in ordine nostro nõ video Possent tamen, si essent Vicarij, absolutè conuentum regentes, in absentia, vel morte Guardianorum, quia tunc sunt Prelati. Quod autem ait *ar.* 23. Guardianos posse absolui a confessarios, abs se electo, etiam a reseruatis per priuilegium Eugen. IV. concedentis Generali, Prouincialibus, & Prioribus Carmelitis authoritatem Pœnitentiariorum D. Papæ; & Pij V. extendentis facultatem factam Episcopis *Sess 24. c. 6.* ad Generalem, Prouinciales, & Priores Conuentuales Sancti Dominici, atquè ex alio principio, *Quod scilicet sibi applicare possunt, quod alijs administrant;* Infert suum intentum ex *Caietano, Rodriguez, & Compendio Priuileg. &c.* Non probo, quia est contra Regulam hoc cap. 7. alijs verbis. *Teneantur prædicti Fratres ad eos recurrere, &c.* Et tanquam præceptum recensetur a Clemen. V. Est etiam contra statuta ordinis, quæ allata verba etiam de casibus reseruatis occultis interpræ- tantur, & ipso facto excommunicant præsumentem absoluere sine legitima facultate. Tandem obuiat Constitutio Clemen. VIII. de casuum reseruatione, in qua præcipit Superiorib. vt duos aut plures Pœnitentiarios in conuentibus deputent, qui a reseruatis absoluant. Nomine autem Superiorum hic non veniunt Guardiani, sed Generales, & Prouinciales vt statuta generalia declarant. Et fauet praxis in contrarium, optima legum interpres. *l. de quib. & l. minimè. ff. etiam de leg. c. Ecc. d. 12. & c. cum dicitur de consu.* sic sensit *Rod. to. 1. q. 62. ar. 5. & q. 21. ar. 8. suus collect. reso. 31. n. 22. cum Angles, & Syluest. citat. à Rodr. & Miran. ab ipso.* Et fundamentum est, quia côncedens licentiam eligendi confessarium, & nihil aliud addendo, non censetur concedere facultatem, qua possit à reseruatis absolui, quia *In concessione generali, non veniunt ea, quæ speciali indigent declaratione, quaquè Prælatus non esset, verisimiliter in specie concessurus. de regul. Iur. in 6. cap. in Generali.* At nullus cordatus Superior concederet, aliquos absolui posse a reseruatis, etiam a Sacerdote Sæculari, Cum reseruatio casuum tantæ sit considerationis. Priuilegia autem allegata, cum hac restrictione accipienda sunt.

Consuetudo optima legũ interpres.

In generali concessione non veniunt specialia.

Quæstio octaua, Confessarius quomodo sit approbandus?

Confessarius quomodo est approbandus.

Respondeo approbandum suppono, non tantum quoad Sæculares ex Tridentino Sess. 25. cap. 15. de reform. sed etiam quoad Regulares, a proprijs Superioribus. Ratio est, quia alij præter Prælatos, Ordinarijs non sunt, & sic delegari debent, & approbari. Sic Clemen. IV. in Mari magno. *Ne aliquis ipsorũ (Fratrũ)*

nisi

nisi necessitatis vrgente periculo, seu articulo, alijs, quàm Prælatis suis, peccata sua confiteri præsumant, vel alijs eiusdem Ordinis Sacerdotibus, nisi secundum regulam, & Ordinis instituta. Et Bonifac. VIII. *cap. si Episcopus. de pœnit. & rem. in 6. Nulla possit consuetudine introduci, quod aliquis, præter sui Superioris licentiam, Confessorem sibi eligere valeat, qui eum possit absoluere, vel ligare.*

Modus autem approbandi Confessarios est, vt *Eligantur in capitulo generali, vel prouinciali, aliquot graues, & periti ex Fratribus cuiuslibet Prouinciæ saltem tres, qui admittendos ad prædicationem verbi Dei, vel ad audiendas confessiones, etiam ipsorum Fratrum, ac Lectores publicos, diligenter simul examinent, priusquam probentur, & ad huiusmodi ministeria admittantur.* decreuit Clemen. VIII. *de reformat regul. num.* 37. Et de Fratribus strictioris obseruantiæ. Idem Clemen. VIII. in Constitut. *Pro iniuncti.* §. 7. inquit. *Quoad Prædicatores, & Confessarios examinandos, & approbandos, volumus, vt in singulis Capitulis custodialibus aliquot graues, & periti viri ex Fratribus cuiuscumque Custodiæ, saltem tres, qui vna cum Custode, admittendos ad prædicationem verbi Dei, vel audiendas confessiones, etiam ipsorum Fratrum, ac Lectores publicos, simul examinent, &c.* Propterea ordinat statutum generale. *Nulli liceat Fratrum confessiones audire, nec ad id quisquam idoneus reputetur, nisi sit Guardianus, vel à Generali, vel Prouinciali per examen idoneus iudicetur. Examen verò fiat ab ipsis Superioribus, vnà cum aliquibus idoneis, ad id specialiter assumptis, aut per Patres Diffinitorij in Capitulis prouincialibus deputatis.* Attamen post Clementem Octauum, expungenda sunt verba illa, *ad id specialiter assumptis*, Quia non possunt Prælati ad confessiones admittere sine Examinatoribus capitularibus.

Ab hac lege Generales eximandos puto, quia de ipsis specifica mentio non fit; licet enim, & ipsi teneantur confessarios à se admittendos examinare, vel examinari facere, non tamen tenentur adhibere Examinatores Prouinciæ, cum ipsi legibus Prouinciæ, non adstringantur. Et Examinatores Prouinciales pro prouincialium functionibus deligantur. Vt in simili de Prædicatoribus, & Lectoribus dictum est, & dicetur. Nec obest, quod eligi debeant in Capitulis generalibus, vel prouincialibus, quasi vtrosquè compræhendat, nam ibi sermo non est de nostris Capitulis generalibus, in quibus nunquam nec electi sunt, nec eliguntur Examinatores, sed de illis Religionibus, quæ sola generalia Capitula celebrant, in quibus per triennium Superiores, & Officiales suos instituunt, vt sunt Vallis vmbrosæ, Sanctorum Barnabæ, & Ambrosij, Cistercienses, & alij. *Generales possunt approbare confessario sine Examinatorib. lib. Prouinciæ.*

Dico etiam, examen hoc fieri debere per modum Congregationis, non sigillatim, explorato separatorum examinatorum suffragio; Quia verba illa *simul, & vnà*, alibi à nobis examinata, Congregationem important. Itaquè peccabitur grauiter si aliter fiat, etsi nullam approbationem esse, non iudicem, quia non apponitur clausula annullatiua actus. Qua ratione, peccare Superiorem affirmo, si Fratrem ad confessiones excipiendas admittat sine examinatoribus, transgreditur enim præceptum Superioris, & puniri debet; attamen approbatio erit valida, quia restrictio hæc Examinatorum, quæ vulnerat iurisdictionem ordinariam Prouincialis, non impedit, quominus Prouincialis suam authoritatem validè delegare possit, licet non legitimè. Hinc in statu- *Examinatores debent esse congregati. An solus prouincialis approbare possit confessarios.*

statutis papalib.*Iul.II.capit.9.par.4.* decernitur.*Nullus ad confessiones Fratrum, siuè Sæcularium audiendas, ab aliquo nisi à Ministro Prouinciali, vel eius Vicario, vel ab eo etiam cui commiserit &c.* vbi nulla fit examinatorum mentio. Eò vel magis si approbandus,esset persona euidenter nota quoad literaturam, vt potè clasicus Theologus, vel insignis concionator, aut Magister, &c.*Suar.tom.4.in par.3 disp.28.sect.5.n.7.*& innuitur in citato textu Concilij.*Aut.ab Episcopis per examen, si illis videbitur necessarium.Et Sess.7.capitul.13.de reformatio.*Vbi præsentatis examen iniungitur, *Electis seu nominatis ab vniuersitatibus, seu collegijs generalium studiorum exceptis.*Et est communis doctrina,*Examen in notoriè litterato non requiri*, apud *Aloysium Riccium resolut.191.fine.*quem citat, & sequitur *Barbosa de Offic. Episc.alleg.72.n.119.cum Glos.Abb. Dec.Roch.Cencd.Henriq.S.à, Vivian Vgolin. Rota, Innoc. Lamberto, Corras, Tusco,Garzia.* Non enim examen hic requiritur pro forma, sicuti requiritur in promouendis ad beneficia curata, *Tridentin. Sess.24.capit.18.* Vt multis idem *Barbosa n.120.*probat,sed tantùm ad directionem actus.

Notoriè litteratus,examinari non indiget.

Obligatio autē approbandi dignum,sub culpa mortali,patet ex ipso munere, quod committitur, quod est cura, & medicina animarum: Vnde de manu Prælati approbantis, moribus, & eruditione indignum exquireret Deus sanguinem animarum.*Nam talium ignorantia(*inquiunt Stat.Papalia *Iul.2.cap.9.part.4.)nocet confitenti:laqueus vero, & immane præcipitium est confessori.*

Ignorantes ad confessiones excipiēdas admittere, quā malum.

Quæst.9.An approbatus in vno Conuentu,vel Prouincia,possit audire confessiones hospitum,vel extra conuentum, aut Prouinciam?

Resp.1. Tantam authoritatem habet delegatus,quantam delegans, nisi aliud exprimat. *Domin.in c.fin.de off.Vicar.in 6. Rebuff.Menochius,Corset. et alij apud Sanchez disp. 34. num.2.* Igitur Confessarij approbati à Prouinciali, sine restrictione ad locum,& personas, possunt auscultare confessiones etiam extra conuentum per totam Prouinciam; Et etiam extra prouinciam, per totam Religionem,si fuerint approbati à Generali. Et hoc seruandum est in omnibus illis, qui in Capitulo, aut Congregatione prouinciali(vt moris est) approbantur, & declarantur Confessarij. *Cordub.in c.7. Regulę. q. 17.punc.3.*vbi antiquiores citat.*P.Ludouicus à Cruce in bullam Cruciatæ d.1.c.2.dub.21.per totum.*apud quem *Victoria, Sotus Henriq.Ang.Ledesma, Sanchez, Antonius Rosella, Syluester.* Et vbi declarat pro sæcularibus, *Clem. Dudum de sepulturis*, quod præsentati non absoluant extrà Diœcesim, illos nimirùm, qui diœcesis non fuerint, vel possunt, dummodò non pręsententur iuxta formam dicti c. *Bordonus resolut. 4. quæst.1.n.5.*

Delegatus habet tantam authoritatem,quantā delegans.

Respondeo 2. Si Superior declarauit, vel in tabula capitulari, vel in Visitatione, in tali conuentu hos tantùm Confessarios, & non omnes, aliàs approbatos, tunc illi nec conuentualium, nec exterorum, confessiones auscultare poterunt; Quia in eo casu iurisdictionem, & subditos illis aufert.

Approbati pro vno conuentu, prouincia, vel pro particularibus, non possunt in alios.

Verùm enimuero,si tales approbati fuerint à Capitulo,super quo Prouincialis non potest, licet per obedientiam possit prohibere, ne auscultent confessiones,tamen essent validę,accedente pęnitentis ignorantia;Quia authoritas ablata non fuit,sed impedita. Si pęnitens autem sciret impedimentum faceret confessionem nullam,non ex defectu iurisdictionis, sed quia peccare mortaliter facit

cit Confessarium. Quidquid dicat *Diana tract. 4. miscel. 4. partis resol. 21.* si conclusionem hanc intendat; quia esse paratum ad peccandum, non facit, quin sollicitans ad actum non peccet, vt causa proxima mouens ad peccandum; secùs, posset quis rogare meretricem, vt cum suo amico peccet, & in hac sollicitudine non peccare. Puto non esse contra me, quia non potest esse Confessarius expositus pro reseruatis, qui authoritatem sciatur non habere. & licet ille esset paratus ad peccandum, pęnitens ad illum, tanquam ad fontem siccum, non debet accedere.

Quæstio x. An posita distinctione Prouinciarum inter reformatos, & obseruantes, valeant confessiones, vtrinq; factæ?

Respondeo affirmatiuè ex Superiori doctrina, Quia formant vnum corpus Religionis sub vno capite, & se habent, vt diuersæ prouinciæ eiusdem religionis, ergo quod dicitur de hospitibus &c.

At, inquies, etiam hoc valebit quoad conuentuales, cum quibus vnum corpus Religionis formamus ex bulla Leonis X. *Ite & vos.* vnde nobis, & illis vnus est Generalis Minister?

Respondeo, at nunc, habent suum Generalem Ministrum, & formant corpus distinctum ab obseruantibus, ideo non par ratio. *Confessiones factæ inter obseruātes & reformatos, non valent.*

Si verò data opera suos proprios Confessarios relinquant, & his vel illis confiteantur; Dico hoc non licere, quia statuta ordinis præcipiunt, neminem confiteri posse, nisi Cōfessario à Superiore assignato. vt *Iulij 2. c. 7. par. 6. Prout in antiquis, & modernis statutis, & in mari magno cauetur, nullus frater alijs, quàm Prælatis suis peccata sua confiteri præsumat, vel alijs, quàm eiusdem ordinis Sacerdotibus, de licentia eorum, nisi in necessitatis articulo,* Et infra. *Singuli fratres, singulos determinatos, de conscientia, vel consensu Guardiani habeant Confessores.* & alia fusius infra. Salmantic. *c. 7. Singuli fratres nostri, de conscientia, & voluntate sui Guardiani, determinatos habeant Confessarios.* & §. antecedenti. *Iubibemus fratribus vniuersis, conformiter ad Constitutione Papales, ne alijs, quàm Prælatis suis, vel alijs sacerdotibus eiusdem ordinis, confiteri præsumant.* & Vallisolet. quæ commentamur. *Omnes fratres Guardianis suis, aut Superioribus Prælatis, vel alteri sacerdoti ordinis, ritè approbato, & expresso eorum concessu delecto, bis, aut sæpius in hebdomada confiteri teneatur.* Et de iter agentibus subiungitur. *Confiteri extrà ordinem, præterquam in necessitatis articulo, & tunc de Superioris licentia, apostolicis Constitutionibus, fratribus expresè prohibetur. Iter facientibus autem hæc eadem regula seruanda præscribitur, vt Guardianis ipsis confiteantur, vel alteri confessario, vt supra apposito.* De Nouitijs, ex alibi dictis, certum est, Quod *Magistro soli Nouitiorum confessiones audiendi cura committenda est,* Ex Clem. v i i i. de Institutione Nouitiorum. Qua in re *Bordonus resolut. 4. numer. 11. citat Portel. V. Nouitius num. 36.* tenentem esse nullam confessionem Nouitiorum factam alteri à Magistro. *Sed quia nō probat* (inquit) *improbatus reijcitur.* Ipse autem tenet contrarium, *Quia ordinationes Clem. v i i i. Nouitijs non obligant sub culpa.* Quod quàm falsum sit, patet tum ex §. 1. quoad receptionem iuxta formam Sixti V. tùm ex 2. vbi de ætate, & literatura. Tùm ex *tertiò* vbi de exquirendis qualitatibus. Tùm ex alijs, in quibus qualitates Magistri, & eius deputatio, eius authoritas supra Nouitios, & multa alia huiusmodi continentur, quæ certè grauem obligationem, & mortalem culpam inurunt. Et cùm

Quilibet assignato confessario confiteatur.

Bordonus reijcitur.

Decreta Clem. 8. in multis, oblī gāt sub mortali.

Bb dicat

dicat, *Magiſtro ſoli, Nouitiorum confeſſiones audiendi cura committatur*. Alij Confeſſarij ſupra Nouitios delegatam commiſſionem non habet, Et ſic nulliter abſoluunt. cuius ſi rationem Bordonus expeteret ne omninò improbatus Portel remaneat,ea eſſe poteſt ex principijs ipſiuſmet Bordoni. Iuriſdictio vel eſt ordinaria, vel commiſſa,ſeu delegata; ſupra Nouitios non habent ordinariam niſi Prælati, & commiſſam niſi Magiſter, ex decreto Clementis VIII. & falſum eſt, quod dicit *num.* 12. Confeſſarios approbatos pro fratribus, approbatos etiam eſſe pro Nouitijs,etiamſi abſq;limitatione ſint approbati,quia tum decretum Clementis, tùm ſtatuta ordinum prohibent, Nouitios confiteri alijs à Magiſtro, quomodo igitur præſumendum eſt eos approbari ad actum, quem prohibent?Ergo alij nullam habent,Quomodo igitur poſſunt abſoluere; niſi eſſet in Religione,qui ſacris prophana miſceret.

Nouitiorum confeſſiones alij à Magiſtro auſcultare non poſſunt.

Confirmatur ex conceſſione deputandi bis, aut ſemel in anno Confeſſarios extraordinarios, vt fit cum Monialibus; ergo alijs confeſſoribus hoc non eſt conceſſum, imò vetitum nec ad confeſſiones Nouitiorum admittuntur, Niſi Nouitius confiteretur confeſſarijs, ad ſæcularium confeſſiones approbatis, & frui non vellent regularium facultatibus, quia tunc eſſet alius caſus. De Iuuenibus autem profeſſis in his ſtatutis c.2 *Tit. de Seminario Clericorum*,& in Neapolitanis c.19.decernitur, *Bis in hebdomada eorum Magiſtro confiteantur*. & de his conſtans religionis praxis viget, nemini, præter Magiſtros, confiteri poſſe, Itaque cum nec Nouitij, nec Iuuenes, nec reliqui profeſſi confiteri poſſint, niſi ſacerdoti conceſſo à Prælato, clarè deducitur, neminem poſſe, data opera extra ſuam congregationem confiteri. Et quod totam rem peruincit, eſt decretum Clem.VIII. de caſuum reſeruatione, vt ſequitur, *Superiores in ſingulis domibus deputent duos, tres, aut plures confeſſarios, pro ſubditorum numero maioris,vel minoris,ijque ſint docti prudentes, & charitate præditi,qui à non reſeruatis eos abſoluant, & quibus reſeruatorum etiam abſolutio committatur*. Et ratio conſtat ex dictis in prima, & 2. quæſtione,vbi de proprio ſacerdote actum eſt. Debet enim Superior ſui Pecoris vultum agnoſcere, ac à quo vitæ Pabulum accipiat,ſcire; & ideò quilibet ſubditus tenetur ſignificare Superiori,quem medicum ſpiritualem ſibi elegerit. ergo vana iſta,ac fraudulenta (vt ita dicam) confeſſio, & iure communi, & ſpeciali vetita eſt. *Nau.in man.cap.4. num.*1. Sed vt immediatiùs ad rem deſcendamus,Primò certum eſt,poſſe ſubditum,ſine alia licentia,ex deputatis, quem maluerit, ſibi eligere, quia decretum Clementis nil aliud requirit;& cenſetur conceſſa cuilibet ſpecialis licentia, dum aliqui ſpecialiter deſtinantur,

Electum autem mutare ſine Superioris licentia, non poſſe, tenuit *Toletus ex* mente Clementis VIII.ſed cùm hoc non conſtet,de eo curandum non eſt:Puto enim optionem eſſe, & eligendi, & mutandi, dummodò in deputatis contineamur,nec eſt,cur tali vinculo arctemur,in re quę maximè libera eſſe debet,Quid. quid dicat *Coriol.*1*.p.ſect.*3*.art.*20*.n.*1.

De Iuuenibus profeſſis, nulliter confiteri, niſi ſuo Magiſtro, tenuit *Coriolanus ſupra ar.*19. ex neſcio quibuſnam oraculis, quæ nunc nihil valent. Tamen articul.21.& vltimo,1.partis, tactis rationibus,pro, & contra, num.11. reſoluit de omnibus regularibus, etiam ſtatuta in contrarium habentibus, poſſe mutare confeſſarium, & validè confiteri. Quia lex non annullat actum, licet

prohi-

prohibeat *l. non dubium. c. de legibus. Bartol. in l. Prætor ait. num. 3. ff. de noui operis nunciatione*. nec statutum potest restringere legem Papæ, in fauorem conscientiarum latam: Exponit enim tale statutum, conscientias & famam pœnitentium, multis periculis, & facit religiosos peioris conditionis omnibus Christianis, qui possunt ex approbatis quemlibet eligere. *Nau. c. d. 6. num. 28. Sotus in quarto d. 18. q. 4. ar. 2. Sorbus tit. Absolutio ord. quoad fratres. Rodrig. tom. 1. q. 62. ar. 4.* Et licet spiritualiùs viuatur, cum confessarius non mutatur, tamen vbi periculum est salutis, consulendum est libertati. Accinit Cyprianus *lect. 25. in c. 7. reg.* dicens. *Non me arbitrari vllo modo esse mortale, sed ad summum veniale, vel fortè nullum, si subsit ratio non petendi talem licentiam.* Ratio autem esse posset, vel quia non sit doctus, vel quia sit scrupulosus, vel nimis austerus, vel quia intercedat antipatia, aut post electionem, aliqua differentia, aut concertatio inter confessarium, & pœnitens acciderit. Iugum enim confessionis suaue reddi debet, nec necessitandus est, pœnitens contra stomacum ad aliquem Sacerdotem accedere, nisi sit Superior, & in casibus reseruatis. Non admitto leuitatem animi, non ruborem, & humanos friuolosque respectus: Et eò minùs facilitatem extorquendi absolutionem, quæ recidiuæ solet aliquando fomenta præbere, hoc enim esset medicinam auersari, & sanitatem ex corde non quærere, valet multùm recta ratio, quæ in speciali de virtute decernit.

Regulares confessarios mutare possunt.

Quando possumus mutare confessarium.

Poterant prius superiores ex viuæ v. orac. Pauli 5. reseruare sibi casus pro Nouitijs, teste Dia. *p. 3. t. 2. r. 110.* vbi Peir. adducit. Sed post Constit. Vrb. 8. reuocatiuam viuæ v. ora. ablata est talis facultas, & solum communicant infauorabilibus, ab odiosis exempti, in quibus nulla dari solet communicatio. Nec obstat Decr. Clem. 8. de *Reformat. Nouitiorum*: vbi soli Magistro confessiones Nouitiorum audiendi cura mandatur; nam Decr. illud non extat per modum præcepti, sed consilij; Alias enim Nouitij haud communicarent in fauorabilibus cum Professis, qui ex alio decr. eiusdem Clem. confiteri possunt tribus, vel pluribus Confessarijs, in qualibet domo designandis. Ità cit. Dia. v. Nouitius n. 3. vbi etiam in eadem sententia plures refert Doctores. Quinimò poterunt confiteri omnibus Confessarijs ab ordinario approbatis, idem Dia. asseruerat. p. 1. t. 6. Ref. 27. ex Melf. & alijs pluribus.

Nouitij Confiteri possunt Confessarijs omnibus approbatis.

Tandem Obseruantem data opera confiteri Reformato, & è contra, cum sint, non solum diuersorum conuentuum, sed etiam prouinciarum, nisi Confessarij à Generali approbati sint, inualidè confiteri, si hospes non sit, & itinerantium priuilegio non gaudeat. Excipio casum fortuitum, cuiusmodi esset, si quis ex familia S. Francisci, vel S. Petri in Monte aureo ob negotia, ad Aracælitanum Conuentum accederet, & ibi celebrare vellet, vel quid simile, tunc dico, licitè, & valide confiteri. Hoc enim in praxi videmus fieri ex vtraque parte. Lege *Candidum 2. par. disquis. 24. art. 57. dub. 3.* qui docet, posse ex priuilegio hospites etiam alterius prouinciæ confiteri, & absolui à reseruatis, si Confessarij talem facultatem habeant.

Quæstio vndecima, præscribunt statuta. *Non audiantur confessiones Fratrum, pr[illegible] [illegible]um in cellis, sub pœna priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, tàm confiten[illegible] [illegible]onfessario. Et ne à Confessarijs pecuniæ recipiantur, sub grauissimis pœnis.* Quæritur, An confessiones auditæ contra has Constitutiones sint validæ?

Respondeo affirmatiuè, Tùm quia primum statutum non obligat sub peccato mortali Tùm quia non annullantur cōfessiones per eadem statuta. Tùm quia in casu transgressionis non solent Superiores pœnas tam rigorosas exigere. Tùm deniq; quoad receptionem pecuniarum, peccatum est Confessarij, non defectus confessionis. Ille enim est velut Auis Caradrius, vel clarus, aut Galgulus, vt vocat *Plin. lib. 30. cap. 21.* de quo dicunt, quod si infirmo moribundo adhibeatur, oculis sibi morbum regium, seu ictericum, & mortem attrahit, infirmo autem vitam confert. Nihil enim execrabilius confessario Franciscano pecuniam in confessione recipienti, cui ex Sacramenti administratione, & ex voto paupertatis, nefas est, id vel cogitare. Impij in Deum, Sacrilegi in Sacramenta, scandalosi in proximum, iniurij in religionem. Vtinam exterminantur nundinatores isti peruersi, qui simoniacæ pesti (si ad hanc malitiam ruunt, & ruere inditiantur, ex peccato proprietatis, quod committunt) abominabilis criminis malignitatem adiungunt.

Pecunias in confess. recipere: quod peccatum.

Scelus ingens, accipere denarios in confess.

De casibus reseruatis.

STATVTVM II.

A Casibus reseruatis, vel ex Constitutionibus Apostolicis, & Statutis Ordinis reseruandis, si quis sine facultate à Generali, vel Prouinciali concessa, absoluerit, eo ipso sit excommunicatus.

Et si in hoc vitiosus fuerit, & legitimè constiterit, carceretur, Superioris arbitrio.

Sicuti etiam, qui temerè affirmauerit, quemlibet à dictis casibus posse absoluere.

Aut Superiorem non posse tales casus sibi reseruare, vel per censuras subditos ligare.

Is tanquam errans seuerissimè puniri debet Superiorum arbitrio.

Ex communi, & speciali iure tenemur casuum reseruationem asserere. Ex Tridentino *Sess. 14. cap. 7. per totum. Et can. 11. Si quis dixerit, Episcopos non habere ius reseruandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideo casuum reseruationem nō prohibere, quominùs Sacerdos à reseruatis verè absoluat, anathema sit.* in quorum margine antiquiora citantur. Et ex Regula *cap. 7. Si qui Fratrum instigante inimico, &c.* Rationem affero ex eodem Concilio, *Quia sententia in subditos dumtaxat fertur, ergo nullius valoris est absolutio, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam, non habet iurisdictionem.* Non est autem subditus in casibus sibi non concessis.

Casuum reseruatio, quo iure inducta.

Qui autem à casibus reseruatis possint absoluere, licet videatur indubitatum ex statuto, tamen quia Clemens Octauus de reseruatione casuum, non distinguens de Superioribus, sed indiscriminatim Superiores nominat, cum Guardiani etiam sint. Superiores dubitatur, an etiam ipsi à reseruatis de iure absoluere poterunt. Suffragatur enim illis communis regula, Vbi lex non distinguit, &c. Et ratio est, quia ait Pontifex. *Nemo ex regularium Superioribus peccatorum absolutiones sibi reseruet, exceptis, &c.* quæ est vniuersalis negatiua, omnes amplectens. Alias (si hæc dispositio Guardianos non comprehendit) possent illi aliquos casus sibi reseruare, vt antiquitus fiebat, apud *Coriol. p. 1. sect. 1. art. 4. n. 1. ex Cæsarubios V. Absolutio ord. quoad Fratres*, §. 17. per concessionem Alexandri VI. quia quos non comprehendit quoad reseruationem, nequè comprehendit quoad absolutionem, quod tamen est falsum. Nec responsio *Sorbi in Adnotat. ad supradictum priuilegium* Alexand. VI. quod non possunt reseruare, quia reseruatio commendata est Capitulis generalibus, vel prouincialibus, videtur euacuare difficultatem; quia cùm Guardiani componant Capitulum prouinciale, non est maior ratio, quod plus prouinciali, quàm Guardianis committatur; sicuti in Capitulo generali constante ex Generali, & prouincialibus, iisdem absolutio committitur. Et de facto Patres Conuentuales aliquos casus etiam Guardianis committunt de iure ordinario, nimirùm percussionem leuem, lapsum carnis, proprietatem, quæ decem scuta non superet; Sicuti etiam grauiores ad prouinciales, & Grauissimos ad Generalem remittunt. Ad exemplum Statutor. Papal. *Iulij II. cap. 7. part. 2. & 3.* quæ sex casus Generali, & 12. Prouincialibus reseruant. hinc *Hugo de Dina apud Cordubam quæst. 2. pun. 2. in cap. 7.* dixit. posse Guardianos absoluere à casibus reseruatis secretis, quia in regula sola publica peccata reseruantur. Quod autem dicit *Corduba* huic dicto non esse standū, ob contrarias ordinis sanctiones, eò vel maximè cùm non constet, regulam de solis publicis loqui, non videtur cohærenter prolatum, quia *qu. 1. toto punct. 1.* ait, omnes Expositores Regulæ concorditer declarare de peccatis tantum publicis, idquè probat, tùm quia regula ait, *Teneantur recurrere quam citius poterunt, sine mora*, hoc autem famam læderet, si secreta tangeret. Tùm quia supponitur, Ministros aliquando non esse Sacerdotes, ergo ad illos pro confessione secretorum non est recurrendum. Tùm quia Ministris iniungitur. *Nec irascantur, & conturbentur, propter peccatum, &c.* quod forum Sacramentale non respicit, sed externum, & punitiuum. Tùm deniquè, quia Greg. IX. & Innoc. IV. hunc recursum declararunt de *peccatis tantum manifestis, & publicis*. Cùm autem statuta ordinis supra regulam non sint, concessum videtur Guardianis, quod ab occultis possint absoluere.

Casus, ob quos ad superiores recurrendum est publici ne, an secreti esse debent.

Attamen responsio negatiua est communis. Ex eodem Sacro Concilio Tridentino, reseruante casus, non parochis, sed Summis Sacerdotibus. *Sanctissimis Patribus nostris visum est, vt atrociora quædam, & grauiora crimina, non à quibusuis, sed à Summis duntaxat Sacerdotibus absoluerentur.* Quod de habentibus authoritatem quasi Episcopalem, quoad regulares, S. Congregatio Concilij declarauit, apud *Barbosam in collect. ad Concilium, hoc loco.* Regula etiam absolutionem Prouincialibus committit, eorum quæ inter Fratres id est in Capitulis, non autem à Fratribus particularibus, reseruari visa fuerint. Nec omnino forum Sacramentale excludit, quia pœnitentiam imponi vult à Sacerdotibus, Cum de publicis hoc non sit necessarium, nec in vsu. Nè conturbentur autem, possunt moneri etiam in foro Sacramentali. Et non Sacerdotes habent iurisdictionem, qua possunt peccata reseruare, licet non ordinem: Vnde possunt committere alijs absolutionem. Publica declararunt Pontifices, illa, propter quæ sine mora recurrendum esset, quia hæc magis communitatẽ perturbant. Recurrendũ inquam statim, & sine mora, de occultis autem, non declarauerunt non esse recurrendum, sed non statim, cum nulla sit, scandali materia. Et vt omnis difficultas tollatur, Clemens Octauus, Superioribus reseruauit aliquos casus, illis inquam, quibus ex Conc. Tridentino reseruari decretum erat, summis, nimirùm Sacerdotibus. Et cùm absoluere possit, qui reseruat, & reseruatio committatur Capitulis generalibus, & prouincialibus, & hæc Guardianos semper excluserunt, vt nominatim factum fuit in generali Capitulo Assisino *ann.* 1526. renunciando concessioni Alexand. VI. vt videre est apud eundem *Casarub.* necessariò infertur Guardianos à reseruatis absoluere non posse, nisi specialiter illis committatur, vt de facto committitur, & committendum suadet *Corduba* supracitatus, & clarè statuerat Alexander VI. in Constitutionibus *cap.* 7. initio. *Secundum priscas, atquè Martini Quinti sanctiones, nullus Frater Ministro Prouinciali inferior, nisi à Generali, vel Prouinciali fuerit ei specialiter concessum, possit aliquem à casibus reseruatis absoluere.* Quare fuit iste mos perpetuus in ordine.

Guardiani à reseruatis non possunt absoluere.

An autem aliquando à non habentibus authoritatem, quis absolui à reseruatis poterit, variant scribentes. Negant *Riccardus, & Durand. in* 4. *d.* 17. *illo q.* 8. *art.* 2. *hic* 15. *Adrian. qu.* 4. *de confess.* Affirmant *Alens.* 4. *p. qu.* 11. *memb.* 5. *ar.* 2. *Palud. d.* 17. *q.* 5. *Gerson Alpha.* 33. *lit. E. Sil. Ang. V. confess. Medin. C. de pœnit. q.* 13. *Nauar. in cap. Consideret. num.* 10. his adde citatos à *Belloch. in praxi p.* 1. *q.* 2. *à num.* 120. *ad* 138. *& Candido disquis.* 3. *art.* 6. *dub.* 2. *& infra tom.* 1. *& tom.* 2. *pag.* 190. *& infra.* Cum istis dico posse, quemlibet Sacerdotem, non admissum pro reseruatis, ab ijsdem absoluere in casibus necessitatis, quos supra recensui. Et ratio est, quia maius præceptum vrget; & de duobus malis minus est eligendũ. *c. duo mala. c. Nerui testiculorũ d.* 13. Quæ doctrina, vt plurimũ valere potest extra Cõuentus; quia in cõuentib. sẽper adsunt pęnitentiarij.

A reseruatis possumus absolui, etiã à non habentibus facultatem in aliquo casu.

De duobus malis, minus est eligendum.

His casibus exceptis, temerè à reseruatis absoluẽtes sunt excommunicati per *Clemen. Religiosi de Priuilegijs, & excessibus priuilegiatorũ in* 6. excommunicatione Sedi Apostolicę reseruata: Licet non extendatur ad omnes nostros casus. Statuta *Iulij II. cap.* 7. *par.* 7. dicunt tantùm, *Suspensus sit ipso facto à confessionibus Fratrum audiendis.* Ijsdem verbis Statuta Salmanticensia sanxerunt. Parisiensia *Anno* 1579. *à dictis casibus reseruatis alij Fratres absoluere non audeant,*

Absoluentes à reseruatis sunt excommunicati, & quando.

audeant sub pœna excommunicationis. pęnas auxit Clemen. VIII. in decreto super absolutione à censuris, &c. *Ann.* 1601. *Excommunicationis, priuationis, inhabilitatis, &c.* Sed loquitur de reseruatis Papæ, & ordinarijs locorum. Itaquè remanet excommunicatio statuti, *eò ipso*, quoad illos, quos Clementina non compræhendit. Et suspensio in antiquioribus iam citatis statutis. Quia tamen, ex alibi dictis, non incurruntur statutariæ excommunicationes, nisi post declarationem, remanet solùm reatus confessionis, & absolutionis nullæ, quia lata à non habente facultatem. *cap omnis. de pœnit. Concilium Floren. de Ministro pœnitentiæ. Tridentin. citatum. lege Cordub. q.* 4. *in cap.* 7. *regul.* 2. *pun. prin.* Quale autem peccatum sit hoc, & si sola carceratione, & censuris dignum, videât Superiores, qui in hos temerarios nebulones animaduertere debent.

Ex hoc deducitur, quid mereatur, qui non solum facto, sed dogmate præsumit negare Prælatis authoritatem absoluendi, vel censuras imponendi. Hic enim tanquam malè de iurisdictione Ecclesiastica sentiens, & formaliter hæreticus (quippe qui contradictoriam propositionem fidei, & ad mores pertinentibus decretis pronunciat) Santo Inquisitionis officio tradendus est. Et pro iure Religionis, acerrimè puniendus, Lege *Suar. de fide. disput.* 5. *sect.* 7. qui probat *num.* 6. *Concilium generale legitimum, esse infallibilem regulam fidei, & non posse errare in ijs, quæ in doctrina fidei definit, vel quæ approbat in materia morum.* cuius doctrinæ rationes docuerat *Alphonsus de Castro aduer. hæres. lib.* 1. *cap.* 6. 8. Lege post alios *Aloysium a Cruce in exposit. cruc. disput.* 1. *cap.* 3. *dub.* 1. *n.* 6. Vbi alij apud ipsum. Equidem negare Prælatos posse casus reseruare, & censuras imponerè, est sentire cum Vuicleph, Hus, Lutero, qui censuras auersati sunt, & propterea condemnati in Concilio Constantiensi *Sess.* 8. apud *Alphonsum citatum lib.* 6. *V. Excommunicatio, et in Tridentino supra citato.* Et cum Vvaldensibus, Marsilio de Padua, Ioann. de Vvestphalia, & alijs hæreticis, qui senserunt non posse Ecclesiam condere leges, quæ obligent in conscientia. Vide *Bellarm. lib.* 4. *de Romano Pontif. cap.* 15.

Negans Superiores posse sibi casus reseruare, suspectus de fide.

Concilium generalè est regula fidei.

STATVTVM III.

In quolibet Conuentu vnum, aut duos saltem, qui à reseruatis occultis absoluant, deputent Prouinciales.

Ita ad verbum Clemen. VIII. de reseruatione casuum, qui deputationem *ad tres, vel plures Confessarios, pro subditorum numero maiori, vel minori, extendit.* Et statuta Alexandrina *cap.* 7. *Committant Ministr. ad discursus tollendos, dum visitant Prouinciam, alicui graui, & maturo viro, si videbitur, authoritatem absoluendi a casibus reseruatis.*

Pœnitentiarij deputādi.

Quæritur, An Guardiani, vel Vicarij deputari possint pænitentiarij?

Respondeo affirmatiuè, Quia iam ipsi de iure non habent casus reseruatos, nec compræhenduntur inter Superiores, quibus non licet subditorum confessiones audire (hos enim diximus esse Prouinciales, & Generales) Nulla ratio

Guardiani, & Vicarij deputari possunt pœnitētiarij.

apparet, cur delegari ipsis non possit authoritas á reseruatis absoluendi. Et sic in ordine antiquitus practicabatur. Nam Iul. 2. *in cap. 7. par. 5.* ait. *Ministri dum visitant aliquibus probis Patribus, maximè Custodibus, & Guardianis, si videbitur, concedant authoritatem absoluendi à casibus reseruatis*. Et infra. *De eo verò peccato, quod transit in secundam personam, non expedit concedere alijs, quàm Custodibus, & Guardianis*.

Non obstat §. *Non liceat Superioribus Regularium, confessiones subditorum audire*, Quia non tangit Guardianos, & eò minus Vicarios, nam sequitur, *Nisi quando peccatum aliquod reseruatum admiserint*, Ergo non loquitur de Guardianis, sed de Prouincialibus, quibus reseruantur peccata, &c.

Neque §. *Superiores in singulis domibus, deputent duos, vel tres Confessarios pro subditorum numero, &c.* Quibus verbis videntur exclusi Superiores Locales, siquidem deputari debent pro subditis; Nam respondeo, cum sermo sit de Prouincialibus, & Guardiani sint illorum subditi, verificatur decretum etiam de Guardianis, quorum saluti Prouincialibus prospiciendum est, non minus, quàm aliorum subditorum: Nam si Pœnitentiarij solum pro subditis instituerentur, nulli essent in conuentu, quia ibi omnes sunt subditi Guardiano. Quidquid dicat *Cyprianus lect. 17. in cap. 7.* dicens non licere Guardianis, & Vicarijs confessiones audire. Neque hoc ratione aliqua probat.

Melius tamen est si nō deputentur. Hoc autem dictum sit de iure. Attamen de facto instituendi sunt alij à Guardiano, & Vicario, ne confidentia subditis adimatur; quæ fuit ratio motiua Clemen. Octauo ad ædendum tale decretum, *Nonnullos infirmiores, qui interdum Superiori suo conscientiæ maculas detegere formidant, adducere posset in æternæ damnationis periculum, & spiritualis remedij desperationem.* Quæ verba licet de iure ad casuum reseruatores dirigantur, rationem tamen ostendunt, quid agere debeamus circa nostrorum Fratrum infirmitates. Eadem enim, imò potior ratio est, de Guardianis, & Vicarijs, quæ de Prouincialis, quia immediatiores Superiores sunt, quos subditi magis timent, quàm Prouinciales; quibusque notitiam in confessione habitam, ad politicum gubernium deseruire posse, suspicari facile erit. Et hæc est, omnium, de hac materia scribentium admonitio.

Quæritur secundò, An determinatis Pœnitentiarijs, si aliqui, vel omnes deficiant, possint à Prælato Locali, interim alij subrogari, quousque prouincialis moneatur?

Pœnitentiarijs deficientib. antiquiores subrogātur. Respondeo, Reformatorum constitutiones difficultatem præcauerunt, cap. enim 7. determinant. *Constituiscano li Prouinciali in ciascheduno Conuento, vno, ò più Padri, conforme al bisogno del Conuento, quali habbiano autorità di assoluere da sudetti casi, quale durarà solo, mentre son' in quel Conuento. Et in caso, che se ne parta vno da quel luogo, per virtù di questo statuto, s'intenderà esser Penitenziero il più antico confessore, sin' à noua prouisione.* Vbi duo specialia adduntur, quod authoritas tantum duret in conuentu illo, & alij Confessores in decedentium penitentiariorum locorum intrent. primum videtur de iure, quia, Clemens Octauus, vult eos deputari in singulis domibus, ergo est facultas localis, non personalis. Localem autem intelligo per totum districtum illius Conuentus, sicuti parochus, per totam suæ parochiæ spheram. Nec enim arctanda est in solo Conuentu, cum etiam Guardianus institutus Superior pro vno conuentu extendit iurisdictionē suam per totum districtū Conuentus, Secundū, Rationa-

Pœnitētiarij authoritas quantum se extendat.

bili-

biliter prouisum est, ne Fratribus inquietitudinis occasio tribuatur. Verum tamen est, quod non quælibet absentia inducit talem subrogationem sed totalis, cum nimirùm ex albo illius familiæ dispungitur. Hoc enim sonat *se parta vno da quel luogo*, quia de noua prouisione facienda postea dicitur, *Sin'à noua prouisione.* Ergo si pęnitentiarius abesset à conuentu occasioue negotij ad Vrbem, vel quæstuationis, aut ministrandæ confessionis inter terminos iurisdictionis conuentus, non posset antiquior Confessarius à reseruatis absoluere.

Sed quid si penitentiarij morarentur plures dies extra conuentum, An eo casu intelligeretur subrogatio?

Respondeo, possumus regulari ex duobus alijs statutis generalibus, primò circa absolutionem ab iniectione manuum *c.7.* Vallisol.*pag.*130.vbi dicitur. Ab excommunicatione violentæ iniectionis, &c. *Possit Custos, vel Guardianus absoluere, si Ministri, aut Custodis præsentia infra triduum haberi non possit; aut Vicarius Guardiani, si præsentia Custodis, aut Guardiani infra diem naturalem minimè possit haberi.* Altero, circa residentiam *cap.* 8.*pag.* 245. in quo dicitur. *Quoniam verò, qui aliquantis per tantum absunt, ij non videntur abesse, quia statim reuersuri sunt, propterea decernimus, illud absentiæ spatium extra prædictas causas, nullo pacto debere vnam, aut alteram ad summum hebdomadam excedere.* Vnde moralem absentię ratione conijcere possumus, vno, aut altero modo, primus rem proprius tangit, quia agit de casu reseruato, publico tamen, qui requirit celerem expeditionem. Secundus absentiam moraliter metitur secundum magis, & minus. Vnde cum hoc secundò modo securius procedendum censeo.

Quid si pęnitętiarius absens sit à cōuentu?

Cæterum extra hoc statutum, debemus tenere doctrinam traditam, de non habente copiam legitimi Confessarij, & in necessitatis articulo constituto.

STATVTVM IV.

Absolutio in foro secreto obtenta, iudicialem correptionem non impediat, si crimen legitimè probatum fuerit.

Sunt enim duo tribunalia diuersa, in quibus pręuentioni locus nōn datur, quia non est in vtrisquè paritas iurisdictionis, & nec consequenter iudicij. *l. si pluribus. ff.de leg.*1.*& l.*1.*ff.de Offic.Præsid.* in quo non valet illud. *Deus non iudicat bis in idipsum*, Nahum primo, Quia cùm vnum sit sacramentale, & alterum externum, quodlibet suo iure vti potest, Quod in externis foris, etiam videre cōtingit, vt in Ecclesiastico, & seculari. Blasphemia enim in foro canonico pecuniaria, & personali pęna corripitur. *capit.statuimus.de Maled.* in ciuili autem, vltimo supplitio. *Authentica, vt non lex contra naturam. collat.*6.*apud Syluestrum.V.pœna. num.*24. Et hæc est praxis vniuersalis Ecclesiæ, quæ vtrique iudicio debita supponit, quando ea probari contigerit. *Pegna in directorio lib.* 2. *schol.* 20. qui citat *cap. gaudemus de diuor. V. Poterit. Paulum de Castro, Panor.Card.Abb. Glos.Imol.* Et est communis omnium sententia. Legitimè

Peccatū in foro sacramentali punium in externo etiam puniri potest.

gitimè autem probantur, dum per inquisitionem, denunciationem, vel accusationem deferuntur, & per testes talia esse conuincuntur.

STATVTVM V.

Absoluendi delegata facultas, nisi reuocetur, semper durat. Etiam amoto, vel mortuo concedente.

Absoluendi facultas concessa semper manet, nisi reuocetur.

Communis doctrina ex *Portel V. cessatio priuil. num.* 50. *cap. si super gratia. de officio delegati in 6. cap. is qui nulla de præbendis. in 6. Nauar. consil.* 1. *de priuil. Suar. de legibus. lib.* 8. *cap.* 31. *num.* 19. *Sanchez lib.* 8. *de matrim. disputat.* 28. *n.* 33. *Marchinus de Sacr. Ordinis. part.* 6. *tract.* 1. *cap.* 6. *num.* 4. qui alios multos citat. *Barbosa in cap. citato si super gratia. apud quem innumeri alij.* sicuti & in *cap. relatum. de officio delegati, & Hieron. Rodrig. resolut.* 116. *n.* 25. *vbi alij.*

Hinc colligere licet Authoritatem auscultandi confessiones, à reseruatis absoluendi, donandi munuscula extra ordinem, aperiendi literas S. Pœnitentiariæ, dispensandi ad petendum debitum, in votis, & in alijs, quæ à Superiore concedi solent, & possunt, semel concessam, durare semper, etiam si Superior ille amoueatur, expiret, decedat, dummodo sine limitatione concessa sit, *cap. de causis de officio deleg.* & à concedente, vel successore non reuocetur. Quæ doctrina Superiori, de determinandis pœnitentiarijs, non contrariatur, quia ibi loquuti sumus de authoritate collata ad tempus, quo talis Frater in tali loco commoratur, de quo loquitur etiam *Portel supra num.* 51. hic autem loquimur de facultate absolutè, & illimitatè concessa. Et non solum non reuocatur, sed etiam neque reuocari debet sine causa, quia acquisito iure ob gratuitam donationem, sine causa priuari non debet. *cap. sine culpa. de reg. iur. in 6.* dedecet enim superiorem regularem instabilem esse. *cap. decet. eod. titulo.*

An autem omnis reuocatio sufficiat, ambigitur. Sed breuiter dicendum est, non sufficere quamcumquè reuocationem, sed necessariam esse scientiam reuocantis, itaut si Superior successor, nesciens quas gratias suus concesserit prædecessor, dicat in genere reuoco omnes facultates indultas à meis antecessoribus circa absolutiones, &c. is concessa priuilegia non tollit. *Portel V. Priuilegij cessatio. num.* 68. Qui dicit esse communem iuristarum. Et quidem benè, quia nemo potest reuocare quod nescit. Nec æquiparari debet papæ, qui censetur habere scrinium legum in pectore, eò quod concessiones omnes Archiuijs Apostolicis inferuntur. Quod si secreta esset concessio, eadem ratio, currit de Papa, ac de alijs Superioribus, qui factas à prædecessoribus gratias ignorarent.

Tabella casuum reseruatorum.

Ministris Generalibus, & Prouincialibus ex statutis ordinis.

Decem, & nouem casus reseruantur, in quibus continentur multi ex determinatis à Clem. VIII. Alij ex statutis antiquis collecti, vel pro tempore in generalibus Capitulis ordinati.

I. Nomen Dei, ac Domini nostri Iesu Christi, & Deiparæ Virginis Mariæ blasphemantes.

Blasphemātes quando in casum reseruatum incidunt.

Iste non reperitur nec in statutis Iul. 2. nec in Salmanticensibus nec in parisiensibus *Ann.* 1579. nec in Alexandrinis, in quibus tabellę talium casuum reperiuntur, nec in reseruatis à Clem. VIII.

Circa hoc satis est videre Belloch. part. 2. quęst. 11. à principio. Mihi pauca ex generalibus adducenda sunt. Blasphemare, vt alibi diximus, est Attribuere, vel auferre Deo, & Sanctis, quod illis conuenit, vel repugnat.

Rigorosè loquendo, non inciderent in hunc casum, nisi qui nomen Dei, Christi, & Matris blasphemarent. Ita enim iacet lex, quæ cum sit pœnalis, non est extendenda. Itaquè, qui alias blasphemias in Dei attributa, essentiam, perfectiones, idiomata, ac Christi, & B. Virginis priuilegia effutiret, non incideret in hunc casum. Nec est distinctio sine fundamento, quia in S. Scriptura Leuit. 24. præcipitur. *Homo qui maledixerit Deo suo, portabit peccatum suum: & qui blasphemauerit nomen Domini, morte moriatur.* Super quo *August. in glos. ordinaria. Quasi aliud sit maledicere Deum suum, aliud nominare nomen Domini; & illud sit peccatum, hoc autem tantum nefas, scilicet, vt etiam morte sit dignum: quamuis hoc loco, ita intelligendum sit, quod dictum est nomen Domini, vt cum maledictio fiat: quid ergo distat inter istud peccatum, & hoc tantum crimen?* Eandem sententiam versat ibidem. *Isichius Tanquam* (inquit) *maledicere Deo sit minus, & nominare nomen Dei sit grauius. Deus autem, & Dominus idem est, &c.* Attamen cum morales præceptiones iuxta communem vsum accipiendæ sint, in casum reseruatum incidere puto, qui non solum nomen, sed etiam essentiam, & perfectiones ore peruerso tractaret, adiunctas tamen Deo, Christo, & B. V. nam si quis malediceret omnipotentiam, vel scientiam, aut prouidentiam, &c. non diceret Dei; vel sanctitatem, puritatem &c. & non diceret Christi, aut B. V. dubio procul in casum reseruatum non incideret: incideret autem si San-

ctissimam

ctiſſimam Trinitatem, vel Verbum incarnatum, vel filiam Annæ, & Vxorem Ioſeph,&c.blaſphemijs inceſſeret,quia realiter idem eſt Deus,& Trinitas,Chriſtus,& Verbum incarnatum, B.Virgo, & filia Annæ. Nec ita debemus hærere verbis,vt ſubſtantiam eludamus.*Peccat enim in legem,qui legis verba tenens,contra legis nititur voluntatem.c.certum eſt.de reg.iur.in 6.*

Ad incidendum in hunc caſum non requiritur conſuetudo,neque vitium,neque notorium,vt ſolet reſeruari in aliquibus Eccleſijs, quia nulla ex his limitationibus apponitur. Et rationabiliter, quidem, quia Fratres Minores, quos Deus in Eccleſiam induxit, vt eius Sanctum nomen benedicant,blaſphemantes non debent Sæcularibus æquiparari. Nec monſtruoſius concipi poteſt Religioſo blaſphemante.Verè extra caſtra Religionis,& Eccleſiæ educendus,& lapidibus obruendus.

II. Rebus Sacris abutentes.

Abutentes rebus ſacris, non eò venefici &c.

Neque hunc antiquiora ſtatuta decernunt. Clemens tamen Octauus, amplius.*Veneficia, Incantationes, Sortilegia.* Quia tamen non tenemur ſtare omnibus determinatis à Clemente Octauo, ſed quæ viſa fuerint opportuna, videndum eſt,ſi vterque caſus in idem recidat.Et eundem non eſſe,certum eſt,quia Abuſus rerum ſacrarum poteſt fieri ſine Veneficio, & Incantatione, vel Sortilegio.Poſſunt quidem hæc omnia in abuſu ſacrorum comprehendi, vt plurimum, non omnis tamen ſacrorum abuſus aliquod ex his tribus infert: Si quis enim chriſmate, vel oleo Sancto ad ſedandum ſtomachi dolorem: vel Euchariſtia ad guſtum experiendum abuteretur, peccaret quidem caſu reſeruato, quia ijs Sacramentis, & Sacramentalibus, non ad ſuos fines vteretur; in quo Sacrorum abuſus conſiſtit,non tamen eſſet Veneficus, nec Incantator,nec Sortilegus. Quare cum caſus Clementinus non ſit nobis reſeruatus, de illo non tracto.

Non omnes caſus Clemētis 8. ſunt apud nos reformati.

Neque obijci poteſt inferius ſtatutum pag. 129. de obſeruantia conſtitutionis latæ pro caſibus reſeruatis, vbi dicitur.*Quæ in ea notantur, diligenter, & accuratè ſeruent,atq;ad eius præſcriptum ſe conforment.* Quia intelligendum eſt non de numero caſuum(hos enim parum fuiſſet traſcribere,& in ſtatutis apponere) ſed de alijs,quę in illo decreto decernuntur.

Sacrilegium quid.

Nec caſus hic, ſacrilegium in tota ſua latitudine amplectitur, quia cum illud ad perſonas, loca,& res feratur, ex communi Theologorum, & Canoniſtarum conſenſu,apud *Silu.V.Sacrilegium.*caſus ſolùm ad res ſe arctat; nomine autem rerum ſacrarum intelliguntur ſacramenta,ſacramentalia, vaſa ſacra,imagines, reliquiæ, ſacræ veſtes,Eccleſiæ ornamēta:Vt taceam ordinata ad ſuſtentationē Miniſtrorum ſiue mobilia ſiue immobilia,quæ poſt S.*Tho.2.2.q.99.ar.3.* multi inter ſacrilegij ſpecies numerant, cum verè neq;largè, neque impropriè, vt citatus *Silu.*ſcribit, ad ſacrilegium ſpectent;Nulla enim ratione, neq;reductiuè, ſacrilegij colorem poſſunt induere:Quia ſi eo quod ad ſacerdotem talis res pertineat,V.g.gallina,vel equus, illis abutens, ſacrilegium committit,poſſet etiam, qui ſororem, vel matrem Parochi carnaliter cognoſceret, vel eis abuteretur, tanquam ſacrilegus huc intrare qu od riſu dignum eſt.

Sed

Sed dicet aliquis, cum sacrilegia, & abusus sacrorum, ad S. Inquisitionis officium spectent, ex constit. Sisti v. *Cæli, & terræ Creator*, à Santiss. D. N. Vrbano VIII. *Inscrutibilis iudiciorum*. confirmata; & Pauli v. *Romanus Pontifex*. & ex ordinarijs Inquisitorum edictis; cur casus iste regularibus Superioribus absoluendus remittitur?

Respondeo, citatę constitutiones respiciunt exteriorem punitionem, non sacramentale absolutionem. Et in foro etiam exteriori, distinguendum est, an abusus sacrorum Sortilegia, &c. manifestè sapiant hæresim, & tunc ad Inquisitores spectant priuatiuè quoad alios Iudices: si verò dubiè, & tunc est mixti fori, & datur locus præuentioni. Si nullam hæresim redoleant, tunc ab ordinarijs puniri possunt, & ad Inquisitionem non pertineat, lege *Dianam tract. 7. resolut.* 10. 13. 107. 112. 119. *partis 4. & Scortiam Theor.* 158. *in bullam. Honestis*. Leonis X. apud quos alij authores, & iura.

III. Quidquam in Religionis detrimentum, extra religionem patefacientes.

IV. Discordias Patrum, vel depositiones Prælatorum manifestantes.

Etsi duo casus antiquis statutis non reperiuntur, neq; in Clem. VIII. horum secundus est primi declaratiuus; quia publicare discordias Patrum, & depositiones Prælatorum, in detrimentum Religionis vergit.

Reuelare secreta religionis, quomodo intelligatur.

Circa hos Notandum primò, nomine religionis non intelligi diuersas familias eiusdem Religionis, vt Cismontanam, Vltramontanam, Obseruantes, Discalceatos, Recollectos, Reformatos: Hi enim omnes vnam religionem conflāt, quia licet peccet mortaliter quis, reuelans aliquod vni familiæ, vel prouinciæ, quod in alterius detrimentum vergit, vel particularis fratris, ex generalibus regulis famæ, vel violandæ, vel reddendæ; attamen casus non esset reseruatus, Qualis esset, si alijs, etiam Religiosis, extra hunc ordinem, reuelaretur, vt Conuentualibus, Cappuccinis, & multò magis Prædicatoribus, Carmelitis, &c. quia hæ omninò diuersæ sunt ex instituto, vel ex separatione facta, per variorum Generalium assignationem.

Notandum secundò, ligari hoc casu, non solum, qui falsum, sed etiam qui verum patefaceret, nam plus nocet verum malum, quam fictum, & formaliter in Religionis detrimentum vergeret.

Not. 3. Detrimentum Religioni afferentia sunt, si quis reuelaret. Non obseruari regulam: Nouitios non bene institui; Castitatem, paupertatem, obedientiā non custodiri; Homicidium vel delicta committi, Carceratos esse, Inquisitos,

sitos,Ebritates,ludos,ludrica exerceri,Genio vacari,orationes,diuina officia, disciplinas, ieiunia dimitti: peccata mortalia committi; Vulnera, verbera infligi, litigari, Apostatas esse, Inquietitudines vigere; Superiores aliquos persequi,Inimicitias, & simultates, seu partialitates reperiri, Superiorum depositiones,Patrum dissensiones, in religione, in prouincia, in Conuentu existere. Et vt vno verbo dicam, omne peccatum mortale, a quolibet particulari commissum,quia omne tale religioni detrimentum infligit. Limito tamen hanc vniuersalem,ad peccatum graue, & de sua natura religionis deturpatiuum, & obscuratiuum;Quia cum hi casus sint causæ grauiores, quæ Summis Prælatis reseruantur,non debent ordinaria,& parum existimationem lædentia peccata cō plecti: Qua ratione venialia non reseruantur excommuni apud *Belloc.in praxi pag.6.à n.*28.nec in nostra religione reseruari possunt, cum regula præcipiat, *Si quis Fratrum mortaliter peccauerint. cap.* 7. Quia nec sunt Sacramenti penitentiæ necessaria materia, nec graue damnum infligunt: Quorum censura prudentis confessarij iudicio reseruatur. Ex illo principio apud.*S.Thom.*2.2.*quæst.* 73. Quod detractio tunc solum est peccatum mortale, quando notabiliter quis lędit famam sine causa rationabili.

Venialia nō reseruātur.

Detractio quando sit peccatum mortale.

Notandum quartò,si publicantur personę, vel personis,apud quas Religio detrimentum non pateretur, cuiusmodi essent, qui negotia religionis scirent, vel non scandalizarentur, casus reseruatus non esset, quia cessat finis legis.*cap. cum cessante.de appellat.*

Notandum quintò, neque si manifestarent medico, vt morbus gallicus: Aduocato,pro defensionibus,vel consilio. Personæ graui ad consultandum, casu,& necessitate vrgentibus: Quilibet enim tenetur sibi prospicere, & suo iure vti potest *cap.nullus.de reg.iur. in* 6. hæc autem non est detractio, id est ablatio famæ per verba cum intentione nocendi. *Tolet.lib.*1.*cap.*63. *numer.*3. *cum S. Thom.citato art.*2.Qua etiam doctrina non peccant hoc casu, accusantes, denunciantes,&c.Religosos ad ordinata tribunalia, quia hoc non est peccatum, Licet indirectè religionis detrimentum inde sequatur.Dixi ordinatè, quia si non seruaret,ordinem,infamaret religionem,puta si relicto prouinciali, Generali,Protectore immediate ad Congregationem regularium recurreret,religionis defectus propalaret, iuris ordine non seruato, atque adeo contra iustitiam ageret.Ex hoc etiam sequitur peccare casu reseruato, qui extra hos actus, referret Eminentissimis Cardinalibus,& Prælatis(vt taceam Sæculares Principes) religionis defectus:tunc enim illis non dicerentur,vt Iudicibus,sed vt particularibus personis;& quidem cum maiori Religionis iactura, quia sunt eminentiores personæ.

Infamia quæ.

Notandum sexto, non solum verbis,sed etiam scriptis,signis, & factis posse inuri detrimentum religioni. *Tolet.supra n.*2. Qui ait solum positiuè scribendo, loquendo,faciendo detrahi posse,se non respondendo, tacitè consentiendo,detrahenti,& de religione obmurmuranti.Quam doctrinam pro hoc casu non admitto,quia casus requirit positiuam manifestationem,& publicationem.

Detrahitur factis et scriptis.

An autem,si quis scandalum committeret coram multis, v.g.fornicationis, furti,blasphemiæ,&c.incidisse credendus esset in hunc casum, eoquod facto publicauit,in religione esse malos religiosos?

Respondeo negatiuè, quia casus prohibet patefactionem defectuum religionis,

nis, extra illam. Itaquè prius debuit esse in religione, & postea patefieri, qui autem personaliter delinquit, manifestat quidem suum delictum, sed non aliquid, quod prius in Religione erat. Attamen *publicum, & notorium scandalum in populo, & caeo*. Erat reseruatum in Statut. Iul. 2. par. 3. cap. 7.

V. Calumnia in Iudicio cuiquam imponentes, vel ad id faciendum inducentes.

Iudiciorũ puræ administrationi ordo prospiciens, reseruat sibi calumniantes, falsò accusantes, accusatores reuelantes, falsos testes, &c. Quintus autem noster casus, nec in Clemente, nec in Iulio II. reperitur. in Pariensibus verò, pro nono casu ponitur *falsa criminatio in infamiam cuiuscumquè*. Qui neque idẽ est cum casu præsenti, qui solum reseruat Calumniam in iudicio, vel imponentes, vel suadentes.

Calumnia hoc loco, est *Malitiosa, & mendax infamatio, Ex Nonio, & Marciano. l. 1. §. 1. ff. ad* S. C. Turpill. *Qua quis ex certa scientia, & dolo iniustè agit, aut excipit. Azor. in Sum. C. de iuramentis, propter calumniam dandis*. Quo sensu accipitur *l 1. §. per calumniam, ff. si mulier vent. nomin. in possessionem calum. & l. 2. C, de iur. iurando, propter calumniam dando. & Vulte ius in comment. Inst. de actio. ad* §. 19. *Calumniari* (inquit) *est actione experiri, vel exceptione vti, temerè, scienter, & dolosè aduersus innocentem; ideo vt eum vexes, vel aliquid extorqueas: idq; siuè criminalis, siuè ciuilis actio ei causa sit*. Hinc talionis pœnam subire coguntur calumniatores *quinta. q. 6. per totum, & C. de iura. calum. l. 11, & 2. q. 3.* per tria prima capitula. ac alias pœnas apud *Menoch. lib. 2. de Arbitris. qu.* 103. *c.* 322. *& Bartol. c. 1. de calumniat. & l. 1. ad S. C. Turpill.* *Calumnia quid sit.*

Quare in hunc casum incidit, qui criminaliter, aliquem falsò accusat, vel contra aliquem excipit, ne fit Superior, Lector, &c. *Falso aliquem, vel ciuiliter, vel criminaliter accusans.*

Et qui ad hoc alium inducit, minis, promissis, suasionibus, consilio, ope &c. hoc enim est inducere l. 64. §. penult. ff. de Iure dotium.

Et qui imposita calumnia, ab illa non discedit, sed cum effectu prosequitur, quia non est impositio, si non sequitur effectus, vt in simili, imponere plagam, idem est, quod facere, vt *Cicero pro Sestio*. & imponere vectigal, non est niti velle pro impositione, sed de facto onus hoc solutionis imponere: Vnde vectigalia, impositiones appelantur, Vt notauit *Siluius in orat. Cit. pro M. Fonteio.* & ex ipso *Spiegelius*. & vniuersaliter præcepta pœnalia non inferunt pœnas, nisi cum effectu violentur. *c. perpetuæ. de elect. in 6. ff. de eo per quem factum est. l. penultima.* §. *decere. & l. nomen. ff. de verb. signi &c.* §. *final.* Et in odiosis facienda est interpretatio stricti iuris *de reg. iur. in 6.* *Pœnæ non incurruntur nisi cum effectu peccetur.*

Neque hanc dispositionem ingreditur, qui non dolo, vel malignandi animo, aliquem accusaret, sed quia probabiliter putat ita esse: sicuti Calumnia-

tor

tor non est, qui de re dubia litigat, *l*.5.§.1. *C. de fruct.* Vnde in his statutis Tit. de Pœna talionis, mandantur puniri Calumniatores, *qui crimen obiectum legitimè, ac sufficienter non probauerint*. à qua in nostra praxi criminali. *tit. Accusatio. pag.*17. liberantur, si probauerint per vnum testem, vel per infamiam, vel per auditum à fide dignis. Hoc autem de exteriori foro præcipitur, in interiori autem liberarem à calumniæ peccato eum, qui firmiter credebat se probaturum delictum, nec malo dolo motum esse ad accusandum; quia verè hoc non est calumniari, etiam si nihil probasset.

VI. Falsò, ac scienter quempiam accusantes, & accusantem reuelantes.

Calumniari, & falsò accusare, idem sunt.

Ex superiori doctrina declaratus remanet, quod idem est aliquem falsò accusare, ac calumniam imponere, Quia idem fermè sunt *accusare, deferre & reum facere*, vt ait *Brissonius*. Et accusatio debet esse cum persecutione vsq; ad finem; quia vt ait *Vlpianus in l. qui cum §. accusare, ff. de bon. libert.* quem citant. *Prateius, & Brissonius*. *Accusare eum dicimus, qui crimina obiecit, & causam perorari vsq; ad sententiam effecit. Cæterum si ante sententiam quieuit, vel appellatione interposita desijt, vel aduocationem tantum accusatori præstitit, accusasse non videtur*. Licet oppositum teneat *Corduba in c.*7. *qu.* 3. §. *Nonus casus*. qui est falsa criminatio in infamiam, iuxta statuta Barcinonensia pro altera familia, dicens esse casum reseruatum, licet de facto non sequatur infamia, dummodo delictum oppositum sit de sui natura infamatiuum. *Quia* (inquit) *quantum in se fuit falsum crimen, in infamiam cuiuscumquè scienter dixit, seu imposuit Sufficit ad casum reseruatum*. Attamen licet communi modo loquendi, accusare de falso, & imponere calumniam, dicamus, quando aliquis solum deportetur, etiam si ad finem vsq; causa non deducatur, tamen nec calumniã, vel falsum aliquem dixisse, iuridicè affirmare possumus, nisi post sententiam, vel recantatam palinodiam cæteræ supitiones sunt. Nec infamatus aliquis remanet per accusationem, sed per delicti probationem. Casus autem iste plus respicit accusatum, quã accusantem, vt scilicet proximus in fama non lædatur.

Accusantium nomina reuelare, casus reseruatus est tantum, cum peccati mortalis rationem induit. Cum scilicet sine causa charitas læditur, & simultates in religione excitantur; non enim agitur de violata iustitia, quia de iure, accusatorius libellus inscriptionẽ habere debet, vt accusatus se tueri possit. lege nostrã praxim criminalẽ *Tit. de patrono, & defens. pag.*38. ad quam me remitto.

Accusatores reuelare quando est casus reseruatus.

Iste verò casus in decreto Clementis, non reperitur, sed bene in Iulij Secundi statutis part.3. *Falsæ criminationes in infamiam ciuscumquè scienter, & dolosè factæ*. quæ reseruatur Pronincialibus. Et in Parisiensibus, vt in quinto casu retulimus: Vbi, & additur *Duodecimus, cum accusati inquirunt scienter de nominibus ipsorum accusantium (Nisi quando accusatus de crimine, petit à Prælato, accusantium nomina sibi reuelari) Et quartusdecimus, Reuelatio nominum accusantium accusatis, vel alijs nescientibus, scienter facta*. Quare casus reserua-

tus

tus comprahendit actuarios reuelantes parti nomina; Et Iudices idem facientes, non seruato ordine iuris; sed ex peculiari quadam libidine: Et non tantum accusato, sed etiam alijs, qui deinde publicare possent, & inimicitias serere. *Quos casus iste comprahendit.*

VII. Falsum testimonium deponentes, deponendum procurantes, alios quomodolibet infamantes.

VIII. Iurati falsum affirmantes, & verum negantes.

Clemens Octauus. *Iuramentum falsum in iudicio regulari, seu legitimo.* Iul. II. Part. 3. *Falsi testimonij in iudicio facti.* Salmanticensia cap. 7. idem formaliter. Parisiensia, *Decimustertius, cum quis deposuit coram aliquo Prælato, vel Visitatore, falsè, ac scienter de aliquo crimine contra aliquem Fratrem, vel ad hoc faciendum aliam personam inducit, &c.* Alexandrina, *A falsa criminatione in infamiam cuiuscumquè.* *Iuramentū falsum, casus reser.*

Hæc omnia cum effectu interpretanda sunt, Ex superius dictis. Ad falsitatis autem essentiam requiruntur, Mutatio veritatis, Dolus, & quod alteri sit nociuum; quorum si alterum deficit, falsitas non est punibilis. per *Hostiensem, Tancred. Azor. in suis summis. Et per text. in l. quid sit falsum. ff. ad l. Corneliam de falsis. & l. nec exemplum. eod. C. & l. damus. eod. Petr. de Ancharano con. 23. Paulus de Castro consil. 99.* Est enim falsum mutatio veritatis cum dolo. *Auth. de instr. ex causa. in prin. Bartol. in l. quid sit falsum. cit. & in l. nec exemplum. & l. damus. C. eod. tit.* *Sed cum effectu falsitas quid.*

Fateor quidem hanc falsitatis acceptionem, necessariam esse ad externum iudicium, attamen non omnia hæc requiri ad casum reseruatum affirmo. Nec placet quod ex *Siluestro, & Graf. scribit Belloch. in praxi pag. 361. num. 103.* non incidere, nimirùm in casum reseruatum, eum qui falsum quidem deposuit, non tamen parti nocuit: Nam cum hoc stat rigorosa casus reseruatio, *depositio scilicet falsi in iudicio.* Licet enim confiteatur, vbi non sit legitimum indicium (vel quia Iudex est incompetens, vel non iuridicè interrogat, vel quia iuramentum non exhibuit, vel quia extra articulum interrogatur, vel sponte confitetur, & alia quæ iudicium nullum reddunt) non incurri in casus reseruationem, quia Clemens VIII. vult *Iuramentum falsum in iudicio legitimo*; tamen solā falsi depositionem non sufficere, nego: Qui enim partem non læsit; adhuc falsū testimonium in iudicio legitimo protulit, adhuc mendacium coram Iudice dixit; ergo in casum reseruatum incidit: Nā vt dicitur *Auth. collat. I. Nouell. 73. in præfatione. de instrumentorum cautela, & fide. Nihil aliud est falsitas, nisi* *Quæ falsitas in iudicio reseruata.*

veritatis immutatio. nec nouum est, & à ratione abhorrens, vt mendacium iuramentum firmatum, reseruetur in religione, cum testis falsus, etiam si partem non lædat, de falso puniri potest. Quin imo si hæc doctrina valeret, nullus testis falsus puniri posset, quia testis falsus, vt falsus, nihil probat; & si nihil probat, partem non afficit; ergo si punitio falsitatis pendet à læsione partis, nunquam puniretur; Quod tamen falsum est, quia ideo punitur, quia partem non lædit; sed lædere tentauit, & quantum est de se, quidquid potuit fecit.

Quid si falsum deposuit in iudicio sæculari iuridicè examinatus?

Etiã in iudicio sæculari.

Respondeo, ex Clemen VIII. videtur non incidere in casum reseruatum, quia ait. *In iudicio reguiari*, & Parisiensia *coram Prælato, aut Visitatore*. Attamen ex statutis, puto esse reseruatum, potiori ratione quia & falsum deposuit, & ordinem infamauit: nec talis restrictio in his statutis reperitur.

Infamatio vt sit casus reseruatur qualis.

De infamatione dicendum est, esse casum reseruatum, si infamat publicè, vel occultè, regularem, siue sæcularem, de falso, vel de vero, secreto tamen; verbo, scripto, nutu, &c. quod publicari non poterat: omnia enim hæc continentur in illis verbis, *Alios quomodolibet infamantes*, vt ait *Corduba* citatus, qui exemplificat de dicente, quod sit fornicator, proprietarius, latro, adde, ebriosus, blasphemus hæreticus, proditor, explorator &c. infamant enim hæc crimina, nisi excuset paruitas materiæ, lapsus linguæ, inaduertentia, iocus, & omne illud, quod à restitutione famæ absoluat. vide alia in praxi Criminali *test. lib. pag.* 28.

IX. Ter debitè moniti obedire renuentes.

Apud Clementem non est, At in Parisientibus, *Primus, inobedientia contumax*. Idem in Salmantic. & Iulij 2. *part.* 3. & Alexandri VI. *A peccato inobedientiæ contumacis, illius videlicet, qui trina monitione debitè præmissa, obedire contemnit*. quæ verba totum casum declarant. Et licet ad carcerandum inobedientem, non requiratur talis dilatio, vt in praxi dictum est *pag.* 9. tamen ad deducendum casum reseruatum, requirit dilationem vnius diei, & præmissionem trinæ monitionis, vt scilicet resipiscat. Quæ copulatiuè requiruntur ad casus reseruationem. Lege vbi de obedientia.

In obedientia quæ, casus sit reseruatus.

X. Consummatum carnis peccatum quodcumque committentes.

Iulius Secundus part. 3. Salmanticensia, & Parisiensia, *Lapsus carnis*. Addunt tamen Parisiensia casu decimo, *Tactus impudicus, & enormis*. Clemens VIII. *Lapsus carnis opere consummatus*.

Casus extendit se ad omne peccatũ mortale carnis actualiter consummatũ, &

& opere completum;itaut ſecluſo peccato mentali, & conamine ad peccãdum, in quacumquè huius peccati ſpecie, omnia alia ſunt reſeruata, alia autem non ſunt,quia non ſunt opere conſummata;alias non fuiſſet opus addere,*Opere conſummatum*,ſi de quocumquè peccato libidinis intelligi deberet reſeruatio;quia dato quod ſit voluntarium, ſiuè in mente, ſiuè in moroſa delectatione,ſiuè in conatibus ad peccandum,ſemper eſt peccatum mortale. Attamen hoc in tota ſua latitudine non eſt reſeruatum, ſed tantum, quando fuerit conſummatum opere,tali peccato correſpondente.v.g.velle pollui, fornicari,adulterari, agere, & pati turpia, &c. Accingere ſe ad opus, & omnes diſpoſitiones adhibere, ſiuè ſolus, ſiuè cum ſecunda perſona, peccatur quidem in ſpecie illius quod intenditur,ſed non eſt reſeruatum,niſi ſequatur effectus in ſuo genere: hoc eſt enim per ficere,& conſummare.itaquè pollui voluntariè,& alia huius criminis peccata de facto committere,peccata reſeruata ſunt. *Actus carnalis conſummatus,caſus reſeruatus.*

Quod dicitur de tactu enormi (qui in his ſtatutis non eſt reſeruatus) varij varia ſentiunt; *Politus,Coriolanus, Cyprianus,* rem ſubtiliter digerunt; omnia tamen ex *Corduba quæſt.4.caſu quinto* accipientes. Breuiter, cum in iure, *Enorme*, idem ſit quod *immodicum*, *& prægrande*, vt interpretes affirmant in *l.1.C.de emendat. propinq. ſic enorme delictum,enormitas ſtipendiorum* apud Spartianum. *Enormitas donationis l.4.C.de inoffic.donat.* id eſt nimia largitas. Sequitur actum enormem eſſe,magnum,conſpicuum,aliqua circunſtantia qualificatum,vt perſonæ;puta ſi cum matre,cum conſanguineis in primo gradu,cum iumento,cum filia ſpirituali,cum ſeipſo modo nimis indecenti,& extraordinario: loci,puta ſi in foro,coram alijs,in Eccleſia,in confeſſionario:tẽporis,puta die ieiunij, Septimanæ Sanctæ,magni feſti dum omnes pęnitentijs,& deuotionib.indulgent:partium corporis,quæ tanguntur,nimirum, ſi in obſcænis,ac inſolitis, idq; ſpeciali aliquo,& non ordinario modo: ſi horrendis concubituum inuentionibus, quas improba,inſanaquè Venus in noſtram perniciem comminiſcitur,& his ſimilia, quorum iudicium legitimo confeſſori,vel Pręlato remittitur, tactum enormem conſtituunt. *Tactus enormis quis dicatur.*

His addit alium caſum Corduba, *ſollicitationem,* nimirùm, *& incitationem ad actum carnis*. Qui & in Pariſienſibus eſt 11.*Incitatio,vel ſollicitatio ad peccatum carnis*.quę ſignis tactibus,verbis,nutibus,literis,nuncijs,frequenti conſuetudine donis promiſſis,laudibus,adulationibus,obſequijs,committi poſſunt. Noto tamen,in hac Familia,nec tactum,nec ſollicitationem eſſe reſeruata.

II. Denarios contra præſcriptum accipientes,tenentes,vel aſſeruantes.

Continentur in illo Clementis. *Proprietas, quæ ſit peccatum mortale contra votum paupertatis*. & Iulij 2.par.3.& Salmanticen.*Proprietariæ rerum detentionis,cum deliberatione factæ,denariorum quorumcumque receptionis, per ſe, vel per interpoſitam perſonã,cum propoſito,ſeu aduertentia*.& Alexãdri 6.*Approprietate, & rerum detentione*. & Pariſienſium.*Detentio proprietaria quarumcumque rerum.* *Denarios accipere,& tenere caſus reſeruatus.*

de quo abunde *c.6.* notauerim tamen, hic solum reseruari non proprietatem, sed acceptionem,&c. quæ sine proprietate committi poterunt: Nisi ad declarationẽ addamus, *authoritate propria*, id enim notat *contra prescriptum.* Et hoc dato, non reseruatur proprietas, siuè acceptio, &c. nisi denatiorum; vnde qui alia retineret, non incideret in hunc casum: Debet autem esse materia peccati mortalis.

XII. Rei Sacrę vel notabilis furtum perpetrantes.

Furtũ quale casus reseruatus.

Clemens Octauus. *Furtum de rebus Monasterij, quod sit peccatum mortale.* Iul. 2. par. 3. *Furtum rei notabilis, vel alterius rei frequenrer iteratum,* Quod descripserunt Parisiensia, & Salmanticen. Alexandrina autem. *A defraudatione bonorum conuentus, a furto rei notabilis.*

Sacrilegium reseruatur.

Rem Sacram diximus in casu secundo, & est Sacrilegium *cap. si quis 17. quæst. 4.* Posset quæri, an in rebus Sacris detur paruitas materię, cum sanctitatis forma, per benedictionem inducta sit eadem in omnibus, nec furari reliquiam paruam erit veniale, & magnam mortale, quasi accipiatur materia.

Dico tamen, si accipiatur ratione materiæ, tunc dari, magis, & minus, vt plus erit surripere calicem, quàm coclear thuribili, plus albam, quàm amictum. Et in hoc, si surriperetur pannus, vel sudariolum, at nasitergium, non pertingens ad grauem summam, non esset casus reseruatus. Si autem fit furtum rei, quæ accipiatur ratione formę, vt oleum Sanctum, Sanctissimum Sacramemtum, reliquię, &c. Tunc dico esse casum reseruatum, etiam si materia sit leuis, quia eadem iniuria semper irrogatur. Lege *Silu. V. Reliquia. quæst. 2. & V. furtum n. 7.*

Res notabilis, quæ dicatur.

Quæ autem sit res notabilis. *Corduba, quæst. 4. Sexto casu,* Ait esse calicem, crucem argenteam, vel aliud notabilis valoris. puto summam decem aureorum esse rem notabilem. Huic sim. le est furtum rerum paruarum, sæpius replicatum, quia cum vitio augetur materia, & consequenter culpa. ita *Corduba citatus.* sic si quis hodie surriperet librum, alio die atramentarium, alio panes, alio linteamina, &c. peccaret mortaliter iteratione, pertingente ad materiam notabilem, & esset casus reseruatus: Qui non tantum agit de bonis Monasterij in communi, sed etiam de ad particulares vsus destinatis, vt libri, vestes, scripta, &c. Sunt enim, & ipsa Monasterij: Et non tantum Monasterij, sed etiam Sæcularium. Quia licet Clemen. VIII. de bonis Monasterij loquatur, casus autem noster amplior est, omne furtum complectens, nec est restringendus secundum casum Clementis, quippe determinatus fuit ante Clementem Octauum, & suam interpretationem habuit à voto paupertatis, à quo nimium aliena debet esse surreptio. Itaquè qui calicem ab aliena Ecclesia surriperet, vel nummos alicui Sęculari furaretur, in hos casus, reseruatos incideret.

XIII. Reli-

XIII. Religionis bona extra ordinem dono dantes.

Iste alibi non reperitur. Donare, proprietatis est. Et reseruatur cùm extra ordinem donatur, non intra. Includuntur Moniales, quia extra ordinem sunt, & incurritur casus in omnibus illis modis, qui fuerunt à Clemente Octauo præscriptis, & his diebus à Sanctissimo Domino Nostro Vrbano Octauo declarati, in Constitut. *Nuper* à particulari Congregatione. *edit.* 16. *Octobris* 1640. sunt autem sequentes. *Donare, est casus reseruatus & quando.*

Munera à Religiosis vtriusquè sexus tribui posse ex causis Gratitudinis, Conciliationis, Beneuolentiæ, eiusquè conseruationis erga ipsam religionem, vel Conuentum Aliisuè causis ex sui natura, actum virtutis, & meriti concernentibus: modestè tamen, ac discretè, & dummodo id non fiat nisi de Superiorum licentia, ac etiam cum consensu maioris partis Conuentus, si de iure, vel constitutionibus, aut consuetudine requiratur. *Casus prohibiti circa donationes, vel concessi.*

Licentia Superioris requiritur, aliàs esset proprietarius actus, *Ioann. Andr. communiter receptus. in cap. Cum ad Monasterium. de statu Monach.* & probat *Nauar. lib.3. consil.75. nu.49. de Regular. Turrecrem. in cap. Non dicatis art.5. vbi & Nauar. num. 16. de statu Monach.* quia proprium est, quod ab altero non dependet; & proprietarius idem est ac dominus. *l. si proprietarius. ff. de dam. infect. & apud Vlpian. ff. de dolo. l. & eleganter. §. si seruum. Valent. 2. 2. disput. 10. quæst. 4. punct. 3. Mendoza quod l. 8. con. 3.* *Sine licentia regulares donare non possunt.*

An requiratur expressa, & non sufficiat tacita, vel præsumpta, eo quod eam connectit cum consensu Conuentus, qui expræssus esse debet. Dico sufficere tacitam, vel prudenter præsumptam, quia *taciti, & expressi eadem est virtus. l. cum quid, ff. de rebus credit. & capit. 2. de rescriptis. S. Thom. 2. 2. quæst. 32. artic. 8. ad primum. Corduba in sum. quæst. 109. & in regul. cap. 6. quæst. 6. Peirinus tom. 2. quæst. 2. cap. 2. §. 8. V. Dico tertio.* Non enim imponitur expræssa licentia, quo casu Legislatoris dicto standum esse, docent *Lopez 1. par. Instruct. conscient. versu penult. cap. 156. Rodrig. in sum. tom. 2. cap. 31 num. 7.* Attamen, tali declaratione non facta à Summo Pontifice, nec à Superioribus pro tempore, standum est in iure communi. Cuiusmodi philosophandum esse de consensu conuentus, ratio ipsa suadet, quia plus est requirere licentiam à Superiore, sine qua committitur proprietas, quam consensum conuentus, qui est sollemnitas iuris. *Sufficit licentia tacita.* *Taciti, & expræssi idē est iudicium*

In Religione Seraphica, præter Conuentuales, talis consensus non est in vsu, quia nec Superior, nec conuentus habent ius in bona, ex *capit. Exiit. eod.*

Motiua donationis faciendæ rationabilia sunt. Nec tam dona, quàm recognitiones, & remunerationes, quæ naturali iure dictant bonum superius, cum inferioris dispendio. Gratitudo enim naturalis eadem est, quæ & obligatio. Et Antidoron. *Vlpian. in l. sed, et si, §. consuluit. de petit. hæred.* est si quidē gratitudo specialis virtus reddens gratiam benefactori. *S. Th. 2. 2. quæst. 106. artic. 1.* *Causæ, ob quas donare possimus.* *Gratitudo quid sit.*

cui ingratitudo opponitur, vitium maximum benemeritis negligens gratias referre. *l. seruos. ff. de manumiss. test. l. centurio. C. de inofficios. testam.* Vnde nobis in S. Eloquio commendatur: *In omnibus gratias agite. 1. Thess. 5. grati esto, te. Colos. 3.* quam virtutem nobis debitam esse, docet *Aristoteles 4. ethic. Laus (inquit) & gratiarum actio, debentur danti. Et Seneca de benef. dicitur gratus, qui aliquid pro eo, quod acceperat, reddit.* Et Cassiodorus Epist. de gratitud. *Inuitat ad magna, qui gratanter suscipit modica, & spem de futuris recipit, qui transacta beneficia recognoscit.* Et innumeræ aliæ huiusmodi sententiæ, quæ passim sunt obuiæ. Vnde in gratitudine debitum, & lucrum reperiuntur. Quare non est in paupertate dispensatio, sed obligationis admonitio. Nec credendum est, eos, qui nobis eleemosynas elargiuntur, nostræ humanitatis iacturam intendere. Si enim ad nostrum victum, sustentationem, & commodum eas tribuunt, cum nil humanæ naturæ sit propinquius, quam esse gratum, vexationes redimere, rempublicā conseruare, & christianarum virtutum opera facere, infertur, quod & hoc ipsum elargitores intenderint, vnde cōtra dantium voluntatem alienis non vtimur, sed sumus eorundē executores, & administri. Modestè tamen, & secundū statum nostrum, Quia excessus esset vitium, nec in datorum erogatione cōclusus. Do assertorē *Aristotelem lib. 8. Ethic.* dicentem. *Retributio possibilis esse debet, non condigna, vt patet de Deo, & parentibus, quibus non possumus æquale reddere.* Do *Ciceronem in Philippicis. Cum gratia tanta referri non potest, quanta debetur, habenda tamen tanta est, quam maximam animus capere possit.* Quia tantum reddere, quantum accepimus, non esset gratiam referre, sed mercedem, vt idem *Tullius* testatur *lib. 2. Rhetor.* Do *Ambrosium super Luc. ser. 5. Nihil est, quod dignum referre possumus, pro suscepta carne in Maria Quid pro verberibus? Quid pro cruce, & sepultura reddemus? Licet crucem pro cruce, funus pro funere, nunquid reddimus quod accepimus? Reddamus igitur amorem pro debito, charitatem pro munere, gratiam pro sanguine, pro pretio pecuniam.* Hæc mensura modestiæ ex ipso statu deducitur. *Pauper, & Diues obuiauerunt sibi, Prou. 22.* sed non vt æquali passu gradiantur. *Natus in paupere domo, & in tugurio rustiçano, qui vix milio, & pane rugientem saturare ventrem potest, non debet similam, & mella fastidire.* Dicebat de se ipso *Hieronym. Epistol. ad Nepot.* & vt ex *B. Augustino* refert *Hugo de Claustro ani. lib. 1. cap. 9. Quorum Cellaria non hæreditas, non patrimonium, sed manuum labor annonam parabat, etsi manus cessaret, panis deficeret, & in Ecclesia honorari volunt, qui in domo sua non nisi contemptibiles esse poterant.* Si igitur sumus, & professione, & affectu pauperes, donare more diuitum non debemus.

Gratitudo æqualitatem non respicit.

Christo D. nihil æquale reddere possumus.

Hinc metiendæ *Commessationes, compotationes, & conuiuia in excipiendis, præsertim Benefactoribus, Protectoribus, vel Ordinarijs honorificè, & lautè, quia censeri tantum prohibita debent, si decentiæ status regulavis aduersentur.* Subiungit Apostolica declaratio, non quòd Principes, & Prælatos ordinaria Fratrum suppellectile, & instructione excipere teneamur, hoc enim non esset hospites *honorificè, & lautè* recipere; Sed debemus excedere in apparatu, in ferculis, inquè alijs, quibus possumus benefactores honorare. Quod etiam facimus aliquando in receptione Generalium, Prouincialium, & aliorum Patrum insignium, quibus lautius excipiendis, saltē prima vice incumbimus. Ac etiam in aliquibus festiuitatibus, quæ laxare animum religiosè permittunt; quantò

Principes quomodo excipere debemus.

magis

magis id præstare debemus cum talibus hospitibus? Exceptio igitur mensuranda est,& à persona hospitis,& à statu nostro, vt nec ambiamus iuxta qualitatem adæquatam personæ,illam recipere,nec ad Ordinarij status modum deprimere, sed hinc intendendo,& inde aliquid minuendo,oriatur hilare, & modestum hospitium, cui regulas præscribere, prudentis Prælati iudicio relinquitur. Plus enim,vel minus circa medium versari,moralitas ipsa suadet.

Diana *part. 1.tract.de religiosa paupert. resolut. 2.ex Sosa Ortix. Ioann. Valero, Ioann. de la Cruz, & Berto* probat Clementem Octauum non induxisse nouum ius, sed modum circa largitiones: Vnde nec Sanctissimus Dominus Noster nouas declarationes inuexit. Siquidem Patres Dominicani causas, quas declaratio ista tangit,in Capitulo generali *ann.* 1596. suis assignarunt, nimirùm Gratitudinem, conciliationem, beneuolentiam,& eiusdem conseruationem,in ordine ad Conuentum,Pietatem in parentes,& consanguineos ad quartum gradum inclusiuè, & Redemptionem vexationis. Quæ ordo Minorum prius decreuerat sub Iulio Secundo in statutis Papalibus *cap.4.part.11.ann.*1508.appono determinationem; vtilis enim est ad hanc materiam. *Quia Fratres ordinis, nullius rei dominium, vel proprietatem habent, ideo nihil intra, vel extra ordinem dare possunt, sine licentia eorum, quibus Authoritate Apostolica committitur; per præsentes committimus vicem suorum prælatorum, & maximè Ministrorum, qui non authoritate sua, sed velut Eleemosynarij, vel Commissarij Summi Pontificis, Fratres suos ad aliquid dandum, intra, & extra ordinem, pietatis,aut deuotionis,intuitu,cum multa tamen discretione, poterunt licentiare. Caueant tamen prædicti Prælati,& Ministri, ne ad ampla dona sine grandi causa,huiusmodi licentiam præbeant. &c. Præsertim illud, quod Nicolaus Tertius declarauit §. Quia verò dominium.* Vbi sic dicit. *De rebus mobilibus, & parum valentibus, liceat ex nostra præsenti constitutione Fratribus pietatis, seu deuotionis intuitu, vel pro alia honesta, & rationabili causa obtenta prius super hoc Suorum Superiorum licentia, iuxta quod inter Fratres in generali, vel prouincialibus Capitulis, tam de reb. ipsis vilibus, seu parum valentibus, & earum valore, quam præfata licentia, &c. Elargiri.*

Hic tangitur ratio à priori Minoricæ largitionis, quæ nullo modo rationem doni habere potest, quia deest dominium. Sed fundatur in commissione Papæ, qui est dominus, & nos sumus Papæ eleemosynarij, seu dantium dispensatores, vt supra tactum est. *Donationis minoricæ ratio.*

Tangitur secundò,causa deuotionis, & pietatis, quæ in Clementina constitutione reperitur.

Tangitur tertio, posse dari ampla dona, sed cum causa correspondenti, quas, & Patres Dominicani, & Sanctissimus determinant,gratitudinis,beneuolentiæ, & virtutis. Franciscana tamen Religio, etsi à iure facultatem habeat determinandi quantitatem doni, nunquam ad hoc descendit. Nec aliquis commentator Regulæ eam determinauit. Solus *Sorbus in Compendio priuileg. Titulo, Dare,* quem sequuntur *Politius, & Ioann. Ximenes in cap.6.reg.num.54.&* 55.dicit, leuiora pocul enta, & esculenta, & ad deuotionem pertinentia munuscula,non debere excedere summam vnius,aut duorum iuliorum.Rerum autem minimarum summam, quæ inter Fratres dari posset, non debere superare, duos, aut tres iulios. *Diana* tamen ex multis, quos citat, & ex oraculo *Minores quantum donare possūt.*

Clem.VIII. putat duos aureos esse summam modicam, *resolut.5. loco citato. Fagundez tract.2.lib.8. capit.6.num.12.* Loquens de alijs Religiosis à Minoribus, resoluit, posse Superiores donare de bonis Monasterij decem scuta, & citat, *Cordubam, P. Nauar. Ludouic. Lopez, & Hieronym. Flammam.* Sed hoc stat iudicio Prælatorum. Quoad nos, positis his declarationibus, puto Prælatos regulares (etiam Guardianos ex Capitulo generali Capistranij apud *Cordub. in cap.6.quæst.6.§. Et concordat serena*) posse donare ob dictas causas munera ad hunc valorem aliquo modo accedentia, & etiam denarios, si qui apud Syndicum reperirentur (nam petere illos ad hunc effectum, non licet, quia Nicolaus Tertius, loquitur de rebus iam sub dominium Papæ redactis, vt ex *Speculatore* affirmat citatus *Corduba*) conclusio est contra *Cordubam citatum §.4. conclusio*, qui ait, *nec totam Religionem posse donare vnum quidem denarium pro amore Dei, quia non possumus esse administratores pecuniarum, nec possumus de tali pecunia emere aliquid ad dandum alijs.* Et videatur esse sensus omnium expositorum, præcipuè *Rodrig. to.2.q.47.ar.4. Sorbum V. donare. Politium in c.6.n.* 27. quos citat, & sequitur *Xim.n.*54.

Attamen consideratis principijs, non video conclusionem in aliquo casu improbabilem, Quia Nicolaus III. declarat, posse Fratres donare propter causam rationabilem, & honestam. Iul. 2. declarat, posse dari ampla dona ex grandi causa. Et licet eius statuta ad Conuentuales præcipuè dirigantur, in hoc puncto tamen, non dispensat, nec relaxat regulam, sed purè sistit in decretali Nicolai III. quam citat. nec repugnant verba, *rebus vilibus, & parum valentibus*, cum alijs, *Ampla dona*. Quia illa referuntur ad pietatem, & deuotionem, ista vero ad grandem causam, quæ talis esse potest, vt cogat nos ad magna dona recurrere. Non enim puto voluisse Pontificem, negare ordini, vt sibi succurrat in grandibus causis, & Sanctissimus Vrbanus VIII. declarat posse dari, ex gratitudine, &c. & hæc declaratio fratres etiam minores comprehendit, sicuti comprehendebat constitutio Clementina. Nunc autem ampla dona, & alia à deuotione, & pietate, & ad conciliandam beneuolentiam, & gratitudinem, &c. mihi sonare videtur aliud quid à munusculis, & à cibarijs, & ab ijs, quæ extra nummos sunt. Quod enim amplum donum dare potest Religio, quod vel nõ sint nummi, vel per nummos non ematur? & licet fratribus sit interdicta pecuniæ contractatio, & administratio, concessum tamen est, in necessitatibus ad amicos spirituales recurrere, & per eosdem, vel per Apostolicos Syndicos expendere. Nec maiorem necessitatem video, petere denarios ob reparationem Conuentuum, quam ad redimendam vexationem, vel sustentandam gratiam potentis, qui posset religioni notabiliter incommodare. Quid enim facerent fratres minores, qui sacra loca Ierusalem conseruant, nisi Turcis sæpè denarios, & in magna quantitate donarent? & tamen (vt diximus) neq; hoc est donum, quia nos non damus nostra, sed vel ea, quæ Sedis Apostolicæ sunt, velut eleemosynarij, vel interpretamur voluntatem dantium, quia sua nobis tribuunt, vt in necessitatib. nobis opitulentur. Neq; vlterius video quomodo Benefactor, Protector, Episcopus Lautè recipi possint, nisi aliquid pecuniæ expendatur, vel petatur. Et ne aliquis putet hanc declarationem Apostolicam, non pertinere ad fratres minores, quasi ex altissima paupertate, & odio denariorũ donare non possint, nisi *vilia, & parũ valentia*; Quia vt Clementina constitutio declararetur in causa fuit

Illu-

Illustrissimus, & Reuerendissimus D.Celsus SS.D.N.à confessionibus ex ordine nostro ad Ecclesiam Ciuitatis Plebis assumptus, qui ob suam in Religionem pietatem, & merita, seriò egit cum Sanctitate sua, & cum Eminentiss. D.Card. S.Onofrij, Maiori Pœnitentiario. vt tandem hæc Constitutio ad securitatem conscientiarum omnium Regularium, & præcipuè Minorum sine paupertatis offensione declararetur, Et pro ordine nostro, auditus fuit Reueren. Adm. P. Frater Iosephus Redaelius, Procurator ordinis, & commissarius generalis Curię, qui, vt est de re literaria, regularique obseruantia optimè meritus, & decretalis verba, & paupertatis Minoricæ præcisam obligationem in habitis congregationibus exposuit. Vnde apparet, si tangere debeat fratres Minores.

Declarationis de largitione munerũ, qui fuit promotor.

Confirmat hoc ipse Corduba, qui se remittit *ad q.7.§.V.conditio.* quia ibi ait, quod necessitas sit propria fratrum, domorum, subditorum &c. at donare in casibus prædictis, non est necessitas, nisi propria conuentus, cui incumbit gratitudo, conseruatio sui, vexationis redemptio, virtutis actus &c. Ergo siunus in casu, & præcepto regulæ. Ac etiam tradita per eum *q. 9. eiusdem c.4.* quia tale donum non daretur nomine fratrum, sed Papæ, & Benefactorum, vt verè dandum esset; & sic Prælatus, vel conuentus declararent tantum hic & nunc applicandam talem eleemosynam. Immò *Politus num. 26. & 27. Sorbus V. Donatio. Culla §.1. Verd.ad.11. manual.c.18.n.44. Miranda c.85.fine.* quos citat, & sequitur *Ximenes supra n.55.* tenent posse Guardianos cum consensu Syndicorum remittere hæredibus partem legati. Primò, si inde maius bonum secuturum esse. Secundò ob maiorem ædificationem Sæcularium. 3. ne de nobis tanquam de auaris, & tyrannis malè loquantur. Quartò si fuerint pauperes. Ergo si possumus dimittere, quod idem est ac donare, quod nostrum non est, possumus etiam in causis similibus aliquid donare.

Legata remittere hæredibus, quã do possint.

Sed quæ sunt *actus virtutis, & meriti concernentia?* Illa inquam, quæ spectant ad statum talis Religionis, non alios. Quia constitutio fertur in ordine ad religiosos, quos à sua obseruatiâ abstrahere Pontificem voluisse, nõ est putandum. Hinc licet Prædicatoribus, & alijs Religiosis, qui proprium in communi habent, concessum sit consanguineis succurrere vsq; ad quartum gradum nobis non licebit tam amplè eleemosinas extẽdere, maximè si fuerint pecuniarię, quia hæc non conceduntur fratribus nisi in certis casibus, quibus similes non sunt necessitates consanguineorum. De parentibus vero, quibus de iure naturæ tenemur, dico posse Superiorem eleemosynam in extrema necessitate erogare; sicut potest concedere filio subdito, vt pro parentibus ad amicos spirituales recurrat. Nec debemus voluntarium meritum quærere, donando bona conuentus, sed illud quod sine offensione charitatis, vel iustitiæ vitare non possumus: vt esset sucurrere ægeno grauiter indigenti, nec ab alio potenti recipere. Et S. Didacus ęgeno dedit campanulas argenteas, quæ apud altare pro voto pendebant. Infirmum in conuentu curandum conducere, & pro illo medicamenta quærere, quando vel non benè curari posset. Incidentem in latronum manus, & in mortis periculo manentem, nisi succurreretur, adiuuare, vel redimere. Christianum in infidelium potestatem redactum, & negare fidem paratum, nisi redimatur. Virginem, castitatis iacturam subituram, ob necessitatem cibi, vel vestis, nisi prouideatur &c. in his enim & similibus, cùm aliundem remedia adhiberi non possint, & sint actus virtutis, & meriti, censeo valere dispositionem

Quibus casibus donare possimus.

Parentibus fratrũ quando donare liceat.

Et quibus alijs.

nem Vrbanam. ſed de hac conſtitutione ſatis. lege *Peirinum tom.2.quæſt.2. cap.2.§.8.per totum*.

XIV. Fratribus, vel Sęcularibus vendentes, aut quouis modo alienantes.

Hic caſus patet ex dictis c. *6*.

XV. Generalis, vel Prouincialis, aut eorum Secretarij literas tum miſſas, tum accipiendas, impedientes, frangentes, falſificantes, vel quomodolibet intercipientes.

XVI. Sigillum ordinis, vel cuiusvis alterius Prælati, aut Perſonæ notabilis falſificantes.

Falſificatio ſigilli, & manus, caſus reſeruatus.

Hos duos Clemens VIII. ponit in hæc verba. *Falſificatio manus, aut ſigilli officialium Monaſterij, & malitioſum impedimentum, aut retardatio, aut apertio literarum à Superioribus ad inferiores, & ab inferioribus ad Superiores.* Salmanticenſia, & Pariſienſia, & Vltramontana tantum habent *falſificatio ſigilli cuiuſcumquè perſonæ notabilis*. Quod dixerant etiam Alexandrinę conſtitutiones: & de literarum violatione nihil dicunt. Statuta autem Papalia Iulij ſecundi *par.2.* latius ſe extendunt, itaut pro commentario horum caſuum inſeruire poſſint; quæ enim ad Generalem pertinent, ſiuè quoad literas, ſiuè quoad ſigillum, Generali reſeruant, alia ad Prouincialem.

Et quando. Primò enim incurrunt in hunc caſum, qui literas Generalis, vel Prouincialis, vel Secretarij eorumdem, tum ab eis miſſas, tum ad eos deſtinatas, ad quoſcumquè, vel à quibuſcumquè, ſiuè intra, ſiuè extra ordinem impediunt, &c.

Secundo,

Secundò, qui eas *aperiunt, retinent, adulterant, impediunt, vitiant, frangunt, non legunt statim, ne obediant, vel earum tenor executioni mandetur: Vnde nascatur iactura, aut dedecus ordinis, aut ipsius Generalis, propter iustitiæ normam, retinendo, vel ostendendo.* Ita statuta Iulij Secundi *part.* 2. quare si hoc fiat sine iactura ordinis, & Generalis, non erit casus reseruatus; vtpotè si fieret ob curiositatem, vel animi leuitatem, per confidentiam, vel cum Generali, aut Prouinciali, vel cum eis, ad quos datæ fuissent literæ: Et nullum præiudicium inde sequutum fuisset, quia nullum ordinem continebant, nec iustitiæ complementum, aut obligationem respondendi, sed tantum familiaria negotia, vt solet inter amicos. Est enim leuis culpa, nec intra limites casus reseruati compræhensa, quia ordo solùm respicit sui, & Generalis indemnitatem, & decorem. Et di currendum est in hac materia, sicuti in ijs, qui aliorum literas aperiunt; qui si faciunt cum dolo, animo lædendi, peccant mortaliter, & tenentur ad interesse, *Barthol. in l. Paulus ff. de falsar. & in l. qui tabulas. ff. de furtis.* & est etiam falsarius. *glos. approbata in cap. olim. l. 2. de off. deleg.* & est obnoxius seruandi secreti. *Sot. de ratione tegendi. memb. 1. q. 1. con. 2.* At si imprudenter, vel per curiositatem sine intentione notabiliter nocendi facerent, solùm venialiter peccarent: & si id facerent ex tacito consensu, vel præsumpto, puta quia confidit amico, vel cauere vult, ne negotia impediantur, nullum erit peccatum, *Graff par. 1. decis. lib. 2. c. 135. numer. 32. 33. 34.* Hinc si quis confingeret literas Generalis, vel Prouincialis ioco, ad nunciandum amico, quòd fuerit creatus Superior, vt sæpè accidit, licet peccare posset contra charitatem, non tamen esset casus reseruatus. Hinc secundò, Si quis per curiositatem aperiret literas Prelati, & postea clauderet, & mitteret, nulla immutatione facta in substantia literarum, non esset casus reseruatus, quia nullum damnum secutum est; nec formaliter impeditæ apertæ literę, sed solùm materialiter. Hinc Tertiò, Si quis impediret supradictas literas, non tamen notabiliter, sed per paruum tempus, non esset casus reseruatus, quia nullum notabile damnum est ortum.

Literas alienas aperire.

Tertiò esset casus reseruatus si apertis literis, falsificaretur vnum verbum, quod sensum mutaret, in damnum proximi, vel in derisum Prælati, quia hec est vera falsificatio. *tot. titulo. C. ad l. Cornel. de falsf. Nau. c. 17. n. 169.* Ita etiam si illas atramento illiniret, ne legi possent.

Quartò. Sigillum ordinis id est Generalis, & cuiusuis alterius Prælati, tum in ordine, tum extra, de quibus iam dictum est, falsificare, est casus reseruatus. Et inter Prælatos ordinis numerantur Generales, Prouinciales, eorum Vicarij, Commissarij etiam ad causas, Visitatores, Guardiani, & Vicarij locales, Guardiani vicem habentes. Secretarij, licet non sint Prælati, quia tamen possunt nomine suorum Prælatorum aliquid nunciare, sub hac lege compræhenduntur. Personæ autem notabiles licet in statutis *Iul. 2. part. 3.* dicantur, *Cardinalium, Regum, Ducum*. Tamen in vim casus nunc reseruati veniunt Omnes Principes, & Domini oppidorum. Insignes iuris periti, ac Medici, Patritij, qui in tali loco, & Ciuitate notam aliquam nobilitatis, diuitiarum, bonitatis obtinent. Nec enim nobilitas mensuranda est collatiuè ad alias Vrbes, quia accideret, quod qui non est notabilis persona Romæ, neq; esset notabilis in sua ciuitate, quod non est verum. Huc referuntur Iudices, qui non solùm notabiles, sed etiam spectabiles nominantur. *l. 32. C. de appellat. l. vlt. C. de modo multar.*

Prælati, & personæ notabili.

multar. Corduba q.4.§. Vndecimus casus. in c.7. numerat etiam Notarios, quia in scripturis faciendis habēt præexcellentiam. At, vt dixi, si habeatur relatio ad regionem, & oppidum, poterit, esse persona notabilis, vniuersaliter tamen, non assentior, quia Notarij v.g. Romæ, non sunt personæ notabiles. Inter hos numerandi sunt Mercatores insignes, Curati, Archidiaconi, & reliquæ dignitates in Capitulis, & Ecclesijs, Vicarij Generales, & foranei Episcoporum, Generales, & Prelati aliarum Religionum, &c. Sunt enim quilibet domi suæ notabiles personæ.

Subscriptiones falsæ nō sunt cas. reser.

Aduerto, non venire sub casu reseruato harum notabilium personarum subscriptiones, vt placuit *Cordubæ supra citato*, quia in odiosa casuum reseruatione, non debemus attendere, quod ad illud reducatur, sed quod strictè, & rigorosè in casu contineatur. Cum ergo reseruetur falsificatio sigilli, non est ampliandus ad falsificationem manus, quæ non est sigillum.

Quid si quis falsificato sigillo, vel epistola Generalis, eis non vtatur? *Graffius apud Coriolanum par.2.casu 7.n.1.* affirmat incidisse in casum reseruatum, quia iam facta est falsificatio. *Et Bellochius in praxi par.2.quæst.9.n.121.& 122.* addit *Etiamsi postea aliquod damnum, vel effectus, quem ipse intendebat non sequeretur, incidit in casum ex Clemen.8.* Attamen veriorē coriolani sententiam sequor, qui ait. *Nihilominus si nullum sequatur damnum, nempè quia noluit vti falsa scriptura, seu sigillo, sed combussit, vel lacerauit, non video quomodo incidat in casum reseruatum.* Quod optimè probat ex *Butrio in cap. penult. de crimen. falsi.* qui ait, quod sola falsificatio literarum sine vsu, non obligat quemquam ad pœnam. Et ex eodem *Graffio* dicente, qui aperit literas prælati, & non legit, non incidit in casum, & ratio est, quam adduximus ex statuto, quia hic nulla est *iactura, aut dedecus ordinis, aut ipsius Generalis*; nec debemus punire conamen, vbi requiritur opus: nec sola falsificatio est opus prohibitum, sed falsificatio in ordine ad faciendam fidem, ad quem finem ordinatur sigillum, & subscriptio. Excusare possem Bellochium, quando intelligeret falsificationem iam factam, & executioni mandatam, ex qua tamen effectus intentus non est secutus, puta quia literæ, falsæ iudicatæ fuerint, vel is, contra quem dirigebantur, se defendit, & nihil propterea passus est. in hoc enim casu puto incurrisse, quia fecit totum id, quod potuit, & literis falsis vsus est: & iam iniuria illata est in foro exteriori Prælato. Si tamen literę, & sigillum sic falsificatum mitterentur, & per viam perderentur, neque tunc in casum incidere affirmo, quia licet sit tentatus effectus, tamen in iudicium non est inductus, & remanet intra limites puri conatus.

XVII. Libellum famosum facientes, fieri procurantes, inducentes, consulentes, proijcientes, vel publicantes.

Apud

Apud Clemen. non est, Benè tamen apud Salmanticensia, Parisiensia, Iulij Secundi, & Alexan. 6. *Compositio, vel proiectio, aut publicatio libelli famosi* (& apud Iul. 2.) *tacito proprio nomine, vel sub nomine alieno, in infamiam quorumcunquè.* idem pro alia familia apud *Cordub. quæst. 4. casu decimo.* Libellus autem famosus est, scriptura in contumeliam alterius ædita, *l. vnica. C. de Fam. libell. vbi Azo. & Iurisconsulti in l. lex cornelia. ff. de iureiur. §. fin.* Et cum casus se satis declaret, non est immorandum. Solum aduerto non incurri, sine effectu publicationis, etiamsi proijciatur, affigatur, & diuulgari procuretur, si publicatio ad aliorū notitiam non veniat, vel quia authores illum amouerunt, vel quia aqua, vel ventus corrupit, vel quia ab ignaro literarum repertus, lectus non fuit. Respicitur enim proximi infamatio, qua non secuta, non est casus reseruatus, nequè si leuia publicentur. Legatur *Belloch. pag. 400. à n. 39. ad 48.*

Libellum famosum forimare, casus reser. & quando. Libellus famosus quis dicatur.

XVIII. Grauiter quempiam percutientes, aut contra Prelatum machinantes.

Amplior Clem. 8. *Occisio, aut vulneratio, seu grauis percussio cuiusquè personæ.* Salmanticensia, & Alexandrina. *Iniectionis manuum violentæ.* Parisiensia addunt, *In quamcumquè personam.* Iulius Secundus Generali reseruat, *Absolutionem ab excommunicatione maiori pro iniectione manuum violenta, cum iniuria leui in Guardianum suum, & eò magis in maiores Prælatos.* Et Prouincialibus *Iniectionis manuum violentæ in Clericum, vel Religiosum, etiam Nouitium, sine iniuria atroci.*

Violēta manus iniectio. casus reser.

Primò intelligitur tam de Fratribus, quàm Secularibus Laicis, & Clericis. *Cordub. d. q. 4. §. septimus casus.*

Quando.

Secundò de percussione graui, quæ includit occisionem, mutilationem, debilitationem vel laxationem membri, vel ex qua magna sanguinis effusio facta est dummodo ex ore, vel naribus non fluxerit. Item factam in personam Prælati, vel in loco publico, Ecclesia, Dormitorio, vel cum scandalo, vel in facie, aut oculo, vel coram Iudice, Vt ait *Nauar. in man. capit. 27. num. 792.* Igitur grauitas percussionis elicitur, vel ex persona percussa, vel ex qualitate percussionis, vel ex loco, vel ex adstantibus. Addo in nostra praxi criminali, *Titulo Delictorum discrimina. pagin. 6.* inter grauissimas culpas numeratur *Aggressio ferro facta, vel secuta percussione, vel vulnere, vel morte.* In dubio autem Prælati, vel Confessoris iudicium valere debet.

Machinari verò contra Prælatos est, dolo, vel technis contra ipsos insurgere. Machinatio enim dolus, & techna est. *Vulpianus l. 39. de verb. obligat.* Et machinatio dicitur, imaginatio ad faciendum malum. *l. 1. §. dolum ff. de dolo malo.* Vnde machinator pro inuentore, & authore accipitur; qui & architectus dicitur. Et licet in bonam partem aliquando acceptum reperiatur, vt plurimum tamen, & ferè semper accipitur pro eo, qui dolo, atquè astutia inuenire

Machinatio contra prælatum casus reser. & quādo, & quid sit machinari.

nire contra aliquem ſtudet. Quare caſus hic reſeruatus eſt, cum quis malo dolo, quærit Superiorem perturbare, inquietare, deijcere; cum eum falsò accuſat, cum turbas in conuentu, & conuenticula contra ipſum ciet; Cum aduerſus illum literas ſcribit, alijs conſulit, vt aduerſentur, &c. ſi autem hoc faciat cum cauſa vera, licet odio moueatur, non cenſetur machinator.

XIX. Carnes, cum vel Eccleſiæ præcepto, vel Regulæ, vetitum fuerit, comedentes, ſine ſcripta Superioris facultate, propter neceſsitatem, antea impetrata.

Carnes diebus, vetitis comedere quando ſit, caſus reſer.

De hoc alia ſtatuta nihil. Scriptam facultatem, puto non eſſe neceſſariam, quia ſufficit verbalis, imò & tacita, ac præſumpta, quando Superioris copia non haberetur. Et in Noſochomijs, ſeu Infirmarijs, dantur carnes Fratribus infirmis ex ſolo Medici ordine, nec petitur licentia à Superioribus per ſingulas vices, ſufficiente vna, pro toto tempore illius adminiſtrationis. Et dicti ratio eſt, quia præſente neceſſitate, & vt tali à Medico iudicata, & oretenus facultate conceſſa, comedens carnes, nihil peccat; ergo caſus non eſt reſeruatus. Nec enim ſcriptura requiritur hoc loco pro forma actus, ſed pro quadam ceremonia, quæ non eſt in vſu. *Felin. in Rubrica de conſtit. num. 5. 6. & alij.* Atquè hæc breuiter de caſibus reſeruatis.

STATVTVM VI.

Si Frater peccati pœnitens, ſuum Prælatum coram teſtibus confeſſione præuenerit, poſſit Prælatus, pro prima vice tantum, de conſilio teſtium, impoſita ſalutari pœnitentia, confitentem ab externo iudicio liberare. Proteſtatione tamen præmiſſa, ſi relabatur, etiam de condonatis, in iudicio rationem exacturus.

Exemplo Chriſti, qui dixit mulieri. *Nemo te condemnauit, nec ego. Ioann. 8.* Et cum faciem Dei in confeſſione præoccupemus, Pſalm. 94. vnde & miſericordiam

diam consequimur, mirum non est, si Seraphica Religio spontaneè faciem Prælati præoccupantib. delicta condonet. Salutaris autem pœnitentia, quæ imponitur, de testium consilio, non consensu, Pręlato arbitraria esse debet, & ex principijs paternæ pietatis; illiusquè præcepti Seraphici in Regula *cap. 7. Cum misericordia iniungant illis pœnitentiam*. Non grauis. Praxis autem ista est in viridi obseruantia in S. Inquisitionis Officio, & ponit Eymericus. 2. *part. Director. pag. mihi* 170. Ex determinatione Concilij Tarraconensi, illis verbis. *Ille confitens per talem confessionem, euitet pœnam temporalem.* Et sermo est de confessione sacramentali, facta non Ministro Sancti Officij, sed alteri Sacerdoti; quod maius pondus habere debet in eo, qui non Sacramentaliter, sed iudicialiter confitetur Probat *Pegna lib. 2. schol.* 20. quia spontè confitentes, mitius sunt puniendi, ex *Abb. & alys in cap. Etsi Clerici. de iudicijs*.

Præuenientes accusationes confessione, misericorditer amplectẽdi.

Debet tamen rei præuenire iudicium, quia si accusati fuissent, vel captæ informationes, vel quoquo modo cæptum iudicium, talis pœnitentia illis suffragari non debet in foro exteriori, quia præsumitur facta per metum, vt docet *Guid. ful. in consultationibus. ad Inquisitores. quæst. 1.* apud ipsum *Pegnam*. Si tamen constaret Prælato, quod reus nesciuit, præuentum esse a delatione, &c. posset etiam ex abundantia pietatis, ad hoc benignum tribunal admitti: Difficile tamen erit id probare, quia non est illi credendum. Horum omnium ratio à priori, est, quia in prima confessione delictum est occultum, & ideo in occulto est puniendum; in secunda verò est publicatum, & ideo ad exteriorem animaduersionem remittendum. Vnde in nostra praxi Criminali *Tit. de Inquisitione pag.* 21. ex statutis ordinis præcipitur, *delictum occultum, coram testibus secretò esse corrigendum*.

Aduertant tandem Pręlati scribere talam confessionem, cum subscriptione confitentis, & testium, & protestatione de futura inquisitione, & punitione confessi delicti, in casu reincidentiæ: Ac subiungere sententiam absolutiuam, cum specificatione pęnitentiæ, vt in omnem euentum pro, & contra constare possit.

Praxis absoluendi spõtanee præuenientes.

Testes autem eligi debere ab ipso cõfitente, ratio ipsa suadet, quia cùm spontaneè confiteatur, minoris erubescentię materiam & maiorem secreti obligationem reperire debet. Quod vt melius roboretur, poterit Prælatus grauissimo præcepto silentium testib. imperare, illosquè monere de naturali obligatione, quam habent, conseruandi famam proximi; aliàs enim ad famæ restitutionem tenerentur, sicut & ipse Prælatus, quia nulli fas est secretum peccatum Fratris reuelare, ex communiter scribentibus.

Quæ vero sequuntur circa materiam absolutionum, & iudiciorum, cum à nobis, & in secundo capitulo horum commentariorum, & in nostra praxi criminali digesta sint, consultò relinquimus, aliàs Deo fauente completam materiam Pœnarum præstituri.

CAPVT

CAPVT VIII.

De Generali Miniſtro, & Capitulorum Celebratione.

STATVTVM I.

Officiales Ordinis ſunt Miniſter, Vicarius, Commiſſarius, Procurator, Generales: Miniſtri, Commiſſarij, Diffinitores, Viſitatores Prouinciales: Guardiani, Præſides, Vicarij, Commiſſarij, & Diſcreti Locales.

Officiales, qui nominētur. *Officiū quid.* Officiallum nomine multi veniunt in iure, Miniſtri Magiſtratuum, *Paulus lib.5.ſentent.C.de fiſc. aduocat.* Operum Præfecti.*l. operæ.ff.de operib. liber.* Vices gerentes Epiſcopi ſiue Generales, ſiue foranei *gloſ. in Clem.2. de reſcript. & Zaſius in l.principaliter. ff.ſi certum petatur.* varia officialium genera numerat. Nec mirum, quia ab officio dependent, quod efficit, vt quilibet ſuum debitum præſtet. Quia eſt *Congruus actus cuiuſcumq; perſonæ;* nobis autem ea acceptio conuenit, quam ponit *Aretin. con. 23.* nimirum. *Officium eſt rerum Eccleſiaſticarum adminiſtratio, ſiuè cum præeminentia, & iuriſdictione, ſiuè non. c.1. de conſecr.lib.6. vbi Doctores,* hinc tituli varij in iure, *de officio Ordinarij, Delegati, Iudicis, Vicarij, Sacriſtę, &c.* itaq; qui religionem in capite, & membris moderantur, officiales vocamus, de quibus merito.

Quæri poteſt, An omnes iſti iuriſdictionem cum præeminentia coniunctam habeant, vt dignitates nominari poſſint?

Non omnia religionis officia, ſunt dignitates. Reſpondeo negatiuè, quia Vicarij Conuentuum, & Diſcreti locales, & Diffinitores nec præeminentiam habent, nec rei Eccleſiaſticæ adminiſtrationem, nec iuriſdictionem in alios; vnde non ſunt officia, iuris qualitate affecta, cuiuſmodi ſunt à Generali vſquè ad Guardianos incluſiuè, qui ſunt Prælati, alijs in ſuo genere præeminent, rerum Eccleſiaſticarum habent adminiſtrationem, & iuriſdictionem in ſubditos, quæ conditiones completam dignitatem conſtituũt. *Rodr. to.1.q.12.ar.5.& 6.* habent enim curam animarum. *Clem. exiui. de verb. ſignif. in 6.vbi gloſ.* cum alijs conſtitutionibus Apoſtolicis, & Ordinis. Nam nullum eſt officium in ordine habens iuriſdictionem, & præeminentiam, quod non ſit curatum, vt Generalatus, in quo eſt Vicariatus, & Commiſſariatus generalis, Prouincialatus, in quo ſunt Vicariatus, Commiſſariatus, Viſitatoratus Prouincialis, Cuſtodiatus, qui aliquorum in Prouincia Conuentuum curam habet,

Guar-

Guardianatus, Præsidentatus, & Vicariatus, quando in absentia Guardiani absolutè gubernat. Isti omnes vel totius, vel partis Religionis curam habent, & sunt veluti Patriarchæ, Archiepiscopi, Episc. Parochi. Magistri enim Nouitiorũ, Lectores theologię, Sacristę, Vicarij sub Guardianis, Diffinitores, & Discreti siuè locales, siuè prouinciales, siuè generales non habent iurisdictionem, licet habeant præcedentiam, & aliquot alia priuilegia, quæ dignitatem Ecclesiasticam non inferunt. Et quod alia officia habeant iurisdictionem, probat *Rodr. supra q. 17. art. 2.* idq; ex iure naturali, & diuino ex *Bagn. 2. 2. q. 1. ar. 1. dub. 8. con. 2. Medina de indulg. c. 24. Abb. de priuil. in 6. cum Glos. eo loco. & in Clem. de Reb. Eccl. non alienand.* Quia status Regularium est à Christo immediatè institutus, ergo Prælatos habere debet, hinc *Clem. 1. de elect.* dicit. *Cum rationi nõ congruat, quòd homines disparis professionis socientur in ijsdem Monasterijs, &c.* vbi iuri naturali refundit, quòd regulares inter se gubernentur. idem confirmauit Inn. 3. *c. cum causam. de elect.*

Sed, An ista officia sint beneficia? Respondeo primò, Prælati Regularium, qui eliguntur ad tempus determinatum, puta ad annum, ad triennium, ad sexennium, non sunt beneficiati, quia de essentia beneficij est, vt sint perpetua; vel certè, si amouibilia, & manualia, saltem ad tempus incertum, & perpetua potentialiter. *c. perpetua. d. 55. c. satis peruersum. d. 65.* beneficium enim est *Ius perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiæ, ratione spiritualis seruitij, authoritate Apostolica constitutum*, Vt communiter definiunt. Vnde Manualia aptitudinem habent ad durandum, nisi per Superiorem reuocentur. *Clem. Quia Regulares. de suppl. negl. Prælat.* Nostra autem officia ex sua natura sunt ordinata ad tempus certum, & ideò beneficia appellari non possunt. *Quæ officia regularium sint beneficia.* *Beneficium, quid sit.*

Respondeo secundò, si qui sunt Generales perpetui, vt in ordine Prædicatorum, Societate Iesu, &c. Sunt beneficiati, quia dantur ex electione ad vitam, habent ius percipiendi fructus ad sustentationem vitæ, & ad obeunda sui officij munera, ex bonis Religionis, siuè eleemosynaliter datis, siuè aliunde acquisitis, cuiusmodi sunt distributiones quotidianæ, in quibus beneficia fundari possunt. *Glos. in c. Consuetudinem de Cler. non resid. in 6.* Sicut enim monachus nullum aliud ius habet, quam recipiendi victum, & vestitum, & tamen monachatus est beneficium, ita & isti. Nec incertitudo eleemosynarum, nocet conclusioni, quia habent certitudinem moralem, infallibilem. *c. Exijt. de verb. sign. in 6. §. nec quidquam. cum Glos. Marginali in V. subtrahentur.* Et antiquitus fundata sunt beneficia super eleemosynis quotidianis. Nec primitiuæ Ecclesiæ Episcopi habebant redditus, sed ius petendi eleemosynas, & de Sacra Prædicatorum familia, Hon. 3. in bull. confirmation. quæ est secunda dicit. *Vt maneat ordo Canonicus S. Augustini in Ecclesia S. Romani Tolosanensis, cum possessione bonorum præsentiũ, & futurorum, cum perceptione decimarum S. Dominico concessarum ab Episcopo Tolosano, cum iure præsentandi Sacerdotes, ad regendas Ecclesias Parochiales, &c.* Et licet iste Generalis amoueri possit per Capitulum, Ex Bulla Greg. 11. *Virtute conspicuos.* Solum infert, esse beneficium manuale, & regulare. Et licet de Societ. Iesu dicat Paulus 111. *Regiminii militantis Ecclesiæ, Socij omnes, quicumq; in Sacris fuerint, quamuis beneficia Ecclesiastica, aut redditus non habeant, tenentur, &c.* Tamen non propter hoc fit, vt Generalatus nõ sit beneficiũ, quia ibi Põtifex loquitur de subditis, & de beneficijs Secularib.

ad quorum titulum, qui ordinantur, tenentur recitare officium diuinum.

Reſpondeo tertiò, Si Generalis Minorum eſſet perpetuus, ſicuti erat, eſſet & ipſe beneficiatus, Ex Superiori reſponſione.

At *c. Exijt de verb. ſignif. in 6. §. Nec quidquam.* Aufert Fratribus Minoribus omne ius, reſeruato ſolùm ſimplici vſu facti; Ergo cum hac nihilitate iuris, ſtare non poteſt beneficium quod eſt ius percipiendi, &c. Dici poteſt ex doctrina *Nauarri, de redditibus Eccleſ. Moneo.* 21. Nequè alios beneficiatos habere dominium, vel vſum fructuum, ſed ſolum vſum, qui cum in ſententia Io. 22. *Ad conditorem. §. Quod in talibus rebus vſus iuris, vel facti, ſeparatus à proprietate rei, ſeu dominio poſſit conſtitui, repugnat iuri, & obuiat rationi.* Satis ſolueret iſtam difficultatem. Et Nauar. æquiparat beneficiarios cum regularibus in iure percipiendorum, & expendendorum fructuum. Vnde ius poſitum in penſione beneficij non dicit (in ſententia grauiſſimorum Doctorum) nec dominium, nec proprietatem, nec vſum fructuum, ſed facultatem exigendi fructus ad ſuam ſuſtentationem, quod Fratribus non repugnat, cum illis ſit, & diuino, & naturali, & Eccleſiaſtico iure conceſſum.

STATVTVM II.

Electiones omnes fiant per vota ſecreta, quas Canonicas dicimus, cum à maiori parte Capituli concluditur; vt ſi vota nouem ſint, quinquè, maiorem partem efficiunt.

Electio canonica eſt, quæ fit à maiori parte capituli.

Eſt doctrina omnium, ex Tridentino *Seſſ. 27, de regul. c. 6. & c. Quia propter de elect.* Et ſufficit quilibet exceſſus, etiam medij voti, vt notauit *Portel. V. Electio. n. 15.* quia ſi eſſent vndecim vota, ſufficerent ſex, quæ ſuperarent ſola medietate vnius ſuffragij.

Electio fieri debet per ſchedulas.

Quæro primò, An fieri debeant per ſchedulas, & an adhuc vti poſſimus iure *Quia propter de elect.* Nimirùm eligere per inſpirationem, & per compromiſſum?

Reſpondeo, in Capitulo generali Romano *An.* 1587. decretum fuit. *Verum cum in S. Con. Trid. non exprimatur forma in electionib. ſeruanda, præcipimus, omnes Superiorum Fratum electiones, per ſchedulas eſſe faciendas.* quod ſtatutum poſtea confirmatum fuit à Six. 5. in bull. *Et communis cura. Nec non omnes electiones Superiorum, aut Officialium per ipſos faciẽdæ, ſemper fiant per ſchedulas obſignatas, &c.* idem in ſtatutis Salmãt. *c.* 8. Romanis *an.* 1571. Papalib. Iul. 2. *c.* 8. *p.* 4. Expreſſè determinatum reperitur, & perpetua conſuetudo firmauit, & retineri debet, quia eſt tutior, & grauior. *Vt Caſtellin. notauit de elect. c. 7. n. 2.* Quem tuetur contra Suarium, qui vt morem Societatis qualificaret, in qua ſolus Generalis Superiores inſtituit, cum ſupra modos Canonicos ſatis deprimendo, extollit, nolens aduertere, vniuerſalem vſum Eccleſiæ, in S. Scriptura, in S. Concilijs, in Patribus, in iure fundatum, non eſſe ſubſternendum nouitio inuento.

Eò

Eò vel maximè, cùm electio, quæ vnius arbitrio dirigitur, magis obnoxia sit inconuenientibus, & periculis, quam quæ multorum iudicio celebratur. plus vident oculi, quam oculus. lege *Peir. to. 2. q. 1. c. 4. §. 3. n. 50.* vbi doctè, & copiosè.

Cum tot determinationibus fundatis præcipuè in Trid. Concilio, quod ait, *omnes supradictos eligi debere per vota secreta, itaut singulorum eligentium nomina nunquam publicentur*. Quæ necessario excludunt electionem per inspirationem quæ fit publicis omniū vocibus. Et fortasse etiam per compromissum, per quod eligendi potestas aliquibus viris idoneis committitur: nam cōpromittētes publicè eligunt, quem cōpromissarij nominauerint, sed secreta vota tantum respiciunt electionem per scrutinium. Attamen, si fieret electio per viā inspirationis, & compromissi, censeo non esse nullam, quia de *cap. Quia propter.* sancito in generali concilio Lateranensi, mentionem annullatiuam, Tridentinum non facit, nec statuta, & Sixtus V. declarant electionem aliter factam esse nullam: & sic tenuerunt *Rodrig. in sum. tit. de Elect. c. 102. num. 2. Mir. tom. 1. de Monial. q. 7. ar. 3. con. 2. Lezana to. 1. cap. 15. num. 11. Tamburinus de iure Abb. tom. 1. disp. 5. quæst. 5. num. 9.* qui citat Azor. & alios apud Rotam in vna Meten. Monasterij. 5. Iulij. coram D. Coccino Decano, quam per extensum adducit *Castellin. supra. 14.* Non enim putandum est, derogatum esse, tam famoso capitulo, & Concilio generali, absq; eo, quod de illo expressa mentio fiat; & relictos esse in electione Regularium Superiorum modos, quibus Summos Pontifex eligitur, ex nuperrima constitutione Greg. *XV. Aeterni patris filius.* qui sunt per scrutinium, per inspirationem, & per compromissum.

Valeret facta per compromissum, & inspirationem.

Dices. in *Clem. Exiui. de verb. signif.* postquam præceptum est, Prouinciales eligi debere *per formam scrutinij*, & in dubio, electionem ad Generalem deuolui, & quommodo debeat destitui, &c. subiungitur. *Porrò si quid de huiusmodi Ministro Prouinciali secus attentari fortè contigerit, illud ipso facto sit irritum, & inane.* ergo factum in contrarium nullum est.

Respondeo loquitur de ministris instituendis in partibus vltramarinis, ijsquè destituendis, non autem de electione Ministrorum, in hac Clausula. licet *Glos.* teneat modificare omnia statuta de Prouincialibus, quod non videtur.

Dices, Pius V. in bulla Pastoralis ædita *an. 1571. Maij.* ait. *Electiones quæcumque Superiorum, Diffinitorum, Custodum, Discretorum per vota secreta fiant, iuxta Concil. Trid. decreta, aliter electiones factæ pro tempore, nullæ, & pænitus irritæ sint, & inanes, &c.*

Respondeo non censetur reuocasse decretalem, cuius non meminit; & disponit de electione si fiat iuxta Conc. Tridentinum quod per vota secreta fiat: non negat alias formas *cap. quia propter &c.*

Quæro 2. si in paritate votorum, aliquid operetur Superioris accessio?

Superioris accessio in æqualitate non concludit.

Respondeo 1. Si Superior sit vnus ex eligentibus, & vota sint æqualia, electio non sit valida in ea parte ex qua Prælatus reperitur, quia, cum per Tridentinum vota nunquam publicari debeant, sciri nō poterit, cui parti Pręlatus accesserit. Et sic moderatum est *cap. quia propter. cit.* vbi dicitur, *In qua maior, & sanior pars capituli consentit.* & alia capitula idem præcipientia, vt *c. Ecclesia vestra destituta. el. 1. & 2. c. in genesi.* vbi dicitur. *Nec zeli ad zelum, nec meriti ad meritū collatio facta fuerit.* Quia zelus, & meritum eligentium sciri non possunt, & conferri, nisi publicentur. *Franciscus Maria Delfin. decis. 782. numero 3. lib. 1.*

Suar.4.de Relig.tract.8. lib.2. cap.5. num. 13. Sigismundus à Bononia. de elect.dub. 30. num. 8. Lauor. variar. lucub. tom. 1. tit.4. cap. 19. num. 89. Tambur. tom.1. disp.5.q.6. num.21. Lezan. tom.1. cap.15. num.10. Mir. tom.2. quæst.23. ar.27. & quod omnem tollit difficultatem, adest speciale ius pro ordine Minorum *Clem. Exiui. de verb. signif. in 6. §. Demum*, vbi præcipitur, electiones prouincialium fieri *per formam scrutinij (& votis in diuersa diuisis) si electiones plures in discordia celebrari contingat, illa quæ à maiori parte capituli, numero, nulla zeli, vel meriti collatione, aut consideratione habita, fuerit celebrata, per dictum generalem Ministrum confirmetur*.

Nisi ad illum deuolui tur.

Respondeo 2. Si Generalis, (ad quem deuoluitur electio in paritate votorum per supradictam Clementiam, *Cæterum, si Capitulum memoratum die prædicto, Ministrum eligere prætermittat, ex tunc ad Ministrum liberè deuoluatur*) & per ordinis statuta, fuit vnus ex suffragantibus, potest noua sui suffragij accessione in suam eandem partem inclinare, quia hæc duo iura, quod ipse in qualibet electione suffragetur, & non facta electio ad eum deuoluatur, non sunt incompossibilia, & ijs vtendo, suo iure vtitur. Sed an possit in aliam partem inclinare in conscientia? Respondeo si ex discussione, quam facere debet, per dictam Clementinam, repererit electum primò à se, non esse digniorem, poterit variare sententiam.

STATVTVM III.

Disquisitores neque plures, quàm sex; neque minores, quàm duo, esse debent:

Qui sint de corpore Capituli:

Nisi communi consensu duo ex exteris deputentur.

In Capitulo generali proponantur à Generali, vel antiquiore ordinis Patre, & communi Discretorum ordinis, & Diffinitorum præcedentis Capituli consilio, & consensu instituantur.

In prouinciali proportionaliter procedatur.

Disquisitores quot & quom. eligédi.

Decretum *capit. Quia propter. cit. Adsumantur tres de collegio fide digni, qui secretè, & sigillatim vota cunctorum diligenter exquirant & in scriptis redacta mox publicent in communi*.

Dubitatur 1. Quomodo sustineatur statutum; cùm sit contra formam citati capituli, quam vitiant, tam sex, quàm duo Disquisitores, cum debeant esse non minores

minores tribus, & vitiari ex vtraq; parte, latè deductum est in *Rota in vna meten. Monasterij.* citata, vbi quia duo tãtum, scrutatores electi fuerunt, declaratur nulla. Et in alia *Treueren. Abbatiæ S. Maximi* adducta per extensum à *Castellino cap. 4.* declaratur nulla electio, quia adsciti fuerunt sex Disquisitores; nam aliter facta electio irritatur; & quod debeant esse tres, & non plures, alias electio non valet, dicit Rota, *est communis, & indubitata sententia. & Miranda tom. 2. q. 23. ar. 29.* tertium substantiale electionis ait, *quod assumantur tres, & non plures disquisitores.*

Sed his non obstantibus, dicendum est, statutum & iuri, & rationi esse conforme; iuri quidem, quia non est ita arctatus numerus, vt in aliquo casu minui non possit, vt si pauci vocales essent, nec electis tribus scrutatoribus alius, vel alij remanerent vocales, qui præter scrutatores suffragarentur. Tunc necessariò vel extra capitulum, vel in minori numero essent eligendi: quæ omnia prohibentur per citatum capitulum, & casus ineuitabiles exceptuati censentur in iure. & sic senserunt *Glos. in d. cap. quia propter V. sanior.* Vbi incipere, essentialia electionis affirmant, *Vincentius, Tancred. Abb. ibid. num. 7. Mandag. de elect. cap. 23. Card. in dicto cap. quia propter. q. 12. Boer. ad Mandagot. lit. S. Menochius consi. 63. n. 37. Innocentius, Panor. Angelus, & Siluester V. electio, citati à Tambur. tom. 1. quæst. 6. disp. 5. num. 6. Peirinus tom. 1. quæst. 1. capit. 31. §. Noto secundo.* Si enim Electores essent tantum tres, duo ex illis tertium scrutarentur; si verò duo tantum, vnus scrutabitur alterum; si vnus: ipse suum votum publicabit. Vt aiunt citati Doctores. Et sic statutum in necessitatis articulo, iuri est conforme. cęterum, tres regulariter eligendos esse, omnes affirmant, plena manu citati à *Barbosa in cap. Quia propter, num. 13.* qui citat omnes eos, qui in allegatis decisionibus referuntur.

Casus ineuitabile exceptuati censentur.

ElectioGeneralis ord. Minorum, omnium electio num amplissima.

De numero autem senario, in amplissima Minorica Religione non est ambigendum, quia cum in duas magnas familias sit diuisa per Leonem X. in Bulla, *Ite & vos,* & alternatiuè eligi debeat Generalis ex vna, aut altera familia vt quieti, & fidelitati prospiceretur, nec dissidium esset, ex qua familia tertius ille disquisitor eligendus esset, consultum est, vt tres ex vna, tres alij ex altera eligerentur à Patribus propriæ familiæ. Accedit, quod cum in quolibet capitulo generali, eligi debeant, & generalis Minister, & commissarius generalis, & sex Diffinitores itidem generales, vtrinq; & post electionem Generalis, quælibet familia suum Commissarium vel Diffinitores eligere sibi debeat, prouisum fuit, vt initio totius capituli sex Disquisitores eligerentur, qui suis postmodum electionibus assisterent, & omnes, vnius Generalis suffragia scrutarentur, quę cum ad numerum ducentorum quinquaginta pertingant, non est mirum, quod sex disquisitores habeat: Nulla enim in toto orbe Christiano amplior electio reperitur.

Nec puto violentiam inferri textui, si vltra tres, & quartus, vel quintus adhibeatur, quia, quò plures sunt, eò fidelius proceditur, & nihil fit contra finem legis. *Suar. tom. 4. de Religio. tract. 8. lib. 2. cap. 5. num. 10.* vbi duas declarationes Cong. Cardin. refert. pro hac re. *Lezana tom. 2. cap. 12. num. 28. Peirin. in formul. lit. E. cap. 3. num. 2. Mir. cit. V. Tertio est. Immò Peirin. citatus ex mir. & Passarello cit. V. septimo.* dicit hæc esse sublata per concilium Trident. & Vtilitas trium, per inutilitatem alterius vitiati non debet. *l. 3. ff. de testam. mili. et cap.*

Vtile.de regul. iur. quam regulam non conuellit responsio in decisione allata, quia supponit hunc numerum ternarium esse de forma substantiali, quod tamen alij negant, Et potuissent acceptare attestationes *Mandagot. & Cardinalis*, quòd electio facta cum sex disquisitoribus, fuerit acceptata in Curia, cùm Religio Minorica singulo quoquè duodenario electionem Generalis faciat in Curia Romana à temporè Leonis X. imò à tempore Iulij 111.1553. qui confirmauit statuta Salmanticensia, quæ *cap*.8. habent. *sex disquisitores eligantur, quorum tres sint Cismontani, & tres de Vltramontanis*. & singulo quoq; sexennio electio generalis confirmatur à Papa, imò aliquando ipsi Pontifices fuere talis electionis scrutatores, vt accidit in generali Capitulo Reatino *an*.1289. in quo fuit electus Reuerendissimus Raimundus Gaufridi Gallus, vt dicitur in *Memoriali ordinis parte* 1 *pag*.32. *Celebrato præsente D. Nicolao Papa* 1111, *cum duobus Cardinalibus, videlicet D. fratre Bon. Albanensi, & D. fratre Mattheo Portuensi Episcopis, & eodem Domino Papa personaliter vota eligentium audiente an. sui Pontific.* 2. & an. 1239. Greg.9 præfuit electioni Reuerẽdissimi Haimonis Anglici, 6. ordinis Generalis, & an. 1296. præfuit electioni Reuerẽdissimi Ioa. de Muro XV. Generalis Bonifacius 8, in gen. cap. Ananiæ, vt ibid. dicitur fol. 38. in. Vnde ad validitatem statuti facit inducta cõsuetudo, quam valere contra ius positiuum probat *Suar, de leg. cap*. 19. *num*. 14. cuius sententia recipitur in citata decisione; & est communis apud *Rodrig. tom*, 1. *q*. 51, *ar*. 12. *Miranda tom*. 2. *q*. 23. *ar*, 23. *Nauar. con*. 2. *de consuetud. Peirin. in formul. lit. E. c*. 3. *n*. 2.

Vtile per inutile non vitiatur.

Papa præfuit electioni Generalis Minorũ.

Consuetudo extra ius positiuũ valet.

Dubitatur 2. An extra Capitulum eligi possint?

Respondeo posse in casu necessitatis, & toto consentiente capitulo; firmant hanc conclusionem omnes citati pro Superiori conclusione. Qui autem sint casus isti necessitatis, Primus est certus, de paucitate vocalium. 2. esse posset, si diuisi inter se vocales, de fidelitate scrutatorum non fiderent, & tunc ad remedium communis quietis exteros eligerent. Quia cum canon ista præcipiat ad validitatem, & liberam electionem faciendam, si contingat aliter euenire, non est contra mẽtem legis aliud facere, quia libertas est maximè essentialis electioni, hinc infert *Peirinus citatus*, potius hoc est canonem adiuuare quam frangere, quod est concessum *cap*. 1. *de noui operis nunciat*. quia non potuit canon fraudibus omnibus obuiare. Dixi toto consentiente capitulo, tum quia statutum tale est, tum quia, cum tangat omnes, ab omnibus approbari debet.

Disquisitores quando eligi possint extra capitulum.

Quod autem mandetur, eligi duos, & non tres, rationi consonum est; quia cum exteri ab electione de iure abesse debeant, necessitate cogente, si eligendi sunt minor, quam possit numerus eligitur. Vnus non suffecisset, quia in ore duorum, vel trium stat omne verbum, & ibi sunt testes electionis; ergo saltem duo &c.

Dubitatur 3. An valeat electio facta sine disquisitoribus, sed à solo Præside?

Respondeo negatiuè, Quia fieri per Disquisitores est forma electionis in cit. *cap. Quia propter*. & multę fraudes committi posset. Nec capitulum compromitteret in personam Præsidis, vel Prælati, quem, vt plurimum suspectum habet de substituendo sibi quem voluerit successorem. Hęc est communis omnium scribentium in dicto *Cap. Quia propter de electione*, quos ad satietatem allegant *Barbosa, Tamburrinus Castellinus, Miranda, Peirinus citati, & alij*. Excipitur casus, quo, duo, vel tres essent vocales aut vnus, vt dictum est ex Siluestro, & alij?

Electio facta sine disquisitoribus, nulla.

Du-

Dubitatur 4. An sit de essentia, scrutatores eligi à Diffinitorio, denominari à Generali, & assumi in generali Capitulo, ex hac, & illa familia?

Respondeo negatiuè, Quia est merum, statutum, obligans quidem, sed non irritans electiones, non enim istæ formalitates præscribuntur in citato capitulo, *Quia propter*. Quinimò *Glos. in cap. sicut causa, de elect. in 6. Innoc. in cap. in genesi. eod. tit. quos Tamburr. cit. adducit*, tenent, quòd si tres de capitulo spontè se ingererent ad scrutanda vota, & capitulum videns, & tacens non prohiberet, electio valida esset: Quia licet suspecti redderentur, spontè se in communi negotio ingerentes, attamen non est necessarium absolutè, quod secundum hoc statutum destinentur. *Panór. in d. cap. quia propter. V. assumantur*. Quæ ad verbum docuit *Miranda d. q. 32. ar. 29. §. secundum substantiale. & Lezana d. cap. 12. n. 28.* testatur de consuetudine suæ Religionis, quòd tres scrutatores non assumuntur nominatione, & designatione, sed committitur tribus antiquioribus de collegio. Quare si à solo Prælato nominarentur, & capitulum taceret, valida esset electio. Ita etiam si omnes ex vna familia nominarentur: attamen si capitulum staret pro forma statuti, & protestaretur, electio cassari posset, in vim non solum statuti, sed *cap. quia propter*. ibi. *Assumantur tres de collegio fide digni*, cum clausula irritante, ne scillicet reddantur suspecti. *l. quæ omnia ff. de procurat.* assumi autem debent non à Prælato, qui potest esse suspectus; ergo à capitulo, vel Diffinitorio.

Disquisitores possint eligi ex vna familia.

STATVTVM IV.

Disquisitoribus genuflexis à Præside imponatur secretum, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, itaut nullo vnquam tempore, vel modo eligentium nomina publicent.

Sumitur ex d. c. *Quia propter*. ibi *qui secretò, & sigillatim vota cunctorum exquirant*. & ex Tridentino cit. *Per vota secreta, itaut eligentium nomina, vllo vnquam tempore publicentur*.

Disquisitoribus secretũ iniungitur.

Quæres 1. Si tale præceptum non fieret, vitiaretur electio?

Respondeo negatiuè. Quia in nullo textu iuris reperitur: peccaret tamen Prælatus illud omittens, quia est statutum in re graui, & consuetudine firmatum. Si autem Disquisitores essent personę adeo graues, vt de ipsis reuelatio timeri non posset, neque peccaret, quia præceptum non adhibetur pro forma, sed pro cautela, quæ vbi periculum non sit, non est necessaria.

Quæres 2. Si Disquisitores publicarent vnum votum, nutu, verbo, vel scripto, vitiaretur electio?

Respondeo affirmatiuè. *cap. in genesi. extra de elect.* vbi *Archidiaconus, & Inn. cap. quia propter*. & est communis omnium scribentium sententia, vel vnum votum in electione publicatum, reddere electionem nullam, quia de essentia electionis est secretum, *Miranda d. quæst. 26. art. 29. V. quinto. Tamburr. d. quæstion. 6. num. 8.*

Si vnus disquisitor publicaret vnũ votum, electio esset nulla.

num.8.Suar.de relig.tom.4. tract.8.lib.2.cap.5. Sigismundus à Bononia dub. 27. num.10. Rod. in sum. cap.102.num.4. & tom.2. quæst.5.art.9. qui citat Nauar. consil.9. de elect. Barbosa in d. cap. quia propter . num.17.Rota in dicta Treuiren. Abb.num.1.in fine. Et hoc tam ante electionem, quam post illam immediatè, Etiamsi totum Capitulum consentiret, vnum votum publicari. *Rod.supra. Peirinus tom.4. quæstio.1.capit.31.§.8.Lezana tom.2.cap.15.num.17. & tom.2.cap.10.num.34.* Dixi immediatè,quia si multum temporis post factam electionem, vel scrutatores , vel electores publicarent vota , non vitiarent electionem , quia iam est facta canonicè , & in rem iudicatam transiuit: peccarent tamen mortaliter scrutatores, ob vim debiti secreti, & præceptum impositum. Dicunt tamen supradicti,quod si vnus eligentium,priuatim alteri publicaret suum votum, non vitiaret electionem, quia defectus vnius non debet nocere toti capitulo, alias esset in potestate vnius, electiones aliorum canonicas vitiare. *Nauar. consil.9. de elect. Rod. tom.2. quæst.51. artic.9.* Si tamen publicè hoc faceret, & Capitulum admitteret, irrita esset electio : quod si quis perturbare vellet electionem, & publicè ostenderet, suum votum, debet excludi à capitulo, & in electorum numero non computari. *Barbos.dic.cap. quia propter. n.17.* Qui interpretatur dictum *Nauar. supra,* quod consentiente capitulo possit fieri electio non seruata forma secreti : Non de foro exteriori, in quo omni iure est nulla electio,sed conscientiæ; Quod mihi non arridet, siquidem conscientia in electione pendet ex iure, quod præcipit electiones fieri secretò ; Si enim publicè faciendas esse præscriberet, conscientia esset, quod publicè fieri deberent. Cum ergo iura contrarium ordinent , in conscientia electio nulla est, si fuerit publicata.

Quæres tertiò,si ista excommunicatio liget ante sententiam,eo quod statuta declarant,excommunicationes suas non ligare,nisi declarentur ?

Respondeo affirmatiuè,quia hæc non est à iure,sed ab homine, quia iam fulminauit sententiam,*cap.à nobis.primo,de sentent.excommunic.*cum *Glos.* & communiter ; quæ excommunicatio reseruatur ipsi iudici,quousquè in officio manet, vel Generali, qui solus potest esse Superior huius præsidis in generali capitulo , vel prouinciali.

STATVTVM V.

Sedeant Disquisitores ad mensam,quæ ab omnibus videri possit, in qua sint vasa ad recipienda suffragia, & instrumenta, ac schedulæ ad scribendum.

Disquisitores sedeant. De forma electionis non est,quod sedeant ad mensam,vel quod vota scriptis dentur;ait enim *cap.quia propter cit. Assumantur tres de collegio fide digni, qui secretò,& sigillatim,vota cunctorum diligenter exquirant, & in scriptis redacta mox publicent.*vbi de sessione nihil. fit tamen ad grauitatem,& ad commodius peragendum

gendum negotium, Publica mensa suspitiones expellit, instrumenta vel scribendi, vel recipiendi, sunt necessaria ex natura rei, ne occasio detur vocalibus suffragia scribendi, ante quam ad Capitulum accedant, & vitium conspirationis euitetur.

Scribere autem votum non est necessarium, sed sufficeret, si vocalis ad scrutatores accederet, ac diceret, eligo in Generalem N. *Lezana tom. 2. cap. 12 num. 28. Tambur. dicta disput. 5. quæst. 6. num. 8. Boer. decis. 1. num. 25. Cuch. Instit. maior. lib. 4. tit. de elect. num. 222. Suar. dicto cap. 5. num. 10.* adsunt decreta S. Congregationis a *Garzia de benefic. part. 5. capit. 4. nu. 189. & 190.* passim enim fit in electionibus Monialium, quæ censentur secretæ, & canonicæ. *Sigismundus à Bonon. dub. 27. à num. 10.* *Non est necessarium scribere votum.*

Necessarium, & de essentia dicunt esse, quod vota singulorum in scriptis redigantur. *Tambur. supra num. 11. Barbosa in dicto cap. quia propter. num. 24. Lezana dicto c. 12. n. 26. V. 8. cum antiquioribus*, attamen non esse de essentia docent *Peirinus dicta qu. 1. §. Not. 4. V. 7.* quia solum requiritur ad retinendam memoriam suffragiorum, & faciendam fidem de actis: & citat *Panor. in cap. innotuit. de elect. num. 16. Anton. part. 3. tit. 19. cap. 2. §. 10. Silu. V. electio 1. quæst. 18. nu. 21.* Vnde Superior qui aderit, poterit confirmare electionem ad vocalem relationem scrutatoris, de electione iam facta, quia iam testis electus adhoc, testificatur de illa. Et licet in aliquo casu sustineri posset, quando essent tria, vel quatuor vota, attamen casus in Capitulo generali, & prouincialibus, moraliter non est possibilis, quia multitudo vocalium disquisitorum mentes, & memoriam confunderet. Vnde nullam iudico talem electionem, quæ temeritati disquisitoris innititur, & malitiam præferre videtur: & sic omninò pro forma standum est canoni, & statuto. *Sed quod singulorum vota in scriptis redigantur.*

Minor difficultas esset, si schedulæ non in vase, sed super mensam ponerentur, aut in amplo disco. Nulla hic esset cauillatio, quia æquè posset esse secreta electio, & suffragia sine iactura recipi possent: Puniendus tamen esset Præses, vel redarguendus, vt grauissimi statuti violator; Obuiatur enim omnibus difficultatibus, si in vase, vel capsula recipiantur suffragia.

STATVTVM VI.

Illatas schedulas, Præses coram Disquisitoribus supra mensam extrahat, & numeret. Omnes Disquisitores illas legant, & in folio notent.

Et sic seruatur forma *d. cap. Quia propter. Qui secretò, & sigillatim cunctorum vota exquirant, & in scriptis redacta, &c.* *Schedulæ extrahantur, & numerentur.*

Primum dubium, si posset adhiberi ad extrahendas, & numerandas schedulas alius à Disqnitoribus, vel à Capitulo, non autem ad legendas?

Respondeo negatiuè, quia actiones istæ ad Præsidentem, & scrutatores spectant. hoc enim importat, *diligenter exquirant*, non tantū in lectura, sed etiam in extr actione, & numeratione schedularum: diriguntur siquidem proximè ad formam

formam electionis, nec dimidiari possunt: & quidem si in hac admitteretur extraneus, vitiaretur electio, quia assumit officiũ disquisitoris, qui non est talis. Si autem præsumptuosè alius de Capitulo in hæc se immisceret, non tamen legeret schedulas, non video nullitatem aliquam, patet ex dictis.

Secundum dubium, si non numeratentur schedulæ, sed inciperentur legi; coniectura facta in fine de numero, quid?

Omnes disquisitores schedulas legant.

Respondeo, electio non esset nulla, quia hæc numeratio adhibetur ad facilitandam electionem, vt scilicet, si suffragiorum numerus non sit par numero vocalium, legi non debent, quia canonica non esset electio, si cum maiori vel minori numero publicaretur; quia omnes, & soli, qui in Capitulo reperiuntur, debent suffragari. Nec vitiaretur ex lectura, quando vota non æquarentur, quia eo casu, nulla est electio, non per lecturam schedularum, non numeratarum, sed, ob defectum, vel excessum suffragiorum.

Tertium dubium, quid, si non omnes Disquisitores schedulas legerent?

Respondeo, si id fieret, quia vnus ex ipsis contemneretur, nulla omninò esset electio, quia facta sine scientia eius, qui essentialiter scire debebat, & ad testificandum fuerat ex iure adhibitus: Et canon de omnibus tribus scrutatoribus ait, *qui sigillatim cunctorum vota diligenter exquirant*, Et hoc(nullo excepto ex scriptorib.)est de essentia electionis. Si verò ipse sua sponte, nolit legere schedulas, etiam redderet nullam electionem, si in foro exteriori constaret, quia iuri legendi schædulas, renunciare non potest, quippe quod non ad suum commodum, sed ad seruitium totius Capituli illi collatum fuit, In quo non valet, regula. *Volenti, & consentienti, &c. & quilibet potest renunciare iuri suo.* quia non suum ius est, sed alterius. Sic non potest renunciare Custos, & Tutor iuri, quod habet de vigilando super re credita, & pupillo, &c. Sed valere debet altera. *Quod omnes tangit ab omnibus debet approbari. de reg. iur. in 6.* Tangit enim omnes Disquisitores, non solùm in ijs, quæ concernunt vniuersos, & communitatem, sed quæ concernunt singulos; itaut non valeat fieri à maiori parte *cap. 1. de Iis qui fiunt à maiori parte, vt Glos. Dinus, & alij in dictam regulam. Et in cap. cum omnes. de constitution.* Non enim tantum agitur de præiudicio principaliter singulorum, vt singuli, sed etiam principaliter de præiudicio Capituli, in cuius detrimentum principaliter vertitur. *l. de vnoquoquè 47. ff. de re iudic. l. 1. §. huius. ff. de iust. vbi Paulus, & Baldus. Tiraquellus in tract. res inter alios. pag. 2. legatur. Rod. tom. 2. quæst. 53. artic. 10.*

Iuri suo, quãdo quas renunciare non possit.

STATVTVM VII.

Si electio facta est, à Scriba intelligibili voce publicetur.

Hoc est, *publicent in communi. in dicto cap. Quia propter.*

Munus publicandi electionem vni committendũ est, qui dicitur compromissarius, in quẽ Socij, & capitulum cõpromittunt. Non enim omnes publicare possent

possent sine confusione. Et licet videatur, quod omnes simul, possent, ex verbo, *publicent*, quod plurium est, tamen quia Capitulum vnum repræsentat, ab vno, & vnico actu publicari debet. Vt ex multis approbat *Rod. tom. 2. q. 52. ar. 13. Suar. d. c. 5. n. 24. fin. Tamb. d. q. 5. n. 17.* Hinc autem vnus est scriba; quia qui scripsit, & depositiones suscepit, suam scripturam legere debet: attamen si illam Præses, vel alius Disquisitor, publicaret, nullitatem non incurreret, qui a tale munus non ex iure, sed ex congruentia, scribę committitur. Immo statuta Salmanticen. c. 8. dicunt, *Surgat vnus de disquisitoribus, & dicat, &c.*

Quando autem facienda est publicatio, declarat *dicto cap. quia propter. Mox publicent in communi.* quę particula licet aliquando accipiatur pro spatio decem dierum *l. ad peremptorium, cum l. seq. ff. de iudic.* vel pro triduo in *l. cum speciali. C. de iudiciis*, vel pro duobus mensibus. *l. à diuo pio. ff. de re iudic.* vel pro anno sequenti *l. sed etsi quis. ff. de vsufructu.* vel pro triennio. *Glos. verbo mox. in dicto c. quia propter.* Quæ acceptiones leguntur apud *Barbosam dict. 203.* Tamen his omnibus ad rem non facientibus, idem significat, ac statim, incontinenti, cito. *Glos. in l. momentaneæ. C. vnde vi. Cosmus in V. mox.* Vbi ait significare modicum tempus, secundum arbitrium Iudicis, habito respectu ad circunstantias. *Miranda ait ex Panorm. dicta quæst. 23. artic. 27. V. duodecimo.* Significare, quod facta publicatione votorũ, nullo actu extraneo interposito, publicari debet electio; & ita de facto practicatur, vt lectis, ac notatis suffragijs, nulla alia actione, ad hoc extranea interposita, electio publicetur: quo non obseruato, nulla redditur electio, si ignauia, vel ignorantia electorum fuerit causatum, ait *Rodr. tom. 2. q. 52. art. 14.* non vero si dolo, quasi eos pœniteat elegisse. Quia dolus, & fraus nulli patrocinari debet. Quinimò, qui vota habuit, si electionem procrastinari videret, potest adire Prælatum, vt illum cogat ad publicationem electionis, in qua appellatio non admittitur per *d. c. quia propter.* itaquè concludit, electionem factam per moram interpositam malitia, vel dolo eligentium, vel aliam causam, sine fraude electi, valere. Et citat. *Panor. Biaxium, & Nauar.*

Mox, quid importet.

Electus potest instare pro publicatione.

Sed esto non fiat electio per primum scrutinium, An teneatur Præses publicare electionem non esse factam, & ideo procedendum esse ad secundum scrutinium?

Respondeo affirmatiuè, quia electio nulla publicanda est, vt innotescat Capitulo, vota non consensisse secundum maiorem partem in vnum: & recenseri debent suffragia, quę quis obtinuit. Aliàs non tenetur capitulum, ad nouam electionem deuenire, & posset de scrutatorum fidelitate dubitare. *Rod. tom. 2. quæst. 53. art. 13. & Portel. elect. in fin. addit. ad add.* publicandam esse electionem etiam indigni, & postea cassandam.

Electio etiã nulla publicando est. Etiam indigni.

STATVTVM VIII.

Si Generalis non fuit electus in die vigiliæ Pentecostes, electio ad Papam deuoluitur.

STA-

STATVTVM IX.

Si Prouincialis electio non fiat intra diem artificialem deuoluitur ad Generalem.

Electio Generalis non facta in Vigilia Pentecostes, deuoluitur ad Papam.

Fundatur primum statutum *in cap.8.* Regulæ. *Quo decedente, fiat electio successoris in Capitulo Pentecostes, in quo Prouinciales Ministri teneantur semper in simul conuenire, &c.* Et hoc est præceptum obligans ex Clemen. *Exiui. de verb. signif.* & tale, quod licet Generalis possit mutare locum Capituli, non tamen tempus, vt probat *Cordub.quæst.* 1. *punct.3.in cap.8.* ex statutis ordinis, & expositoribus regulæ. Vnde Salmanticensia.*cap.8.*aiunt.*In conclaui recludantur, ita quod nullatenus extre valeant: nec illis aliqua alimenta ministrentur, donec prouiderint, vt oportet, de Generali Ministro; ita quod die Sabbathi, & in vigilia Pentecostes habeat Religio alium Generalem, vel presentem, vel absentem, iuxta ordinationem Dom. Leonis Papæ X.* Nimirum in Bulla *Ite, & vos.* Et perpetuò seruatum est in Religione, vt Capitula generalia fierent in vigilia Pentecostes, & replicatur infra. *Tempus vero generalis Capituli ita arctatum est ad Vigiliam Pentecostes, vt nullo quouis prætextu, produci, aut contrahi possit.* itaquè arctata est electio ad totum diem vigiliæ Pentecostes. Ergo si in illo die non celebratur, ad Superiorem deuoluitur, qui est Summus Pontifex. Clemen. *Exiui. de verb. signif. in fine.* & de electionis non factæ deuolutione loquuntur iura *cap. bonæ mem.cap.ne pro defectu.de electione.* in quibus, si electio statuto tempore non fiat, ad Superiorem vsquè ad Papam deuoluitur: iam enim elapsum est tempus electionis, per regulam determinatum, ergo amplius fieri ab electoribus non potest, qui sua culpa eligendi ius ea vice amiserunt.

Electio Prouincialis nõ facta deuoluitur ad Generalem.

Secundum autem clarè reperitur in Clemen. Exiui.§ finali. *Quam idem Capitulum, die sequenti, qua fuerit congregatum, facere teneatur; cæterum si capitulum memorata die Ministrum eligere prętermittat, ex tunc Ministri Prouincialis prouisio ad generalem Ministrum liberè deuoluatur.*

Sed quomodo mensurandus est dies?

Dies mensuratur ab ortu ad occasum Solis.

Respondeo, ab ortu, ad occasum solis exclusiuè; Tum quia terminus se tenet exclusiuè; tum quia post occasum solis est nox, & electiones per schedulas fieri de nocte prohibetur. *Rodr.tom.2.quæ.*51. *art.*15. (apud quem alij) qui concedit aliquando fieri posse vrgente necessitate, quod transacto illo die non posset electio fieri, sed tunc adhibenda sunt lumina. Sed certè hæc doctrina aptari non potest electioni Generalis, quæ per statutum, ab ortu vsquè ad occasum restringitur, intra quos, dies artificialis concluditur, extra quos nox continetur. *Rodriguez sequitur Miranda dicta quæst.*23.*art.*13. *& Petrinus quest.*1.*cap.*31. *§.6.V. dicto septimo.* qui ait ¦ ex duobus authoribus citatis, posse fieri vsquè ad mediam noctem cum luminibus. Sed de media nocte nihil isti dicunt. Et quod dies censetur etiam post occasum Solis, & pulsatam *Aue Maria* quia homines adhuc se vident. Quæ ratio mihi non probatur, quia in Capitulo, & Refectorio, post *Aue Maria* non se vident.

Quæres.

Quæres. Si electio Generalis fieret de nocte cum luminib. esset valida?

Respondeo affirmatiuè, cum dictis *Miranda, Rod. Peirino.* Quia statuta humana non tollunt electionem, si habeat iure naturali, & diuino requisita. Facit etiam, quia statutum non irritat electionem factam de nocte, &c. *Valet etiam si fiat de nocte.*

STATVTVM X.

Id ipsum respectiuè seruandum est, si Electores scienter indignum elegerint.

Electio indigni ad superiorem deuoluitur.

Idest vocales Capituli generalis Generalem, & Prouincialis Prouincialem. & est in iure *cap. quamquam. de elect. in 6.*

Eligere autem scienter indignum, est eligere eum, quem Sacri canones, & statuta ordinis inhabilem declarant, vt potè infamem, illegitimum, excommunicatum, priuatum, non habentem conditiones requisitas morum, doctrinæ, ætatis, vitæ communis, &c. *cap. eam te. de ætate, & qualitate. or do.* & in hoc peccatur mortaliter. *Rodrig. in sum. tom. 1. cap. 106. con. 10. Reginaldus lib. 30. tract. 3. num. 195. Ledesma par. 2. tract. 7. cap. 2. con. 5. S. Thom. quod. 6. art. 9. Sotus de Iustitia lib. 3. quæst. 6. art. 2.* & firmant iura *cap. graue nimis. de præbendis. Tridentinum Sess. 24. cap. 1. de reform.* & quidem grauissimis sententijs. Vnde merito eligendi iure priuantur. *Quid sit eligere sciēter indignum.*

Scienter, apponitur, quia ignorantia excusat. *cap. ignorantia. de reg. iuris. in 6.* excusat etiam bona fides, dum adhibitis diligentijs eligit, quem credebat dignū. *cap. bon. mem. el. 2. de postul. Prælat. vbi Panorm. n. 15.* & scire præsumuntur, cum defectus est publicus, & notorius, quia *Præsumitur ignorantia, vbi scientia non probatur. de regul. cit.* probatur autem, ob publicitatem facti, vel iuris, quia, *Quod patet expressè non est probare necesse.* quia scientia eorum, quę publicè fiunt de iure pręsumitur, & notitia apud eos, qui in loco conuersantur. *Glos. in cap. 1. de postul. Prælat. in V. Allegans.* & ibi omnes. *Glos. in V. cognouerunt. §. qui autem excusare se volunt. Institut. de excus. tut. vbi Angelus Aretinus, & alij.* Vnde præsumitur scire, de quo est publica vox, & fama, & est notorium. *Glos. in l. si Tutor petitur. C. de pericul. Tutor.* *Ignorantia excusat.*

Hæc autem scientia debet esse non apud aliquos, sed apud maiorem partem Capituli, quia si minor pars sciret indignitatem eligendi, non essemus in casu; quia Nemo debet alterius culpa grauari *cap. non debet. de reg. iur. in 6.*

Hoc statutum valet etiam de electione Guardianorum, & omnium aliorum Officialium, excepto Custode vocali, quem Superior eligere non potest, & est Procurator Prouinciæ ad ferendum votum ad Capitulum generale, quem si indignè eligant, priuantur iure suffragandi.

STATVTVM XI.

Facta electione, Secretarius scriba eam intelligibili voce pronunciet.

Electio publicetur voce intelligibili.

Ita in *cap. Ecclesia vestra. cap. sicut. cap. cum ab vno. de elect. & cap. quia propter. ibi publicent in communi.* & licet publicari posset scripto, affigendo cædulam valuis Refectorij, tamen hic sumitur de publicatione verbali, & est de forma; itaut, nulla sit electio, si non fiat. *Hostien. in cit. cap. quia prop. num. 44. Ioann. And. num. 28. Anchar. ibid. Biaxius par. 3. cap. 29. Rota in dicta Treuiren. Abb. & alij omnes.*

STATVTVM XII.

Quicumque Electus, præter Ministrum Generalem, nisi à Præside confirmetur (quod facere debet, nisi adsit causa) officium exercere non possit.

STATVTVM XIII.

In electionibus, & confirmationibus prædictis non arctamur solemnitatibus, & formis iuris.

Electio confirmari debet.

Omnis electio ab immediato Superiore confirmari debet. Alias electus exercens suum officium, eo priuatur, *c. nihil, §. cæterum. de elect. c. auaritiæ. de elect. in 6. & c. si Abb. ibid. Siluest. V. confir. elect. q. 1. Rodr. to. 2. q. 52. ar. 2. Mir. to. 2. q. 23. ar. 32. Peir. to. 1. q. 1. c. 31. §. 11. d. 4.* Generalis ordinis Minorum eo ipso quod est electus, est statim confirmatus per priuilegium Clem. 4. apud eosdem. & in *Compen. priuil. V. electio* §. 3.

Præses electionẽ quando confirmare tenetur.

Prouincialis debet confirmari à Generali Clem. *Exiui de ver. sign. fin.* qui semper tribuit Visitatori prouinciæ, vel præsidi electionis, vt electum confirmet, etiam si id specialiter in literis patentibus non declaret, quia hoc statuto, & de perpetua consuetudine, Præses tenetur electionem legitimam confirmare, nec aliter sine causa facere potest.

Causa non confirmandi electum, esse potest omnis illa, quæ reddit electum indignum prælatione, vt supradictum est.

Ad quod præses potest procedere, vel ex officio, quando scilicet ipse tales causas notas habeat; vel ad partis instantiam. *Rod. supra q. 53. ar. 13.* qui multa iura citat. *Nau. con. 2. de elect. n.* 2. Vt plurimum autem, cum ante electionem tractetur de eligendis, scit præses illorum merita, & sic sine alia discussione potest, & debet electum confirmare. Maximè si præses habeat votum, quia eligendo videtur confirmare. *Glos. & multi alij apud Tamburrin. disp. 6. q. 2. n. 4.*

Cõfirmator inquirat merita electi.

Quando autem ignotum eligerent, tenetur ipse in conscientia inquirere merita confirmandi, alias confirmaret, quem esse dignum ignorat, quod est contra naturam confirmationis, sicuti est contra naturam electionis, eligere ignotum. *l. congruit. ff. de offic. præsid. l. si quis hoc genus. C. de Episc. & Cler. Bartol. in l. 5. ff. de damn. infecto. §. hoc autem. Vbi alij. c. venerabilis. c. priusquam 28. de elect.*

elect.c.bon.mem.de postul.vbi Inn.& Glos.V. Curauimus,Glos.in c.nihil de elect. & si indignum electum confirmaret, posset recurri ad Superiorem vsquè ad Papam successiuè. *Panor.in c.cum inter.R.de elect.n.1.& in c.dudum.ibid.*& puniri debet suspensione officij; & alijs pœnis. cit. *c.nihil de elect.* & confirmatio est ipso iure nulla. *Panor.in d.c.nihil.*& habetur expræsse *c.fin.de elect.in 6.*

Dicit tamen Rod.supra, posse confirmatorem supplere aliquos defectus non essentiales, seu aliquas solemnitates, quæ naturam electionis non tollunt; & adeo debere in arbitrio inclinare in confirmationem, quia dubia in meliorem partem sunt interpretanda, & fauendum est potius iudicio eligentium, quam exceptioni opponentium. Minus enim malum est confirmare dubiam electionem, quam nouam cum scandalo celebrare. Et potest confirmare dignum, relicto digniore non electo. *Rod.tom.1.sum.c.106. con.11.num.13.*Et elici potest ex Tridentino *Sess.24. de refor.c.18.& c.Pastoralis. de iure patron.* Iam enim dignus legitime electus est, ergo, cum electio in foro exteriori sit, valida, confirmanda est.

Itaquè confirmator potest confirmationem differre vsquè quo informetur de Electi meritis, & electionis validitate. Ita expræsse Clementia *exiui. de verb. signif. Et si quidem ad electionem huiusmodi per formam scrutinij procedatur, & votis in diuersa diuisis electiones plures in discordia celebrari contingat, illa quæ à maiore parte capituli, nulla habita zeli, vel meriti consideratione, exceptione, seu contradictione quacumquè alterius partis non obstante, per dictum generalem Ministrum, de consilio Discretorum de ordine, (prius tamen ex officio, prout spectat ad ipsum, diligenti examinatione præmissa) confirmetur, aut etiam infirmetur, prout eis secundum Deum visum fuerit expedire.* & confirmauit *Gregorius XIII. Cum illius vicem §.12. Guardiani verò in Capitulis electi, vel à Custodibus instituti, à Ministro, vel alio quopiam confirmari deinceps non egeant, sed eorum institutio facta sufficiat.*

Ex quibus verbis Colligitur 1. non currere dispositionem, nisi in electione per scrutinium, non per compromissum, aut quasi in spirationem.

Colligitur 2. valere, vbi electio fuerit nulla ex diuisione votorum, non ob alios defectus electionis, vel personæ electæ: vt si non fuisset obseruata forma *c. quia propter*, vel concilij &c. vel electus esset illegitimus &c.

Colligitur 3. necessariò confirmandam esse electionem factam à maiori numero vocalium. Vnde illud famosum Axioma, *Electio est libertatis, confirmatio est necessitatis*, apud Panor. in *cap. Postquam. de elect. vbi Io. And. & Butrius, & Decius*. *Electio est libertatis, confirmatio est necessitatis.*

Colligitur 4. Præsidentem non debere deferre protestationibus, & appellationib. opponentium, si electio a maiori parte celebrata fuerit, nisi grauem caussam opponant; quia indignum confirmare non debet.

Colligitur 5. Generalem debere examinare merita electionis, & electi, antequã confirmet, adhibito Patrum consilio, quod (si aliunde sciens validitatem) *c. in Lateranensi de præbend. & dignit. cap. constitutus 1. de appell. Nau. cons. 2. de appell. num. 3.* non faciat, peccat, & confirmatio est nulla. Quod tantum seruari mandatur in confirmatione electionis factæ in controuersia, non in facta pacificè *Rod. supra. q. 52. ar. 5.*

Colligitur 6. posse Generalem, suam authoritatem delegare Præsidi prout de facto

facto semper delegat, dum licentiam Capitulum celebrandi concedit, quia est Authoritas de iure ordinario generali competens, vnde potest illam delegare. *Glos.apud Rod.d.q.53.ar.13.*

Confirmatio nō arctatur verbis.

Confirmationis forma, dum fit à Præside in ipso capitulo, non est verbis arctanda. *Archid.in cap.vt quis duas. de elect.in 6.Innoc.in cap.cum.Bartoldus.de re iudic.Sigismundus à Bononia de elect.dub.* 94. *num.*4. quia sufficit, vt Præsens electo, dicat. *Te elegerunt Patres in Ministrum, & ego authoritate mihi commissa à Reuerendissimo N. in persona tua talem electionem confirmo in Nomine Patris, & filij, & Spiritus sancti amen.* Et deinde confirmato, sigilla Prouinciæ tribuere. Quando autem ad Generalem absentem confirmatio deuolueretur, debet fieri mentio deuolutionis, examinis, & confirmationis eius partis, quæ sibi in domino benè visa fuerit, latino, vel materno idiomate, prout mos suaserit.

Si ad Superiorem deuoluatur electio, quia intra diem celebrata non fuit, non tenetur Generalis nominare prouincialem, vnum ex nominatis à capitulo, sed potest alium quempiam, quem maluerit, ex verbis citatæ Clement. næ. *Cæterum si Capitulum die prædicta Ministrum eligere pretermittat; ex tunc Ministri Prouincialis prouisio ad Generalem Ministrum liberè deuoluatur.* Quia tales nulliter electi, non sunt nec nominati, nec præsentati, itaut cogatur Generalis, digniorem ex ipsis instituere: Quia in ordine Minorum non est nominatio, aut præsentatio, sed sola electio, qua non perfecta, liberum est Generali alium instituere. Æquitati tamen congruit, vnum ex illis instituere, quos Capitulum aliqua in parte votorum qualificatione dignos censuit: Si enim minus eis auersi erunt Superiores, & ipsis subditi: nisi satius esset neutrum instituere ad tollendas partialitates, & schismata.

Non arctamur solemnitatibus iuris in electionibus.

Non arctari fratres Minores ad solemnitates, & formas iuris in electionibus, cōcessit Clem. III. relatus in Mari magno Sixti IV. *Regimini vniuersalis Ecclesiæ. in Bullario Rod. pag.*148. *n.*2. & infirmam. *part.*2. *pag.*14. *& in Compendio V. Electio.§.*4. *In electionibus* (inquit) *Generalis, & Prouincialium Ministrorum fratres, qui debent huiusmodi electionem celebrare, cum eos frequenter de remotis partibus oporteat conuenire, tempus super hoc à iure statutum non currat, nec ipsi in hac parte iuris, huiusmodi regulis coarctentur.* Quæ confessio non tollit essentialia electionis, nec formas inductas à iure, quæ essentiales censentur, in dicto *cap. quia propter. Et Con.Trid. ac in decretalibus.* Hæ enim Regulæ in hac parte vocari non debent, sed quæ sunt de solemnitatibus, & accidentalia; nam verbum, *huiusmodi*, cum sit relatiuum, mensurari debet ex Superiori, nimirum *de tempore à iure statuto.*

Solemnitates, quę sint.

vt quod electio non fiat ante sepulturam prædecessoris. *cap. bonæ mem.* 2. *de elect.* quod intra tres menses prouideatur de Prælato. *cap. ne pro defuncto. de elect.* quod præsentetur electio, intra 8. dies. *cap. cupientes. de elect. in 6.* quod intra mensem electus consentire teneatur. *cap. quam sit. de elect. in 7.* vel confirmationem à Papa petere. *cap. cupientes. ibid.* his omnibus non tenemur. *Mir. d. q.*23. *ar.*10. Adde quod non fiat de nocte *cap. Quia propter. cit. V. electiones clandestinas.* Quod non fiat electio, nisi prius cantetur Missa de Spiritu sancto. *cap. cum terra. cap. cum inter.* 2. *de elect. Sigismundus dub.* 19. *n.*5. quod præstetur iuramentum de eligendo magis Idoneo. *Concil. Basileense sess.*23. *Clem.* VIII. *de refor. n.*36. & alia huiusmodi, quæ non sunt essentialia,

STATVTVM XIV.

Qui absquè authoritate Apostolica electiones coarctauerit, officio ipso priuatus existat, vt apostolica sanctione cauetur.

Ita Pius V. in bulla pastoralis officij. ædita *An.* 1571. 28. *Maij*. §. 2. *Quod Prouincialium Ministrorum electio liberè per vota secreta fiat, itaut commissarius generalis vel qui electioni præsiderit, si formam prædictam transgredi* (nimirum per vota secreta) *seu electores, quominus liberè eligant, quouis modo impedire conuictus fuerit, officio priuatus existat.* estque in iure communi, & naturali. Quia electio libertatem importat. *cap. notificasti.* 31. *q.* 5. quam coarctatio tollit. *cap. vbi periculum de elect. in* 6. *Nau. con.* 6. *de elect.* & *omnium* vis enim, & metus tollunt voluntarium. toto *tit. de his quæ vi, metusuè* lege nostros *Rod. q.* 41. *art.* 10. & 11. *Mir. q.* 23. *ar.* 21. 22. *Portel. V. elect. n.* 4. & adde statuta *Tolet. c.* 7. Quid autem sit arctare electionem. *Arctantis electionem pœna.*

Dico 1. (sposita authoritate sanctæ sedis Apostolicæ, quę summa est, & absoluta.) arctat electionem, qui eam ad aliquos particulares restringit. *Rodrig. tom.* 2. *q.* 52. *ar.* 11. & *in sum. tom.* 1. *cap.* 105. *num.* 1. *Mir. tom.* 2. *quæst.* 23. *art.* 22. *Portel. V. elect. n.* 4. *Peirin. tom.* 1. *q.* 1. *cap.* 31. §. 8. *dicto* 2. *Tambur. tom.* 1. *disp.* 5. *q.* 22. *n.* 8. *Castell. de elect. cap.* 4. *n.* 56. *Lezana tom.* 1. *c.* 15. *n.* 21. apud quos alij antiquiores. Et omnium vna est ratio, quia arctatio tollit libertatem. *Arctare quid sit.*

Dico 2. cum eisdem, limitare electionem ad aliquod genus personarum; vel nationis non est arctare electionem. ex doctrina *Nau. cons.* 7. *de constit.* ex quo recentiores. Sed non ita intelligendum velim, vt arctatio particulares personas indicet, nam si in tali natione esset nisi vnus, aut alter dignus eligi, tunc certè ad illos arctarentur, vel cogerentur, ad vsum libertatis indignos eligere, quod est peccatum mortale, & meo iudicio, reddit nullam electionem. Quia in tantum interpretantur doctores hanc arctationem licere, in quantum bono publico eam prospicere iudicant; ergo hac consideratione deficiente, est arctatio contra S. canones, & constitutionem Pij. Et in facti contingentia vidi, electione arctata ad aliquos, electores, indignum, vel minus dignum elegisse. Quare hæc doctrina, quæ potest esse vtilis, si benè applicetur, vniuersaliter tamen intellecta, maximè prejudicialis euadere potest. *Arctare, ad aliquod genus personarum non viciat.*

Dico 3. Præses, qui dicit electoribus, Generalem, vel Protectorem velle talem, vel talem Prouincialem, seque habere literas præceptorias, arctatiuas, &c. quas tamen non habet, & huius fraudis intuitu eligit Prouincialem, quem voluerit, non solum peccat mortaliter ob fraudem, sed arctat electionem, etiam si hoc testetur aliquibus in particulari, & non publicè in loco Capituli; Quia hoc est præcisum motiuũ timoris incussi ab extrinseco. Maximè, si addat, si non eligeretis talem, ego illum authoritate superioris nominabo. Parum enim refert, vt quis minetur mortem alicui gladio vero, an ficto, dummodo ille sibi minas intentari concipiat. Et multos hac arte vsos intellexi, facile enim *Superioris literas fingens, arctat electionem.*

creditur, quod timetur, eò vel maximè, si in aliqua Prouincia recens exemplum ostenderetur. Et certum est, metum, etiam reuerentialem, tollere libertatem. *cap. vbi periculum §. cæterum. de elect. in 6. cap. cum locum. & cap. gemma. de sponsalibus.*

Nec placet Lezanæ reflexio, qui non audet reprobare electionem factam ad nominationem Prælati, duorum, vel trium quam in consuetudine apud aliquos vigere audierat, atq; in sua Religione, id fieri testatur: Quia nisi adsit Indultum Apostolicum, siuè in sua, siuè in alia religione, puto electionem esse nullam, quia arctatam ad singulares personas. nec contra ius naturæ, dictantis libertatem in electione, induci potest consuetudo. nec video, quomodo Capitulum generale statuere possit contra substantiam electionis. Et ita firmat post *Rodrig. & Mirandam. Peirinus supra §. ex quibus colligitur.*

STATVTVM XV.

Absentium vota suppleri non possint.

Nec præsenti, vel absenti votum alicui committere licet.

Absentium vota suppleri non possunt.

Primum est in Tridentino *sess. 25. de regul. cap. 6.* quo reuocatur statutum Iul. 2. *cap. 8. par. 4. Et tunc fiat vocum siuè vocalium suppletio, Si aliqui vocales de aliquibus Prouincijs desint, per Præsidentem de consilio Patrum.* Et hoc est propriè, & directè, quod concilium prohibet; Non autem suffragari per procuratorem. *Portel V. elect. ad add num. 2.*

Nec suffragari per procuratorem.

Verum quidquid sit de iure communi, per statutum, non potest institui Procurator ad ferendum suffragium. Et in nuperrimo generali capitulo Romano *An.* 1539. S. D. N. confirmauit statutum pro Indis ne per Procuratores suffragari possent; quod ad alios vocales ordinis extendit in const. *Circumspecta*, dicens. *Quodquè si Commissary, & Custodes huiusmodi in itinere decedant, suffragium suum nemini, etiam tanquam Procuratori absenti, vel præsenti committere possint, ac idem in alys etiam Prælatis, & vocalibus iuxta laudabilem dicti ordinis consuetudinem seruetur.* nec facienda est vis in Verbo *decedant*, quasi vero intercedente morte instituentis, esset facultas Procuratoris. Quia cum nulli dubium sit, quòd mortui Procuratores non instituant, nec mandatum mortui conseruetur; Et cum præmittatur, *decedant*, ad *suffragium committere &c.* ridiculum sensum talis interpretatio faceret. Sed sensus est, quod siuè mortuo, siuè infirmo, siuè impedito vocali suffragium committere per Procuratorem non possit. Quia, *decedere* in iure non tantum significat mori, sed propriè significat à mandata functione discedere. *Brechus in l. hæreditas. tit. de rerum, & verbor. signific.* quia *decedere est diuertere, locum dare, officio non resopndere. l. 1. C. de incestis, & inutilib. nup.* Vide *Io. Caluin. in lexico, pag. mihi 564 à principio.* Et sic in praxi Procuratores vocalium non admittuntur.

Decedere, quid est.

STATV-

STATVTVM XVI.

Facta electione, mox schedulæ comburantur. Ac etiam quando aliquis error in scrutinio committeretur.

Fuisse statutum in generali Capitulo Romano *Ann.* 1587. dicit Sixtus V in Bulla. *Et communis cura pastoralis officij*. qua statuta inibi facta confirmat cum clausula irritante, *Decernentes ex nunc irritum, & inane &c.* dicit autem, *Vt eligentium nomina omninò sint secreta, & occulta, & nunquam publicentur, ac peracto scrutinio, schedulæ, & omnia huiusmodi scripta coram omnibus vocalibus illicò comburantur.* Quod tamen statutum, quoad combustionem schedularum non vidi in impræssis, quæ apud me sunt, benè tamen ostenditur aliquid deesse ex abbreuiatura &c. quidquid sit, credendum est Pontifici. Pius item V. viuæ vocis oraculo idem declarasse D. Alex. Cribello Cardinali 12. *Maij* 1568. pro omnibus regularibus ex mente Conc. Trid. refert ex *Rodriq. Castellinus, & cap. 4. num. 62. & cap. 7. num.* 11. cum Bulla Sixti Quinti, & est fundatum in ipso iure *cap. quia propter*. & Concilij Tridentini, quia si electio ita debet esse secreta, vt eligentium nomina nunquam publicentur, necessariò infertur comburendas esse schedulas, in quibus eligentium nomina continentur, quia possent, &c. & hoc est de forma essentiali electionis per scrutinium. Possent tamen ita lacerari, & corrumpi, absque combustione, vt nunquam etiam legi possent, qua ratione secretum etiam seruaretur, attamen expeditius fit, combustione. *Schedulæ comburantur.*

STATVTVM XVII.

Trahentes originem ex Mauris, Mahometanis, vel Hæreticis damnatis, quorum statuæ, vel ossa combusta sunt; sine facultate Apostolica ad ordinis officia, & dignitates assumi non possunt.

Totam hanc materiam sequentibus conclusionibus breuiter absoluam.

1 Conclusio. Descendentes à Iudæis, Hæreticis, & Saracenis, quorum corpora, ossa, vel statuæ combustæ sunt, vel vt tales condemnati fuerunt, vsquè ad quartam generationem inclusiuè, per lineam maternam, seu paternam, sine dispensatione Apostolica assumi non possun, ad Ministratum, Vicariatum, seu Commissariatum Generales, Prouincialatum, Commissariatum, seu Visitatoratum Prouincialem, Guardianatū, & ad omnia quæcumq; officia, & dignitates, Ecclesiasticas, & Religionis, & si de facto electi fuerint vel *Descendentes ab hæreticis, inelegibiles, sub pænis, &c.*

assumpti, electio est ipso facto nulla, & eligentes sunt statim excommunicati, & priuati officijs, & dignitatibus, quas obtinent, cum perpetua inhabilitate in posterum. sic determinarunt Clemens VII. *an.* 1525. pro Hispania tantum, & Paulus IV. qui eandem Clementinam inferit, & confirmat in Bulla, *Cum ex Apostolatus Officio*. & Pius IV. qui vtrasquè refert, & cõfirmat in Constit. *Prouisionis nostræ. an.* 1559. 24. *Aprilis* reuocans, & annullans constitutionem Iul. III. qui *an.* 1550. eas reuocauerat, & Greg. XIII. in constit. *Consueuit Romanus Pontifex. edita* 1573. 3. *Septembris*, qui confirmans Paulinam, reuocat Const. Pij V. *Pastoralis officij. editam.* 1571. 28. *Maij.* in qua habilitauerat ad habitum, & officia, &c. Descendentes à Mahometanorum, vel Iudæorum genere, cum post Baptismum Iudæi, aut Græci distinctio esse non debeat: & idẽ decreuerat de descendentibus ab Hæreticis conuersis: de damnatis autem, vel combustis, inhabilitatis tantum descendentibus per lineam paternam vsquè ad secundam generationem, & maternam vsque ad primam, reliquos habilitauerat. inx. *cap. statutum* 2. *de Hær. in* 6.

Et quare..

Statuti motiua sunt, ex Bulla Pauli IV. Primum, quia aliàs S. Canones hoc vetuerunt. *cit. cap. prohibentur. cap. quoniam. d.* 48. *cap. constitut.* 17. *qu.* 4. *cap. nulla officia, d.* 54. *Secundum, Quia non decet eos, qui ad docendum alios verbo, atquè exemplo in Ministros assumuntur, suspicione aliqua laborare*. Tertium, Quia periculosum est, Prælatos facere eos, *qui mala imbuti doctrina, vel vitiorum parentum imitatores existant, alios Fratres inficere possent*. Quartum, quia infamibus dignitatum portæ patere non debent *de regul. iur. in* 6. *cap. infamibus, & cap. inter dilectos. de excess. prælator*. descendentes autem ab hæreticis, infames sunt. *Sanchez lib.* 2. *cap.* 28. *num.* 4. *cap.* 2. *de Hæret. in* 6. *Vbi Couar. Castro, Gomez, Simau. Azeuedo, Henriquez, & alios citat*, quos tamen non sequitur.

Secunda Conclusio, non solum descendentes à Iudæis, Mahometanis, & Saracenis sub his legibus continentur, sed multo magis. ipsimet Iudæi, & Mahometani, si ad fidem conuertantur; Quia multò magis in his valent rationes legum, quas supra citauimus. & grauiter docet S. Gregorius Quarto moral. *& lib.* 7. *epist.* 100. *ad Syagrium Episcopum*. relatus *cap. sicut Neophitus* . *dis.* 48. *& Innocen.* 1. *epist.* 12. quia (inquit) *Miserum est eum fieri magistrum; qui nec dum nouit esse discipulus: summumque Sacerdotium adipisci qui, in nullo Sacerdotij gradu, prius fuit exercitatus. & Concil. Toletan.* 4. *c.* 64. *Vt Iudæi, aut ij, qui ex Iudæis sunt officia publica nullatenus appetant, quia sub hac occasione, Christianis iniuriam quandoquè faciunt*. Hæc ex *Miranda tomo secundo, quæst.* 1. *artic.* 1. *con.* 2. *fine*.

Non tamen gentiles Indi, Peruani, &c.

Tertia Conclusio. Gentiles, qui non sint Mahometani (qui idem sunt, ac Saraceni) siuè ipsi conuersi ad fidem, siuè eorum descendentes, his legibus non comprehenduntur: Vt sunt Indi, Peruani, Iaponici, &c. Quia de his non fit mentio in citatis canonibus, & bullis, quæ cùm sint odiosæ, vltra casus expressos extendi non debent: & in his cessant rationes, quæ contra Turcas, & Hebræos militant, quia hi non sunt ita Christianæ Religionis inimici, & persecutores. *Rod. tom.* 1. *quæst.* 14. *art.* 5. 6. cum alijs pluribus, quos eius Compilator citat *resolution.* 105. *numero* 4. contrarium tenuit *Miranda tomo primo, qu.* 19. *art.* 7. *conc.* 2. qui citat statutum, omnes gentiles, & nouos Christianos

exclu-

excludens;sed statutum nostrum tale non dicit.

Quarta Conclusio. His comprehenduntur etiam Schismatici, & eorum descendentes, si pro talibus condemnati fuerint, &c. Non tamen vltra quartum gradum inclusiuè, & in linea tantum directa, non collaterali, quia etiam Schismatici sunt Hæretici. Et Bullæ dicunt, *Vsquè ad quartam generationem.* Quam Pius Quintus, in citata Constitutione declarat, *Per lineam paternam, vel maternam,* prout declarauerat *cap. statutum 2. de Hæret. in 6.* & Clemens Octauus, citatus ait, *Quorum parentes, & progenitores paterni, seu materni.* *Includūtur Schismatici*

Quinta Conclusio. His non comprehenduntur descendentes ab Hæreticis, seu Schismaticis, pro talibus non declaratis, aut condemnatis, cuiusmodi sunt Græci, Schismatici, Luterani, & Caluinistæ Hæretici. Quia quamuis isti notoriè sint Hæretici, & Schismatici, non tamen sunt nominatim pro talibus condemnati, prout requirunt Constitutiones Clementis Septimi, & Pij Quarti, qui dicunt, *Hæretici condemnati, & vt tales declarati, &c.* Notorium autem non facit, vt pro talibus declarati sint, prout in simili, docent scribentes de excommunicatis vitandis in vim Constitutionis Martini Quinti, *Ad Euitanda,* in qua prohibetur commercium cum excommunicatis nominatim, vel publicis percussoribus Clericorum. Nec sufficit, quod quis sit notoriè excommunicatus, vt sunt omnes Hæretici. Hac etiam ratione, si post quartum gradum nominatim excommunicati, fuerit alius Hæreticus ex eadem Familia in quinto, & vlteriori gradu, licet ipse recipi ad ordinem, & ad dignitates assumi non possit, posset tamen suus filius, quia non descendit à parente declarato pro excommunicato. *Qui tamen fuerint declarati nominatim.*

Sexta Conclusio. Comprahenduntur his Constitutionibus descendentes ab Hæreticis pro talibus declaratis, etiam si ipsi conuersi fuerint, & Catholicè obierint vel eorum ossa, vel statuæ crematæ non fuerint. Contrarium tenuit *Rod. supra artic. 7. & suus Abbreuiator citat. num. 5.* vbi *Nauarrum, Sanchez, Molina, & Azeuedo citat.* putantes debere iuncta reperiri, quòd progenitores fuerint condemnati, & quòd ipsi, ossa, vel statuæ fuerint vsta: Quorum alterutro deficiente, non includi in his legibus censent. Attamen *Nauarrus citatus à Miranda, dicta quæstion. 19. artic. 7.* Solidè contrarium probat, quia Pontifices distinguunt Iudæos ab Hæreticis, & subdunt vstionem corporum, quæ ad Iudæos referri non potest; nam vt Iudæi non cremantur, sed si post conuersionem reuertantur ad vomitum, non sunt Iudæi, sed Apostatæ, & Hæretici, & nisi esset distinctio, inutiliter inibi appositi essent: Itaquè particula (Ac) respicit Hæreticos, non Iudæos: & non Hæreticos absolutè, sed, siuè fuerint cremati, siuè non; quia ex rationibus Nauarri, non debent otiosa esse illa verba, *Hæretici declarati, seu vt tales denunciati;* Nam si cremantur, certum est, prius debuisse condemnari, & declarari; ergo diuersam vim habent, sequentia ab antecedentibus, & si velimus attendere mentem legis, idem est, esse Hæreticum declaratum, & denunciatum, ac vt talem crematum, quoad crimen hæresis, quod infamat, non pœna: quia si vt Hæreticus ad perpetuos carceres, vel ad furcam condemnaretur, & periret, nulli dubium est, hunc esse infamem, & summè odibilem. Attamen in contraria sententia possemus facere Generalem Ordinis filium Hæretici suspendio ob Hæresim necati, quod nescio, an aliquis cordatus concederet. Lege *Sanchez lib. 2. decal. cap. 27. nu. 2. 3. 21. & sequentibus,* *Nec iuuat, quod post declarationem sint cōuersi.*

qui citat *Symancam, Roias, Peñam, Aulam, Suarez, Molinam, & alios.*

Septima Conclusio, Descendentes, &c. Possunt esse Discreti capitulares, & Conuentuum, Magistri Nouitiorum, Vicarij Conuentuum, Confessores Monialium; Non tamen Custodes pro Capitulo generali, Diffinitores, siuè Generales, siuè Prouinciales, aut Prædicatores. Conc. aliqua ex parte est contra *Rodrig. citat. qu.*14.*art.*11. *&* 12. dum concedit, posse hos eligi in Diffinitores, & Prædicatores, non tamen in Custodes.

Tales descendentes quæ officia obtinere possint.

Ratio tamen Conclusionis est pro prima parte, quia recensita munera non sunt officia, nec dignitates ordinis. & pro secunda parte, quia inter officia ordinis recensetur Diffinitoratus, vt supra dictum est. Et in Constitutionibus Pij Quarti, & Clementis Septimi, ac Gregorij Decimitertij, prohibetur, hos posse eligi in Prædicatores; quod licet, consuetudine non esse receptas in hac parte Constitutiones, constet; attamen de iure conclusio est vera, & posset in praxim deduci. Quoad Custodes autem licet placeat sententia, non tamen placet ratio, quam huius rei reddit *quæstio* 13. *art.*19. quod scilicet habeat votum actiuum, & passiuum in Capitulo generali; Nam eandem vocem habent in Capitulo prouinciali, & sic impugnat suam sententiam de Diffinitore. Quod autem voto passiuo renunciare non possit, parum est; tum quia posset; tum quia de iure votum passiuum non habet. Nec omnes qui ad Capitula generalia, & prouincialia sunt vocales, habent vocem passiuam, quia illam non habent Generales Ministri, Commissarij, Vicarij, Procuratores; & in Prouinciali Capitulo non habent votum passiuum Ministri prouinciales actuales, vel qui sexennium non absoluerunt ab officio; & si fierent discreti, vt fieri solebant, & esset discretus Laicus, non posset eligi in Prouincialem, ex statutis, & etiam Diffinitores prouinciales remanent patres, sicut Custodes.

Pœnæ post sententiam tantum incurruntur.

Octaua Conclusio. Non currunt hæ penæ nisi post sententiam, nec in dubio aut condemnandus est aliquis, vt descendens, &c. aut credendus. Quare si electus fuerit in tali dubio, nec ipse tenetur deponere prælaturam, nec subditi tenentur illi non obedire, nec electores pœnas incurrunt.

Pœna certa certum delictum prosequitur.

Ratio est, quia debet esse declaratus, vel denunciatus, quod talis pater, &c. & hoc Iudici constare debet, ne pœna certa incertum, & dubium defectum puniat, contra ius, *l. Barbarius. de off. Prætoris*, Vnde nec subditi tenentur eum non reputare Superiorem, ob titulum coloratum, quod tribuit ius, *odia restringi. de regul. iur. cap.*2. *de filijs Presbyterorum*, cum hoc dubio electores *non præsumunt*, vel *audent*, vt constitutiones requirunt, nec aliquis ante sententiã possessioni debet cedere in dubio; quinimo nec ipse debet credere esse talem, si nesciat tuto. *l. miles. §. si defuncto. ff. ad legem Iulian. de adulter.* & sic tenet *Rod. supra art.*3, 4. 5, qui docet cum multis alijs, quos citat *Hieronym. Roderig citat. Resol.*105, *num.*3. excludi ab his odijs, qui natus sit ab Hæretico, &c. Antequam in hæresim incideret, quia licet suus pater, sit hæreticus, ipse tamen non fuit genitus ab hæretico. Sequendam tamen non esse sententiam docet ob honorem religionis, quippe communiter existimatur filius hæretici, & talem distintionem populus non intelligit.

Natus ante hæresim patris, potest eligi.

Papa solus potest habilitare.

Nona Conclusio. In hac inhabilitate solus Papa dispensare potest, quia ipse inhabilitauit, supra quem Religio authoritatem non habet. *cap. Inferior. d.* 21. & quomodo possunt inferiores Prælati, si ipsimet in prohibitione includuntur?

Possent

Possent tamen absoluere ab excommunicatione contracta ob electionem talium descendentium, quia non est reseruata.

STATVTVM XVIII.

Ex Sacrilegio procreati, etiamsi ad ordines admissi sint, ad officia, & dignitates ordinis promoueri non possunt.

Et etiam illegitimi, nisi cum eis fuerit dispensatum.

De his supra à nobis disputatum est, vbi de receptione Nouitiorum: quare solum addendum *cap.2.stat.1.*

Legitimatos per ingressum Religionis ad ordines, indigere dispensatione Generalis cum Capitulo generali, vel Prouincialis cum Capitulo prouinciali, seu intermedio, & non alias, ad hoc, vt ad gradus, & dignitates promoueri possint. Ita Gregor. XIII. Const. 3. *Circumspecta.* §. 4. moderatiua Constitutionis Sixti Quinti, suffragantibus tamen meritis. *Illegitimus non potest eligi, nisi dispensetur, & à quibus*

In Capitulis igitur tantum possunt dispensari. Sed quia statutum addit, *de qua dispensatione, per literas Ministri generalis, propria manu signatas, & sigillatas constare debebit.* Puto reuixisse Priuilegium Eugenij Quarti, concessum Congregationi Sancti Ioann. Euangelistæ, relatum à *Portel V. Illegitimus 3 num.9. & dispensare. num.2. & à Rod. tom.1. quæst.13. art.6. & Hieronym. Rodr. resolut.52. num.41.* & Sixti Quarti, apud eundem *Rod.* qui concessit Generali, & Prouincialibus Minorum, vt possent dispensare cum patientibus defectum natiuitatis ex quocumquè concubitu. *Vt ad quascumquè administrationes, & officia, dicti ordinis eligi, recipi, & assumi, illaquè gerere, & exercere liberè, & licitè possint.* Quæ priuilegia iam reuocata à Gregorio Decimotertio, reuixerunt, per subsequentes confirmationes Clemen. VIII. & Pauli Quinti, ex causa scientiæ, &c. Vt refert idem *Hieron. Roder. citans Villalobos. part.1. tract.13. diff.60. num.10.* quare optimè Generali solum dispensandi potestas committitur; & potest Capitulum generale arctare facultatem Prouincialium, illisquè impedire vsum priuilegiorum.

Debet tamen adesse causa, quæ illegitimos dispensatione dignos reddat, aliàs dispensatio nulla esset, Ex citata Const. Gregoriana, in quo Superiorum conscientiæ onerantur, & debet augeri causa pro excessu illegitimi, vel nefarij concubitus, vt obseruauit *Miranda tom.1. quæst.2. art.11. con.2. cum Soto.* Nec sufficere causam merè voluntariam, pro qua leges citat. Possent autem causæ sufficientes esse Vitæ probitas, generis splendor, scientiæ eminentia, boni regiminis spes, in ordinem merita, habilium paucitas, &c. *Causæ pro dispensatione.*

STATVTVM XIX.

Si omnes qui generali Capitulo interesse debent, ad præscriptum tempus non conuenerint, etiamsi fuerint, quam plurimi, etiam si deesset Generalis; Capitulum statuto tempore celebretur.

Non differtur capitulum citatũ.

Reperitur in *cap. cum nobis olim. de elect. Quoniam ad electionem faciendam accedere noluerunt, alienos se fecisse videntur*. Vbi *Panor. num. 4.* & cum sic negotium totum, ordinem concernens, non debet retardari ob aliquorum defectum: nunquam enim celebraretur, & staret malitiæ aliquorum, impedire capitulum, &c. Non enim debent per particulares, vniuersitatis negotia præpediri. *Panor. in cap. in causis. de elect. nu. 9.* Vnde in nuperrimo capitulo generali Romano celebrato *ann. 1639.* defuit tota natio Gallicana, quæ habet triginta quinque, vel 40. suffragia. Adest restrictio temporis Vigiliæ Pentecostes, & sexennium, quæ variari non possunt: & adeo verum est hoc, vt si maior pars deficeret, & perpauci adessent, vel duo, adhuc celebrari deberet Capitulum cum ijs, qui interessent, qui tunc totam Religionem repræsentant.

STATVTVM XX.

Tempore quo celebratur Capitulam generale, in Prouincijs ante regressum Ministrorum, & Custodum ad propria, nihil innouetur. Contrarium, si fiat, sit irritum, & authores suffragijs, officijsquè priuentur.

Si autem casus repentinus acciderit, puniatur reus; & alij in Guardianorum, vel Confessorum Monialium munus sufficiantur vsquè ad reditum Ministrorum.

Capituli generalis tẽpore nihil innouetur. Nisi in casu.

Congruit Titulus, *ne sede vacante aliquid innouetur*, Quia deficientibus omnibus Ministris, & Custodibus, qui sunt maior, & melior pars Prouinciæ, & munus quasi Episcopale habent, *non debet aliquid innouari, cum non sit qui Episcopale ius tueatur*.

Conceditur tamen in casibus repentinis. *cap. cum nullus. de temporibus ordin. in 6.*

In 6.& Concil.Tridentin.Sess.7.cap.10.de reform. concedit Capitulo sede vacante posse intra annum concedere dimissorias *arctatis beneficij Ecclesiastici recepti, vel recipiendi occasione;* quia bonum publicum detrimentum pateretur. & ratio ipsa dictat prouisiones fieri, quando aliter fieri non potest, vt esset punire Guardianum peccantem, vel amouere confessarium ob scandalum, &c.& alios vsque ad Prouincialium aduentum substituere.

Cum hac proportione, possunt Vicarij, seu Commissarij Prouinciales tempore celebrationis Capituli generalis obedientiales literas, ad itinerandum, & dimissoriales ad ordines concedere. Quia inquit d.cap.*cum nullus. Episcopo in remotis agente, ipsius in Spiritualibus Vicarius dare potest licentiam ordinandi.* Eò vel maximè cum Commissarius Prouincialis habeat generalem administrationem in spiritualibus, & temporalibus, ijs exceptis, quę per statuta vetantur.

Quid possunt Vicarij Prouinciales tempore capituli generalis.

Vniuersaliter hoc statuto prohibetur innouatio, quæ requirit Diffinitorium, cuius caput est Minister, & principale membrum Custos, non autem illa, quæ à solo Ministro fieri possunt. & sic non possunt celebrari Congregationes, approbari Confessarij, & Concionatores, destitui Guardiani, aut suspendi, sine euidenti causa; alienari, vel concedi Cappellæ, vel alia bona, & iura Religionis, recipi noui conuentus, vel veteres relinqui. Lites intentari, bonum totius Prouinciæ concernentes; respondere tamen possunt, & pro tempore defendere. Atquè si ob consensum præstitum à Commissario, ius aliquod Religonis deperiret, potest repeti, quia ad hoc agendum non habebat Prouincia facultatem, & sine iure processit.

STATVTVM XXII.

Tempus, & locum Capituli generalis celebrandi, Minister Generalis vniuerso ordini, et illis præcipuè, qui interesse debent per literas citatorias opportunè significet.

Facit primò pro hoc statuto tota dist. 18. quæ de indicendis concilijs tractat. præcipuè *c.propter Ecclesiasticas causas.* ex Concil. Antioch. c.20. *Admoneant autem omnes comprouinciales Episcopos, hi, qui in amplioribus ciuitatibus, id est metropolitanis degunt.*&c.non oportet, *Vocatos Episcopos Synodum contemnere venire.*&c.sequenti, peruenit.& c.quoniam.*Oportet congregatos Episcopos.*& c.si Episcopus. Ex Conc. Agaten.c. 35.*Si quis Episcopus Metropolitanus ad comprouinciales Episcopos epistolas direxerit in quibus eos ad Synodum inuitet, postpositis omnibus, &c. Cum sequenti.c.si quis Episcoporum.& finali c. de cernimus. Ex Conc. Tolet. 3.cap.18. Decernimus (inquit) vt dum in qualibet Prouintia concilium agitur, vnusquiquè Episcoporum admonitionib. suis intra tres menses, omnes Abbates, Presbyteros, Diaconos, &c. aggregare nequaquam immoretur, &c.*

Capitulum à Generali intimandum.

Facit secundò, *c.in singulis.de statu Monachorum.* in quo de conuocandis Abbatibus

batibus, & prioribus singulò triennio ad capitulum agitur.

Facit 3. forma conuocandi concilia, posita in fine Constantien. Conc. tom. 7. Conc. & quas adducit ex Mediolanensib. Concilijs. *Gauan. in praxi diœc. Syn. p. 1. c. 1. de indictione con.* & deinceps.

Facit 4. absoluta necessitas, quia cum nesciatur quo loco, & tempore celebrandum sit Capitulum, & vocales debeant ad illud accedere, necessariò sunt monendi, & conuocandi, aliàs capitulum esset nullum. *c. coram, c. bon. mem. c. 2. quod sicut. c. quia propter. de ele.* aliàs vel vnus qui contemneretur, posset annullare electionem. *Ab. in d. c. quod sicut. & Doctores communiter*, quia contemptus dicitur, qui legitimè vocatus non fuit. *c. coram dilecto. de ele. vbi Imola n. 6.*

Cōtemptus, in electione quis dicatur

Ideò statutum ait, *opportunè significet*, id est, cum tanta temporis indulgentia, vt commodè venire possint. Quia si Indos v.g. cum aliquorum mensium spatio citaret, esset illos contemnere, quia in tam breui tempore venire non possunt. Hinc per annum ante tempus, capitulum omnib. intimatur, vt ad distitas per totum Christianum, & non Christianum orbem prouincias conuocatoriæ literæ opportunè perueniant.

Sed quid si casu, vel Tabellionum iniuria, vel malitia, literæ citatoriæ ad aliquas prouincias non peruenirent?

Si citatoriæ non peruenirent, quid agendum.

Respondeo non propterea agere possent, tanquam contempti, quia Generalis de facto, & sine dolo, per modos ordinarios, & communiter applicari solitos, illos conuocauit. *Nec est in mora, qui potest exceptione legitima se tueri. de reg. iur. in 6.* cum altera, *cum non stat per eum, ad quem pertinet, quòminus conditio impleatur, haberi debet perinde ac si impleta fuisset.* & alia. *factum legitimè retractari non debet, licet casus postea eueniat, à quo non potuit inchoari.* & sic communiter doctores in *d. c. coram. & c. cum inter vniuersas. de elect.* lege *Tambur. d. disp. 5. q. 3.* per totum.

Si bellis impediantur.

An autem vrgentibus bellis, vt hoc tempore, & incidente celebratione Capituli in partibus Hispaniarum conuocandi sunt vocales Galli, Lusitani, Cathalani, qui certò aduenturi non sunt?

Respōdeo affirmatiuè, tum quia, & Generalis habet debitum conuocandi omnes suos subditos, & illi habent debitum præcisum conueniendi: si autem postea violentia superior impediat, quilibet excusatur. *Panor. in d. c. quia propter. de ele. n. 5.* ceterum cum non sit bellum inter religosos, possunt si volunt, sicut potuissent si voluissent. Nec creditur Pijss. & Christianiss. Regem, qui iusti tit. insignitur, impedisse ex sub marte, ne fratres galli Romam, terram amicā, & confidentem, & per itinera minimè bellis obtrita, venirent ad nuperrima Rom. comitia, nisi manu ipsorum fratrum sollicitatus fuisset. Ipsi norunt obligationem grauissimam, quam habent ex regula, conueniendi ad electionem Generalis. Ministri. *In quo Prouinciales Ministri, & Custodes teneantur semper in simul conuenire vbicumquè à Generali Ministro fuerit constitutum.* & esse præceptum obligans ad mortale, omnes expositores cum Clemente V. affirmant.

STA-

STATVTVM XXII.

Significato generali Capitulo fiant Publicè, & priuatim orationes, ſacrificia &c. pro impetrando bono Paſtore &c.

Ex citatis authoritatibus, hoc ſtatutum etiam comprobatur, quibus addo Tridentinum *ſeſſ. 24. cap. 1. de Reformatione*. *Vt cum primum Eccleſia vacauerit, ſupplicationes, & preces publicè priuatimquè habeantur, atquè à Capitulo per ciuitatem, & diaceſim indicantur, quibus clerus populuſquè bonum à Deo Paſtorem valeat impetrare* &c. cum decreto de modo viuendi in *ſeſſ. 2. eiuſdem Concilij*, & exemplo apoſtolico in electione S. Matthiæ *act. 1. orantes dixerunt, tu Domine qui corda &c.* *In Cap. orationes fiant.*

Et ſi quæ congregatio in Eccleſia Dei neceſſe habeat, ab eo enixis precibus bonum Paſtorem efflagitare, eſt Seraphica Religio nouæ Prolis fœtu ferè in immenſum multiplicata, inter tot fideles, & infideles, Reges, Principes, & Dynaſtas diſperſa, tot procellarum fluctibus agitata, quæ ſummoperè, & in ſuis filijs, & in electoribus cogitur meminiſſe memorabilis ſententiæ Con. Trid. *ſeſſ. 24. cap. 1. de refor.* In primis *Meminerint* (inquit) *nihil ſe ad Dei gloriam, & populorum ſalutem vtilius poſſe facere, quam ſi bonos Paſtores, & Eccleſiæ gubernandæ idoneos promoueri ſtudeant*. Et exclamare cum Conſtantienſi Con. *tom. 7. pag. 1132. & tom. 1. initio*, ex Iſidoro Mercatore. *Adſumus Domine S. Spiritus, adſumus, peccati quidem immanitate detenti, ſed in nomine tuo ſpecialiter congregati; Veni ad nos, adeſto nobiſcum, dignare illabi cordibus noſtris, doce nos quid agamus, quò gradiamur, oſtende quid efficere debeamus, vt te auxiliante tibi in omnibus complacere valeamus; eſto ſalus, ſuggeſtor, & effector iudiciorum noſtrorum.* &c. & addere triduana ieiunia ſecundum decretum *Con. Tolet. 17. titulo de regula S. fidei. num. 1. tom. 5. pag. 438.* è re maximè eſſet. *Vt trium dierum ſpatijs præcurrente ieiunio, de myſterio S. Trinitatis, aliiſquè ſpiritualibus, ſiuè pro moribus Sacerdotum corrigendis, nullo ſæcularium aſſiſtente, habeatur collatio.*

STATVTVM XXIII.

Cuſtodes deferant ſcripturas publicas (ſi quæ aderunt) contra Generales, vel Prouinciales &c.

Modus conficiendarum ſcripturarum contra Generales, & Prouinciales declaratus fuit in *Capitulo generali Romano* 1587. *Tit. pro Hiſpanis*. in hæc verba. *Quoties de excipiendis ſupremorum Prælatorum defectibus, vt ad generale Capitulum deferantur, agendum fuerit, prouincialis Capituli ſiue intermedij, dictum generale* *Modus conficiēdi ſcripturas pro capitulo generali.*

nerale capitulum antecedentis, Præses, vnum Notarium, seu scribam, atq; testes, qui præfatorum Prælatorum defectus (si qui fuerint) ab omnibus vocalibus secretò excipient. Si verò Congregatio pro electione Custodis, vel pro alia re habenda sit, Prouincialis Minister suos Guardianos monebit, quatenus in suis conuentibus, Notario, testibus vt supra electis de huiusmodi defectibus secretò inquirant: & si quid aduersus eos inuenerint, id Chyrographo communitum, & sigillo firmatum, vt nulli alteri constet, ad præfactam congregationem transmittant. Præfatæ verò Congregationis Patres, iuxta à Guardianis transmissa, processum instituant, nihil interea non legitimè probatum admittent. Igitur omnes Guardiani sunt Iudices ordinarij, pro talium confectione processuum.

Verum, cum debeant etiam inquirere contra Prouinciales, qui in dicta Congregatione reperiuntur, periculosum est, illos processus ad Congregationem mittere, nisi à Congregatione (vbi de Prouinciali agitur) Prouincialis abscedat, quod sine incommodo fieri non potest, aduersùs eum, qui est, & erit prouinciæ Superior. Difficilis etiam est inquisitionis modus, quia in vno conuentu examinantur testes, & in alio in modum processus rediguntur. Et necessariò deficiet formalitas illa contestandi testes, & supplendi quę maximè faciunt ad processus vigorem. Quia tamen hic modus est pro Hispanis, & nobis non est impositus, Puto seruandum esse, vbi commodè fieri poterit, quod nimirum moneantur Guardiani, vt si quas habent querelas, informent, & mittant ad Congregationem, vel pro hac, vel pro alia quapiam re habendam, excipiendas per Notarium vt supra coram Guardiano, & testibus (si tamen adhiberi velint) iuxta praxim criminalem. Si tamen contra Prouincialem fuerint, poterunt mittere scripturas sigillatas, non directas ad Patres illius Congregationis, sed Capituli generalis, Custodi tamen consignandas. Commodius foret examinare vocales in Capitulo prouinciali, nisi audiendi essent, alij etiam fratres subditi, eò vel maximè cum Capitulum prouinciale vt plurimum erit nimis à generali distans, & tales scripturæ non præparantur tam anticipatè quando Generalis adhuc gubernat. Et cum Capitulum intermedium non constet, nisi ex solis quatuor Diffinitoribus &c. non apparet, qui examinari possint, nisi dicamus posse examinari eosdem Patres, qui sunt Iudices, & collectores informationum, quod est contra iura, & redolere poterit collusionem, & conspirationem.

Melius igitur erit, si in quolibet conuentu, vt supra formentur, & ad Congregationem, ad hoc destinatam mittantur, quæ legitimas solum, & graues Custodi consignet.

Aduertant, quiqui fuerint, non mittere, nisi legitimè probata, quia alias peccaretur mortaliter, cum debito restitutionis famę; nam scripturæ non legitimæ, idest quæ per duos testes, vel per violentas præsumptiones non constent, ad nil aliud inseruire poterunt, nisi ad infamandum Generalem, & Patres, quod grauissimum scelus est, & punitione dignum.

Quod si suo debito fratres desint, deesse non debent Patres Capituli generalis, qui tales scripturas publicare non debent; quinimo in earumdem formatores animaduertere.

Tandem non video, quomodo Generalis per has scripturas puniri possit, quia si se tueri voluerit, vt est de iure; & in Capitulo generali defensiones fieri

non

non possint, necessariò in aliud tempus remittendæ erunt causæ, vt iustitia non violetur: & cum par in parem non habeat imperium, Generalis modernus, nisi sibi committatur à Capitulo, contra præteritum procedere non poterit. Itaq; Capitulum debet delegare Iudices, qui poterunt esse ipsimet Diffinitores generales, quia sunt causarum Capituli generalis Iudices ordinarij.

Vtinam inter præcipua Religionis negotia, Generalium Syndicationes reponerentur, essent enim in suo munere ocultatiores, scientes iuxta *cap. propter. dis. 18. Omnes quotquot læsos se existimant, Synodicam expectare sententiam.* *Generalium syndicationes.*

Statutum reperitur in iure *cap. & quæ, cap. in singulis Regnis. de statu Monachorum. & in Tridentino sess. 25. de regul. cap. 1.* in quo dicitur. *Et si quid executioni mandatum non sit, Episcoporum negligentiam concilia prouincialia suppleant, & coerceant. Regularium verò capitula Prouincialia, & Generalia, & in defectum Capitulorum generalium Concilia prouincialia, per deputationem aliorum eiusdem ordinis prouideant.* Quod decretum probè in nostra Seraphica Religione custoditur, quia in his statutis habetur. *Generalis Minister de consilio, & consensu Patrum, deputet causarum auditores, qui ad Congregationem deferant, quidquid iudicandum censuerint.* & sic de facto practicatur.

STATVTVM XXIV.

Sumptus pro itinere Ministrorum, & Custodum ad Capitulum venientium, Prouinciæ subministrent.

Hoc non est contra regulam, sed secundum illam; Quia præcipiente regula, vt Ministri, & Custodes conueniant vbicumquè à generali Ministro conuocati fuerint, & hoc est præceptum; & conuocăte Generali totum Capitulum in hac, vel in illa familia, in locis maximè distantibus, V.g. Salmanticæ, Toleti, Romæ, Aquilæ &c. quò per tanta viarum discrimina hyberno tempore, senes vt plurimum, & ætate prouecti, ac studijs, & negotijs macerati conuenire tenentur, impossibile moraliter est, vt sine sumptibus itinerari possit, quibus vel naui, vel equis aliquando ob lassitudinem, & infirmitates subleuentur. charitas friguit, pauperes passim obuij, multitudo mendicantium importuna, miracula expectare non tenemur, nec debemus, Itaquè sine sumptibus, itineri proportionatis, Capitulum celebrari non poterit. Indulget autem regula facultatem recurrendi ad amicos spirituales, pro infirmis, & vestimentis, in quibus aliæ necessitates ex omnibus expositoribus, & Pontificibus continentur. Hæc autem necessitas summa est, ex qua ordinis salus dependet, nimirum Ministri generalis electio, & superat multas necessitates, ob quas ad pecuniam recurrere possumus, vt pro artium instrumentis, libris &c. quia vitam regularem sine multis libris, & artibus transigere possumus, non autem sine capite. ergo si pro illis licet, multò magis prò ista. *Sũptus prosiciscentium ad capitulũ, sunt liciti.*

Possunt quidem, & debent Iuuenes, & robusti pedes ire, & anticipato plurium mensium tempore, paulatim, ac mendicando ad Capitulum conuenire. Attamen

tamen regula vna generalis aſſignari non poteſt, quia vt dixi, Superiores, vt plurimum ſunt ætate prouecti, & negotijs, ac ſtudijs attriti, qui in hac regula contineri non poſſunt. Ad hæc, ſi poteſt Cuſtos plures menſes anticipare, non poterit Miniſter, nec expedit, quia relinquere tot menſes ſuam Prouinciam, & regimen, regulari obſeruantiæ non conducit, vt experientia docet. Itaque minus incommodum eſt diſcedere congruo tempore, & aliquando equitare, quàm Prouinciam ſine capite deſtituere.

Non deſunt qui dicant, ſi Prouincialis eſt ſenex, mittat alium, qui pedeſter, & ſine ſumptibus ibit. Attamen laudo zelum ſed non ſcientiam, quia regula præcipit Miniſtris conuenire ad Capitulum, non Commiſſarios mittere, quos tantum mittere poſſet in caſu infirmitatis, alias peccabit mortaliter. Et cum Sanctiſſimus Legiſlator grauiſſimo præcepto ſuæ Religioni, quam in immenſum dilatandam, Spiritu cognouerat, iniungit, certum eſt conceſſiſſe etiam media neceſſaria ad talem itinerationem.

STATVTVM XXV.

Euntes autem in Domino admonemus, vt ita parcè, et modeſtè ſe gerant, vt promiſſæ paupertatis ſemper memores exiſtant.

Euntium ad capitulum modeſtia q. Monuit etiam Monachos in Concilio general Lateranenſi, Honorius Tertius *cap. citato in ſingulis Regnis. Hoc adhibito moderamine, vt nullus eorum pluſquam ſex euectiones; & octo perſonas adducat.* in Concilio 5. Mediolanenſi Sanctus Carolus Boromeus in Indictione dixit. *Quò religioſius autem ab ijs, qui ad concilium conueniunt, in eam actionem incumbatur, Eccleſiaſtici ordinis homines, & quos vna ſecum Epiſcopi conduxerint, omnes, ſinguli, antequam in viam ſe dent, peccata confeſſi, ſacerdotes miſſæ ſacrum celebrare, Clerici Sanctiſſimam Euchariſtiam ſumere ne ommittant.* Plura, & efficaciora dixerunt Legati Apoſtolici in prima ſeſſ. Concilij Tridentini. & *ſeſſ. ſecunda.* quæ ſi de ſæcularibus dicta, multò magis ad Religioſos conuertenda ſunt; Quorum Vitam dedit Deus in ſpeculum, & exemplum Eccleſiæ.

Cæterum meminiſſe debent, ſtatutum hoc obligare ad letalem culpam, quia paupertatem votatã ſeruare tenentur, & neceſſitatibus indulgere, vt pauperes, non vt diuites. Quod neceſſitatem pauperum ſubleuandam ſuperat, fratribus Minoribus ex inſtituto regulę eſt interdictum, præter ſcandalum, quod fideles accipiunt, dum vident eos vel curioſè equitare, vel denarios contrectare; Et in iſtis nulla regulæ indulgentia, nulla diſpenſatio intercedit.

Cæremonię autem conuocandi vocales; proceſſiones inſtituendi, miſſam cantandi, exhortationem faciendi, monendi &c. extractæ ſunt ex formularijs antiquiorum conciliorum, quos videre eſt tomo Primo ex Iſidoro Mercatore, & tomo Septimo in Concilio Conſtanſienſi, & Tomo Nono in concilio Tridentino, quæ & ipſa eas acceperunt ex Toletanis Concilijs ſparſim. Ideo huc ſententias per extenſum afferre, abſtineo.

STA-

STATVTVM XXVI.

Præses Capituli ante electionem vocales genuflexos, et confessionem facientes, absoluat ab omni excommunicatione, et dispenset cum eis in omni sententia irregularitatis, suspensionis, et interdicti ad effectum canonicæ electionis faciendæ, et eos habilitet, si opus sit.

Primus effectus istius absolutionis est, habilitare, si qui essent, excommunicatos ad eligendum, quia excommunicati non possunt eligere, nec eligi. Ex communi; apud Siluestrum *V. Elect. 1. num. 15.* qui multa iura allegat. Vnde si postea sciatur, aliquem Vocalem fuisse excommunicatum, contra electum ex hoc capite agi non posset, quia iam est absolutus. *Chokier de exemp. p. 4. q. 69. n. 1. apud Peirinum inform. lit. A. c. 7.*

Absolutionis generalis in capitulo, effectus.

2. Effectus est absoluere ab omni censura, & irregularitate, qua Vocales innodati reperirentur. Et secundum totam latitudinem verborum, nimirum, etiam sedi Apostolicæ quomodocumque reseruatis: ita enim verba sonant, & est priuilegium concessum à Iulio 2. Militiæ de Auis ordinis Cisterciensis, & confirmatum, & de nouo concessum à Clemente 8. Redemptioni captiuorum, vt refert *Rodrig. tom. 1. q. 20. ar. 26.* in quo priuilegio conceditur Superioribus, scilicet Generalibus, posse in Capitulo generali absoluere suos subditos, capitulo interressentes *ab omnibus, & singulis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsq; ecclesiasticis censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, & votorum quorumcumq; iuramentorum Ecclesiæ transgressionibus, pœnitentiarum eis iniunctarum, horarum canonicarum omissionibus, manuumq; violentarum in quascumq; personas iniectionibus, periuriorum, homicidij violentarij, casualis, & mentalis; adulterij, incestus, sacrilegij, & fornicationis reatibus; nec non ab omnibus, & singulis reatibus, excessibus, & criminibus, quantumcumque grauibus, & enormibus, de quibus contriti, & confessi fuerint; etiam si talia facerent, propter quæ meritò esset sedes Apostolica consulenda (contentis in bulla cœnæ dumtaxat exceptis) plenarie absoluere &c.* Verum pleniorem absolutionem ex dictis vbi de absolutione Nouitiorū, Superiores nostri impēdere possunt, non tantū in foro conscientiæ, sed exteriori. itaq; absolutio ista tollit omnes censuras impeditiuas elect. cuiusmodi sunt, quæ reperiunt in bul. cenæ. 3. effectus est, quod semel absolutæ, & dispensatæ censuræ, & irregularitates, non redeunt, itaut post absolutionem vocales reincidant; quia cum vnus ex illis eligatur, imò, & plures in Prælatos, nec ipsi essent capaces, ob reincidentiam excomm. lege. *Peir. cit. n. 3.* vbi impugnat *Alph. de Leone*, qui eū malè notauerat. & etiā *to. 2. q. 2. c. 5. §. 3. etc.* vbi multos citat. & est amplissimū priuilegiū quod afficit tātū vocales, et nō alios, dicit enim. *ad effect. elect.* & verè verba effectū habere debent, & quoad hoc quoad alia

Mira, et amplissima absoluendi facultas.

Absoluti, et dispensati in capitulis, post celebrationem electionis, non relabuntur in censuras

alia,secus superflua,& vana essent,vt considerauit *Lez.to.1.c.18.n.93.cit.Peir.to.1.priu.in const.1.Iul.2.§.16.n.42.& Ledes.de stat. relig. in comm.c.4.* mirum est, quod nec in stat. papal. Iul.2. nec Salmanticen. Iul.3. talis absolutionis præmittendæ nulla appareat memoria.

STATVTVM XXVII.

Ministri Generalis qualitates.

Generalis Minister esse debet ætate grauis, morum honestate, integritate vitæ, et doctrinæ præstantia insignis, prudentia consilio, et rerum agendarum vsu; tantoquè vel maximè idoneus,qui regulam seruare, et communem cum alijs vitam, quantum per occupationes officij licuerit, ducere possit: Vt verbo, et exemplo sibi,et alijs proficiat.

a Foetu nouæ prolis amplificat Ecc.
b Prouerb.20. Virum fidelē, quis inueniet? 70 Virum fidelē difficile est inuenire.
c C.qualiter.1. de accusat. l. obseruandum. ff. de off.Presi. Tost.in 2.reg. c 6. q. 17. qui ait, quod peccat Prælatus, morum grauitatem non seruans.
d In Ipsis imperijs suis,sit prouidus, & consideratus, cogitans discussionem S. Iacobi dicentis Gen. 33. Si greges meos plus in ambulando fecero laborare morientur cūcti vna die S. Benedict.c.46. vbi Turrecr. Abbatem benè imperare non posse, nisi per se,ea quæ alijs præcipit experiatur,affirmat

Graphicè Ordinis Ministrum depinxit Sanctissimus Noster Patriarcha, vt refertur in opusculis illius Sancti, collat. 26. *Tam [a] magni (inquit) & multimodi exercitus Ducem,tam magni,& dilatati gregis Pastorem, filij mei, nullum sufficientem intueor, [b] sed vnum,in quo reluceat, qualis debeat esse istius Familiæ Dux, & Pastor, vobis depingam. Homo iste debet esse vitæ [c] grauissimæ,[d] discretionis magnæ, famæ laudabilis, priuatis affectionibus carens, ne dum in parte plus diligit, in toto scandalum generet. Homo,qui Sanctæ Orationis sit amicus, ita [e] tamen, quod certas horas animæ suæ,certas gregi sibi commisso distribuat.*

[f] Nam primo mane debet Sanctissimum sacrificium Missæ præmittere, & ibidem longa deuotione scipsum,& gregem diuinæ protectioni affectuosius commendare.

[g] Post orationem vero seipsum statuat ab omnibus depilandum, omnibus responsurum,omnibus cum charitate,patientia,mansuetudine prouisurum.

[h] Non debet esse acceptator personarum,ita quod non minus curet de simplicibus, & idiotis,quàm de scientibus,& sapientibus,&c.

[i] Cui,si donum scientiæ est concessum, tamen plus in moribus pietatis, & simplicitatis,patientiæ,& humilitatis imaginem ferat.

[k] Foueatquè virtutes in se,& in alijs, atquè in practicando eas, continuè se exerceat,

e C in scripturis.8. quæ 1. quies nobis ex corde appetenda est, & tamen pro multorum lucro aliquando postponenda f S.Hieron. in ep. ad Tit c.1.dicit, quod Pastor debet quotidie pro se,& suis subditis Deo illibatas victimas offerre. Et S.Bern ser.76 in ca. Boni Pastores, dormientib. lubditis peruigilant,&c. pernoctant in oratione,hostium vigilias sagaciter explorant,&c g Nulla in audiendo difficultas,nulla in respondendo mora Plin.in paneg Traiani R ctorem te posuerunt esto tanquam vnus ex ipsis.Curam illorum habe,& sic confide,& omni cura tua explicita recumbe, vt læteris propter illos.Eccl.32. Abbas se imitandum in cunctis operum exemplis exhibebit.S Isid.in regula Mon.c 2. h Non ab eo persona in Monasterio discernatur non vnus plus ametur,quam alius,nisi qui in bonis actibus,aut obedientia inuenerit meliorem, quia non est apud Deum acceptio personarum.S.Ben.in reg c.2. i Ad maioris culpæ cumulum pertinet, scire quemquam quid sequi debeat,& sequi nolle,quod sciat. Isid.lib.2.de summ.bono. K Alias deformis videbitur omnibus,& maculosus, quia aliter facit,quam prædicat, Amb.in illud. Vt non in opprobrium &c. 1.Tim.3.

ceat, ad hæc alios plus exemplo, quàm sermonibus incitando.

l *Sit execrator pecuniæ, quæ nostræ professionis, & perfectionis est præcipua corruptela. Et tanquam caput, & exemplar imitandum ab omnibus, nullis vnquam loculis abutatur.*

m *Sufficiat autem sibi pro se habitus, & libellus. Pro alijs verò scriptorium, & sigillum. Non sit aggregator librorum, nec lectioni multum intentus, ne fortè distrahat officio, quod prorogat studio.*

n *Consoletur piè afflictos, cum sit vltimum remedium tribulatis: Ne si apud eum defuerint remedia sanitatis, desperationis morb. prævaleat infirmis.*

o *Vt proteruos flectat ad mansuetudinem, seipsum prosternat, & aliquid sui iuris relaxet, vt animas Christo lucri faciat.*

p *Ad refugas Ordinis, velut ad Oues, quæ perierunt, viscera pietatis expandat; & nunquam misericordiam neget illis; sciens tentationis illas prævalidas, quę ad tantum casum possunt impellere animam; quas si Deus permitteret ipsum experiri, fortè in maius præiudicium laberetur.*

q *Vellem ipsum, tanquam Christi Vicarium, ab omnibus cum deuotione, & reuerentia r honorari, atquè sibi in omnibus, & ab omnibus, cum omni beneuolentia, iuxta eius necessitatem, & status nostri condecentiam prouideri.*

s *Verumtamen oportet eum non arridere honoribus; nequè fauoribus, plusquam iniurijs delectari: ita quod propter honores, non mutentur eius mores, nisi in melius.*

t *Si quando propensiori, & meliori cibo indigeret non in abscondito, sed in publico loco assumat, vt alijs tollatur verecundia prouidendi sibi in infirmitatibus, & debilitatibus suis.*

u *Ad eum maximè pertinet latentes conscientias distinguere, & ex occultis venis eruere veritatem.*

x *Omnes accusationes in principio habeat suspectas, donec veritas ex diligenti examinatione incipiat apparere.*

y *Aures etiam non præbeat multiloquijs, & multiloquos, in accusationibus specialiter habeat suspectos, nec faciliter credat eis.*

z *Talis denique debet esse, quod propter cupiditatem retinendi honorem, virilem formam iustitiæ, & æquitatis nullatenus inficiat, vel relaxet. Ita tamen, quod ex ni-*

lij vulnera, ne filio cicatricem, neuum filio, nō relinquat Chrisol. serm. 3. q Abbas Christi vices agere in Monasterio creditur, quando ipsius vtatur pronomine, dicente Apostolo accepistis, &c. In quo clamamus, Abba Pater, S. Bened in reg. c. 2. Vicarij honor redundat in Deum. Hier in reg. Mon. c 8. r Esto subiectus Pontifici tuo, & quasi parentem animæ ama. Hier. ad Nepot Qui de amore, non venit honor, non honor, sed adulatio est Bern. in cant. s Chrisostom. hom. 33 in Mat. Et audientes decem, &c. Primatum honoris concupiscere, vanitas est: primatus enim fugientem se, desiderat; desiderantem se, edit. t Porrò debiles, & infirmi, qui minutione indigent, vel aliqua medicina, non seorsum in cameris, sed omnes in infirmitorio, quæ necessaria fuerint, sibi tàm in cibis, quàm in alijs, recipiant competenter. Alex. 3. c. cum ad Monasterium, de statu Monacorum. u Ad præpositum autem pertinet sollicitudo Monachorum. S. Isidor, in reg. monach. c. 20. Reuera mihi videtur esse ars artium, & disciplina disciplinarum hominem vel regere, vel imbuere, qui maximè est moribus varius & voluntate diuersus, idest mores corrigere, vitia purgare, emendare vitas, & propositum ad meliora conuertere. Nazia, in Apologetic. x Ad calumnias tacendum non est, ne mendacio inoffensum progressum permittamus, aut eos, qui seducti sunt, damno inhærere sinamus S. Basil. ep. 65. y Detatori aures ne præbeas, ne duplex peccatum cum illo committas, tum teipsum pernicioso affectui assuefaciens, tum ipsum aduersus proximum nugari non impediens. S Maxim. ser. 33. z Misericordia multum destituitur, si vna iustitia sine alia teneatur, quia circa subditos debet reperiri in Rectoribus misericordia, iustè consulens, & piè seuiens disciplina. Gr. 20. mor. c 6.

l Nihil miserius est, quàm propter nummos Deum cōtemnere. Amb. ep. & lib. 7. c. 10. in Luc. Vides me discipulum Christi, & aurum à me requiris? Habentes quæ comedamus, & quibus tegamur his contēti sumus.

m Attende lectioni, & exhortationi, & doctrinæ. Noli negligere gratiā, quæ in te est. 1. Tim. 4.

n S. Isid. Pelus. ad Palladium. Ex illo pendēt omnium subditorum necessitates Potus sitientium, cibus esurientium, victi, iniuriam passi.

o Non eleuetur cor eius super Fratres suos in superbia: neque declinet in partem dexterā, vel sinistram. &c. Deut. 17.

p Pater peccaui in cęlum, & coram te, &c. vidit illum Pater eius, & misericordia motus est, & accurrens cecidit super collū eius & osculatus est eum. Luc. 15. Sic Pater iudicat sic emēdat, sic peccāti filio dat osculā, non flagella. Delicta non videt vis amoris & ideo Pater peccata filij redemit osculo, clamat amplexu, Pater sic curat fi-

...o rigore nullius anima occidatur : & ex a *superflua mansuetudine non nascatur torpor, atquè ex laxa indulgentia non proueniat dissolutio disciplinæ, sicquè ab omnibus timeatur, vt ab ipsis timentibus diligatur.*

a Misericordia tunc est vera, si sic facta sit, vt iustitia per eam non contemnatur. Iustitia sine misericordia est crudelitas, sicut misericordia sine iustitia est fatuitas. Chrisost. hom. 5 in Matt.

b *Officium autem prælationis semper putet, & sentiat sibi fore potius oneri, quàm honori.*

c *Vellem etiam eum habere socios præditos honestate, rigidos aduersus voluptates, fortes in angustijs, & compassiuos delinquentibus, habentes æqualem affectionem ad omnes; nihil de labore suo recipientes, nisi puram corporis necessitatem, &c.*

b S Hieron. ad Oceanum, qui Episcopatum, &c. 2. Tim. 3. Opus non dignitatem, laborem non delicias: opus, quod humilitate decrescat, non intumescat fastigio S. Aug. de ciuit. Dei cap 19. Exponere voluit, quid sit Episcopatus, quia nomen est oneris, non honoris. c Tales habeto socios, quorum contubernio non infameris. Si Lector, si Acolytus, si psaltes te sequitur veste, sed moribus. S. Hieron. ad Nepot.

Largè quidem, sed optimè, An autem, vt Cyrus apud Xenophontem, Orator apud Tullium, Episcopus apud Paulum, ita Generalis apud istam delineationem? Præualeat monitum Hieronymi ad Oceanum, *Obsecro, ne quis me in sigillationem istius temporis sacerdotum scripsisse, existimet, sed in* (religionis) *vtilitatem, vt enim oratores, & philosophi, describentes, qualem velint esse perfectum oratorem, & philosophum, non faciunt iniuriam Demosteni, & Platoni, sed res ipsas absq; personis definiunt, sic in descriptione Episcopi* (Generalis) *& in eorum expositione, quæ scripta sunt quasi speculum sacerdotis*(Generalatus)*proponitur. Iam in potestate singulorum est, quales se ibi aspiciant; vel vt dolere ad deformitatem, vel gaudere ad pulchritudinem possint.*

Sed vt breuem commentarium super verba statuti faciam, ea in frustra discerpo.

§. I.

Ætate grauis.

Generalis ætas.

Quot annos natus debeat esse Generalis siue in natura, siue in habitu, statuta non determinant, supponentia ad vnicum hoc fastigium non eleuari nisi ætate prouectos. Elicitur tamẽ ex ætate Prouincialium, de quib. infra dicitur. *Quiq; trigesimumquintũ suæ ætatis, & à suscepto habitu, vigesimũ annũ excesserit.* & valet argumentũ à minore ad maius. In minori enim ętate vix debitã officio aptitudinẽ habere poterit. Quò reducitur illud 1. *Tim.* 3. *Nõ neophitũ, ne in superbiã elatus in iudiciũ incidat diaboli.* Neophitus .n. nouitiũ, vel nouellũ sonat. *Qui nouitate, & potestate inflatus, arbitrans se præ cæteris digniorẽ, videns .n. primis annis natiuitatis collatum in se honorẽ, putat non magis ad suum, sed ad aliorum profectũ se vocatum, quasi beneficiũ religioni det magis, quã accipiat,* inquit *S. Amb. hoc loco* to. 5. cui cõcinit *Haimo. Ne dicat neophytus, indigebat Eccles. mea sapientia, vel meo auxilio, ideo me ad religionẽ adduxit, & super se constituit.* Tales enim religio non promouet, sed ipsi sese fauorib. & artificijs, dementato Principiũ effectu intrudũt, obnoxij sũt diabolici casus, & præcipitij: hoc siquidem est *Iudiciũ diaboli, diabolica ista pestis est* (inquit Bas. c. 10. Const. Monac.) *& libidinis dominãdi labes, quæ res insigne est,*

Et prouincialis.

Neophitus quis.

est, primæ illius diaboli prauitatis indicium.etenim ex hac, ille quoq; imperandi libidine, præceps insigni illo superbiæ lapsus corruit.& Hieron.ad Ocea.*Iudicium, & ruina diaboli, nulli dubium quin arrogantia sit, incidunt in eam, qui in puncto horæ nec dum discipuli, iam Magistri sunt.*Si opponatur S.Bon. electus Generalis dum 30.ætatis,& 13.religionis ageret annũ, dicam, date mihi virum qui(vt inquit *Pisan.ab VVad.relatus a.1253.n.36.)an.7.post ingressũ ordinis legit sententias Parisijs in an.10.recepit cathed. Magistralem.& in 13.ad regimen ordinis est assumptus.* De quo *Gersonius* ab eodem adductus dixit.*Nescio si vnquam talem Doctorem, sicut Bonauenturam, habuerit studium Paris.*Qui cepit prius clarere miris virtutum operibus, quam persuasibilibus sapientię verbis. Dabo ordinationem Ambrosij Neophyti in Archiepiscopum Mediolanensem. Sed qui scribit de se ipso ad Vercellenses. *Quam resistebam, ne ordinarer postremo cum cogerer, saltem ordinatio protraheretur, sed non valuit præscriptio, valuit impressio. Si dilatio ordinationi defuit, vis cogentis est. si non deest humilitas competens Sacerdotio; vbi causa non hæret, vitium non imputatur.* De quo Nicolaus Primus *Epist.5.& 6.* pro depositione Ignatij,& intrusione Photij in sedem Patriarchalem Constantinopolitanam. *tom. 6. conc. pag. 494.* ait. *Beatissimum quoquè Ambrosium Clarissimam, & splendidissimam lucernam Ecclesiæ, qui ex Cathecumeno, diuino præsagio, ad Episcopalem per continuos gradus promotus est dignitatem; cur nobis pro vestro tutamine opponitis? qui non instinctu hominum, sed diuina vocatione per miraculorum prodigia electus est?* & postea. *Ecce per necessitatem, & inopiam Clericorum Nectarius: ecce propter Ecclesiastica dogmata, & hæreticorum expugnationem, Tarasius: ecce per miraculorum signa Ambrosius ad regendas Ecclesias promoti sunt.*& pro necessitatis articulo appono Clementem Romanum *lib. 1. cap. 1.* dicentem. *Sit igitur (si fieri potest) eruditus, & peritus in scientia verbi, conuenienter ætati. Quod si in parua paræcia grandior natu aliquis non reperitur, qui testimonio probatus, & sapiens in Episcopum constitui possit; iuuenis verò ibi est, testimonium habens eorum, qui cum eo vixerunt, Episcopatus munere illum dignum esse, in mansuetudine, & modestia senectutem præ se ferens, & probatus talium testimonio commendetur; is constituatur in pace. Nam Salomon duodecimum agens annum in Israele regnauit: & Iosias octo annos natus regnauit in iustitia. Item Ioas in septimo anno præfuit populo.* At casus isti in amplissima Religione Minorica imaginarius est,& Methapysicus. Quare qui sine debita ætate ad summum gradum aspirat, ex illo est, qui dixit. *Ascendam super astra cœli, ponam sedem meam in aquilone, sedebo in monte testamenti.* Cui sine dubio timendus est lapsus, nam *Tolluntur in altum, vt lapsu grauiore ruant.* Legantur *Miranda tom.2.quæst.3. artic.1.conc.2. Azor.part.2.lib.6.cap.5.quest.1. Tambur.tom.1. disp.5. quæst.9. per totum.*

S. Bonauentura quãdo factus Generalis.

S. Ambrosij ordinatio.

Aliorũ Prælatorum precoqua promotio.

§. II.

Morum honestate, integritate vitæ.

Idest firma animi electione, ad omnia cum decore,& venustate agenda. Cuiusmodi definitur honestas ab Aristotele in *Rhetor. ad Alexand.c. 1. & 7.*

Honestũ mortal. morũ quid

*cap.19.& S.Thom.2.2.quæst.145.art.1.*Præeminente inter omnia bona,id quod honestum est,quodquè *Cum decoro ita coniungitur, vt separari nō queat.Et Amb. 1.de offic.cap.45. Et si oculis cerneretur, mirabiles sapientiæ excitaret amores.* Ex Tullio lib.1.de offic.& propriè honestas, *Est morum castitas, idest sanctitas, & disciplina,verbo Dei consentiens,quæ in rebus externis,& publicis legibus sancita est, & in omni Ordinum genere apparet.Poliantea Nouissima V.honestas.*Quod melius digessit *Scotus quod l.18.art.1.§.de primo;*dicens *Bonitas moralis actus est integritas eorum omnium, quæ recta ratio operantis iudicat debere ipsi actui conuenire.*& dat exemplum sanitatis, quæ non est, si aliquid illi desit.*Et in primo distint. 17. q.2.§.sed oppositum huius*,dicit esse actum cum omnibus suis circunstantijs moralibus. Itaquè morum integritas est, idem, ac illud Pauli. *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse.*quia si reprahendi potest ab honestate deficit.

Generalis morum honestate sit preditus.

Quantum autem sit necessaria morum honestas in tanti Ordinis Præsule,patet ne dum ex vniuersali regula 1.cor. 14. *Omnia honestè, & secundum Ordinem fiant in vobis.*Sed ex speciali ratione officij,quo tanquam Magister,& Dux, *Trahere se debet exemplum bonorum operum in doctrina sana, vt possit eos, qui contradicunt arguere.*Vt inquit Apostolus ad Tit.1.hæc est vitæ integritas,quam nullus morum defectus inquinat.

§. III.

Doctrinæ præstantia insignis.

Scientiæ prestantia.

Ad alibi dicta circa scientię necessitatem addo, Prælatos ordinis, præcipuè Prouinciales,& multò magis Generalem ex iure naturali diuino,& positiuo debere habere scientiā suis officijs debitam;& necessariam,qua si careant,peccant mortaliter, & sunt officio priuandi. Conclusionem fusè probat *Peirinus tom.2. q.2.c.2. à num.7.præcipuè num.11.13.14.*Naturæ,quia qui assumit munus ducendi exercitum,pascendi gregem, docendi alios, debet habere scientiam suo muneri correspondentem:quia secundum regulam iuris, *Rationi congruit, vt succedat in onere,qui substituitur in honore.* Onus autem est ducere, pascere, docere. qui hoc nescit,contra iustitiam peccat.Diuino,quia Deus vult Prælatum *Doctorē.1.Tim.3.qui pascant subditos scientia,& doctrina.*Ier.3.Positiuo,quia, Concil. Tridentinum *Sess.24. cap.12.de ref.ait. Nemo ad dignitates Ecclesiasticas promoueatur,nisi doctrina,ad suum munus exequendum, necessaria commendetur.*& alia iura quę citatus *Peirinus* refert. *n.11.*

Et qualis, & quanta.

Hęc autem doctrina, quoad istam præcisam obligationem sufficit,vt sit regimini commensurata, nimirum, vt calleat regulam, expositiones, canones de illa tractantes,disciplinam regularem,Constitutiones Ordinis,qui possit scire, à quo manum retraherē debeat. Sciat subditos consolari,exhortari, reprehendere,sermones ad Fratres habere, pro sui muneris occasionibus.Cum Prelatis, Principibus,& alijs negotiari,tractare respondere,&c.Alias, & contemptibilis, & ineptus euadet.

Attamen super hoc fundamento,erigere etiā tenetur,vel potius erexisse ingētem,seu insignem literaturæ peritiam,humanarum literarum, naturalium scientiarum,

tiarum,& vtrisquè Theologiæ, cum notitia non mediocri annalium ordinis, & Ecclesiæ, ac Sacrorum Conciliorum: Nam Generalis nostri ordinis tenetur ad OEcumenica Concilia accedere, prout in Concilijs Generalibus, præcipuè Florentino, Lateranensi, Tridentino accessisse leguntur, & ad res magnas pro Republica Christiana,& summis Principibus gerendas, sępius destinatos fuisse, annalia P.Lucæ Vvadinghi testantur. Nonne hęc supra ordinariam eruditionem expostulant?

Quare non sine graui mysterio statutum ordinat, vt eligatur Generalis *doctrinæ præstantia insignis*, non ordinarius Concionator, & Theologus, sed qui in doctrina, qualitate insigni reluceat.

Verum tamen est, quod si morum honestatem insigni scientiæ coniunctam in aliquo vno Capitulum non inueniret, pręstat eligere, probum mediocriter doctũ, quam solo literarum titulo conspicuũ, iuxta Sanctissimi Parentis monita.

§. IV.

Prudentia, Consilio, & rerum agendarum vsu.

Prudentia, quæ est, *Recta ratio agibilium*, secundum *Arist.6.Ethic.*& secundum Iamblicum epist.ad Aphalum, *Gubernatrix est hominum, & omnis inter ipsos constitutionis Princeps, quæquè meritò Deo similes suos successores facit*, necessario includit reflexionem animi super præterita, & præsentia, vt ex ipsis, quid eligat, quiduè disponat circa futura deliberet. Vnde *Seneca de Benef.* ait. *Si prudẽs fuerit animus tuus, tribus temporibus dispensetur, præterita cogita, præsentia ordina, futura dispone.* Complectiturquè, ex Archita Pitagoræo. *lib. de Viro bono, & fælici, speculationem vniuersalium, & cognitionem particularium.* Hinc iuuenis, & inexpertus potest quidem esse sciens,& doctus, non tamen prudens, quia deficit illi experientia, per quam cognitio particularium acquiritur: vnde non potest esse prudentia sine consilio,& vsu. *Prudentia docet te, quomodo præsentia ordines, quomodo præteritorum recorderis, & quotidie futura præuideas.* inquit *August.ad Eremitas ser. de prouidentia.* Et propterea prudentes, animalibus Ezechielis plenis oculis intus,& in circuitu, comparat *Greg.lib.29. mor.* quia *Sancti exteriora sua circumspiciunt, vt bona de se extra præbeant Fratribus; & interiora sua, vigilantia attendunt.*

Prudentia quid sit.

Iuuenes rarò prudẽtes.

Ex qua doctrina colligitur, Generalem, secundum iura, & ordinis statuta esse non posse, qui vsum agendorum non habet. Non habet autem, si inferiora munia non obierit, id est, si Guardiani, & Prouincialis, vel Diffinitoris officijs functus non fuerit. Ex his enim prudentiam aucupare potest practicè, & nõ tantum speculatiuè; quia quid importet practicè talia officia scire non poterit, si illorum pondus non portauerit. Et hic punctus est adeo bono regimini essẽtialis, vt contra rectam rationem assumatur ad altiorem gradum, qui in inferiore exercitatus non fuerit. Hinc Ecclesia ordinat interstitia *c. dilectus.c. per literas. de tempor. ordin. Trid. Sess.23. cap.11. & 13. Sixt.5. contra malè promotos.* Et antiquiora iura, *Vt eò accuratius* (inquit Trident.c.11.) *quantum sit huius disciplinæ pondus possint edoceri, ac in vnoquoquè munere iuxta præscriptum Episcopi se*

Generalis sit prudentia, & vsu peritus.

se exerceant, idquè in ea, cui adscripti erant Ecclesia, atque ita de gradu in gradum ascendant, vt in eis cum ætate vitæ meritum, & doctrina maior accrescat. Cui congruit, quod de S. Cornelio Papa scripsit Cyprianus lib. 4. epist. ad Antonianum. *Non ille ad Episcopatum subitò peruenit, sed per omnia Ecclesiastica officia promotus, ad Sacerdotij sublime fastigium, cunctis religionis gradibus ascendit.* Et c. Hinc expertum, & peritum bellis præficiunt, atquè inter primas partes Ducis, *Scientiam rei militaris,* reposuit *Cicero pro lege Manilia.* Et scitè *Aristoteles Polit. 3. Neminem benè imperium gerere, qui non ipse prius sub imperio fuerit.* Quod à Platone Magistro didicerat. *6. lib. de legibus* dicente. *Qui non seruierit, eum haud quaquam dominum fore laude dignum.* Quia vt dicebat Vvlc. Gallic. *in Aug. Cassio. Milites regi non possunt nisi in vetere disciplina.* Cui accedit quod promotus per saltum, & nulla speciali prærogatiua ipsum supra cæteros subleuante, minus acceptus est subditis, apud quos benè gesta munia, & cana experientia, mirum est, quam commendent. *Molestè, & acerbè* (dicebat Plato *7. de Repub. cap. 14.*) *Nemo fert imperium, quem parere ætas patitur, nequè se Superiorem putat,*

Sed non nimiū prudēs. Nollem tamen Generalem ordinis, nimium prudentem, sed quantum deceat Seraphici Patris successorem. Qui enim *Nimium sapiens est apud semetipsum,* & abundat, ea, quæ non est *Prudentia Sanctorum,* an religiosa simplicitate dehiscit, & in eam, quæ carnis est, transit. Amat enim Deus prudentiam serpentis, sed cum Columbæ simplicitate coniunctam; quia vt inquit *Hieron.* super Oseam, *Prudentia absquè bonitate, malitia est, & simplicitas absquè ratione, stultitia,* Hæc ab Aristotile *1. mag. mor. cap. 33.* astutia, & calliditas vocatur. De qua Augustinus *Epist. 29. Sunt quædam vitia, virtutibus aperta discretione contraria, quædam tamen specie fallaci similia, vt prudentiæ, non imprudentia, sed astutia. Nunc eam dico astutiam, quæ vsitatius in malitiosis, intelligi, & vocari solet.* Et Gregor. nota illa expositione in *12. Iob. Sapientia huius mundi est, cor machinationibus tegere, &c. Hæc prudentia vsu à iuuenibus discitur, &c.* Ea abundauit Achitophel, Saul, Ieroboam, Absalom, Et alij hujus sæculi filij, & aulæ hospites, qui in diuisione populi firmant imperium, in depręssione socij fundant augmentum, in alterius dedecore suam gloriam machinantur; qui mala proximi in cordib. ruminant, & vnde possint irretire simplices compedib. decipulas tendunt:

Ratio status eliminanda, Quid ni, si etiam virtute, & aliorum vtilitatem obtrudunt, vt sibi suisq; prospiciant. Hanc detestabilem prudentiam, quæ politicorum ore, ratio status appellatur, vt exitiale malum è religione eliminandū, totus ordo debet intendęre, pręcipuè in capite, quod paterna, & non politica debet viscera continere. Vnde quisquis ille esset, qui de hoc profligatissimo prudentiæ genere malè audiret, omnibus postponi deberet, iuxta auream *B. Ambrosij 2. de off. cap. 8.* sententiam. *Promptius nos iusto Viro, quàm prudenti committimus.* Vnum pro omnibus sufficiat exemplum fratris Eliæ, Vicarij, & Ministri generalis, quem prudentia armauit Diabolus, vt S. Patris labores euerteret, & nascentem perderet religionem, in quam mala (quorum incrementa videmus) sua sæculari prudentia seminauit. Sed quia Sanctissimus Pater suam mentem in apposita delineatione declarauit, non immoror,

Regulam

§. V.

Regulam seruare, et communem cum alijs vitam etc.

Leo X. *Ite & vos*. præcepit, *Ne caput à suis membris difforme appareat, volumus, & ordinamus; quod nullus frater possit eligi in Ministrum generalem, nisi vitam ducat reformatam, & pro reformato à communitate habeatur*. hoc autem includit perfectam regulæ obseruantiam, & vitæ communitatem. Pius V. *pastoralis*. *Post hac (inquit) in generalem Ministrum, & Superiores illi soli eligantur, qui regulam B. Patris Seraphici benè obseruare, & qui in choro, victu, & vestitu, quantum officij necessitas concesserit, cum alijs se conformare soleant, ac debeant*. Clem. VIII. in reformatione Regular. num. 36. *Ad officia, gradus, & prælaturas illi præcipuè eligantur, qui possint, & consueuerint regulas ordinis, & constitutiones obseruare, præsertim quæ pertinent ad seruitium chori, ac vestitum, & victum communem*. Et quidem de chori frequentatione initio ordinauerat. *Nullus omninò prætextu cuiuscumque priuilegij, vel Superioritatis, etiam Generalatus, à seruitio chori censeatur immunis, nisi pro tempore, quo quis proprij officij munere, actu fuerit occupatus*. *Generalis vitā cōmunem seruet.*

Vanam, & superstitiosam reputo deuotionem Superioris, qui vt choro intersit, officio suo non vacat, subditos non audit, lites non dirimit, in necessitate constitutis non succurrit, peccat enim mortaliter, si sui muneris functiones notabiliter deserit, vt est communis opinio, & quæ deuotio esse poterit cum culpa lætali? suas habet Ecclesia excubias, suos chori frequentatores. Superior non deputatur choro, sed labori, auditioni, causarum studio, vigili diligentiæ. quia *peruigilat, quasi rationem de subditorum animabus redditurus*. *Heb. vlt.* Moysen suam quietem affectantem, Deus eremo eripuit, ac in immensas curas abiecit. Sanctus Chrisostomus suæ salutis periculum nactum se putabat, eo quod totus gregi intentus, sibi adesse non poterat. Vtrumq; quidem connectendum, nocturna nimirum oratio, & diurna negotiatio, sed si quid remittendum in necessitate, id potius esse debet ex parte sui, quàm muneris, quia Prælatus pro alijs constituitur, non sibi, lege *Peirin. tom. 2. q. 1. cap. 7. n. 2. 3. 4.* *Quę propria superiorū deuotio.*

§. VI.

Verbo, & exemplo sibi, & alijs proficiat.

Si bona sunt, quæ præcipiuntur (inquit Lactant. Firmianus *lib. 4. Instit. cap. 23.*) *non se debet ipse præceptor, à numero, cætuquè hominum segregare, inter quos agit. Et si eodem modo viuendum est, quo docet esse viuendum, de si aliter vixerit, ipse præceptis suis fidem detrahet*. & postea. *Quomodo adimet excusationem contumacibus, nisi vt præsentibus factis doceat, se possibilia docere? inde euenit, vt Philosophorum præceptis nullus obtemperet; homines enim malunt exempla, quàm verba, quia loqui facile est, præstare difficile. Vtinam quidem tam multi benè facerent, quàm* *Generalis exēplo præluceat.* *Exēpla magis mouent quā verba.*

multi loquuntur benè: sed qui præcipiunt, nec faciunt, abest ab ijs fides. Quare contemptibiles Philosophos fuisse apud antiquos probat idem *lib. 3. cap. 15. ex Cicerone, Cornelio nepote, Seneca*, & alijs; quia benè loquebantur, & docebant, malè autem viuebant. *Videre licet* (inquit Tullius) *alios tantæ leuitatis, & iactationis, vt his fuerit, non didicisse melius. Alios pecuniæ cupidos, alios gloriæ, multos libidinum seruos, vt cum eorum vita mirabiliter pugnet oratio.* & Seneca. *Plerique Philosophorum tales sunt, diserti in conuicium suum, quos si audias in auaritiam, in libidinem, in ambitionem perorantes, in iudicium sui professos putes, adeo redundant ad ipsos maledicta in publicum missa, quos non aliter intueri decet, quam medicos, quorum tituli remedia habent, pyxides venena.* Quos lingua euangelica diceremus *sepulcra dealbata, foris pulchra, intus plena ossibus mortuorum.* Applico dictum Senecæ *epist. 95. Antiqua sapientia, nihil aliud, quam facienda, & vitanda præcipit, & tunc longè meliores erant Viri, postquam docti prodierunt, boni desunt. Simplex enim illa, & aperta virtus, in obscuram, & solertem scientiam versa est; docemurquè disputare, non uiuere.* contra quos Minutius Fœlix dicebat. *Non eloquimur magna, sed viuimus.* Gregorius Neocæsariensis *in Panegyrico, Origeni dicto*, ait. *Inanis est disciplina, si verba factis careant: vanaquè ea prudentia, quæ non ea faciat, quæ facienda sunt.* Et Chrys. ho. 30. in acta. *Per quam facilè* (inquit) *est philosophari verbis: doce me vita tua, hæc doctrina optima est.* & postea *Maius damnum est, quando benè quis docet verbis, & operibus doctrinam impugnat. Hoc multorum malorum causa est.* Luculenter Ambrosius *2. off. cap. 12. Degeneres animos vita arguit. Quomodo enim potes eum iudicare consilio Superiorem, quem videas inferiorem moribus? supra me debet esse, cui me committere paro. An verò idoneum putabo, qui mihi det consilium quod non dat sibi. Et mihi eum vacare credam, qui sibi non vacet?* & Cassiodorus. *Variarum lib. 11. ep. 8. Non potest authoritatem habere sermo, qui non iuuatur exemplo, cùm iniquum sit bona præcipere, & non fecisse.* & Bernardus *ep. 201. Opera tua verbis concinant, imò verba operibus, vt cures prius facere, & postea docere. Pulcherrimus ordo est, & saluberrimus, vt onus, quod portandum imponis, tu portes prior, & ex te discas, qualiter oporteat alijs moderari.* Pauci sunt, qui vellent esse Religionis currus, & auriga, cum multi reperiantur, qui currum ducere, equos percutere, habenas flectere, ordines facere, statuta condere non formident; imò qui Icaræos ausus amplo in pectore foueãt, nec contineant. Vnde nec mirum, si ordinis color paulatim obscuratur, cum pedetentim opera in verba mutantur: concedat Deus bonos Præsules, qui *portent pondus diei, & æstus* Mat. 20. qui *portent nomina subditorum super vtrum que humerum.* Exod. 28. & *ipsorum iniquitates coram domino*, memoria, affectu, compassione, suffragio; quiq; cum seraphico sensu dicant. *Numquid concepi ego omnem hanc multitudinem, vel genui eam, vt dicas mihi, porta eos in sinu tuo, sicut portare solet nutrix infantulum, & defer in terram, pro qua iuraui patribus eorum?* Num. 11. Quia præcisam obligationem habent Superiores, præcipuè Generalis amare, fouere, & totis affectibus complecti subditos iuxta verba regulæ. *Si mater nutrit, & diligit filium suum &c.* eosquè portare verbis, nisibus, & exemplis in viam salutis æternæ; alias *erit anima sua pro anima subditi.* Ex quo patet, quam grauis sit Prælatura, *onus Angelicis humeris formidandum*, ex S. Concilio Trid. *sess. 6. c. 1. de refor.*

STA-

STATVTVM XXVIII.

Generalis Minister ordinariam potestatem in ordine summam habet, à qua nullus eximitur, cui omnes obedire tenentur etc.

Præter dicta c.1.addendæ sunt probationes statuti, & deducenda corollaria, Et quòd authoritas Generalis sit ordinaria, patet, quia est a iure *c.nullam.18.q.1.cum glos.in c. cum ab Ecclesiarum. de off. ord.* & perpetua. *Bartol.in l.1. §.si plures.ff.de exerc.actu. Bald.in l.vnica ff. de officiis. Panor.in c.quoniam de off.deleg.Nauar.in manuali cap.27.numer.42.hæc Rodrig.tom.1.quæst.17. art.4.ex quo Miranda ad verbum tom.1.quæst.13.ar.3.*tacito authoris nomine, vt solet, & alij post ipsum quos citat *Peirin.to.2.q.1.cap.1.num.64.* & infra. Et de Iure diuino, quia Christus statum Religionum instituit, qui sine Prælatis conseruari non potest, licet illum moderetur, & dirigat mediante suo Vicario, sicuti, & Ecclesiam vniuersalem. Christus enim non minus instituit fideles, quam Religiosos, vt patet in Euangelio; ergo sicuti Ecclesia gubernari non potest sine capite visibili, qui est summus Pontifex, & Episcopis, ac Prelatis, ita Religio de iure diuino, & naturali, suos debet habere Prælatos. Vt latè *Rodrig.sup.ar.2. probat* & alij citati. Ergo cum sit à Iure communi, diuino, & naturali, sine dubio est ordinaria. *Generalis authoritas ordinaria.*

Ex hoc sequitur, quod sit summa, quia ordinaria potestas, si aliunde non limitetur, est illimitata, & summa, vt est Christi Vicarij qui Superiorem in terra limitantem non habet. Qua ratione fit, vt authoritas Episcoporum, & Parochorum in suis Ecclesijs etiam sit summa ex iure, nisi vbi à summo Pontifice limitatur, qui habet totius Ecclesiæ gubernium, & per illum, tanquam per caput, totam iurisdictionem Christus in suam Ecclesiam influit. Vnde idem *Rodrig.ar.6. & Mir.d.q. 13. ar. 5.* affirmat Generales habere in Religione tota tantam authoritatem, quantam summus Pontifex in tota Ecclesia, nisi vbi limitata reperiatur. Est igitur summa, nec limitari debet, nisi vbi à sacris canonibus, concilijs, constitutionibus Apostolicis, & Capitulis generalibus limitata reperitur. Facit contextus regulæ cap.1. *Frater Franciscus promittit reuerentiam, & obedientiam Papę Honorio, & Successoribus eius. & alij fratres teneantur obedire fratri Francisco, & successoribus.* Quorum verborum commentarium replico ex generali Capitulo Toletano *ann. 1633. Tit. de Obedientia &c.* vbi latissimè hæc analogia distenditur præcipuè ibi. *Quatenus omnes intelligerent, eam quantum ad omnimodam exemptionis negationem, præstandam esse à fratribus obedientiam generali Ministro, quæ ab eisdem fratribus, ex fidei, & regulæ professione præstanda est Romano Pontifici, &c.* & subinfertur obediendum esse Generali, tanquam qui est caput vnum, dirigens religionem in obseruantia regulæ, & in moribus, sicuti ex fide tenemur obedire Papæ, tanquam vno capiti ordinato, ad dirigendam Ecclesiam. Et sic *declarāt, ac præcipiunt, omnes teneri ex vi regulæ, ad præstandam Generali Ministro obedietiam, quam huc vsq; expressimus.* *Et summa.*

Ex

Ex hac doctrina inferuntur sequentia statuta.

Ad Generalem ordine appellandum.

Ad Generalem appellari posse, & recurri à quibuscumq; & in omnibus causis, seruato tamen ordine, vt à Guardiano ad Prouincialem, à Prouinciali ad Commissarium generalem, ab eo, ad Ministrum generalem, nisi vbi Superiores intermedij essent meritò suspecti, quia tunc ad Generalem immediatè appellare, & recurrere licebit. Hoc statuerunt *Salmant.cap.8. Parisiensia 1599. Neapolit. cap.37. Gregor. XIII. constit. 34. S. Cong. Card. a nu. 1587. Sixtus V. constit. 22. in Bullario tom.2. Ad Romanum spectat Pontificem*. non obstante Bonifaciana, *Ad augmentum*, in qua appellari prohibetur; quia illa solùm vetat appellationes à regulari disciplina, & præceptis Superioris vel à pœna legis, *cap. consuluit. de appell.* non à punitionibus, vbi iudicialis ordo seruatur *c. ad nostram. de appellat.* & *c. cum parati essemus. eod. & cap. quia nos. ibid.* Hoc enim ad rationem Iudicis ordinarij spectat *cap. duo simul. de off. iud. ordinar.* & totus titulus de appell. & *c. Romana Ecclesia. §. debet autem. de appell. in 6.*

Regulares vbi appellare possunt.

Ordinarij authoritas impediri non debet.

Sed attendi debet appellationis natura, quæ interponi non potest, nisi à difinitiua, vel ab interlocutoria, diffinitiuæ vim habēte, ex Trident. alias nec Generalis appellationem iniustam admittere, nec ordinarium in sua iurisdictione impedire debet. dicto *cap. ad nostram c. super eo. 1. c. si autem. Et super eo. 2. cum parati essemus. c. reprehensibilis. c. cum in Ecclesia. c. nouit ille. & alia multa de appellat.* Quia hoc non esse regere, sed peruertere ordinem, cum non minus Generalis sit caput ordinis, quam Prouinciæ, ex eadem regula, & Apostolicis constitutionibus. Quare duo requiruntur, vt immediatam appellationem ad Generalem interponere possimus, primum, vt appelletur à sententia definitiua, vel &c. secundum, vt superiores intermedij sint meritò suspecti. De qua materia consulenda est nostra Praxis criminalis *Tit. de appellat.* Meritò autem suspecti sunt Iudices, qui recusari possunt, vt inimici, inimicorum amici, qui alias grauauerunt, &c. Itaquè si Generalis, sine his causis præciperet sibi remitti causam, acta, reum &c. non esset obediendum illi, quia præcipit contra iura, & statuta ordinis, sed audiendus est Prouincialis in suis iuribus.

Iudices suspecti qui dici mereantur.

Ad Generalem spectat Vicarium generalem instituere.

Ad Generalem pertinet instituere Vicarium generalem, qui in eius absentia, familiam de qua assumptus est, cum plenaria potestate gubernet vsq; ad suum reditum, de consilio Patrum. Quia ad ordinarium spectat delegatum constituere, & sibi Vicarium nominare vt decreuit Leo X. in Bulla *Ite & vos*. Vbi aduertit *Mir. tom.2.q.12 art. vlt.* ex Leonina constitutione requiri, *consilium, & assensum Diffinitorum Capituli generalis dumtaxat.* Statuta tamen Toletana disponere, *cum consilio aliquorum Discretorum alicuius Prouinciæ*, quia difficile foret, Generalem simul secum habere Diffinitores generales, qui in diffitis ordinis Prouincijs reperiuntur, Attamen, melius nostra, *De aliquorum Discretorum ordinis consilio*. non enim omnes requiruntur, & facile est Generali, duos saltem ex illis habere, cum quibus Vicarij institutionem discutiat. Nec necesse est, vt præsentialiter simul adsint, sed sufficit consensum præbere per literas: licet ex alia parte consilium, discussionem verbalem importet; & sicut illa familia non obseruat Bullam Leonis, quia adhibet diffinitores prouinciæ; ita hæc, quia sine assensu, & cum solo consilio instituit. præualet nimis consuetudo, quæ constitutiones etiam Apostolicas abrogat; eò vel maximè cum idem Leo X. subiungat, disponens de Capitulis generalibus intermedijs, & commissarijs

eligen-

eligendis: *Aut super hoc fiat, quòd Generalis Minister cum Capitulo generali iudicauerit faciendum*. Quod maiori ratione ad delegationem Vicarij supradicti generalis referri potest.

Quòd autem authoritas huius Vicarij sit plena, & quanta in Generali reperitur, nisi ab ipsomet limitetur, patet ex delegatione plenaria, & grauitate negotij, quia aliàs non esset prouisum benè vni, aut alteri familiæ, cui bono prospexit Leo X. Non enim facile esset, degentem in Hispanijs Generalem, pro obuijs, & ordinarijs causis conuenire, Sed hæc plenitudo non se extendit ad ea, quę specialiter Generali reseruantur; Quia in generali concessione, non veniunt ea, quæ speciali indigent declaratione. *cap. in generali. de reg. iur. in 6.* Vt Procuratorem instituere, Congregationem generalem indicere, Guardianum Hierosolimitanum nominare, Commissarios Indiarum creare, &c. Hæc enim speciali concessione indigent. Sic Vicarius generalis Episcopi eandem, ordinariam potestatem habet cum Episcopo. Non tamen in omnibus casibus. Lege *Barbosam de pot. Episcopi alleg.* 54. *per totum*, præcipuè à *n.26*. Quare hic Vicarius poterit visitare Prouincias, celebrare Capitula, punire, absoluere, &c.

Qui etiam plenam authoritatem habet.

In generali. concessione, specialia non veniunt

Ad eum spectat Procuratorem Ordinis, & Commissarium Curiæ Romanæ, in generalibus comitijs, & extra, vbi prædicta officia vacare contigerit, instituere, de consilio tamen, & consensu Discretorum ordinis, & eius familiæ, ex qua prædicti assumuntur: quem consensum aut verbo, aut scripto habeat, si absentes fuerint. Et hoc statutum etiam ex eo pendet, quòd Generalis sit ordinarius, cui competit sibi procuratores instituere, ex iure communi. Vt fatetur *Rodrig. tomo 1. qu. 53. art. 1.* & ex illo ad verbum *Miranda tomo 2. qu. 23. art. 1.* Alij enim de iure tales ordinis Procuratores instituere non possunt. Et licet Rodrig. in hac materia nimis deferã, quippe qui morales difficultates circa Religiosos, summo ingenio, & doctrina omnibus post ipsum aperuit, attamen, quod dixit de electione Procuratoris Generalis, & Commissarij Curiæ, non placet; ait enim, soli Generali conuenire talem institutionem, etiam non consentiente Capitulo, seu Diffinitorio generali, & allegat consuetudinem in contrarium, & quod nullum sit statutum obligans Generalem ad sequendũ consilium, & consensum diffinitorij, cũ tamen oppositum, & statuto, & consuetudine constet. Nam statutum hoc factum fuit in generali Capitulo Vallisolet. *ann. 1593.* & apertè habet *de consilio, & assensu Discretorum ordinis*. Et quod ad solum Generalem, non exquisito, vel non acceptato Patrum consilio, non pertineat talis institutio, colligitur ex Salmanticensibus multò antiquioribus *c.8.* dicentibus. *Procurator Ordinis, semper instituatur de ea familia, ex qua assũptus est Generalis Minister.* Vbi de instituendo à Generali, vel non Generali nulla fit mentio. Et in facti contingentia, exclusus fuit paulò ante Capitulum generale *ann. 1639.* Pater vnus, qui fuerat destinatus à Generali Commissarius Curiæ, ob eam præcisè rationem, quod Generalis illius temporis eum instituerat sine consilio, & consensu Patrum: Et à pluribus, ac doctissimis viris super hoc puncto scribentibus, probatum fuit, non fuisse seruatam formam substantialem actus; Et sic in contradictorio iudicio Eminentissimi D. Cardinal. Baberini, Ordinis nostri Vigilantissimi Protectoris, resolutum. Licet enim sit Procurator Generalis Ministri, est etiam procurator causarum totius ordinis, ac proinde si de iure potest quisque suum instituere procuratorem in causis ad se personaliter pertinentibus, ad causam

Ad Generalem spectat eligere Procuratorem generalem, &c.

Rodriquez commendatur.

causas tamen communes, non potest sine communitatis assensu; quia, *quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet*. de reg. iur. approbatur autem à toto ordine, cum instituitur secundum formam in generalibus Capitulis ordinatam. Et sic cessat dispositio statutorum Papal. *Iul. 2. cap. 8. part. 20.* in qua dicitur *Procurator ordinis generalis, quemadmodum Bened. 12. in suis statutis determinat, per Ministrum generalem in Capitulo generali constituatur, habito prius ipsius Capituli, vel maioris partis consilio*. Nam recentiora statuta consensum etiam addiderunt.

Generalis instituit Commissarios Indiarum. Et Guardianum Ierusalem.

Ad eundem spectat institutio vtriusquè Commissarij Indiarum. Et cum in hoc limitationem non habeat, potest iure suo ordinario vti.

Ad eundem spectat institutio, & electio Guardiani Hierusalem, & Constantinopolis, de consilio, & consensu tamen Discretorum Cismontanæ familiæ. Extra Capitulum verò, vel Congregationem generalem, si prædicta loca vacare contigerit, substituere potest, quos idoneos, & habiles de aliquorum consilio iudicauerit. Vbi ex diuerso modo loquendi, mens Religionis apparet, quæ Generali soli, quæ cum *consilio*, quæ etiam cum *consensu* Diffinitorum, vel aliorum concedat, vt quæ dicta superius sunt, difficultatem non habeant. Porrò cum ad Cismontanam familiam illa loca pertineant, eius diffinitorio committuntur. Hinc inueterata, & nunquam interrupta consuetudine tales officiales in generalibus comitijs formaliter eliguntur, & in illorum tabellis publicantur. Sunt enim hi Prælati, curam animarum habentes, ac proinde electione canonica debent institui.

Congregationem generalem celebrare.

Ad eum pertinet Congregationem generalem celebrare, Commissarij generalis secundum bullam vnionis, & Diffinitorum generalium electionibus præsidere, eosquè confirmare. Congregationem ex causa vrgenti differre. Commissarium Generalem vel confirmare, aut illi alterum, de consilio Discretorum illius familiæ substituere, &c. Hæc autem non solum ex Bulla Leonis Decimi, citat. illi conueniunt, sed etiam ex iure communi, quia cum sit ordinarius, & summus, illi competit synodos indicere, præsidere, confirmare, & suos Commissarios instituere. *cap. quoniam. d. 18. cap. Romana. de censibus in 6. cap. relatum 11. q. 1. Trid. sess. 24. cap. 2. de refor. c. de concil. d. cit.* & alia dicta vbi de confirmatione.

Ordinem visitare.

Minister Generalis vniuersum ordinem, aut per se, aut per suos Commissarios, quos Visitatores ipsemet mittendos duxerit, intra sexennium ex officio visitare tenetur.

Visitatio ordinis sub peccato mortali indicitur.

Hoc est Ordinarij officium, Generali ex iure communi conueniens. Triden. *sess. 24. de reform. cap. 3. & sess. 25. de regul. cap. 8. & 20.* vbi citatur, & renouatur *cap. in singulis. de statu Monach.* & speciali regulæ *cap. 10. Fratres, qui sunt Ministri, & serui aliorum Fratrum, visitent, & moneant Fratres suos, & humiliter, & charitatiuè corrigant eos*. Mirum est, quod cum ex sensu religionis multa determinauerit, vt præcepta ad mortalem culpam obligantia in regula nostra Clemens Quintus. *Clemen. exiui. de verbor. signif. §. nos itaquè*, quæ habent eandem loquendi formam, & multò magis leuiora sint, non determinauerit vt præceptum munus visitandi: dicunt enim esse ex vi regulę consilium, cum tamen visitatio, monitio, & correctio subditorum sint impositæ Prælatis sub rigoroso præcepto naturali, & diuino, vt ex *S. Th. Caiet. Andriano, Gabriele, Siluestro, & alijs docet Corduba qu. 1. in c. 10. regulæ*. Si enim ex modo loquendi

præceptũ inducitur, neq; debuit esse præceptum ieiunium: dicitur enim. *Ieiunẽt à festo, &c.* Neq; horarum recitacio, *Clerici faciant diuinum officium.* Quia sub eadẽ forma disponitur, *Fratres qui sunt Ministri visitent, &c.* Fortasse duxit antiquos ad admonitionem, verbum illud *Moneant, &c.* Cum tamen aduertere debuissent, quod visitare, & corrigere est ita Prælaturæ adnexum, vt non mereatur nomen Prælati, qui hæc non faciat. Non sic Concilium *Trid. cit. cap. 8. Teneatur suæ Congregationis Monasteria frequenter visitare, & illorum reformationi incumbere, &c.*

Itaq; tenetur Generalis sub grauissimo præcepto sui officij vniuersum ordinem visitare, vel per se, vel per alios; quia cum sit ordinarius, potest suam authoritatem delegare. Et cum sit immensa Religio, omnes Prouincias visitare non potest, maximè remotissimas, vel Vltramarinas, Iaponicas, Indicas Orientales, Occidentales, quas si æuum viueret, & semper ambularet, vix moraliter posset. dicitur factum ab aliquibus sub initijs nascentis religionis, vt à Ioann. Parente, & nouissimè à Francisco Gonzaga; attamen ad vltramarinas, & disiectissimas accedere non potuerunt in tam breui tempore. Hæc obligatio redimitur delegatione, quando ipse visitare non posset, grauioribus negotijs præpeditus. Attamen dum potest, si alteri munus deleget, suo muneri se parem non præstat. Alleuiant autem onus tot Commissarij Generales, quos instituit, nimirum vnus, secundum bullam vnionis in altera familia, duos in Indijs; vnus in Belgio; alter in Superiori Germania; suum nunc habent Galli Generalem Vicarium, qui Superiores sunt, licet delegati. Et cum tot subsidijs vix potest accedendo, vel recedendo ad alteram familiam, itineribus superesse; adeo vt totum ferè sexennium in accessu, & recessu consummetur, visitatis tantum Conuentibus, quos in itinere ambulando offendit. Tantum creuerunt curæ, & religionis negotia in Romana, & Principum Curijs expedienda.

Et sub graui culpa.

Commissarij generales, quot in ordine Seraphico.

STATVTVM XXIX.

Minister Generalis duos Secretarios ex vtraquè familia habeat. Duos item Socios Laicos, &c.

Vt negotijs vtriusque familiæ intendat, suoquè muneri satisfaciat Pius Quintus *Pastoralis officij. ann. 1571.* Martinus Quintus in regul. *cap. 8.* qui præcipit. *Si Generalis sit Vltramontanus, Socius Cismontanus teneat sigillum Ordinis, nec possit eos Generalis mutare ad libitum nisi morte, vel legitima causa, & tunc de consilio Discretorum ordinis. Iulius Secundus. cap. 8. part. 7.* qui libertati Generalis electionem Secretarij remittit. Quale autem studium adhiberi debeat in feligendis, qui à secretis Generalis Ministri futuri sunt, vel ex ipso nomine elici potest. Apud eos enim totius ordinis secreta deponuntur, & Superioris mens ipsorum calamis, linguisquè aperitur. Vnde probari debent per antecedentia probitatis, vsus, & literarum merita; quorum intuitu veluti præmium, istud conferatur officium. Iuxta quod dixit de scribarum officio Cassiodorus *Var. 12. ep. 21. Vt qui hactenus de integritate placuisti, nulla debeas varietate fuscari, Vide quod* tibi

Generalis Secretarij, & Socij.

Secretarij munus, & qualitates.

tibi committitur antiqua fides, & quotidiana diligentia dirimis iurgantium litem. quia vt inchoauerat epistolam, *Scribarum officium, securitas solet esse cunctorum.& lib.*11.*epist.*23.committit curam canonicarum epistolarum,viro probato,inquiens.*Constantini merita,licet plures asserant,adstipulatio quoquè nostra commendat.Tanta est enim in eo sinceritas mentis, vt & indice teste mereatur laudari: Hic itaquè Canonicarum epistolarum curam prouectus accipiat, vt amplius momenta suæ integritatis exhibeat, quando fidem publicam, sibi respicit esse commissam. Et lib.*11.*epist.*21.ait.*Atq;ideo Andreas,qui Prætorianis fascibus inculpabiliter noscitur obsecutus, gradum fœliciter Primiscriniatus ascendat; Vt locum, quem versutia nesciuit exquirere,se gaudeat probis moribus inuenisse.* Magna enim consideratione eligendus est, qui quotidie coram Principe sisti debet; vt idem Cassiodorus *epist.*22.*lib.*5. dixit(laudo in hac parte virum ab omnibus laudatum; qui Senatoriæ dignitati,Theoderici Regis à secretis munus adiunxit)*Multa ergo deliberatione pensandus esse creditur, qui quotidie nostris sensibus offeratur. Magnum munus est P.C.ad integritatē deligi; est enim quoddam speculum morum agentis oratio, nec maius potest esse mentis testimonium, quā qualitas inspecta verborum. Quoniam multum facundior est, qui sententiam dictat,quam ille, qui supplicat.*Et de officio Cancellarij agens lib.11.epist.6.ait.*Cancellorum tibi decus tribuitur,vt Consistorii nostri secreta,fideli integritate custodias.Respice, quo nomine nuncuperis.Latere non potest, quod inter cancellos egeris: tenes quippe lucidas fores, claustra patentia, fenestratas ianuas; & quamuis studiosè claudas, necesse est, vt te cunctis aperias.*Et lib.12.epist.1.de eodem agens,ait.*Habemus ex alia parte solatium,quod vestra bona,nostra creduntur esse mandata. Et nobis ociosis acquiritur quidquid gloriæ vestris laboribus expeditur.Si te enim aliquis sapienter agere videat, famam tui Præceptoris exaltat. Vna est sententia plebis, tales esse indices, quales vos contigerit approbari.* Quæ ad nomen ipsum, & ad debitum secretarij optimè accomodantur.

De socijs satis sunt, quæ S.P.N.relatus, adiecit. Omnes enim tam Secretarij quam socij,Generalem adiuuare debent,exemplo vitæ,integritate morum,consuetudinis charitate,&c.ne cogatur suos, & suorum imperfectiones portare, & authoritatis baculo sustentare.

STATVTVM XXX.

Mensa frugali vtatur;&c.

Generalis mensa frugali vtatur. Et aliter facere non potest,si vitam communem seruat:vt ex dictis, teneri diximus.Et Tridentino *Sess.*24.*cap.de reform.*ibi *Interim caueant,ne inutilibus sumptibus cuiquam graues, onerosiuè sint,neuè ipsi, aut quisquam suorum munus accipiant,exceptis tantum victualibus,quæ sibi, ac suis frugaliter,ac moderatè,pro temporis tantum necessitate, & non vltra,erunt ministranda.* Et Pius Quintus in Constitutione. *Pastoralis officij*, Edita ann.1571.*Quod Minister Generalis, Commissarius, Prouinciales, & alij Visitatores, & domi, & foris ita parcè, & modestè in expensis se gerant, vt sanctæ paupertatis memores,tam conuentus releuare,quàm proximos ædificare procurent; qui tamen hoc non seruabit, si Generalis fuerit à Diffini-*

finitoribus Capituli generalis, reliqui à Superioribus condignè puniantur.
Reliqua ex bono exemplo, quod dare debet, constant.

STATVTVM XXXI.

Recipiatur prima vice in vnoquoque Conuentu cum cerimonijs, &c.

Antiqua consuetudo, firmata per statuta Salmanticen. *cap.* 8. Vallisoletan. *ann.* 1593. Barcinonensia, Iulij Secundi, & alia. Et rationi, ac Ecclesiastico stylo conformis; quia cum veluti Patriarchalem authoritatem habeat, tanquam Patriarcha, vel saltem Episcopus recipi debet à suis subditis. Et ordo iste recipiendi Generalem est in Pontificali Romano, & in Cerimoniali Episcoporum *lib.* 1. *cap.* 2. & in Cerimoniali ordinis *part.* 4. *cap.* 16. ad quod habeatur ratio. *Generalem recipiendi modus.*

STATVTVM XXXII.

Generalis officio functus, est Diffinitor perpetuus ordinis, cum voto in omnibus capitulis, & actionibus; cum duobus socijs gratis, &c.

Non est ambitionis fomentum, sed habitæ dignitatis insigne, quod licet ab omnibus alijs Prælatis ablatum sit per Clem. VIII. Gregor. XV. & Sanctissimum D. N. Generalibus tamen, & Commissarijs generalibus remansit intactum, ipsa ratione dictante, vt publicis negotijs peritiores assistant. *Generalis est Pater perpetuus ordinis.*

STATVTVM XXXIII.

Decedente Ministro generali in sua familia, &c.

Quæro primò, An in interregno, Primus Discretus ordinis sit Superior legitimus, cui omnes Fratres obedire teneantur, etiamsi ad illum Secretarij scripturas, & sigillum ordinis non deferant?

Respondeo negatiuè, quia nullo iure Superior est, non ex electione, non ex compromisso, non ex statuto; nullum enim statutum concedit primo Patri perpetuo illius familiæ, vt illam in vacantia regat, sed tantum, vt Patres, quibus de iure competit electio Vicarij generalis, conuocet, & capitulo præsideat. In his quidem ei obediendum est, itaut si aliqui conuenire, Capituli Officiales, Concionatores, Seruitores, Cathedratici, &c. nollent, possent ab ipso via coercitiua cogi. Et ratio est, quia cui conceditur finis, conceduntur media ad finem. *c. quo iure. d. 8. c. cum super. de offic. deleg.* Nam concesso principali, conceditur accessorium, quia commissa causa, committuntur ea, quæ spectant ad causam. *cap. præterea. de off. deleg.* ibi. *Quia ex eo quod causa sibi committitur,* *In inter regno primus discretus an sit Superior ordinis.* *Concesso fine conceduntur media.*

mittitur, super omnibus, quæ ad causam ipsam spectare nosc u nt ut plenariam recip potestatem. Concessa igitur primo Patri conuocatione, & celebratione capituli pro electione Vicarij generalis, cōceduntur ea, quę necessaria sunt ad talem finem. *Et Miran.to.2.q.10. art.7.con.1.* citat statutum Tolet. prohibens tali patri aliquod negotium expedire. quòd concl.3. idem affirmat de Commissario generali, qui teneret sigilla, &c.

Si dicas potest hæc conuocatio ad menses differri, casu, vel industria, vel Patrum distantia, vel impedimento, vt si opus sit eos conuocare ex Polonia, ex Germania, ex Sicilia, ex Partibus Orientis: si accidat infirmitas huius primi Patris, qua non possit conuocatorias expedire: si bellum ingruat, si pestis, &c. in his casibus videtur malè prouisum, nisi Religio habeat, qui eam interim gubernet, & in repentinis, & ineuitabilibus casibus, ad Generalem spectantibus remedia applicet: Sicuti prouisum est in morte Prouincialis Ministri infra, cuius scripturas, & sigillum antiquiori Patri Prouinciæ deferri mandatur, & Generalem Ministrum admoneri de obitu, *atque (inquiunt) interea Prouinciam gubernet*. Et non est habenda minor ratio de toto ordine, quam de vna Prouincia. Et quod fortius vrget, mortuo Commissario generali, decernitur, primus Discretus ad quem scripturæ, & sigilla deferri debent, postquam Generalem monuerit. *Defuncti officium cum potestatis plenitudine exerceat, quoadusque alius Commissarius generalis per Ministrum generalem fuerit institutus*. Quod si respondeatur, prouisum esse de Prouincia, quia in ea nullum est caput, & benè regi sine capite non posset, etiam ad breue tempus; in ordine autem toto sunt Prouinciales, qui optimè regere possunt, & aliqui casus differri, vel per Protectorem prouideri. Posset replicari, eandem rationem esse de Guardianis respectu Prouincialis, quæ de Prouincialibus respectu Generalis, & de familia respectu sui Commissarij generalis.

Respondeo tamen, cum regere totum ordinem, non pendeat à casuali successione, sed ab electione, & totius Religionis consensu, & compromisso, non iudicarunt generalia comitia, aliquid in re tam graui innouandum. Et sicuti ab initio non cognouit Religio nisi vel Generalem, vel eius Vicarium, ita nouum officium, & iurisdictionem instituere noluit. Cuperem tamen aliquando prospici in hanc difficultatem, ne in re graui sibi defuisse videatur.

Quæro secundò, si Secretarius illius familiæ scripturas à Prouinciali recognosci, vel sigillo muniri non permittat, vel cum Socio consecretario non recideat, sed solus ad primum Patrem deferat, an fraudis, & falsitatis insimulari possit, vel à Prouinciale ad hoc, etiam carceratione compelli.

Secretarij quarationes tantum scripturas defuncti generalis consignare.

Respondeo affirmatiuè, quia in re grauissima, fidelitati religioni debitæ iniuriam infert. Argum. *c.charitatē.12.q.2. & Trid.Sess.24.c.16.de refor.* vbi vacante sede, præcipitur, haberi curā fructuum, & consignari Episcopo inuentarium scripturarū ad Ecclesiam pertinētium, qui possit etiam rationem exigere actorum in sede vacante, & delinquentes punire, & omnes scribentes in materia de addundis hæreditatib. affirmant si hæres inuentariū nō conficiat, amittere Trebellianicam, & teneri ad integra legata, & debita, etiam vltra vires hæreditatis, vt videre est ex multis, quæ citantur in *lib.6.communiū opinionum. titul.19. tomo 2. præcipuè nu.70.* & non ex alio capite, quia præsumitur dolus, & fraus. *nu.93.* vbi *Iason cons.173. num.3. vol.2.* & licet verum sit, incumbere parti probare

Hæres inuē tarium non conficiat, quæ ammittat.

quod

quod alia bona existant, præter ea, quæ in inuentario reperiuntur, etiamsi inuentariū non esset confectum, secundū Comm. per *Bursattum cons.* 123.*n.*2.*lib.* 1. attamen fraudis suspicionem non euacuat, qui iussus tale inuentarium, vel recognitionem cum collegis facere, temerariè dimittit.

Quod autem prouincialis possit ipsum secretarium iuris, & facti remedijs cogere ad propalandas scripturas à Generalis relictas, patet ex eo, quod dicit statutum. *Minister illius Prouinciæ, in qua decessit, vna cum secretarijs defuncti, registrum ordinis cum omnibus scripturis, ad officium spectantibus recognoscat, & recognitum, sigillo minori Prouinciæ, & Conuentus benè communiat.* Quibus verbis colligitur totam diligentiam adhiberi contra ipsos secretarios, & soli prouinciali talem recognitionem committi, coram secretarijs tamen; ergo reuisio hæc executioni mandari debet ab ipso prouinciali, qui cum sit iudex ordinarius, potest suum officium tueri, *c. quia quæsitum. de off. deleg.* ibi *Tam eos, qui trahuntur in causam, quàm principales eorum fautores (si eos cognoueris manifestè iustitiam impedire) districtione Ecclesiastica poteris coercere* alias, vt dicitur in *c. ex literis. eod. tit. Demandata iurisdictio delusoria videretur. & l. Iubemus. §. æconomus. C. de Episc. & Cler.*

Ordinarius suum officiū tueri potest.

Quæro tertiò, an iste primus pater ordinis, sigillatas scripturas aperire possit an vero registrum sic consignatum asseruare, eligendo Vicario generali præsentandum?

Respondeo potest aperire, & legere, Quia statutum dicit, *Prædictus Pater acceptis, & recognitis scripturis, &c.* Ergo eas aperire, & legere potest; integras tamen conseruare debet, vt Vicario generali postea reddat; quia licet hoc in statuto expræsè non caueatur, tamen consecutiuè deducitur, quia publicæ scripturæ non debent dari nisi Superioribus, ad quos spectant.

Scripturas consignatus primus Pater aperire potest.

Quæro quartò, An iste primus Pater debeat statim, & sine mora conuocare Patres ad electionem Vicarij generalis?

Respondeo affirmatiuè, & si secus faceret cum notabili dilatione, puniri posset, tanquam alieni detentor officij, & in re maximi momenti religionem eludens; dicit enim statutum, *Opportuno loco, & pro eligendo totius ordinis Vicario conuocare tenetur.* Opportunum autem, & opportunitas, non refertur quomodocumque ad voluntarium, sed ad rationem loci, & temporis, & personarum. itaut si subiectam materiam non respiciat, importunum euadit, vt explicarunt *Oldendorphius in tit. de temporibus Vsucapio. Io. Andreas in c. cum ex eo, de elect. Abb. in c. si quem. de procurat.* in 6. *Opportunitas* (inquit Festus) *temporis, casu præuenientis est.* Et occasioni ab antiquis coniuncta fuit, adeo vt etiam eam diuinitate donauerint, vt docent *Prateius, & Spiegelius apud Io. Caluinum in lexico V. occasionem veteres.* & in vi latini sermonis, vt est apud Calepinum, significat commoditatem, & tempus, & occasionem. Et licet alia etiam significare possit, quod ad rem nostram spectat, est, vt iste Pater conuocet Capitulum primò, quo potuerit tempore, congruo, commodo, non impedito, &c. V. g. quod non sit in magnis frigoribus, vel caloribus, quod sit extra pestis, vel bellorum impedimenta. Et vt vno verbo absoluā, ne ipse sit in mora, quia omnis mora, quæ rationi non innititur, reddit ipsum culpabilem. Et colligitur ex Salmat. cap. 8. *Quamprimum fieri poterit, in loco commodo teneatur conuocare, &c.* & de Vicario generali electio, decernunt, vt *Is protinus cogat Vocales omnes,*

Conuocare debet statim patres ad electionem Vicarij gen.

Oportuna quid importet.

omnes, &c. quod si de Vicario generali hoc disponitur, multò magis de primo Patre, qui non est Superior in ordine.

Expedire conuocatorias, cum sigillo Generalis.

Quæro quintò, An iste Pater conuocatorias expedire debet cum sigillo Generalis?

Respondeo affirmatiuè, quia debet fidem publicam facere, aliàs ipsi, vt priuato non crederetur.

Quæro Sextò, An destinare locum huius synodi possit ipse solus, vel debet aliquos ad consilium adhibere?

Respondeo, solus, quia statutum eum non obligat ad petendum consilium, vel consensum aliorum, ergo non debet arctari: generaliter enim, & sine restrictione prolata, simpliciter intelligenda sunt; & nec posset rationabiliter; quia cum iste Pater sit merus subditus, non conuiuet fortasse cum alio patre ordinis in vno Conuentu, & sic consilium tale non poterit exquirere, nisi casu.

Quæro 7. Si destinante ipso locum pro hac electione, poterit ei refragari Prouincialis, vel Guardianus?

Etiam Prouinciali contradicente.

Respondeo negatiuè, ex supradictis, quia sic impediretur in officio, per statuta, sibi commisso.

Quæro 8. An saltem iste Pater, cum debeat esse Præses electionis, sit Superior vocalium, vel illo tempore, quo celebratur electio?

Quatenus sit superior Vocalium.

Respondeo, est Superior vocalium, præcisè in ordine ad electionem, & in Conuentu etiam in ordine ad functiones capitulares; non autem in ordine ad disciplinam regularem, itaut si fratres inter se altercarentur, ipse non posset in illos animaduertere, cum gubernium fratrum, & Conuentus spectet ad Guardianum, & Prouincialem.

STATVTVM XXXIV.

In electione Vicarij Generalis vocem actiuam, & passiuam habent, &c.

Sed intelligi debet, non tantùm de adsistentibus Capitulo, sed etiam de alijs extra, quia potest eligi Vicarius generalis etiam, qui in illo capitulo vocalis non fuerit, vt de Generali disponitur.

STATVTVM XXXV.

Vicarius generalis si vtramquè familiam biennio moderatus fuerit, sit perpetuus Pater ordinis; Nec in futuro Capitulo eligi poterit in Commissarium Generalem; si minus biennio, Pater non erit, & eligi poterit.

Prima

Prima dubitatio est de congruentia statuti, cur scilicet priuilegium paternitatis biennio sit alligatum? &c.

Vicarius Generalis remanet pater ordinis post biēniū.

Respondeo, Quia iam excessit maiorem partem sui officij, nam officium Vicarij generalis, vltra triennium prorogari non potest; quia si Generalis moreretur, vel decederet ante triennium, per aliquot menses, Vicarius qui eligitur, statim debet conuocare Capitulum generale illius familiæ, & alterum Generalem ministrum eligere, qui vsquè ad reliquum sexennij duret, & sic ille paucis mensibus ageret Vicarium generalem. Si Generalis moritur vel in triennio, vel parum post, durat Vicarius vbsq; ad futuri generalis Capitulis tempus à preterito; & sic semper Vicarij officium durat minus triennio. cum ergo biennium sit maior pars istius temporis, conceduntur Generali Vicario priuilegia generalis Ministri, ex ea præcisè ratione, quia maiorem parte officij Generalis transegit. Et quia regulæ iuris clamant; *Vt succedat in onere, qui substituitur in honore. Qui sentit onus, debet sentire, & commodum, & è contra. Is qui in ius succedit alterius, eo iure, quo ille vtitur, vti debet.* & cum dicat Tullius. 1. *Tuscul. Nemo parum diu vixit, qui virtutis perfectæ functus est munere.* & iura affirment *Maiori summæ inesse minorem. l. 1. §. si Stipulanti. ff. de verb. obligat. cap. 1. de arbitris.* sequitur, Vicarium generalem gaudere priuilegijs Generalis, & consequenter odijs, quæ talem dignitatem consequuntur, nimirum, vt iterum Generalis, vel Commissarius generalis eligi non possit, nisi transactis duodecim annis, secundum Paulum IV. in generali Capitulo Aquilano. Vel sexdecim secundum Pium V. in bulla *Pastoralis, officij.* Vel duobus Capitulis, aut duplo temporis, quo fuere Superiores secundum correctionem Greg. XIII. *Consueuit Romanus.* Quæ tamen extensio de Generalibus Vicarijs vndiquè non verificatur; tum quia de eis non fit expressa mentio, sed de Generalibus, Ministro Commissario, Procuratore, & Commissario Curiæ; tum quia regula Greg. XIII. vt vacet per duplum sui officij, parum temporis amplecteretur in Vicario generali, qui ad summum per biennium durare potest. Vnde, excepta voce passiua in immediata electione Commissarij generalis, qua carere decernitur, si daretur casus, posset eligi in Generalem, & Commissarium generalem, non expectato lapsu tot annorum. & clarè statutum decernit. *Habeat etiam passiuam, si triennio antea vacauerit.* quod decreuerat *an.* 1558. Generale Capitulum Aquilanum, ex mandato Pauli IV.

Honor cum onere.

Secunda Dubitatio, An biennio debeat esse completum?

Respondeo affirmatiuè, Nam Capitulum Vallisoletanum an. 1465. decreuit, *qui fuerunt Vicarij generales per biennium, censentur Patres vtrisquè familiæ, & habere vota in diffinitorijs, eadem ratione illis suffragante, quæ suffragatur Ministris generalibus ex statuto Salmanticino.* quod postea replicatur in his, quæ præmanibus habemus, *Vicarius generalis, qui biennio saltem vniuersum ordinem moderatus fuerit, &c. Si verò minori tempore, quam per biennium ipsum ordinem moderatus fuerit, tunc inter vtriusquè familiæ patres non computetur, &c.* & sic declarant Patres præceptum Pauli IV. factum, & publicatum in generali Capitulo Aquilano *an.* 1559. *Quod in futurum Vicarij generales qui vltra biennium Vicariatus officium exercuerunt persequens triennium, in Commissarios generales aptari non valeant:* igitur biennium debet esse completum, quia cum quilibet dies à biennio detrahat, & faciat minus biennio, si vnus desit, non gaudebit Patris titulo. Non enim valet doctrina, Annus inceptus habetur pro com-

Biennium, & Annus quomodo cōputanda.

pleto, quia sic posset post annum Patris gaudere priuilegijs, quod est contra mentem legis, & contra ius. *l. non putabam. ff. de condition. & demostration. l. 3. §. minorem. ff. de Minoribus*. in quibus decernitur, Annum inceptum non haberi pro completo; repugnat enim ex *Brissonio*, verborum conceptio, & loquentis, & voluntas, vt in *l. si cui. ff. delegat. 1. §. & ideo. & sic in terminis l. 49. ff. de legatis, & fideicommissis*. 1. resolutum est, *Si cui legetur, Cum quatuordecim annorum erit, certo iure vtimur, vt tunc sit 14. annorum, cum impleuerit*, vnde §. *& ideo*. subiungit. *Si ante quartum decimum annum decesserit, ad hæredem nihil transit*. Sumus enim in odiosis, nimirum in concedendo priuilegio maximo, & perpetuo, & ideo non debemus metiri biennium vt in fauorabilibus, cuiusmodi *l. 17. ff. de manumiss. testam.* dicitur. *Post annos indistinctè liber esse iussus, post biennium liber erit, idque & fauor libertatis exigit, & verba patiuntur, nisi aliud sensisse patrem familias probauerit*. An autem annum ciuilem, faciat dies incepta, vel requiratur de momento ad momentum, quod facit annum naturalem, dico sufficere ciuilem *l. 6. & 7. ff. de Vsurpationibus, & Vsucapio.* vbi dicitur. *In vsucapionibus non à momento ad momentum, sed totum postremum diem computamus. Ideoq; qui hora 6. diei Calendarum Ianuariarum possidere cœpit, hora 6. noctis pridie Calendas Ianuarias implet vsucapionem*. & licet ius hoc paternitatis, non sit res notabilis, & consequenter vsucapioni non obnoxium, sed præscriptioni eò vel maximè, cum res corporalis non sit, quæ maximè vsucapionem recipit. vt in *l. Vsucapionem ff. de Vsucap. & Vsurpat.* Attamen cum sermo sit de possessione rei capienda in biennio, ad præscriptionem non spectat, sed ad vsucapionem. Nec obstat cit. lex, quia in illa adijcitur. *Vsucapionem recipiunt maximè res corporales, exceptis rebus sacris, sanctis, publicis populi Romani, & ciuitatum; item liberis hominibus. Maximè*. inquit, non quod alias res excludat, nisi expræsè prohibeat, vt ait Silu. V. Vsucapio. 2. Itaque incæpto vltimo die biennij Vicarius Generalis ius Patris adquirit.

Quę res vsucapioni subiacent.

Tertiò Dubitatur, An stante constitutione Nicol. 4. apud *Rodrig. tom. 3. q. 76. ar. 2. Nę deficente (inquit) Ministro Generali possint fratres eligere Vicarium Generalem, absquè Romani Pontificis, & protectoris ordinis licentia*. Quam reuocatam fuisse per *Clem. Exiui. de verb. signif.* asserit *Miranda Tom. 2. q. 10. ar. 7.* quod tamen verum non est, quia in fine Clementinæ, tantum dicitur *Cæterum si contingeret, eosdem Ministro Generali carere, per Vicarium ordinis fiat super hoc; quod faciendum fuerit per eundem Generalem Ministrum, Vsquequò prouisum fuerit, de Generali Ministro*: vbi non datur licentia eligendi Vicarium Generalem, sed supponitur electio ipsius secundum iura. Melius ex eodem, & *Hier. Resolut. 58. n. 19.* abrogatam esse, per contrarium vsum, & varia statuta ordinis, a S. sede Apostolica confirmata.

An mortuo Vicario generali possit subrogari alter.

Sed hic exurgit difficultas, quæ mota est an. 1632. Vacante enim sede Generalis per assumptionē Reu. P. Bernardini de Senis Lusitani ad Ecclesiam Visensem, secundum formam statuti electus fuit Vicarius Generalis Reu. P. Petrus Iouer Catalanus; quo vita functo, ad secūdam electionem in Vltramontana familia deuentū est, in qua subelectus fuit Reuerendissimus P. Antonius Enriquez, nunc Illustrissimus Malacitanę Ecclesiæ Antistes. De qua 2. electione dubitatum fuit, an ad illam potuerint vocales legitimè descendere, inconsulta sede Apostolica? & licet nihil in contrarium tentatum fuerit, ob causas tunc temporis rationabiles;

les ; pleriquè tamen Vrbis iuris vtriusquè periti in contrariam iuere sententiam ; Quia statutum concedit tantummodo celebrari electionem Vicarij ob mortem, vel assumptionem Ministri, non ob mortem, & assumptionem Vicarij Generalis, de quo non erat cautum. Nec apparet alteram familiā compromisisse in secundum hunc Vicarium : Authoritas enim eligendi Vicarium ordinis, vnica electione exhausta fuit. Et nō existente statuto generali, quod determinet de secundo Vicario, reditur ad ius, in ordinatione Nicolai IV. expressum. eò vel maximè cum casus isti speciales, ad sedis Apostolicæ consultationem referendi sint. Nec valet paritas de Capitulo sede vacante, quod amoto, vel decedente Vicario, potest alium eligere, quia Capitulum, sede vacante succedit Episcopo in iuribus ; & sic Vicarius, qui constituitur, est Vicarius Capituli, non Episcopi demortui; at, hæc vel illa familia non succedit generali Ministro; neq; Vicarius, qui eligitur est Vicarius familiæ; aut religionis, sed Vicarius mortui Generalis, vnde cantari iubet Religio antiphonam, *Vt nobis reddat orphanis, tanti patris Vicarium.* legendi sunt *Garzias de benif. p. 5. cap. 6. Barbosa in collectanea bullarum V. Vicarius sede Vacante.*

Nequè recurri potest ad epicheiam, quæ contra legem operari facit, dum legis dispositio repugnat bono cōmuni; Nam nulla hic admitti potest epicheia, quia ea solùm vti possumus, cum legis obseruantia positiuè bono communi repugnare cognoscimus, & ex illa damnum inferri reipublicæ, aliàs nullo modo fas est ad epicheiam recurrere, *S. Tho. 2. 2. q. 120. ar. 1. Soto lib. 1. de Iust. q. 7. ar. 3. & lib. 3. q. 4. ar. 5 Suarez lib. 2. de leg. cap. 9. à n. 3. Rodrig. tom. 1. q. 69. ar. 4.* qui aiunt in his casibus expectanda est legislatoris declaratio, modo nullum damnum imminere ordini, ex aliquali dilatione, conijci potest, cum per mensem, aut duos expectare responsum sedis Apostolicæ, non præiudicat bono communi.

Equidem esse rem dubiam, nullus negabit; dirimere autem dubium, quod alteri familiæ præiudicare potest, sine consensu illius, & iudicem agere, periculosum est; & in dubijs securior pars est amplectenda.

Quibus non obstantibus sentio benè processum ex interpretatione legis, quę electionem Vicarij, & primi, & secundi committit illi familię, & illis electoribus; Nam Religio sine Vicario gubernari non potuit, Vicarius eligi debebat ex decessoris familia, & à talibus Patribus, etiam post consultationes, & responsiones; ergo vsi sunt iure suo. Præterquamquod, ordinante religione electionem Vicarij sub tali forma, cum æquè mori possit Vicarius, sicuti, & Minister, tacitè cautum, & consensum est in electionem secundi, sicuti, & primi, & nullus dubitare debet de iure suo, & dimitterre possessionem, quam habet, vel de re, quam possidet consilium petere. Nicolai autem IV. dispositio, si non subsistit in prima electione, neq; subsistit in secunda, cum semel abrogata lex, pro omnibus actibus similibus abrogata censeatur.

STATVTVM XXXVI.

Pro altera familia à vocalibus illius eligatur Commissarius generalis, qui sit Superior ordinarius, &c.

Quia conspicimus (inquit Leo X. in bulla Ite & vos) *ipsum ordinem, per vniuersam Christianitatem mirum in modum dilatatum, & ne ob huiusmodi amplitudinem, debiti pastoralis officij careat beneficio, decernimus, quod si Minister Generalis de Cismontanis electus fuerit, instituat in partibus Vltramontanis vnum generalem commissarium, ab eisdem Vltramontanis fratribus eligendum, Cui Minister Generalis super Vltramontanos fratres vices suas committat prout Generali Capitulo expedire videbitur. Ita tamen, quod Commissarius præfato Ministro generali, omnimodè subijciatur, vt cæteri dicti ordinis Prælati subijciuntur, ac illi per omnia secundum regulam obedire teneatur. Qui quidem Commissarius generalis per triennium solum generalis commissionis fungetur officio.* Ecce tota historia institutionis, iurisdictionis, & authoritatis Commissarij generalis, super qua fundantur omnia statuta hùc pertinentia, & ideo à nobis membratim per quæstiones examinanda.

Cõmissarius Generalis eligendus ex altera familia.

Prima quæstio, An peccet mortaliter Generalis, qui Commissarium generalem non eligi permitteret?

Generalis peccat non eligendo Cõmissarium.

Respondeo affirmatiuè, ex duplici capite 1. Quia non paret mandato apostolico in re grauissima, quæ est fundamentum quietis, tranquillitatis, & gubernij Religionis. 2. Quia notabiliter suo muneri deest: Nam Religionem per vniuersam Christianitatem dilatatam, ipse solus gubernare non potest: Vnde necessariò carebit *beneficio pastoralis officij*, cuius carentiæ cum ipse sit causa, est obnoxius culpæ, & pœnæ.

Dices. impedietur, ex longitudine itineris, detinebitur negotijs in Curia, impedietur Principum instantijs?

Respondeo, hæ causæ non possunt subsistere in generali Capitulo, in quo si aliquis Princeps niteretur, vt electio caderet in personam immeritam, debet omni nixu illi resistere, quia non debet facere rem indignam, vt Principi satisfaciat Et quando violentiam sine periculo vel suo, vel ordinis vitare non posset, tunc satius esset Commissarium non eligere, sed dum absens esset, nominare. Detineri autem ob suum commodum, vel mundanas causas, & hac occasione vti beneficio volũtariæ institutionis, peccatum mortale non effugere, quia si animo iniquitatem, vel suam vel alienam frangere non valet, debet officio cedere: equidem corporalis labor est adeo coniunctus cum officio Generalis, vt sine illo esse non possit: vnde cum acceptauit officium, obligauit se ad labores, itinera, & neccessarias functiones officij. *Et quod semel placuit amplius displicere non licet. de reg. iur. in 6. Et qui sentit commodum, debet, & onus. ibid. & rationi congruit, vt succedat in onere.* eodem, *& sibi imputet damnum, quod sua culpa sentit.* eod.

Qui se bono ri adstrinxit, & oneri.

Secunda Quæstio, Quanta est commissarij generalis authoritas?

Respondeo ordinaria, & quanta est authoritas Generalis, si limitata non fuerit. Quòd ordinaria, probatur, quia est è iure, & perpetua, per electionem, & est Prælatus ordinis. patent omnia ex verbis Leoninæ. *Instituat Commissarium generalem, Ab eisdem eligendum, Vt cæteri ordinis Prælati.* Quod quanta est Generalis, patet, ex eadem. *Cui generali Minister suas vices committat, prout generali capitulo expedire videbitur.*

Commiss. Generalis authoritas est ordinaria, et quanta est Generalis.

Vnde statuta Salmanticensia cap. 8. aiunt. *Possit Commissarius generalis eadem authoritate vti in partibus sibi creditis, tam in Prælatos, quàm subditos, tam institutos*

stitutos ab ipso generali Ministro, quàm ab alijs Prælatis, qua vti posset præfatus generalis Minister, si præsens esset, nisi fuerit sibi aliqua particularis causa interdicta. Nequè hæc verba delegationem inducunt, quia etiam Episcopus, vel capitulum sede vacante suas vices committit Vicario generali, & tamen habet potestatem ordinariam secundum Innoc. in *cap. suo. de offi. Vicarij. & in cap. licet. & cap. Romana. eod. in 6.* Vide *Rodrig. tom. 1. q. 51. ar. 3.* ex quo *Mirand. tom. 2. q. 11. ar. 3.* qui hanc conclusionem contra Collectorem disputant. Et quod totam dirimit controuersiam, est statutum generalis Capituli Vallisoletani *an.* 1565. decernens *Commissarius generalis tanquam Minister ministrorum prouincialium, & ordinarius suæ familiæ, in comitijs generalibus habebit votum actiuum, & passiuum,* vt habetur in statutis, Brixiæ impræssis eodem anno. & Pisauri 1582. & in Registro ordinis Cismontanæ familiæ *tom. 1. fol.* 223. hæc dixerim; quia Miranda citans hoc statutum, addit. *Ordinarius est suæ familiæ, atq; adeo iure optimo, sine speciali commissione potest Commissarios creare, & delegare suam authoritatem, quoties sibi videbitur expedire.* Quæ vnde sumpserit, nescio. quod statutum in his renouatum est. *ordinaria eius potestas ad omnes sibi creditas prouincias se extendit.*

Vicarius generalis episcopi habet authoritatē ordinariam.

Ex hac conclusione deducuntur sequentia statuta.

Quod in suo triennio tenetur visitare, vel per se, vel per alios suam familiam, sicut ordinatum est de Ministro generali.

Quod nullus à sua obedientia eximitur.

Quod licet subijciatur Generali, liberè tamen potest suum exercere officium, etiam Generali præsente, nisi ipse aliquas causas, & Prouincias sibi visitandas reseruauerit.

Quod possit Superiores, & subditos suæ familiæ etiam à generali institutos corrigere, eadem authoritate, qua vteretur Generalis, nisi aliud caueatur.

Quod possit duos sibi socios eligere, etiam exacto officio.

Quod *sit Pater perpetuus suæ familiæ.*

Omnia enim hæc ordinariam, & summam in sua familia iurisdictionem consequuntur, vt dictum est de Generali.

Visitare debet prouincias.

A sua iurisdictione nullus eximitur.

Etiam præsente Generali.

Ac omnes corrigere.

Socios sibi deligere.

Est Pater perpetuus suæ familiæ.

Tertia Quæstio, In quo Commissarij generalis authoritas sit restricta?

Respondeo primò, In omni eo, in quo, per constitutiones Apostolicas, & statuta ordinis, est restricta authoritas Generalis; quia maiorem facultatem non potest habere Commissarius, quam habeat principalis. *c. nemo. de reg. iur. in 6.*

Secundò, Quæ speciali iure Ministro Generali committuntur, Commissario generali non sunt concessa. *c. licet. & c. cum in generali. de off. Vicar. in 6.* vbi doctores communiter multa recenset *Mir. d. q. 11. ar. 7.* Generalib. tantum cōcessa per statuta ordinis, vt licentiare Laicum professū ad Clericatum stat. *Tolet. c. 1. & Vallis. ibid.* De incorporatione in alienam Prouinciā. De distributione Missarum. De missione Fratrum ad partes Hierosolimitanas. De destinatione Fratrum ad Romanam Curiam. De non dādo voto in electionibus Prouinciarum. De dispensationib. speciali iure ad Generalem remissis. De celebratione Congregationis generalis.

Eius authoritas in quo restricta.

Attamen primò, & vltimò exceptis, puto posse commissarios generales in alijs se intromittere, quia authoritas generalis cum sua latitudine ad Commissarium generalem transit, vt dictum est. & firmat *Rod. dicta quæst. 51. art. 2.* in qua

authoritate incluſa ſunt omnia, quæ excipit ex mente aliorum Miranda, & quidem aliqua ex dictis ſunt contra ſtatuta,& conſuetudinē,vt de mittendis Fratribus ad partes Hieroſolimitanas;quia adeſt ſtatutum Capituli Generalis Romani *ann.*1587.dicens. *Prohibemus,ne quis inferior Patribus Miniſtro,& Commiſſario generalibus, aliquem Fratrem Hieroſolimam mittere poſſit*, niſi dicat de Commiſſario Vltramontano,cui hoc eſt vetitum. De dando voto in Capitulis Prouinciarum,&c.Eſt ſtat.*Neap.an.*1590. concedens votum Generalibus miniſtris, & Commiſſarijs,ne dum actualibus,ſed etiam officio functis.quod confirmatum fuit à Clem.8. Greg.15. & Sanctiſſ. Vrb.8. & adeſt praxis concedens non ſolum Commiſſarijs generalibus præſentibus votum deciſiuum, conſultiuum,& electiuum,ſed etiam Commiſſarijs ab ipſo deſtinatis,prout declarauit generale Capitulum Salmanticen.*an.* 1618. *Commiſſarium Viſitatorem prouincialem non habere in electione Prouincialis Miniſtri,Cuſtodis,& Diffinitorum, votum electiuum,quemadmodum habent Miniſter, & Commiſſarius generalis, quorum vota verum numerum efficiunt.* & in his ſtat.*c.*8.*tit.*de habentibus votum in Capitulo prouinciali. *In Cap. prouinciali Generalis Miniſter, & Commiſſarius generalis, ſi præſentes fuerint in electionibus, & inſtitutionibus quibuſuis votum activum habeant*, quod ſanxerunt Salmant.*c.*8.Vltramontana *c.*7.Valliſolet.*an.*1593.& in fine totius *c.*8.declaratur. *Quamuis in inſtituendis Guardianis,& officialibus capitulari loco,& tempore deputandis, Commiſſarij Viſitatores votum non habeant, niſi ſpecialiter per facultates eis concedatur,&c.*

Commiſſarij generales poſsūt diſpēſare, ſicuti Miniſtri generales.

Quod ait de diſtributione Miſſarum, vanum reputo reſpectu Commiſſarij generalis. De diſpenſationibus, puto poſſe Commiſſarios generales eas concedere etiam ſi Generalibus reſeruentur. Argum. Concil.Triden. quod concedit *Seſſ.*24. *c.*6. *de refor.* Epiſcopis facultatem diſpenſandi, & abſoluendi à caſibus Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, quod etiam ſuo Vicario communicat. Ergo & Commiſſarius generalis, qui habent authoritatem maiorem, & ſolidiorem,poterit in caſibus,Generali reſeruatis.& firmat.*Rodr.d.q.*51.*ar.*4.his verbis. *Et ideo ſine dubio tenendum eſt, quòd omnia,quæ in iure,priuilegijs, & conſtitutionibus conceduntur ſoli Generali, conceduntur etiam Commiſſario generali reſpectu ſuæ familiæ, niſi aliquo modo in dictis diſpoſitionibus excludatur dictus Commiſſarius generalis.*& ſubdit caufam.*Nam authoritas non datur generali Miniſtro ratione perſonæ, ſed officij, & ideo omnia tranſeunt in dictum Commiſſarium generalem, vicem Miniſtri generalis gerentem in omnibus,quæ pertinent ad eius officium.* & ſupra dixerat. *Alioquin non benè conſuleretur commodo, & vtilitati Prouinciarum, longè ſæpè ſæpius diſtantium à Generali Miniſtro.* Transferre autem Laicum ad Clericatum,habet ſpecialem relationem,quia cum non ſit res neceſſaria gubernio, non eſt neceſſe, quod tranſierit in Commiſſarium; & ideo in Congregatione generali Ciſmontana,Romana *an.*1615. ad Reuerendiſſimum P. Generalem remittitur.Et confirmatur in generali Capitulo Salmanticenſi *an.*1618.& in *c.*2.*horū ſtatut.*quę iam commentati ſumus,prohibetur aſcenſus de Laicatu ad Clericatū *ſine licentia generalis Capituli.*Ex quib. apparet,mentem Religionis fuiſſe, vt ſoli Generali talis diſpenſatio reſeruaretur ſicuti etiam indictio,& celebratio generalis Congregationis,in qua Commiſſarius eſt deponendus,& ſyndicandus,quę nullo modo ad Commiſſarium ſpectare poteſt,& adeſt expreſſa ordinatio Leonis X.citata.

Tertiò

Tertiò Commissarius generalis non habebat authoritatem in Procuratorem generalem ordinis, & Commissarium Romanæ Curiæ eò quod in generali Capitulo Toletan. ann. 1633. reuocatum fuerat antiquissimum statutum Salmanticense cap. 8. & Vallisoletanum eod. quo cauebatur, vt officiales isti *subditi sint Generali Commissario illarum partium, in quibus Romanam Curiam residere contigerit: præsente autem Ministro Generali ipsi soli; quo absente, Commissarius generalis in eos animaduertere, eos corrigere, & officio, si ita demeruerit, suspendere possit, quoadusquè Generalis Minister, de re certior fiat*. Quod ad verbum translatum reperitur in Toletanis, & Segouiensibus *cap.* 7. §. 13. *V. subditi sint* Et praxi mandatum vsquè ad Toletanum supradictum, quia tamen reuocatio talis statuti multos offendit, Sanctissimus D. N. Vrbanus Octauus, 18. Nouembris ann. 1641. motu proprio reuocationem abstulit, & authoritatem Commissarij generalis in pristinum restituit, dicens. *Omnes, & singuli Fratres eiusdem ordinis, cuiuscumquè gradus dignitatis, & Vltramontanæ familiæ existentes, pro tempore, quo in Cismontana familia commorabuntur, sint, & esse debeant sub obedientia, & directione Commissarij generalis huiusmodi ordinis tempore existentis, prout erant, priusquam prædictum statutum fieret.*

Commiss. gener. authoritatẽ habet in Procuratorem, & Cõmiss. Curiæ.

Super qua constitutione, Noto primò. Nihil noui authoritati Commissarij generalis accessisse sed veterem restitutam esse: Nam duo concernit, & personas officialium, & forenses Vltramontanos, qui omnes Commissario generali subduntur. Hoc autem totum illi competebat per antiqua statuta ordinis; nam, vt visum est, Procurator, & Commissarius Curiæ, explicitè illi subdebantur, & hospites vltramontani licet explicitè subditi declarati non fuerint, necessaria tamen deductione subduntur. Nam si subduntur Procurator, & Commissarius, qui sunt Superiores forensium, multò magis forenses, iuxta regulam canonicam, cui conceditur plus, conceditur etiam, quod est minus. Præterea per statuta ordinis, tum *Segouiensia cap.* 4. §. 5. & *cap.* 5. §. 1. cum nostra. *Vallisol. cap.* 3. *Titulo de euagat. tollenda*. Forenses tenentur suas obedientias Prælatis localibus ostendere, sine illorum licentia, non negotiari, culpas dicere, pænitentias impositas exequi, & sunt subditi Guardianorum illorum Conuentuum, in quibus morantur. & multò magis sunt subditi Prouincialium, qui in eos peccantes animaduertere possunt. Ergo maiori ratione sunt subditi Commissarij Generalis, qui ex eisdem statutis *Salmanticensibus, Vallisoletanis cap.* 8. & *Segoui. cap.* 7. §. 16. *Potest omnes delinquentes punire, ac eadem authoritate in eos vti in partibus sibi creditis, tam Prælatos, quam subditos, tam à Generali Ministro, quam ab alijs ordinis Prælatis institutos, qua vti posset, ipse generalis Minister si adesset.*

Cui conceditur plus, cõceditur minus.

Quam authoritatem tanquam indubitatam, supponens Cap. Toletanũ anno 1633. (quod reuocauit statuta supracitata) eximens istos officiales à iurisdictione Commissarij generalis, subdit. *Ad hunc finem declaratur, quod Fratres, qui ex vtraquè familia Romam venerint negotiorum causa, immediatè sint subditi Prælatis Curiæ, non verò Ministro, aut Guardiano Conuentus Aracœli*. Vbi noluit tangere authoritatem Commissarij generalis, quoad forenses; quia cum *exceptio firmet regulam in contrarium*, sicuti volens restringere illam respectu Prælatorum Curiæ, expræssè nominauit Commissariorum generalem; ita cum in altera parte illum non nominet, in sua antiqua iurisdictione persistit, & verè mirũ esset, si Fratrum suæ familiæ, Romam aduentantium, non esset Superior, dum

Romæ

Romæ morantur, ſicuti colligeretur, ſi tantum nunc illi accederet ex noua Vrbana Conſtitutione, quod omnino ridiculum eſt. Habuit igitur ſemper iſtam authoritatem, etiam perſiſtente in ſuo vigore Toletano ſtatuto, quod illam eidem nullo modo ademit. nec de hac re dubitandum venit.

Noto ſecundò, reuocatum eſſe tantummodo ſtatutum Toletanum, ita quod, ſi ex alio ſtatuto, vel ſpeciali ordinatione, aliquis eſſet à iuriſdictione Commiſſarij generalis exemptus, non eſſet ſubdendus ex vi Vrbanæ Conſtitutionis.

Noto tertiò. Vltramontanos Fratres non ſubijci Commiſſario generali, ita vt non remanſerint ſubditi Procuratoris, & Ciſmontani Commiſſarij Curiæ, quia iſti ſunt immediati forenſium Prælati, & habent ſuper eos iuriſdictionem Guardinorum, & Prouincialium, vt dicemus, ex ſtatuto Valliſol. c. 5. *tit. de Fratribus Romam confluentibus.* dicente. *Eiquè* (Procuratori, vel Commiſſario Curiæ) *in omnibus tanquam legitimo Prælato ſubijciātur, eorum mandata ſeruaturi.* Ex Neapol. cap. 21. hoc autem per Vrbanam non eſt reuocatum. Sed eſt Superior tanquam Commiſſarius generalis.

Noto quartò, per hanc, non poteſt Commiſſarius generalis ſe immiſcere, vel impedire officium Prælatorum Curiæ, ſicuti non poterat ante ſtatutum Toletanum; quia ſtatutum Valliſoletanum, & Salmanticenſe ſubijcit hos officiales, non quoad negotia, ſed quoad mores. Sic etiam Commiſſarius generalis eſt Superior Prouincilaium, & Guardianorum, eorum tamen officia impedire non poteſt ſine cauſa. ita etiam.

Quarta Quæſtio. An authoritas Commiſſarij generalis à ſolo Miniſtro Generali extra Capitulum generale reſtringi poſſit?

Eius authoritas poteſt à Generali reſtringi.

Reſpondeo affirmatiuè, quia Leo Decimus ait, *Vices ſuas committat, prout generali capitulo expedire videbitur.* Capitulis autem generalibus viſum fuit ſtatuere, *Commiſſarius generalis libere exerceat ſuum officium, niſi Miniſter generalis rationabili de cauſa eidem ordinauerit, vt à negotijs quibuſdam, ſuo iudicio terminandis, abſtineat; aut aliquas Prouincias, per ſe, aut per ſuos Commiſſarios viſitandas ſuæ plenariæ iuriſdictioni reſeruauerit.* ergo poteſt hoc facere extra capitulum. Sic non ſubſcribo Rodrig. dict. quæſt. 51. ar. 4. dicenti. *Tamen ſi Miniſter generalis, ſit præſens, & velit viſitare, ad celebrandum capitulum, credo quod talis viſitatio ſit cauſa ſufficiens ad reſeruandas ſibi aliquas prouincias.* Quaſi id abſens facere non poſſit, Cum tamen deſtinare Viſitatores ſit abſentis, non præſentis. Et licet Generalis non debeat credere facilè quærelis, contra Commiſſarium generalem delatis, tamen poteſt in altera familia exiſtens, probè noſſe auerſionem Commiſſarij generalis ab aliquibus Prouincijs, & Fratribus, vel eorumdem ab ipſo, & ſic poterit eſſe cauſa legitima limitandi eius authoritatem. Sine cauſa tamen, & ad libitum, nec iuſtè, nec legitimè poteſt, cum inferiorum, & ordinariorum Superiorum authoritas limitari non poſſit. ex eodem Rodrig. & Miranda, & communiter ſcribentibus.

Ordinariorũ authoritas, ſine cauſa, limitari non debet.

STA-

STATVTVM XXXVII.

In Generali Capitulo duodecim Diffinitores ex vtraquè Familia: In Generali autem Congregatione intermedia, sex ex sua familia eligantur, qui ætatis 35. & religionis 20. annum saltem excesserint.

Quæ sparsim de Diffinitoribus tam generalibus, quam prouincialibus in statutis traduntur, in hunc locum collecta per quæstiones digerimus.

Quæstio prima. An sit canonica electio Diffinitorum, dum Præses capituli nominat vocalibus, quos eligi vult, siuè per se, siuè per alios?

Respondeo negatiuè, Si talis nominatio est causa, vt in nominatos cadat electio. Solent enim nonnulli parum prouidi in schedula aliqua nominare quatuor, vel sex, quos eligi Diffinitores desiderant, quas deinde per vocales transire faciunt, vt sciant Superioris voluntatem, & vt plurimum accidit, tales eligi, præcipuè in Capitulis generalibus. & Ratio est, quia hoc vitiat libertatem electionis, cum moraliter, vel ob timorem, vel ob reuerentiam cogantur vocales ad aliorum arbitrium suffragari. Est communis opinio in *cap. vbi periculum. §.cæterum. de elect. in 6.* quia coactione, & metu intercedente, deficit consensus, *cap. cum locum. & c. gemma. de sponsal. Nauar. cap.17. num. 29. & cap.29.num.51. & consil.5.de elect. Rodrig. tom.2. quæst.51. art.11. Miranda tom.2.qu.23.art.22.Castellin. de elect. cap.3.a nu.4.qui citat Abbatem, Panorm. in cap.quia propter. & cap. cum terra. de elect. Nauar. consil.3.de elect.Rodrig.in summa tit. de elect.cap.103. & Bullam Pij Quinti Pastoralis*, Excommunicantis ipso facto subornatores, & subornatio libertatem tollit. quod confirmauit Gregor. 13. *Consueuit*, & vterquè Pontifex ait. *Itaut Commissarius generalis, vel qui electioni præsederit, electores, quo minus liberè eligant, quouis modo impedire conuictus fuerit, officio priuatus existat.* De quo nos supra vbi de libertate electionis. & nulli dubium est, proponentes illos, qui eligendi sunt, impedire electores, quòminus liberè eligant. Vnde Clemens Octauus in reformatione regularium præcipit. *Vt omnis officiorum ambitus occasio præcludatur, caueant omnes à directa, vel indirecta vocum, seu suffragiorum procuratione, tam pro se ipsis, quàm pro alijs, præsertim in Capitulis generalibus, &c.* Sub pœnis, & inhabilitatibus, &c. Sedi Apostolicæ reseruatis. Nec video, quid clarius contra hunc abusum in dies inualescentem adduci possit, quo sæpius indigni ad tales gradus assumuntur. Propterea in Generali Congregatione Romana *ann.1603.* de electione Guardianorum decretum fuit. *Insuper præsentetur diffinitorio papyrus, seu cartula, in quo omnium nomina, qui voce passiua potiuntur pro Guardianis, cæterisquè officialibus; nullusq; Superiorum proponat, aut nominet aliquem Fratrem particulariter.* & in omnibus statutis ordinis, semel tantum reperi, Generales eligendos proponere, nimirum Disquisitores in comitijs generalibus *cap.8.*horum statut. *Disquisitores à Ministro generali proponendi sunt, & à Diffini-*

Diffinitores generales, aut prouinciales nominari non possunt.

Timor reuerentialis libertatem tollit.

Superiores nominare in electione nō possunt.

Diffinitorio instituendi, vel eligendi. & certè modus huius deputationis non est electio canonica, quia palam inter se Diffinitores consultant, & consentiunt, &c. Cum hac tamen vniuersali doctrina, vocalium consultationem inter se, non negauerim, quia moraliter impossibile reputatur, vt Itali sciant quis Polonus, Bosnensis, & Germanus, &c. Sit aptus, & concurrat ad electionem; & è contra, quos nec nouerunt ex nomine; & tamen duodecim Diffinitores ex omni natione, quæ sub cœlo est, eligere debent. Hæc consultatio, & intelligentia facilitat electionem, non tamen violentat, quia subditus in subditum impræssionem facere non potest, sicuti Generalis, quem per sexennium Superiorem futurum agnoscunt, & timent.

Consultatio in electionibus permittitur.

Quæstio secunda. An ætatis, vel qualificationis defectus electionem diffinitorum annullet ipso facto;

Diffinitorū electiones defectus ætatis annullat.

Respondeo affirmatiuè, quia statutum inhabilitat ad hæc officia tales qualitates non habentes, ergo eliguntur ineligibiles, & consequenter electio ipso facto est nulla. Siluester *V. electio. 1.nu.16.* vbi postquam dixerat. *Quintum impedimentum, si non sit debitæ ætatis, & literaturæ.* addit. *Omnis electio facta de eo, qui habet aliquod prædictorum impedimentorum, nulla est ipso iure. Lezana to. 1.c.15.nu.25. Arm.V. elect.nu.24. Regin. lib. 30. tract.3. num.167.* fauent iura præcipuè Trid. forma loquendi *sess. 24. c.12. de refor. Nemo* (inquit) *ad dignitates curatas promoueatur, nisi saltem 25. suæ ætatis annum attigerit, & in Clericali ordine versatus, doctrina ad suum munus necessaria, & morum integritate commendetur.* & licet apponat irritantes clausulas, attamen vtor forma loquendi, quam generalia statnta vsurpant, dicentia. *Ad Diffinitoratus dignitatem nemo promoueri possit, nisi 35. &c. Et Minister fuerit, aut in prædicationis munere, aut S. Theologiæ lectura sexennio præclarè anteà se gesserit.* Particula enim, *Nemo*, omnimodam exclusionem importat. *Abb. lib. 2. cons.3. fin. & in c. graue. num.8. de off. ord. Tuscus practicarum concl. tom.2. lit.D.concl.316. num.2. Marius Ant. Variar. resol. lib. 1. resol. finali casu 42. Alberic. apud Spiegell. probans ex c.nemo. de elect. in 6. & l. item si vnus. §. item si plures. ff.de arbitris.* Omnis alius excluditur, & inhabilitatur, quia *nemo*, vel *nullus*, præposita verbo, *eligatur*, vel *recipiatur*, importat necessitatem, & aufert potestatem aliter faciendi. *Glos. communiter recepta in c.1. de reg. iur. in 6.& ibi Franc. nu. 7. Bart. Pan. & alij apud Barbos. dic. 229. num.fin.* & licet qualitates scientiæ, & bonitatis arbitrariæ sint, attamen dum statuta aiunt, *præclarè se gesserit*, eminentiam quandam in his facultatibus, requirunt, vt potè in gradu immediatè post Generales ordinis, qui virtute conspicuos habere debet. His proportionaliter examinandæ sunt Diffinitorum prouincialium qualitates.

Nemo, exclusionem importat.

Quæstio tertia; Si alius præter determinatos eligeretur, posset subsistere?

Nulla est electio præter numerū taxatum.

Respondeo negatiuè, quia forma legis transiri non potest. hac etiam ratione nec plures Generales, nec plures Commissarij eligi possunt; quia lex numerum determinat, & sic antiqua, & moderna statuta præfigunt: & expresè constat ex verbis statuti *Diffinitores sex tantummodo eligendi sunt*. & de Prouinciabus *Diffinitores 4. sunt eligendi, nec possunt eligi plures; si secus fiat, quatuor tantum admittan-tur, quibus plura vota suffragata fuerint.* & vim harum particulum *tantummodo, & tantum* impeditiuam extentionis, negantem, excludentem, & annullantem exclusa, examinat citatus *Barbos.dic.401.& 403.*

Quæstio

Quæstio quarta. Quæ est Diffinitorum generalium, & prouincialium authoritas?

Respondeo 1. Diffinitores generales sunt *Determinatores vnà cum generali Ministro causarum tam particularium, quàm prouinciarum, seu personarum* Statutum Salmant. *capitulo octauo, Vallisolet..* 1593. *Toletani capito septimo;* Vnde sunt supræmi religionis Iudices, assessores, & collegæ Reuerendissimi Patris Generalis. *Diffinitorū Generaliū, & Prouincialium authoritas.*

Sunt Patres, & vocales pro tempore, quo in officio durant, tam Capitulorum generalium, quàm prouincialium, & Congregationum intermediarum, & incidentium quarumcumq; in quibus habent votum actiuum, & etiam aliquando passiuum, vt in Capitulis generalibus, & prouincialibus, in quibus possunt eligi Generales, Commissarij, & Prouinciales. ita statutum in vltimo Capitulo generali Romanò *Ann.* 1639. tit. *de Diffinitoribus generalibus. Censuit Capitulum generale, nimis indecorum esse, atq; ab optimi regiminis ratione valde alienum, vt Diffinitores generales, primarij in ordine Iudices, pœnes quos est aliorum suffragiorum discussio in Congregationibus, & Capitulis generalibus, suffragandi potestate carerent, & ideo statuit, vt posthac Diffinitores generales vtriusq; familiæ, tam in Congregationibus, quàm in Capitulis generalibus, vbi suo funguntur officio, suffragium ferant, non aliter, quam in suarum Prouinciarum Capitulis, & Congregationibus suffragantur.* Quod de electione Vicarij generalis antea in his statutis, ex Salmanticensibus *cap.*8. *Neapolit. cap.*32. *Vallisolet. ann.*1593. statutum fuerat: & de Diffinitorib. prouincialibus statutū fuit in vltimo Capitulo generali Toletano ann. 1633. *Diffinitores, & Custodes prouinciales dum actu sunt tales, votum electiuum habeant in Capitulis, sicuti, & cæteri vocales, in prouincialium, & diffinitorum electionibus. quod idem decernitur de Discretis custodialibus in suis custodijs.* at hi discreti post electionem prouinciarum Reformatorum, in Diffinitores, sicuti & Custodes in Ministros, & Custodiæ in Prouincias transierunt. *Sunt Religionis Iudices. Vocales capitulorum. Diffinitores prouinciales habēt votū in capitulo.*

Sunt syndicatores Ministrorum, & Vicariorum, ac Commissariorum generalium in capitulis atque adeò, vt dictum est supræmi absolutè Iudices, quibus ius est, supræmos Prælatos deponere, & punire, iuris ordine seruato, à quibus in Religione non est appellatio, sed extra ad D. Protectorem, & S. Sedem Apostolicam. Ita in his statutis *cap.*8. *Discreti ordinis tum perpetui, tum pro tempore, in loco ad id specialiter deputato, pro Generalis Ministri, & commissarij, item generalis syndicatu ad constitutionis apostolicæ præscriptum, peragendo conuocentur, &c.* & elicitur ex Vltramontanis *cap.*7. & ex constitutionibus Pij V. *Pastoralis.* vbi dicitur. *Qui tamen hoc* (idest vitam communem, &c.) *non seruabit, si Generalis fuerit, à Diffinitoribus Capituli generalis, reliqui à Superioribus, condignè puniantur.* & Gregor. XIII. *Consueuit.* vbi dicitur. *Facta renunciatione officij discedere debeant, vt si quis eos accusare voluerint, durante tempore syndicatus, liberè id facere possit.* *Syndicatores Ministrorum.*

Eligunt Disquisitores electionum in comitijs generalibus. hic cap. 8. *Disquisitores à Generali proponendi sunt, & communi consensu, & consilio Discretorum ordinis, & Diffinitorum præcedentis Capituli elegi, seu institui debent.* & in Salmant. *cap.*8. *Vallisolet.* 1593. *Disquitorū electores. Legum approbatores, & Latores.*

Quæ statuenda sunt in ordine, etiam si à vocalibus omnibus conclusa fuerint, vim,

vim non habent, nisi à Diffinitorio generali examinentur, & approbentur. Verum quidem est, quod non consulto, aut non approbante generali, nihil determinari, aut statui potest; attamen nec Generalis potest statuta condere, non consentiente diffinitorio, vt perpetuò, & sanxit, & determinauit Religio. *Salmant. cap. 8. Vltramontana cap. 7. Vallisolet. 1593. & hæc titulis de diffinitorys generalibus. De ijs, qui ad diffinitoria vocandi sunt, & quæ in diffinitorijs tractanda.* itaque vocari possint legislatores religionis.

Generalis sine diffinitorio statuta condere non potest.

Et ex iisdem statutis, ad eos pertinet Auditores Causarum nominare. Procuratorem generalem, & Commissarium Curiæ instituere, Guardianum Hierosolimitanum, & Ministrum Candiæ destinare, studia generalia, ac lectores ibidem docturos nominare, futuro generali Capitulo locum præfigere.

Auditorum causarum determinatores; &c.

Iidem officio functi, patrum prouinciæ prærogatiua potiuntur, primi post Prouinciales Ministros etiam officio functi incedunt; & quando opus sit pro negotijs Prouinciæ eius patres conuocare, ipsos etiam adesse necesse est.

Remanent Patres prouinciæ.

Quæ sola prærogatiua præcedentiæ, sine alio paternitatis titulo, vel qualificatione, exacto officio, ipsis remansit post Clemen. VIII. Greg. XV. & Sanctissimum Vrban. VIII. qui Patrum priuilegia abrogarunt, eosque ad lineam aliorum reduxerunt.

Non possunt esse Guardiani.

Dum actu sunt Diffinitores, *Guardiani esse non possunt, nisi cum eis, vrgenti de causa fuerit dispesatum à diffinitorys, pro principalioribus Prouinciarum locis; sed quo tempore eorum quis Guardianus fuerit, de corpore diffinitorij esse non possit*, ita hæc statuta ex *Neapolit. cap. 32. & Vallisolet. 1693.* fuitque ordinatum sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, & nullitatis à Paulo IV. in generali Capitulo Aquilano 1559. *Quod diffinitores Capitulorum prouincialium, & intermediorum durante sui diffinitoratus officio, in Guardianos creari non possunt.* Quibus correcta sunt statuta Salmant. quæ id concedebant. *cap. 8. Tit. de Diffinitoribus.* & per Bullam, *Viam ambitiosæ*, apud *Bullar. Rodrig. pag. 375. Item diffinitores Capitulorum, tan prouincialium, quàm intermediorum in Guardianos alicuius loci, sed tantummodo in Vicarios, vel Confessores Monialium, durante eorum officio diffinitoris, sub nullitate electionis, excommunicatione latæ sententia, inhabilitatis, &c. nullo modo eligi possint.* In quo statuto Noto 1. non esse legitimam dispensationem, nisi vrgens causa intercedat, quæ sola esse potest, vt principaliori conuentui prouideatur; cui aliæ personæ opportunæ non inueniantur; quia si aliæ reperirentur, nulla esset causa dispensationis, & dispensantes peccarent, & puniri possent, ac electus Guardianus. quare instituere vnum ex his, vel prouincialib. diffinitorib. Guardianum, vel vt partialitatibus satis fiat, vel vt personæ commodo prospiciatur, vel vt ambitioni pabulum ministretur, graue peccatum est, & eò magis in diffinitorio puniendum, quò à tali tribunali puriora expectantur iudicia. Noto 2. tempore Guardianatus, Diffinitorem non esse de corpore diffinitorij, non quidem diffinitorij generalis, sed prouincialis, quia cùm sit Guardianus in Prouincia, non potest in ea esse membrum, & caput, seu iudex, & populus: quæ ratio cessat in diffinitorijs generalibus, nisi institueretur Guardianus terræ Sanctæ; qui ad diffinitorium generale spectat. Item non est de corpore diffinitorij tantum quoad suam electionem, vt aliquando fieri conspexi, itaut, postquam electus fuerit,

redeat

redeat iterum in diffinitorium; sed omninò tanquam Diffinitor haberi non debet, itaut ad Congregationes intermedias vocari non possit, & consequenter alius suo loco sit subrogandus iuxta statutum vltimi Rom, cap. quod tale est. *Moriente aliquo Diffinitore extra limites Prouinciæ, vel absente itaut infra tres dies eius præsentia haberi non possit, subrogetur alter pater dignior illius prouinciæ; aliter electio nulla sit.* quorum omniũ ratio est, quia statutum ait. *Quo tempore Guardianus fuerit, de corpore diffinitorij esse non possit.* & certum est ex Philosophia, & iure, actum cum impotentia, imò nec cum potentia simul esse posse. *Institut. de actionibus. §. si itaquè discretis.* nam actus potentiam excludit. *l. si ita fuerit. V. non enim. ff. de manum testam. & Barbosa dict. 268. num. 3.* ex infinitis Authoribus, legibus & canonibus probat dictionem hanc, *Non posse*, aut *non possit*, importare necessitatem, actum contra gestum omninò reddi nullum, & priuare omni potentia, videatur in fonte: ergo toto tempore, quo est Guardianus, non est Diffinitor, & sic ipso deficiente, de necessitate alius suo loco subrogandus est, aliàs electiones factæ, nullæ sunt ex citato statuto. Nequè facere debet difficultatem; quia non sit mortuus, nec extra prouinciam, nec ita absens, vt intra tres dies haberi non possit, quia impotentia ista moralis eum absentem facit, quia diffinitorio interesse non potest, & perinde est ac si omninò abesset.

Diffinitori quãdo alius subrogãdus sit.

Actus excludit potentiam.

Noto 3. aliquos dubitasse, Diffinitorem generalem non posse esse Ministrum prouincialem, sine dispensatione, & si fiat, cessare ab officio diffinitoratus, ac proinde non debere admitti in Capitulo generali tanquam Diffinitor, propter Superiorem doctrinam. Quod si obijcias statutum solum loqui de Guardianis, vltra quos extendi non debet, cum sit odiosum; Respondent, quod cum ipsissima ratio sit vtriusque vtrumquè complecti debet. quidquid in contrarium sentiant apud *Barbosam Axiom. 166. numero 7. & in cap. odia. de regul. iur. in 6. Corsetus in singulari, verbo extensio, 2. numer. 1. Tiraquell. de retractu, in præfat. numero 62. & 63. Honded. consil. 94. numer. 98. & 112. lib. 1. Farin. fragmentorum Crimin. part. 2. lit. E numero 115. & 117.* Quia omnis dispositio ex identitate rationis extenditur *cap. cum dilecta. de confir. vtili, vel inutili. & huiusmodi* ratio habet etiam locum in pœnalib. secundum allegata per *Ioannem de Selu. tit. de Beneficio. q. 22. numero 16.* & maximè quando eadem ratio sit in vtroquè; ad tradita per *Ioannem Lecirier. de primogenitura q. 25. num. 34. lib. 1. & Vincentium Grilenzonium. consf. 139. per totum.* Eò vel maximè cum authores in oppositum citati limitent suam sententiam, *Nisi odium sit irrationabile*, quod non est in casu nostro, quia summè rationabile est, Diffinitorem õn esse, Prouincialem, nec aliquem adesse Capitulo tanquam vocalem duplici titulo, nec eundem esse syndicatem, & syndicatum, iudicem, & reum, seu iudicem sui ipsius. Odium enim est recessus à iure communi. *Crauet. con. 70. n. 3. Volum. 1.* igitur cum ad ius commune redimus, ab odiosis discedimus.

Nec diffinitores generales esse ministri, & quomodo.

Dispositio ex identitate rationis extenditur.

Si dicatur in Capitulo generali, qui sunt actu Prouinciales eliguntur Diffinitores generales, & Guardiani eliguntur diffinitores Prouinciales.

Respondeo, isti intelliguntur cedere Guardianatui, eò ipso. illi eliguntur quidem, attamen non redeunt ad Capitulum pro sindicatione, vt Prouinciales, & sic non sunt in actionibus præcipuis sydicatus actu Prouinciales, & Diffinitores, quia causas antecedentes ad Capitulum iudicant diffinitores præteriti; noui autem iudicant causas futuri capituli; in quo nullo modo esse possunt Prouinciales.

ciales. Attamen quia odia non extenduntur, etiam vbi est paritas rationis, vt graues Doctores affirmant, censeo obseruandum esse statutum secundum literam.

Odia non extenduntur etiam in paritate rationis.

An autem Guardianus existens, ex iure antiquitatis possit subrogari diffinitor, & simul esse Guardianus, eoquod odiosa dispositio loquens de electione, non debet ad subrogationem extendi?

Respondeo negatiuè ob statutum generalis *Capituli Rom. An.* 1587. prò Hispanis. *Nullus etiam Guardianus defuncto Diffinitori sufficiatur; quod si secus factum fuerit, guardianatu se abdicet.* quod vim habet in solis Hispanis, attamen facem præsefert materiæ præsenti ob rationis paritatem.

Nec etiam in subrogatione.

Quod si obijcias statut. *Rom. an.* 1600. *Et si nullus talis fuerit tunc principalioris conuentus Guardianus subrogetur*, non intendens statutum destituere talem Guardianum.

Respondeo, pro nostra familia seruari posset in qua de præsenti non nulla habemus exempla, licet dispensatione fulta infausto tamen euentu prout exorbitantia è lege communi infelices sortiuntur effectus, Deo sic permittente, at non pro altera familia.

Diffinitores prouinciales quib. gaudeant & quod nã sit eorum officium.

Respondeo secundò, Diffinitores prouinciales, sunt Iudices causarum Prouinciæ. Vocales pro tempore, & Patres Syndicatores Prouincialium. Electores disquisitorum in capitulo prouinciali, Legislatores statutorum prouincialium, Electores Guardianorum, & aliorum officialium Prouinciæ, Prædicatorum, & Lectorum Institutores & Assessores, ac Collegæ Prouincialium in omnibus causis ad prouinciam, capitulum, congregationem, & particulares fratres spectantibus, sine quorum consilio, & assensu nihil in his moliri Prouinciales possunt. Quatuor tantum eligi debent, & non plures, ætatis saltem 35. & religionis 15. annorum; quiquè Prædicationis, aut lecturæ munus per 4. saltem annos laudabiliter transegerint: Vel triennio Magistri Nouitiorum, aut Secretarij Prouinciæ, aut Guardiani laudabiliter extiterint. In sequenti triennio confirmari non possunt; preeminentiam, post officium non habent, nullamquè in Prouincia superintendentiam. Vltra numerum latiorum, vel strictiorum prouinciarũ non debent augeri: ita determinant præsentia statuta sparsim, præcipuè *c.* 8. *tit. De Diffinitoribus prouincialibus Salmant. c.* 8. *Vallisolet.* 1593. *Neapolitana c.* 32. *Rom.* 1587, *&* 1571. *Aquilana* 1559. *Rom.* 1639. Bulla Clem. VIII. *Seraphicum ordinem. an.* 1600. Greg. *XV. Militantis Ecclesiæ* 1622. Sanctissimi Vrbani VIII. item *Militantis Ecclesiæ* 1640. vbi multa pro restituendo, ac conseruando in ordine fratrum Minorum regularis disciplinæ candore.

Qui digniores Ministri, an Diffinitores generales.

Quæstio quinta. Qui sint digniores, Ministri Prouinciales, an Diffinitores generales?

Respondeo primò, in Capitulo generali, digniores sunt Diffinitores Generales; quia habent officium vniuersalius, sunt iudices super causas prouinciarum, & præcedunt Ministros prouinciales statut. præsent. *cap.* 8. *tit. de loco, & ordine sedendi in comitijs generalibus. Salmant. cap.* 8. *Vltram. cap.* 7. *Vallis* 1593. *Romana* 1639.

Respondeo secundò, Extra Capitulum generale, digniores sunt Ministri Prouinciales: quia præcedunt Diffinitores generales. *Neapol. cap.* 41. *ex quibus nostra cap.* 8. *Tit. de præcedentia. Diffinitores, & Patre ordinis quicumquè,*

cumque, in omnibus Prouincijs præcedant omnes , præter Ministros, & Guardianos in proprijs loco, & prouincia. & Rom. ann. 1639. *Tit. eodem.* clarius pro Vltramontana familia. *Post prædictos sequentur , qui Ministri prouinciales fuerunt in suis prouincijs. Deinde, qui Diffinitores generales extiterunt.* Attamen in hac familia habemus statutum contrarium, factum in *Romano generali capitulo* 1587. *Diffinitores generales , & Patres ordinis , quicumque in suis prouincijs semper habeant eadem priuilegia , quæ habent ij, qui officio Ministeriatus functi sunt , quos etiam semper præcedant.* statutum tamen Romanum, loquitur solùm de priuilegijs, non de præcedentia.

Respondeo tertiò , Absolutè loquendo digniores sunt Ministri prouinciales Diffinitoribus generalibus; quia sunt Superiores ordinarij, quasi Episcopalem authoritatem habentes , Prælati , & Diffinitorum Superiores. isti autem habent merum officium sine prælatione , & iurisdictione. Et de ipsis non fit mentio , nec in regula , nec in regulæ expositionibus , in corpore iuris insertis , imò nec in bulla vnionis Leonis X. Quod mirum est , adnotatum fuisse in istis generalibus statutis, *cap. 8. Tit. de Diffinitoribus in Capitulo generali eligendis , Ad satisfaciendum bullę vnionis, in qua de Diffinitoribus eligendis fit expressa mentio* ; Cum tamen nulla de diffinitoribus mentio fiat , sicuti fit de Ministris prouincialibus. vnde istud est officium de iure humano, diuino, & naturali, sicuti in simili discurritur de Episcopis; alias enim Religio gubernari non posset. Diffinitores autem sunt merè de iure statutario.

Prouinciales digniores sunt Diffinitoribus generalibus.

Quæstio sexta, An non celebrata Congregatione generali intermedia ob aliquam causam, Diffinitores generales in præterito Capitulo generali electi, durent per sexennium, vel ad nouam electionem.

Diffinitores generales quãtum durant.

Respondeo affirmatiuè. Ita statutum. *Si aliquo impedimento ipsa Congregatio celebrari non poterit , ipsi diffinitores tamdiu erunt, quod alij fuerint electi.* Prima ratio est, quia electio non potest fieri nisi de officio vacante. *Mandagot. tract. de elect. par. 2. cap. 59.* initio non vacat , autem nisi à capitulo ad capitulum , vel ad congregationem. Secunda ratio, quia tales eligi non possunt , nisi per vota suæ familiæ, quæ solum in Congregatione generali reperiuntur : & cum non sit æquum religionem diffinitoribus destitui, quippe qui reperiri debent ad syndicandum Generales, & decidendas causas, & instituendos disquisitores , non debent vacare, nisi in generali Capitulo.

Electio non fit, nisi de officio vacante.

Hinc factum est, vt Diffinitores generales Vltramontani, Hispani, Galli, Belgæ cum Commissario Curiæ, electi in generali Capitulo Toletano 1633. non vacarint nisi in generali subsequente Romano Capitulo , eoquod Congregatio generalis Vltramontana celebrata non fuerit.

Quæstio septima, An possit celebrari Capitulum, vel Congregatio sine Diffinitoribus?

Respondeo affirmatiuè , quando congruè vocati, vel noluerint , vel non potuerint adesse: sic passim. *Interesse debent, nisi legitimo impedimẽto, diffinitorij iudicio probando , excusentur.* De Patribus ordinis *cap. 8. Tit. de Congregatione generali,* & infra Tit. *De ijs, qui ad Congregationes prouinciales vocandi sunt. Diffinitores tam perpetui quam temporales semper vocandi sunt , nisi longè nimis extra prouinciam existant, & conuenire debent, nisi legitimo impedimento detineantur, ex Neapolit. cap. 32. & Vallisolet. 1593. sed Clarius in Romanis nuperrimis* anno

Diffinitores substituendi deficiẽtibus.

1639. supra citatis *Moriente aliquo Diffinitore, vel absente, ita ut infra tres dies eius præsentia haberi non possit, subrogetur alter pater dignior illius Prouinciæ aliter electio sit nulla.* Itaq; hinc imposterum sine diffinitoribus electiones celebrari non possunt, substitutis, nimirum alijs, in locum decedentium, vel absentium.

Sed à quo subrogandi sunt?

Respondeo à Prouinciali Diffinitorio, cui non est voluntarium, sed necessarium, tam quoad personam, quàm quoad subrogationem, sic statutum fuit in Capitulo generali *Parisiensi an.* 1579. *in fine illius tabulę, Renouatur statutum Metense, de Diffinitore subrogando, vbi vnus diffinitor obierit.*

Quid si nolente Prouinciali subrogare, ille Pater dignior ex se ad Congregationem accederet?

Officij possessioné ex se quando quis capere non potest.

Respondeo, esset puniendus vt Apostata, quia sine licentia ad locum non concessum accessit: nec posset ab alijs Diffinitoribus admitti, sub pœna vsurpatæ iurisdictionis, nam statutum non declarat ipso facto subrogatum, sed subrogandum præcipit, ibi. *Subrogetur*, & inobedientiæ pœnam apponit, nimirum nullitatem electionis. Et est communis doctrina apud *Conar. Var. resolut. tom* 2. *lib.* 3. *cap.* 16. *num.* 6. neminem posse capere possessionem beneficij siuè legati propria authoritate; & licet, vbi est verus titulus, contendat dici non posse intrusum, attamen affirmat cum multis authoribus, & iuribus esse violentum possessorem. Quinimò affirmo Congregationem celebratam cum intrusione, & violentia tali, esse nullam, quia celebrata à non habente possessionem, & exercitium iurisdictionis. faciunt leges, *si quis in tantum. & Vltimę. C. Vnde vi. cap. eum qui. de Prębendis in* 6. *& c. auaritię, de elect. in* 6.

An Diffinitor possit interesse Diffinitorio per Procuratorem?

Diffinitor suffragari non potest per procuratorem.

Respondeo negatiuè. Tum ob superius dicta, vbi de suffragando per Procuratorem; tum quia in Diffinitoribus deligitur sufficientia personæ, quæ delegari non potest. Vide quæ refert *Tambur. tom.* 1. *disp.* 8. *q.* 3. *num.* 11. de Procuratore instituendo ad professionem fidei emittendam, vbi multos pro vtraquè sententia citat, Sed quidquid sit de probabilitate opinionis, certum est in Diffinitorio generali admitti non posse, nec debere procuratorem alterius, quia iam nominatim determinatę sunt personæ quæ interesse debent, nimirùm Generalis, Vicarius, Commissarius, Diffinitores, &c. Et cautum est, non esse curandum de eo, qui deesset, & soli Generali conceditur, dum iustè impeditus esset, posse destinare alium, qui suo nomine præsideret: & in postremo generali Capitulo Rom. tit. de Diffinitoribus generalibus statuitur, *Quando in vtraque familia contingit vt Diffinitores generales absint, vel quolibet euentu deficiant, statuitur, vt eorum loco alij subrogentur, iuxta statutum nouissimum Toletanum.* Quod est tale, *Subrogetur alius ex eadem natione in ipsius locum, ex ijs, qui fuerunt, vel Procuratores, vel Commissarij Curię Romanę, vel Diffinitores generales; si verò nullus talis fuerit, substituatur Minister, Vicarius, seu Commissarius Prouincialis, ex qua erat Diffinitor defunctus vel absens,*

Quomodo autem conijcenda sit absentia trium dierum?

Trium dierum absentia, vt mensuranda.

Respondeo, potest dupliciter contingere, vel quia propè Capitulum est, paucis milliaribus, tamen vocatus legitimè, post tres dies non comparuit. Vel quia distat à Capitulo itinere trium dierum, vel per tres dietas, quarum quælibet viginti milliaria, vel septem leucas continet, iuxta *Glos. in cap. nonnulli. Ver.*

vltra

vltra dietas. de rescriptis. & alios allegatos à *Berbosa allegat. 28. num. 65. de off. & pot. Episcopi.* Et in his duabus considerationibus censeo, posse subrogari Diffinitorem. Primò quidem modo post legitimam citationem. Secundo autem sine illa, quia non tenetur prouincia absentem nimis conuocare. Quod limito nisi reperiatur in prouincia, & tunc vocari debet à prælato, & expectari non solùm tres dies, sed quot erunt necessarij ad itinerandum, nisi esset in dolosa mora, quia iuxta regulam in sexto, *Mora sua cuilibet est nociua.* Si autem reperiatur extra prouinciam in tanta distantia, non adest obligatio, statut. generale Cap. Romani ann. *1625.* pro Hispanis. *Ad electiones non vocetur Diffinitor extra nationem existens: si verò intra nationem extra prouinciam tamen fuerit, dummodo non plus, quàm per duas aut per tres dietas distare dignoscatur, vocandus erit, alioquin actiones nullæ sint.* Licet adsit congruentia, & æquitas, illum vocandi, & expectandi, maximè si absens reperiatur ob religionis vtilitatem, vtpotè ad prædicationem, Commissionem, &c. Non enim videtur rationi consonum, vt quis detrimentum referat de obedientia, & religionis obsequio.

Dieta, quot milliaria cōtineat.

Mora sua, nocet.

Quæstio Octaua, An ex vna natione, cognatione, prouincia, ciuitate, possint eligi plures Diffinitores?

Diffinitores ex vna natione an eligi possint.

Respondeo, Diffinitores generales non possunt eligi nisi ex nationibus nominatis idest ex Vltramontanis prouincijs vnus, ex Regnis Neapolitano, & Siculo duo, ex reliquis Italiæ tres; quorum tamen sex, duo ex reformatis esse debent, secundum bullam Sanctissimi Vrbani Octaui, *Iniuncti nobis,* datam 12. Maij ann. *1639.* in qua ordinat, *Quorum tamen, quatuor ex familia, & duo ex reformatione esse debent.* Ex Gallia duo, ex Belgis vnus, ex Superiori Alemania vnus, ex Hispania reliqui duo. Iiquè omnes, si in prouincia ex qua vnus eligitur, alius in viuis non reperiatur, hoc tamen, libertati, & meritis patrum relinquitur; itaut sit directio, non præceptio. Quare si duos ex eadem natione eligerentur, electio valida esset, & sic in praxi deductum in nuperrimo Romano Capitulo, in quo Minister terræ laboris, & Minister principatus, ambo reformati, quiquè omnes Neapoli Conuentus habent, Diffinitores generales electi fuere. Et si hoc concessum est alijs nationibus, *Romanæ tamen Prouinciæ præcipuam rationem semper rationabilibus de causis habendam.* statuta Vallisol. *ann.* 1593. & Tole. 1583. & præsentia disponunt, nec nouum, quia totius religionis, & Capitulorum, ac hospitum pondus quotidianum, nec ordinarium, Rom. prouincia portat. hęc autem præcipua ratio in eo consistit, vt in quolibet ferè generali capitulo institutus fuerit aliquis ex Romana prouincia, vel Diffinitor generalis, vel officialis curiæ. nam post hoc statutum ab *an.* 1573. in generali capitulo Romano electus fuit Diffinitor *P. Hieronymus ab Ispello* Romanæ prouincię Custos. In sequenti generali Congregatione Neapolitana *an.* 1590. idem Pater fuit electus Guardianus Hierusalem, & Commissarius terræ sanctæ. in generali cap. Rom. 1600. fuit electus Diffinitor generalis *P. Franciscus de Palumbaria* Romanæ prouinciæ minister. in sequenti Cong. gen. Romana 1603. idem P. institutus Com. Cur. in Cap. generali Tolet. 1606. fuit electus Diffinitor *P. Saluator de Roma* Custos. In sequenti generali Capitulo Romano 1612. idem pater fuit destinatus Commissarius Curiæ. In sequenti generali Congregatione Romana fuit institutus Guardianus terræ sanctæ, & Commissarius, *pater Basilius à Caprariola.* In generali Capitulo sequenti Salman. 1618. fuit institutus procura-

Romana Prouincia priuilegiata.

tor Generalis Reformatorum *pater Angelus à Carpineto* Romanæ prouinciæ Custos.in generali Romano Capitulo 1625. fuit electus Diffinitor *pater Calixtus ab Antredoco* Romanę prouinciæ minister.in sequenti Romana Congregatione generali fuit electus Commissarius Curiæ *pater Vicentius Romanus* Romanæ prouinciæ pater; ac insuper Diffinitor generalis *pater Angelus à Carpineto* Romanæ prouinciæ minister: itaut Romanam prouinciam,duobus patribus in Diffinitorio decorarint in generali Toletano Capitulo ann. 1633. instituerunt me, qui aderam Romanę prouinciæ Custos, Reformatorum procuratorem Generalem,quod tamen officium Eminentissimus Dominus protector sibi adsciuit ex citata constitutione Vrbana,& perpetuò muneri protectionis adnexit. in vltimo Generali Capitulo Romano ann.1639. electus est Diffinitor Generalis *pater Pacificus à Roma* eiusdem prouincię minister,nunc autem ad Calliensem Ecclesiam assumptus tandè in nuperrima Congreg. general. Romana ann. præsentis 1642. quo hæc corrigo, electus est Diffinitor Generalis *pater Ioannes à Roma*, qui ex gratia subrogatus fuit in locum Illustrissimi Domini Episcopi Calliensis. Ecce igitur quomodo de tota Religione benemeritam Romanam prouinciam generalia comitia officiosa recognitione semper prosequuta sunt. Cæterum hac excepta, perpetuò seruatam est,vt nunquam ex vna prouincia duo eligerentur Diffinitores generales actuales, quia hoc est vetitum in citato generali statuto, quod tantum, vt viuente vno, iam emerito, alter eligi possit, poscentibus meritis,&c.dispensat.

Respondeo secundò, Diffinitores prouinciales ex eadem cognatione, duo esse non possunt, nisi ob excellentiam probitatis,& doctrinæ, Generalis dispenset,vt statutum fuit in *Vallisol.* 1593. & hic refertur. Et eò minus poterit ex eadē cognatione eligi prouincialis,& Diffinitor, vel Custos,& Diffinitor quia eadem ratio, imò maior in istis militat: nimirùm ne electionibus vim inferant, & ad vitandam successionem;vnde de quodam priuinciali,qui suum Fratrem germanum sibi successorem delegerat dubitatum fuit, an esset deponendus,quia iura in officijs Ecclesiasticis successionem oderunt *cap. Moyses. 8.q.* 1. hic enim principatum non filijs, sed Iosuè reliquit, vt sciremus *principatum, non sanguini referendum esse, sed vitæ.* vnde *Innocent.* 2.*cap.apostolica ibid.*prohibuit sub nullitate obtenti muneris, Ecclesiastica officia hæreditario iure vendicare, aut expostulare.Facit ratio *cap.dilectissimi.7.quæst.*1.in quo S.Gregor.scribit ad Clericos Mediolanenses,ne *Neglecta vtilitate communi,aliquis suo lucro prospiciat; ne si quisquam propria commoda appetit,friuola existimatione fallatur.*

Successio in officijs abominabilis.

Ad quem autem gradum ista cognatio de iure protendatur,dubium est. Saltem post quartum gradum prohibitio durare non debet, quia nec durat in matrimonijs, eòquod censetur consanguinitatem friguisse. Posset arctius limitari, iuxta *Glos.in dict.cap. Apostolica.* dicentem prohibitionem factam, ne in paternis Ecclesijs filij succedant, non extendi ad nepotes; & iure,quia nomine filiorum,nepotes non veniunt; at nomine cognationis si strictè sumatur veniunt tantum illi, qui per fœminas coniunguntur,quia qui per patrem veniunt, Agnati vocantur. *l.* 10. §.1.*ff.de grad. & affin.Paulus lib. 4.senten.c.* 8. communi tamen appellatione cognatorum veniunt, qui iure sanguinis coniunctionem habent. *l. penultima ff. vnde legit.* vt excludam cognationem ciuilem per adoptionem. *l.*4.§.1.*ff. de gradibus.* Hæc enim iuris fictione cognatio appellatur.

Cognatio quousq; ab officijs excludat.

Quid cognationis nomine veniat.

Vt

Vt taceam etiam cognationem spiritualem 30. *q.3.per totum*, quia hæc ad rem præsentem impertinens est. igitur pro iure statuti, attendendi sunt descendentes, & ascendentes in recta, & transuersali linea, vt pater filius, nepos, &c. Frater, auunculus, consobrinus. Hi omnes cognationis nomine veniunt, à communi stipite per lineam sanguinis descendentes, patris, matris, sororis, &c. in quo affines non includo, vt sororis, neptis maritum; vnde Tullius, *pro reditu Pompilij nulli cognati, & affines deprecati sunt. Et 4. in Verrem. Vt quisquè te maximè cognatione, affinitate, necessitudine aliqua attingebat.* Nam affinis dicitur, dum duæ cognationes, inter se diuersæ, per nuptias copulantur. Vt ait *Modestinus in l.3. de grad.* vide notas posteriores *Cuiacij, & institu. tit. de nup. num.17 & Vlterium commenta. eodem num.50. princip. qui cum Dino* dicunt. *Affinitas est necessitudo ex nuptijs contracta. Hæc inter maritum dumtaxat est, & cognatos vxoris, & inter vxorem, & cognatos mariti; non etiam inter cognatos mariti, & vxoris. Et Silu. V. cognatio*, ait. *cognatio idem est ac consanguinitas*. Quare cum euidenter pateat, affines non esse cognatos, non compræhenduntur in dispositione statuti, quod facilius dispensari poterit, vbi ad longiores gradus extenditur.

Quæstio nona. Si Diffinitores eligi possunt absentes, & non de corpore Capituli?

Respondeo, in hac familia eligi possunt præsentes, etiamsi non fuerint de corpore Capituli. *ita Salmanticen. cap.8. Vallisoletan. ann.1593. & præsentia. Quamuis de corpore Capituli non sit, in eo tamen dum præsens existat, ad dignitatem eiusmodi promoueri possit.* In alia autem familia non possunt eligi, tam prouinciales, quam Generales nisi, & præsentes sint, & de corpore capituli existant, ita statuta Segouiensia *tit. de elect.5. de diffinit. prouinc. numer. 5. & §. de Diffinitor. capituli generalis. n.10. Et Barcinonensia cap.8. Toletan. an.1583. Roman. an.1600.* at in his vltimis de hoc statuto mentio non fit. Nostrum rationi, & libertati electionis conformius est; quia si Generales, & Prouinciales etiam absentes, & extra Capitulum eligere possumus, multò magis Diffinitores. Laudo præsentiam, quia Diffinitores eliguntur, vt actu sua obeant munia, qui si non adsint, inutiliter eliguntur, & potius personæ, quàm Religionis commodo prospicitur. *Absentes eligi non possunt.*

Sed quæ hæc præsentia? primò, si sit in conuentu. Secundò, si in eadem ciuitate, in suburbio, in Vrbis continentia. *l. absentem. 199. ff. de verb. significat. & l.5. 6.7. de procurat. cum Vlpiano.* Tertiò, si in alio conuentu, & oppido, ita tamen, vt per nuncium vocatus vno die conuenire possit; quia tantum sufficit ad mentem statut. *l. vltima. ff. de præsent. long tempor.* vbi aliquantò laxior est præsentiæ significatio, ad rem præsentem non ita accommodata. *Præsentia quomodo cō iscienda.*

An possit super hoc statuto dispensari?

Respondeo affirmatiuè, cum causa vrgente; & factum vidi in cap. general. Roman. ann. *1639.* cum patre Ignatio Legault, Vicario generali Galliarum: Generalis tamen intercedente authoritate, quia capitulum prouinciale non potest dispensare in statutis generalibus.

Quæstio decima, Quæ huius officij duratio?

Respondeo, Diffinitores generales, qui ex Generalis familia eliguntur, sexennium durant. Alij cum Prouincialibus omninò triennales sunt. Nec continuari, aut reeligi possunt, nisi vrgens causa differēdi Capituli, vel Cōgregationis inci-

derit, quia tunc durant vsque ad sequens Capitulum. Ita *præsentia, & Vallisoletan.* 1593. *Toletan.* 1583. *Segouiensia. de elect. Tit. de Diffinit. generalibus n.* 9. Et nisi *Sexenio transacto.* Cum decreto irritante per bullam Gregor. XV, *Militantis Ecclesiæ*. In qua bullæ adimpletionem, sub priuatione, & excommunicationem ipso facto, Generalibus & Patribus imponit, post aliam Clementis Octaui, *Seraphicum Ordinem*.

Diffinitorū vacatio, & reelectio.

Super quo dubitatum est primò, An dicente Gregorio Decimo quinto, *Insuper, quod Fratres prædicti, qui officio Ministri prouincialis, Custodis, & Diffinitoris functi fuut, nullo modo possint reeligi, nisi sexennio transacto*, Intelligi debeat reduplicatiuè, idest Diffinitor ad diffinitoratum, Custos ad custodiatum, &c. An verò possit Minister esse Custos, & Custos diffinitor, &c. Dubium proposuit Reuerendiss. P. Antonius à Galbiato tunc Commissarius generalis, & qui in Ripana Ecclesia, cum maximò Christianæ pietatis augumento diem supræmum obijt. Et S. Cong. Conc. *die* 15. *Nou.* 1633. reduplicatiuè intelligendum esse respondit, & vbique obseruari mandauit.

Reuerendiss. P. Antonius à Galbiato laudatus.

Secundò, An sexennium intelligi debeat à die primæ electionis, an post exactum triēnij officium, Respondeo in primò sensu, quia dispositio Apostolica dicit, *Non possint reeligi nisi sexennio transacto.* Ergo numerari debent ab electione ad electionem, id est, quod duo Capitula prouincialia intercedant; Nam verbum, *reeligi*, ad priorem electionem refertur, non ad finem triēnij. Et sic in facti contingentia determinatum fuit in Congregatione Eminentiss. & Reuerendiss. D. Card. Barberini, nostri vigilantiss. Protectoris, cuius caput erat Illustriss. D. Paulucius S. Congregationis Concilij Secretarius, *an.* 1637. dum ageretur de reeligendo in Custodem Prouinciæ Romanæ eum, qui ante sexennium fuerat Custos ejusdem Prouinciæ pro generali Capitulo Toletano. Et ita in vim constitutionis Apostolicę resolutum fuit. Et alibi postea executioni mandatum.

Tertiò, An sexennium debeat esse naturale, an capitulare. Respondeo secundo modo, quia ita praxi mandatum est. Et declarauit Greg. 13. ad bullam Pij V. *Pastoralis. Vbi dicebatur. Ad idem eligi non possint, nisi per sexdecim annos addidit. Nos ad statutorum generalium, & dicti Ordinis seriem, ac formam reducimus, quibus dicitur expræssè, quod officia semel exercentes, ab eis, quę gesserunt per duplum temporis vacare debeant; itaut duæ electiones celebrentur, antequam ad eadem officia iterum eligantur.* Et in statutis *Toletan. seu Barcinonensibus. cap.* 7. *de elect.* dicitur. *Quò circa declaratur, quod triennale Guardianorum tempus, à Capitulo in capitulum, & Congregatione in congregationem numeretur, etiamsi Capitula, & Congregationes ob aliquam causam vltra tres annos protrahantur.* Et quia, quod consuetudine receptum est, de iure communi approbatum reputatur; *Bartol. in l. si pignor.* §. *vltimo. ff. de pignor. Act. Iason. in l. certi iuris. Valasc. tom.* 1. *consult.* 8. *numer.* 8. Sequitur, hanc regulam esse huius constitutionis interpratatiuam. Vbi enim eadem ratio, idem ius, *l. illud. in princ. ff. ad l. aquiliam. cap. translatum. de constitut. Suarez de legibus lib.* 6. *cap* 3. *num.* 16. *Farinac. fragment. Crimin. par.* 1. *de extens. à num.* 50. *Marches. part.* 3. §. 1. *numer.* 2. *Sanchez lib.* 8. *de Matrim. disp.* 1. *numer.* 43. Et habet locum non solùm in fauorabilibus, sed etiam in pœnalibus, vt dictum est supra ex multorum opinione.

Annus naturalis, & capitularis.

Consuetudine receptū de iure communi reputatur.

Vbi eadem ratio, idem ius.

* Videatur Bulla Pij 5. in statu. Gen. 1663. p. 304. vbi Pontifex loquitur de Gener-

ner. Ministro, qui per annos 8. De Commissarijs, & Procuratoribus Gener. & de Prouincialibus Ministris, qui *per 4. annos* (ante Leonis X. Const.) officio fungebantur. Videatur Greg. 13. in ijsdem statutis, Vbi Bullam Pij 5. moderatur limitando tempus 16. *an.* ad solos Gener. Minist. ad alios Superiores per temporis duplum, quod est modò 6. *an.* vacantia. Videatur etiam idem Greg. in alia sua sequenti Bulla, pag. 346. vbi corrigendo priorem, pro omni ambitione eliminãda, confirmat dispositionem Pij 5. quò ad illam partem, quam correxerat, de Vacantia Ministror. Gener per 16. an. excipiendo Prouinciales Minist. qui post duplum officij tempus ad idem munus reassumi poterunt. In citatis autem locis, & in periodo, qui adducitur à Comment. nulla mentio fit pro huiusmodi interuallo de Custodibus, & Diffinitoribus. Horum tamen, aliorumq; series Superiorum, ordinatè disponitur in 8. *c.* eorundem stat. Gener. §. 4. pag. 213. Decreta verò vltimò emanata, quæ præfatas concernunt, & consimiles difficultates, leguntur in tabula Gener. statutor. 1646. * *Superiorum ab officio vacantia.*

Quartò, An expectari debeat lapsus huius temporis, etiam in subrogatione Diffinitorum per mortem priuationem, &c. *Quid in subrogatione.*

Respondeo negatiuè; Dicit enim statutum nostrum *cap. 8. ex Vallisoletan. 1593. & alijs. Si aliquis eorum ex hac vita decesserit, aut extra ordinem promotus fuerit, ad prædicta munera obeunda, antiquior pater ordinis ex eadem familia subrogetur.* In quo obiter notandum est, nomine antiquioris Patris ordinis, non debere intelligi, eum qui fuerit Minister, aut Vicarius, aut Commissarius generalis, quia isti habent votum sine tali subrogatione; Ergò ne subrogatio inutilis sit, debet intelligi de antiquiore Diffinitore Generali iam emerito. Et idem determinatur infra, de Diffinitoribus Prouinciæ, vt nimirùm *in eius locum subrogetur, qui ex patribus in prouincia antiquior fuerit.* Cum ergo subrogatio non sit electio, & in constitutionibus prohibeatur sola electio, sequitur, non debere extendi ad subrogationem ex notis principijs, *Odia restringi, &c. In odiosis facienda est, &c.* Nec obest, quod accidat eundem semper esse Diffinitorem, quia non debemus vitare absurdum, quod lex sciens, & potens cauere, non prohibuit, & non est contra ius commune. Præterquamquod accidentia non sunt materia legis, sed illa, quæ semper, vel vt plurimum accidunt, quod non est in casu posito. Cui malo tandem in postremis statutis prouisum est, quod scilicet, *Vacet subrogatus, sicuti electus.* *Antiquior Pater, qui.*

Sed quod attinet ad Diffinitores prouinciales sub appellatione patrum prouinciæ venire etiam eos, qui fuere Custodes, & Diffinitores, respectiuè, si nulli sint digniores Patres. Iuxta decretum vltimi Romani Capituli de Patribus perpetuis, pro Vltramontana familia.

Dices, cum ex eisdem statutis necessariò debeat subrogari alter in locum decedentis in electionibus, si nullus sit pater in Prouincia, qui subrogari debet?

Respondeo nullus, quia statutum ait, *Subrogetur alter pater dignior illius prouinciæ.* Ergo non disponit de alio, qui pater non sit. Verum enim vero, post compositionem horum commentariorum, in noua compilatione statutorum, additum est ex gen. cap. Rom. 1600. hoc. *Et si nullus fuerit pater, subrogetur Guardianus principalioris Conuentus.* Cui statuto standum est.

Quæstio vndecima, Diffinitoribus quo ordine, & qua lege suffragandum, & quorum voto, sententiæ concludendæ? *Suffragia quo ordine ferenda.*

Respondeo, suffragaturi sedent secundum antiquitatem habitus, non electionis, vel votorum frequentia. *Statuta Vallisoletan. an.* 1593. *& hac c.*8. *titulo Quot numero eligendi sunt.* §. *inter Diffinitores autem. Et titulo de Diffinitoribus Prouinciæ.* §. *penultimo, ex Romanis ann.* 1571. Sententias proferre maiores primum, non tamen Generalem, aut Prouincialem, statuerunt pro Vltramontana familia. *Toletana ann.* 1583. *quæ in Segouensibus referuntur. de elect.* §. *de Diffinitoribus Prouinciæ num.*9. *& refert Miranda tom.*2. *quæst.* 17. *art.*3. Pro Cismontana familia non adest statutum expræssum, sed prouinciarum consuetudini statur. A Minoribus incipere, fauet libertati dicendi suam sententiam in Minoribus, qui non audent maioribus, vt plurimum refragari. Et ratio Vltramontanæ familiæ, quòd Prælati non præoccupent, concludit etiam, ne hoc maiores faciant, qui licet Superiores officio non sint; sunt tamen reuerentia, &c. Vt cōcludit *Rod. tom.* 2. *qu.*. 45. *ar.*3. adducens statutum pro receptione Nouitiorū ad professionem. In quo prohibetur Guardianis, & Magistris ne primi suffragentur. Plurium sentētijs stari, & quæ plures determinarint, valere, & teneri debere in omnibus Diffinitoribus. *Vallisoletana ann.* 1593. *& nostra, Titulo de ijs, quæ agenda in diffinitorio sunt.* §. *vltimo, & in Titulo eodem de diffinitorijs generalibus* §. *in omnibus autem. Ex Vltramontanis c.*7. *& Salmantinis c.*8. sanxerunt. Et tandem, quod in sua quisquè proferenda sententia, debeat modestè & religiosè loqui, ac vanas, & obstinatas disceptationes relinquere, Supradicta omnia statuta præceperunt. *Titulo de ijs, quæ post electiones peragenda sunt.* §. *penultimo.*

Diffinitores, quid determinare possint, ad ordinē spectans. Quæstio duodecima, Quid determinare possunt Diffinitores, ad Ordinem, vel Prouinciam spectans?

Respondeo ex se, sine generali, vel prouinciali Capitulo, nihil, vt dictum est supra quæst.4. *Ita in Vallisoletan. ann.* 1593. *& præsentia cap.*8. *titulo de ijs, quæ post electionem.* §. *vltimo. Quæ verò communi consilio, et consensu pro bono religionis necessaria visa fuerint, ad diffinitorium Præses referat, cuius authoritate approbanda, vel improbanda erunt. Et Segouensia capit.*8. *num.*44. *Ex Toletanis ann.* 1583. *Diffinitorium sine consensu maioris partis Capituli: sicuti nec Capitulum sine approbatione maioris partis Diffinitorij, statutum aliquod facere non possit.* Et in Capitulo generali *Assisij ann.* 1547. *Hi autem Diffinitores nihil possint diffinire tangens vniuersitatem ordinis; & si fuerit attentatum, id nullus sit roboris, vel momenti. Huiusmodi autem Diffinitores non sunt simpliciter diffinitores Capituli generalis, cum omnes vocales sint diffinitores.* Probant *Rodrig. tom.*1. *quæst.*10. *art.*1. *& Miranda tom.*2. *quæst.*39. *art.*1. Quia Capitulo, vel Synodo, vel Concilio

Concilium, & capitulū generale, vel prouinciale potest leges ferre. generali, vel prouinciali, vel diœcesano fas est, leges respectiuè condere, vt de Papa, absoluto Domino, & Legislatore, taceam. *cap. fin. de constit. cap. regula. d.*3. *cap. quod dicitur. d.* 16. *capit. multis. d.* 17. *cap. si quis. de maiorit. & obed. cap. cum accessissent. de constit. Siluest. V. lex. quæst.*4. *Innocen. in dict. cap. cum accessissent. Et in cap.*2. *de noni operis nunc. Bartol. in l. omnes populi. ff. de iust. & iure.* Non est autem legitimum Capitulum, vel Concilium, sine capite. *cap. Nouit. de his, quæ fiunt à Prælatis.* faciunt tituli *de his, quæ fiunt à maiori parte Capituli. Et de his quæ fiunt à Prælato sine consensu Capituli.* Et ratio est, quia Capitulum generale, & prouinciale repræsentat totam Religionem, & totam Prouinciam, ergo ipsis reseruata est iurisdictio, leges respectiuè condendi: quia leges, & statuta bonū totius Reipublicæ respiciunt, secundum communē omnium sententiā.

Et sic in bulla Leon. X. *Ite & vos.§.Demum dicitur, vt secundum exigentiam locorum, personarum, & morum, cuncta quæ conducere videbuntur, pro manutenētia reformationis per totam Christianitatem in dicto ordine, iam introductæ, iustè, prouidè, & discretè valeant statui, & ordinari volumus. Capitulum generalissimum proximè celebrandum teneri deputare, ex probatioribus, doctioribus, & magis expertis Fratribus, nonnullos ex diuersis nationibus assumptos, qui omnia, quæ accommodata iudicauerint in vnum colligant, approbanda per totum Capitulum, vel maiorem eiusdem partem, &c.*

Sed cum tabula Capituli cum statutis confici debeat à diffinitorio, vt dicitur in omnibus statutis *Salmanticensibus cap.8. Vallisoletan. ann.1593. Vltramontan. cap.7. Toletan. ann.1583. Segouiens. cit. n.47. & his, c.8. tit. de Iis, quæ in diffinitorijs, &c. §. Tandem.* Si poneretur aliquod statutum, quod in discretorio conclusum non esset, idque sciret Præses discretorij, vel aliqui Prouinciales, qui aderant; an tenerentur isti seruare illud statutum?

Respondeo, si probari posset, per congruos testes, pœna falsi puniendum esset diffinitorium, si de eius consensu additum fuisset tale statutum. Et in conscientia non esset obseruandum: Esset enim maxima fraus, & vsurpatæ iurisdictionis crimen. Attamen, nisi probetur, obseruandum est; quia præsumptio est pro diffinitorio, de quo (tanquam de grauissimo tribunali) tale scelus non est præsumendum. Et sic aliter dicentes, & tanquam transgressores, & tanquam calumniatores puniendi essent.

STATVTVM XXXVIII.

Procurator Ordinis, ex familia Generalis; Commissarius Curiæ ex altera, de Consilio, & assensu Patrum eligantur, & instituantur.

Primus Procurator Generalis Ordinis post diuisionem, fuit Pater Fr. Franciscus de Potentia Prouinciæ Basilicatæ, primo anno Reuerendissimi Francisci Licheti Generalis Ministri. Et sexto Pontific. Leon. X. an. 1518. cum ipse fecerit bullam diuisionis, seu vnionis *ann. 1517. 4. Kal. Iun. Pontific. 5.* iste Procurator fuit electus in Capitulo generali Lugdunensi, eo anno celebrato; quia licet in centesimo tertio Capitulo generalissimo Romæ celebrato *an.* 1517. fuerit electus Minister Generalis primus post talem bullam Reuerendissimus Pater Christopharus de Forolinij, cum ipse fuerit statim ad Cardinalatum assumptus, anno sequenti fuit electus supradictus Pater Lichetus in generali Capitulo Lugdunensi. Et ab hoc incipit registrum Ordinis in Cismontana familia, dispositum per præfatum de Potentia, primum generalem Procuratorem obseruantiæ. Et possunt legi *Marianus, & Memoriale Ordinis in par. 3. Chronicorum lib. 8. c. 42. & idem Registrum.* *Procuratorum ordinis series.*

Attamen ante hoc tempus, ab Eugenio Quarto, dehiscentibus animis, ob obseruantiæ regularis diuersitatem, cœperunt iuxta Fratrum instantiam, institui à Generalibus duo Procuratores, pro Vltramontanis, & Cismontanis, seu pro Cōuentua-

uentualibus,& obſeruantibus.Hinc ſub Alexandro Sexto *c.8.tit.de Procuratore Ordinis*, & Iulio Secundo *an.*1508.*in ſuis ſtatutis cap.* 8. *part.*25. decretum fuit. *Poſſit generalis Miniſter ſicuti ordinatum fuit in Capitulo Bononienſi, multis ſuperuenientibus cauſis, & negotijs, & pro diſſenſionibus in ordine ſuſcitatis, duos Procuratores eligere, Ciſmontanum videliect, & Vltramontanum, vel etiam eiuſdem nationis, ſi aliter ſubueniri non poſſit, dummodo non ſit Miniſter, vel in alio officio ſolemni.*

Et ſic progreſſum fuit vſque ad Leoni Decimi tempora. nam *Ann.* 1521.in generali Capitulo Carpenſi fuit electus Procurator generalis pater Frater *Hilarion Sacchettus* Florentinus, Leonis Decimi *ann.* 9. Et in Capitulo generali Burgenſi *ann.* 1523. in quo fuit electus Generalis Miniſter Reuerendiſſimus Fräciſcus Quiñones,qui fuit poſtea Cardinalis,inſtitutus fuit Commiſſarius Curiæ *Pater Andreas Alemanus* Florentinus, *anno primo Clemen. VII.*cuius *anno ſexto* in Capitulo Parmenſi *ann.* 1528. ſub Generali Paulo Parmenſi ſucceſſit *Pater Hieronymus à Burgo Nouo*, Procurator Oridinis.Cui ſucceſsit in generali Congregatione Meſſanæ *anno* 1532. ſub Reuerendiſsimo Paulo Parmenſi Generali, Pater *Honorius Chaianus* Florentinus, eiuſdem Clemen. *VII.anno nono.* Hunc ſecutus eſt *Pater Cherubinus de Leuanto* Commiſſarius Curiæ *anno* 1536. ſub Generalatu Reuerendiſsimi Vincentij Lunelli, & Pontificatu Pauli Tertij *anno ſecundo*,electus in Congregatione Mediolanenſi. Hic habuit ſucceſſorem *Patrem Ioannē Caluum* Prouinciæ Corſicæ in Congregatione generali Aſſiſinæ *ann.*1538. ſub eodem Generali Lunello,& Paulo Tertio *an.*4.poſtea *P.Clemens à Monelia* inſtitutus fuit procurator ordinis in comitijs Mantuanis *an.*1541.ſub Generalatu Reuerendiſſ.Ioannis Calui,& Pauli Tertij *an.*7.qui habuit collegam Commiſſarium Curiæ *P. Antonium Machicanum*, qui Procurarot etiam generalis fuerat collega ſupradicti Ioannis Calui.ann. poſtea 1544.In Cōgregatione Aſſiſij habita ſub eiſdem Caluo & Paulo Tertio eligitur *P.Euphemius Valdoctius* Prouinciæ Baſilicatę, Qui in genrali Capitulo ibidem coacto *an.*1547. creatur Comm.Curiæ.Sub Reuerendiſsimo Andrea Inſulenſi Miniſtro generali,& Paulo 3.*an.*13. habito pro Collega *P. Antonio de S.Michaele*, qui iam abſoluerat Commiſſariatum Curiæ. In quem locum intrauit *anno* 1550. in Congregatione generali Bononienſi Pater Supradictus *Clemens à Monelia*, Iulij 3.*an.*1.Quo electo in Generalem,in Salmanticenſi Capitulo generali *an.*1555. Iulij 3.*an.*3.*Pater Angelus de Auerſa* ſuſcepit Procurationem ordinis. In hoc capitulo decretum fuit compilari ſtatuta pro tota Religione, quæ iam extant ab eodem Iul. 3. confirmata, in quibus certus modus eligendi Procuratorem, & Commiſſarium Curiæ pro ambabus familijs traditur, & iam ab eo tempore executioni perpetuò demandatus eſt de quorum officio per ſequentes quæſtiones.

Prima Quæſtio. An eligi debeant per canonicam electionem?

Procurator generalis ordinis,& Cōmiſſarius Curia quomodo eligendi.

Reſpondeo, ſtatutum Salmanticenſe *cap.* 8.*Tit.de Procuratore* ait.*Procurator ordinis, & Commiſſarius Curiæ inſtituantur.* eadem forma loquendi vtuntur Segouienſia,quę de verbo ad verbum ex Salmanticēſibus eliciuerunt.*Tit.de elect.*§.*de Procuratore generali.n.*1. & citant Toletana 1583. *Noſtra*, citantia hæc, & *Valliſot.* 1593. *cap.* 8.*tit.de ijs quæ in Diffinitorijs, &c.*Sic determinant,*Deinde Procurator Ordinis, & Commiſſarius Curiæ Romanæ, Miniſter Candiæ, Guardianus Hieruſalem, & alij Guardiani, & officiales, qui ſub generalis Miniſtri, vel commiſ-*

missarij generalis Cismontani cura immediatè subiecti sunt; aut eligantur per vota secreta, aut iuxta veterem, & probatam Religionis consuetudinem, & concessiones Apostolicas instituantur. & tit. de Congregatione generali. *In Congregatione generali præter electionem generalis Ministri, Diffinitores sex ex eadem familia eligantur, & Procurator ordinis, & Commissarius Curiæ, pariter aut eligendi, aut instituendi sunt*. & tit. de ijs, qui ad diffinitoria vocandi sunt. *Procurator ordinis, & Commissarius Curiæ in comitijs generalibus electi*. & tit. de Procuratore ordinis. *Generalis Procurator, ex ea familia, ex qua generalis Minister assumptus est, de consilio, & consensu (vt supra dictum est) semper instituatur*. Hoc autem decretum fuerat supra tit. de generali Ministro, & eius officio. *Ad eundem spectat Procuratorem ordinis, & Commissarium Curiæ Romanæ in generalibus comitijs, & extra, vbi prædicta officia vacare contingat, instituere, de consilio tamen, & consensu Discretorum ordinis*.

Ex quibus statutis duo eliciuntur. Primùm, quod non est necesse tales per secreta vota eligi. Secundùm. Quod oportet, eos institui de consensu, & consilio Patrum, iuxta consuetudinem, quæ obtinuit, vt voce Generalis proponat patribus destinandos ad hæc officia, & illi voce annuant, vel renuant. Quæ electio dici potest secreta inter ipsos patres: de qua redibit sermo, quod autem requiratur consensus Patrum, diximus supra, vbi de authoritate Generalis.

Secunda questio. Quod est Procuratoris, & Commissarij officium?

Respondeo communè habent primò, vt suæ familiæ quisque negotia peragat. Secundo Apostatarum sunt ordinarij Iudices, quando ad eos diuertere contigerit. Vt *Salmat. cap. 2. Vallisolet.* 1593. *& præsentia cap. 2. Titulo de Apostatis* §. *Si vero ad Generales*. Tertio, & hospitum ad Romanam Curiam confluentium, quorum obedientiales literas recognoscere debent, negotia scire, impedire, & nisi aliud superioris obstet indultum, dimittere possunt; ijsdemque obedientiales literas indulgere, regere, punire iure ordinario. *Stat. Vallisolet.* 1593. *Salmatic. cap. 2. Rom.* 1587. *præsentia cap. 8. Titulo de Procuratore &c.* §. *Procurator, aut Commissarius*. & quod officium maximè cohonestat, appono statutum Cap. generalis Messanensis *ann.* 1524. *Decimo octauo declarauit totum Capitulum generale omnibus ferè vocibus in hoc concurrentibus, quod fratres forenses alienarum Prouinciarum venientes ad Curiam Romanam, sub quouis prætextu, aut causa, negotiorum actitandorum in Curia, aut causa deuotionis, seu visitationis Ecclesiarū, aut aliter quomodocumq; venerint, immediatè sint subditi, & subiecti Procuratori Ordinis, aut Cōmissario Curiæ Romanæ respectiuè; & nullo quouis pacto Guardianus Aracæli, aut alius cuiusuis loci Guardianus, vbi curia residebit, nec quisquis alter frater, præter P. Procuratorem ordinis, aut Commissarium Curiæ, iure possit se intromittere de ipsis forensibus in aliquo quouis modo, nec mittendo intra, vel extra vrbem, nec aliter, nisi in corrigendo ipsos si fuerint defectuosi, & scandalosi in suis rebus agendis, tam intra domum, quàm extra*. ita habetur in tabula illius capituli, *in tom.* 1. *Registri Cismontani*. Statuta verò Salmaticensiia *cap.* 8. *in fine. Titulo de Procuratore* ordinis. *Hospites quando sunt in Aracæli conuentu præsentent se Procuratori, vel Commissario respectiuè, & expositis sibi negotijs post tres dies recedant relinquentes negotia expedienda per dictæ Curiæ officiales, & Apostatas omnes ad proprias remittere prouincias*. His accessit

Quæ ipsorū munia.

Religionis negotia tractare.

Apostatas compescere.

Hospites regere.

sit vltimi Toletani Capituli declaratio. *Declaratur, quod fratres, ex vtraquè familia Romam venerint, negotiorum causa, immediatè sint subditi Prælatis Curiæ, non vero Ministro, aut Guardiano conuentus Aracœli.* Qua reuocatur Messanense statutum, de corripiendis hospitibus à Guardiano Aracœlitano. & licet variæ super hoc Eminentissimorum Dominorum Protectorũ manarint pro tempore ordinationes, inclinantes ad fauorem Superioris localis Aracœlitani, vt proximè accidit *ann. 1639.* tamen omnes reuocatæ fuerunt, & statutum vltimum in suo vigore permansit. & quidem congruenti ratione, quia si hospites, immediatè, & ratione negotiorum, & ratione personarum spectant ad Procuratores, infertur, quod etiam sub ipsorum regimine remanere debeant. Durum quidem decretum pro Conuentus gubernio, cuius Prælatus hospites alere tenetur, ab ipsis tamen in nullo recognoscatur; & reperiantur in vno Conuentu tres Superiores locales immediati, à solo Commissario Generali dependentes. Verum quia Aracœlitanus Conuentus, licet ad Romanam Prouinciam nunc spectet, antiquitùs toti Ordini erat addictus, & Generalis Ministri curæ subiectus, vt fusè Gonzaga *par. prim. de Conuentibus Generali Ministro immediatè subiectis. Titulo de Conuentu Sanctæ Mariæ de Aracœli.* Vnde ab eodem in numero Conuentuum Romanæ Prouinciæ non reponitur. & in concessione facta per Innocentium Tertium *ann.* 1251. quam ad illum annũ refert *P. Lucas VVadingus num.* 37. non fit memoria Romanæ Prouinciæ, sed Religionis in communi, vnde idem VVadingus *num.* 63. ait, antiquitus fuisse *Cameram Generalium*, nunc autem Prouinciæ Romanæ addictum esse, *Sedem Generalium Ministrorum, & Commissariorum, & hospitium ex vniuerso ordine aduentantium Patrum, &c.* non est mirùm, si circa hospites, hospitumquè Prælatos talia decreta manarint.

Aracœlitani conuẽtus onera.

Constitutiones apostolicas procurare, Quartò, Debent omnia breuia, bullas, motus proprios, decreta, &c. Ordinem concernentia procurare, & non solùm in Archiuijs condere, sed etiam ad suæ familiæ prouincias destinare. *Parisiens.* 1579. *ex quibus, & nostra c.*8. *& Segouien. cap.*7. *tit. de Procuratore generali, &c. num.*11.

Sine ipsorũ licentia alij negotiá tractare non possunt. Quintò, Sine ipsorum scientia, & permissu, alij quicumquè negotia, & causas in Curia tractare non possunt, nisi Generalis aliud ordinauerit, sub priuatione actuum legitimorum, & alijs pœnis. *Salman. cap.*8. *Toletana ann.* 1583. *Nostra, & Segouiensia locis citatis num.* 5. & rationabiliter, quia ipsi sunt Procuratores generales ordinis, & ad eos spectat omnes causas vniuersales, & particulares tractare: & sic aliter agentes, vsurpatæ iurisdictionis rei sunt, quia sibi vendicant ea, quæ ad ipsos non pertinent. *Glos. in cap. multi.* 2. *quæst.*1 *& in Clemen.* 1. *de decimis. Abb. in capit. conquæstus. de for. competenti num.* 2. *vbi, & Iacobus Anellius. l. vsurpatio. de vsucap.* Vbi vsurpatio alieni iuris furtiua appellatur. Vide citatum *Annellium in addit.* præterquamquod si cuilibet negotia tractare in Curia fas esset, magna confusio, & scandala generarentur.

Vsurpatio iuris alieni.

Sextò, Procurator generalis debet orare, & assistere in Cappella Sanctissimi D. N. Papæ, secundum antiquum Curiæ morem, in qua actione habet præcedentiam iuxta Religionis antiquitatem, & totum Franciscanum sodalitium repræsentat.

Ipsis vetita. Tertia Quæstio, Quæ sunt Procuratori, & Commissario vetita?

Respondeo primò, non possunt se immiscere de Fratribus quoad regimen

preuin-

prouinciarum. *Salman. cap. 8. Nostra ibid. & Segouiensia cap. 7. num. 7. ex Toletan. ann.* 1583. Regimen autem hoc consistit, collocare aliquem Fratrem in tali conuentu, eundi per prouinciam licentias indulgere, Superiores instituere, vel eorum institutionem procurare. Statuta prouinciæ conuellere, aliquod decretum pro tali prouincia, vel restrictiuum, vel ampliatiuum in requisita prouincia impetrare, alicui particulari Fratri priuilegium obtinere, quo Superioris authoritas impediatur, vel regularis disciplina labefactetur, vel statuta prouincialia, aut consuetudo prouinciæ infringantur. His addi potest, authoritate officij procurare, vt electio in hanc, vel illam personam cadat, contra mentem prouinciæ, omnia enim hæc regimen prouinciæ concernunt, & eò maximè, quando in libertate electionis impediretur; in qua rerum summa consistit. Omnium horum ratio est, quia mandati limites excedunt, & contra suum officium operantur: quod est pro bono omnium prouinciarum; ergo illas conturbare non debent. Sunt procuratores generales ordinis, id est generales causas, ad totum ordinem spectantes tractare possunt, & particulares prouinciarum, & Fratrum, non nisi requisiti; ergo aliter facientes, sine authoritate operantur; nam mandatum non extenditur ad non compræhensa. *cap. cum olim Abbas. de off. deleg.* ibi *Procurator ad illa solum intelligitur constitutus, quæ in commissionis literis inueniuntur expræssa.* vbi *Abb. num. 4. & alij. Et in cap. cum olim. 1. eod. capit. cum dilecta. de rescriptis. l. diligenter. ff. mandati.* vbi inualidum declaratur factum contra, vel præter formam mandati. Nisi prouincia, sciens taceret; quia tunc consentire videretur; tunc enim præsumitur mandatum. *cap. cæterum,* de Iudic.

Ne se immiscant in prouinciarũ regimine.

Mandatum non extenditur ad non compræhensa.

Sæcularium negotia non agant.

Secundo. Non possunt agere negotia Sæcularium, Vt ijsdem statutis decernitur. Cuius duplex ratio assignari potest, Prima quia *Pluribus intentus minor est ad singula sensus:* vt ille dixit, nec poterit attendere negotijs ordinis, Sæcularium negotijs impeditus, Nam, *deficit ambobus, qui vult seruire duobus.* vt est in trita paræmia. Secunda, cum hoc sit alijs seruire, applicati ipsi, & mercede communium expensarum religionis conducti pro negotijs ordinis, de iustitia non possunt alijs intendere, quia sui iuris non sunt. mitto, si hoc facerent, cum intentione ad munuscula, quia hoc esset nimis sordidum, & cōtra paupertatis votum, Quæ omnia intelligi debere censeo de negotij, quę ipsos à proprijs diuertunt, vel quæ eorum, vel suorum assistentiam, & frequentiam in curijs expetunt, maximè in Dataria, Cancellaria, Gubernatoris, & alijs ad regulares non attinentibus, in quibus pluries visus religiosus, non bonam de se, & suo ordine existimationem generat. Quæ de minimis, & passim obuijs, vt expedire indulgentias, breuia S. Pœnitentiariæ petere benedictiones. Addo etiam, si maiores causæ à deuotis, & sæcularibus imponuntur, vt dispensationes, beneficiales, matrimoniales, & ipsi viro alicui noto in curia nomine illorum committant expediendas, cum integro, & solito emolumento, non puto contra statutum fieri, quia, nec officio, nec ordini, neque regulari disciplinæ derogatur: & sicut possent de alijs loqui, ita etiam possunt dicere, occurrit tale negotium, mihi ex partibus iniunctum &c.

Nouitates in ordine nō tentet.

Tertiò. Non possunt tentare apud sedem Apostolicam, & alios negotia concernentia totam Religionem, *Nec quidquam, quod ad vniuersum ordinem, aut eius libertatem concernant, nisi de expresso mandato Generalis, aut scitu saltem, procurare possint, aut procurari permittant.* Vt statuta nostra, & supracitata affirmant.

mant. Quod Salmaticensia *cap.8.* clarius. *Nec aliquid tangens totum ordinem, & eius libertatem coarctans.* Clarius Segouiensia *cap.7. de elect. tit. de Procuratore generali num. 7. Negotia pertinentia ad totum ordinem, & singulas familias, ac obseruantiam nostri instituti, & priuilegiorum sine expressa licentia Ministri generalis.* Itaque non possunt tractare quæ ad totum ordinem spectant, vt impetrare breuia, restrictiones, ampliationes, reformationes, declarationes, priuilegia super statuta, regulam, Superiores & subditos, sine expressa concessione, vel scientia Generalis Ministri, non autem Commissarij generalis. Quia, cum Commissarius generalis non sit caput totius Religionis, nec absolutum caput suæ familiæ, sed Commissarius, cui Generalis minister suas vices committit, non potest innouare statum Religionis, cum in generalibus concessionibus, non veniant ea, quæ speciali declaratione indigent, vt dicitur in iure, & nos alibi. Hinc in Salmantic. citatis, dum prohibebatur alijs non posse tractare negotia, non prius notificata Procuratori, & subdunt, *nisi de Ministri, aut Commissarij generalis licentia,* dum immediatè prohibent, ne ipsi tractent negotia, totum ordinem tangentia, dicunt, *Sine Generalis Ministri scitu, & expressa licentia.* vbi clarè apparet, excludi Commissarium generalem, & secundum hæc statuta, nostra declaranda sunt, dum solum dicunt, *nisi de expresso Generalis mandato,* non addentia aliud, cuiusmodi nec addiderunt, vbi prohibuerunt, nec alij inconsultis Procuratoribus, negotia tractarent, contenta solum, *Nisi expressa Generalis facultate.* Quod & Ministrum, & Commissarium generalem includit; attamen, cum de iure, intentare nouitatem in ordine spectet ad caput, non ad membra, sine dubio excluditur Commissarius generalis, eò vel maximè cum Procurator, & Commissarius curiæ non sint Procuratores Commissarij generalis, sed Ministri, qui eos instituit, per suas patentes literas; ergo nomine ipsius agere non possunt. Totum hoc fundatur in limitato mandato, quod datur Procuratori, & Commissario, Quod transgredi non possunt. Nisi cum speciali mandato eius, cuius sunt Procuratores. *Gloss. in cap. contigit. de transaction. Bartol. in l. Procurator, cui libera. ff. de Procurat. & in l. 1. ff. de off. procur. Abb. in cap. contingit. d. & in cap. petitio. de procurat.* Vnde est communibus regulis, de authoritate Procuratorum generalium, colliguntur limitationes nostrorum Procuratoris, & Commissarij; illi enim non possunt transigere, vt in citatis iuribus nec concordare; aut committere. *cap qui ad agendum de procur. in 6.* nec impetrare literas, vel rescriptum in personam Domini. *Abb. in cap. nonnulli. de rescriptis. Specul. in tit. de Rescriptis.* Nec in mandato persistere, noua & non cogitata causa superueniente, *cap. fin. de consuetud. cap. cum petitio. de Procur.* Non enim nostri ordinis Procuratores constituuntur cum generali mandato vt faciant quidquid posset Generalis, si esset præsens, quo casu possent agere ea, quæ speciale mandatum requirerent, vt notat *Bartol. in l. Procurator, cui libera. ff. de procurat.* & citat textum *in l. creditor. §. Lucius. ff. mandati. Archidiac. in cap. 1. de rescript. in 6. Bart. in l. 1. ff. de offic. Proconsulis. Abb. in c. final. de dilat. in fin. & in cap. petitio. de procurat. & in cap. Dilect. de Iudic.* Sed vt omnia faciant secundum statuta ordinis. Ergo attendenda est limitatio, quæ facit ipsos punibiles aliter operantes, & nulla, attentata, si in detrimentum Religionis cederent. Non autem si in vtilitatem. *text. cum gloss. nou. in l. nulli ff. de transac. firmat Bartol. & Abb. in d. cap. contigit. 2. & 3. columna. cum Glos. singulari in l. 2. ff. de acceptil.*

Mandati limites excedi non possunt.

ptil. ex text. in Instit. de auth. tutorum. in princ. Barbarus. in c. causam, qu.1. de Iudic. Quare si Procurator impetraret confirmationem priuilegiorum, Beatificationem, aut canonizationem alicuius S. & aliquid aliud, quod in honorem cederet Religionis, esset benè impetratum.

Quartò. Non possunt retinere in curia, vltra tempus, expediendis negotijs opportunum, forenses, nec eos ad alias Prouincias, quam ad suas mittere, Præterquam ad Romanam, & per illud solum tempus, quod erit necessarium pro expeditione negotiorum. Ita omnia supracitata statuta. *Hospites in curia non retineant.*

Super quo, Dubitatur primo. An grauiter peccẽt Procurator, & Commissarius retinẽtes notabiliter forenses in conuentu Aracœlitano, vltra tempus cõcessum? Respondeo affirmatiuè, & peccaut mortaliter, tùm quia ipsi non seruant statutum generale in re graui; tùm quia sunt causa, vt forenses suis Superioribus sint inobedientes, qui solũ intendũt, & in obedientialib. literis cauent, ne vltra negotia cõmorentur, vt monet *Mirand. tom.2. quæst.13. artic.1. conc.1.* vbi citat statutum, quod in Segouien. reperire non potui. Tùm quia regularem disciplinam soluunt, dum similibus vagis (vagi, & errones sunt, qui ad suas Prouincias reuerti nolunt) opitulantur. Tùm deniq; quia notabiliter grauant pauperẽ conuentũ Aracælitanum, qui de quotidiana mendicatione viuens, gemit sub pondere tot hospitũ, qui domicilium iam videntur aliquãdo inibi elegisse. nec excusant friuolæ, apparentes, & cõmentitiæ causæ, quas multi in foro exteriori ostendunt; quia veritati non nixæ, culpabiles reddunt Prælatos. *Aliàs peccarent.*

Dubitatur secundò. An Procurator, & Commissarius authoritate propria, & inconsulto Prouinciali Romano, per eius Prouinciam mittere possint hospites.

Respondeo affirmatiuè, quia talem authoritatem illis tribus generale statutum, quod est etiam supra Romanam Prouinciam, secùs vana esset dispositio, si non possent, nisi consentiente Prouinciali: quia si ille consentire nollet, ipsi, statuto vti non possent. Veruntamen est, quod ex congruentia, & bono regimine, debent Prouincialem consulere, vt sciant, quò, sine conuentuum grauamine, destinare hospites possint. & sic de facto practicatur. *Ad Romanæ Prouinciæ conuentus hospites destinare possunt.*

Dubitatur Tertio. An destinati à Procuratore, & Commissario ad alias Prouincias, quam ad Romanam, sint Apostatæ. Respondeo affirmatiuè, quia missi à non habentibus authoritatem, & à non Superioribus, iuxta disposita *cap.2. de apostatis, ex S. Consilio Tridentino, sess.25. cap.4. de regul.* verè enim sine sui Superioris licentia eò perueniunt. Sicuti qui ad Hierusalem destinarentur à Prouinciali, vel extra Prouinciam à Commissario visitatore, essent Apostatæ; quia licet mittantur à vero Prælato, illi tamen ad eò mittendum authoritatem non habent; vt in *statut. præsent. cap.12. & 8. in fine.* *Ad alias Prouincias, præter propriam minimè.*

Quarta Quæstio. An Procurator, & Commissarius Curiæ, hospitibus audiendi confessiones, possint licentiam indulgere, & à casibus reseruatis eos absoluere.

Respondeo primo. Procurator, & Commissarius sunt Prælati, curam animarum habentes, cum iurisdictione coniunctam super suos Secretarios, socios, seruientes, & hospites, atque apostatas. Hoc patet ex secunda Quæstione, cui addo statutum Vltramontanæ familiæ citatum à Miranda *tom. 2. qu.12. art.1. conclus.1. iam citata, Hinc Procuratori totius ordinis Generalis Minister in suis* *Sunt Prælati ordinarij in vtroque foro.*

literis

literis atque patentibus authoritatem plenariam conferet super omnes hospites eiusdem familiæ, ad Romanam Curiam venientes: item ad absoluendos Apostatas, remittendosquè ipsos ad proprias Prouincias. Quæ commissio est ordinaria, sicuti, & quæ mandatur in bulla vnionis pro Commissario generali, *cui vices suas committat*, nam statuta iam specificant horum officium, & authoritatem. Conclusionem probauimus. *cap.7. de confessarijs 4. quæstione in fine*. vbi citauimus concessionem Sixti Quarti, in bulla, *Regimini vniuersalis Ecclesiæ*, dicentem. *Generalis quoque, & singuli Prouinciales, & eorum Vicarij etiam Custodes in Prouincijs, & Custodijs sibi commissis, prædictis fratribus constitutis ibidem; nec non fratribus aliis eiusdem ordinis interdum ad eos declinantibus vndecumquè, absolutione, & dispensatione indigentibus; siuè priusquam intrauerint ordinem, siuè post, in casibus excesserint, pro quibus excommunicationis, vel interdicti, aut suspensionis & absolutionis, & dispensationis beneficium valeant impertiri &c.* & certum est, Procuratores generales esse Vicarios Ministri generalis circa hospites, & apostatas, quia ipsis authoritatem suā plenariam committit: Et cum ipsorum tantùm, faciat eos subditos, dubium non est, quin de iure habeant plenariam in ipsos authoritatem in foro conscientiæ. Eò vel maximè cum ex alibi disputatis, & ex ordinatione Sixti Quarti, & aliorum Summorum Pontificum, & ex iure communi, subditi confiteri teneantur suis Prælatis. Ergo cum Procurator, & Commissarius sint Superiores forensium, sunt ipsorum proprij Sacerdotes, & habent in illos authoritatem ordinariam.

Respondeo secundò, non habent minorem facultatem, quam Guardiani, Quia in vno Conuentu, eos gubernant in vtroquè foro, ergo in hoc pares sunt Guardianis.

Respondeo tertiò, habent facultatem maiorem Guardianis, Quia Guardiani non possunt mittere suos subditos extra Conuentus limites, & confinia; at illi possunt, & ad suas Prouincias, & ad Romanam transmittere. Nec Guardiani habent facultatem Apostatas absoluendi, præsente Ministro prouinciali; at illi habent.

Respondeo quartò, Habent iurisdictionem similem Prouincialibus, Quia iure ordinario causas apostasiæ iudicant, & ipsis, & alijs obedientiales literas concedunt, ac contra hospites delinquentes processus conficiunt, & sententias ferunt, eos carceribus mancipando, quod est proprium Prouincialium munus.

Respondeo quintò, habent etiam, & maiorem quo adhanc partem. Quia Prouinciales vnius prouinciæ subditos habent, illi omnium prouinciarum. Et propterea Prouinciales omnes, extra illorum iurisdictionem præcedunt, & sunt primi ordinis Patres, post Generales Ministros, & Commissarios, illisquè præcipiunt, & quæ ex Curia expediuntur intimant. Ac proinde sicuti Prouinciales iurisdictione exteriori, vel æquant, vel superant, ita etiam interiori, & in foro conscientiæ propterea.

Procuratores possunt absoluere à casibus reseruatis.

Respondeo sextò, Procuratores, & Commissarij præfati possunt absoluere à casibus reseruatis; Quia vt diximus, plenariam Generalis obtinent facultatem: Et ipsis committitur absolutio apostasiæ, quæ est reseruata Prælatis.

* In alijs autem multis multò maiorem iurisdictionem habent,& potestatem Prouinciales, vt admittendi simplices sacerdotes prò fratrum, secularium, ac monialium confessionibus audiendis. Moniales ipsas visitando, corrigendo, puniendo. Ad Monasterij curam,& officia assumendi, confirmandi. Nouitias a'd Habitum,& professionem recipiendi. Tertiarijs vtriusq;sexus Habitum indulgere. Procuratores,& Conseruatores pro Conuentibus nominare, & Patentes facultatiuas præbere. Pro ordinibus recipiendis literas Dimissoriales concedere. Examinatores instituere. Guardianos,& Vicarios deputare, suspendere,ac priuare;& fratrum familias disponere, collocare,amouere. Pro libris imprimendis facultatem negare. Ecclesiæ,& ministrorum vtensilia benedicere. Ac alia consimilia, quæ nulli à Gener. Ministro absque eius indultu, iure ordinario conceduntur.*

Quinta Quæstio. An Procurator,& Commissarius Curiæ possint constituere Syndicos pro ipsorum officio.

Respondeo affirmatiuè. Quia cum probatum sit,habere authoritatem Prouincialium, & Guardianorum, & isti habeant authoritatem nominandi Syndicos,sequitur,quod etiam illi possint. Confirmatur, quia Generalis tribuit ipsis omnia requisita,& necessaria pro suo officio conseruando sine offensione;at sine Syndico, non possunt exequi suum officium, quia coguntur aliquas contributiones à Prouincijs recipere, pro exigendis literis, pro expediendis litibus, proquè alijs casibus occurrentibus, & hoc est ordinarium; ergo concedit etiam facultatem nominandi Syndicos respectiuè; quia sine illis, non possent regulam purè obseruare. Et quod maximè rem probat, est consuetudo immemorabilis, quæ legem inducit, & declarat. Semper enim Procuratores generales, & Commissarij instituerunt Syndicos, suis officijs opportunos. Accedit manifesta declaratio Eugenij 4.citata cap.4. vbi de Syndico. Martin. V. concedentis Syndicos Generali, Prouincialibus, & Procuratoribus ordinis Romanæ Curiæ.

Possunt constituere Syndicos pro suo officio.

De Prouincialibus Capitulis.

STATVTVM XXXIX.

A Pascha Resurrectionis Domini, vsque ad Pentecostem Capitula omninò celebrentur, etc.

Præeuntibus Apostolis,qui primum in Ecclesia concilium, tempore Paschali celebrauerunt. *Act.* 12.vt probat *Gauantus in praxi Synodica p.*1. *cap.*2. qui citat *Henricum Botteum de Synodo pag.*1.*q.*8. Vnde *Conc. Tolet.* 4. *tom.*4. *Concil. pag.* 582.*can.*3. ait. *Quinto decimo autem Calend. Iunij congreganda est in vnaquaquè Prouincia Synodus propter vernale tempus, quando herbis terra vestitur, & pabula germinum inueniuntur.* licet enim in 3.*Toletano con.pag.*505. *cap.*18. fieri etiam possit *tempore autumnali die Calendarum Nouembris*. Commodius tamen tempus

Tempus celebrandorū capitulorū

plis est vernale,& paschale,vt dicitur in constitutionibus Synodicis Odonis Parisiensis Episcopi *cap.1.tom.7.concil.pag.775.& Sess.15. concil. Basiliense Præcipit Synodum episcopalem post octauas Dominicæ Resurrectionis , vel alio die secundum consuetudinem celebrari.* Quia suauius est, commodius, & spiritui fouendo post ieiunia aptius,ambulationibus, & commigrationibus pedestribus, vt Franciscanos decet,... commodatius. Ex causa autem rationabili alio opportuniori tempore celebrari poterit. *cap.propter ecclesiasticas. d.18. ex Antiocheno Concilio c.20.* & clarius *Trident.sess.24. c.2.de refor.*

STATVTVM XL.

Ministro, & Commissario Generalibus, ac Visitatoribus ab eis missis liberum sit Conuentus deligere, pro celebrandis Capitulis cum consilio aliquorum discretorum Prouincialium.

Et idem in Neapol.cap.38.

Locum capitulis quis eligere potest. De iure communi,deligere celebrandis Capitulis, & Concilijs locum, spectat ad eum,qui ijs præsidere debet,aut potest.Per *totam dist.17.& Conc.Trid.sess.24. cap.2.de refor.* cum alijs antiquioribus, in margine citatis, ac perpetua praxi: & ideo,cum indicere capitula spectet ad Generales, vel suos delegatos, ij possunt tantum locum celebrandis destinere Capitulis.

Consiliũ Patrum quãdo requiritur. Super quo statuto considerandum venit Primò, non posse Præsidentes Capitulorum (si ij Generales non sint, quibus hæc restrictio fieri non debet, nec potest) designare locum capituli sine Patrum consilio. Quia licet sequi non teneatur consilium, vt fusè ex multis probat *Barbos. axiom. 55. num.2.* & nos alibi; Petere tamen debet, quia vbi præcipitur aliquid fieri cum consilio aliquorum, si sine consilio fiat, actus est nullus,vt probat Rodrig.*tom.2. quæst.103. art.1.& quæst.53. art.9.& tom.1. qu.20. & cap.ex parte. de const. & cap.cum veteri. (vbi Panor.) de elect.*ita vt nec post factum petere sufficiat.licet ipse Rodrig. teneat sufficere,si petat per literas explicando circunstantias casus; Quia consilium non requirit tractatum, sed iudicium practicum intellectus circa singularia. Attamen,vt idem dicit *tom.2.quæst.22. art.7.* in grauioribus casus consilium intelligitur pro consensu, quod confirmat Peirinus, *tom.2.quæst.1.cap.2.num.16.circa finem,* vbi multis probat, consilium in iure sumi pro consensu, præcipuè *ex c. Venerabili. de off.deleg.* vbi Honor. 3. dicit *Coadiutorem eidem adiungere,sine cuius consilio nihil eorum faceret , quæ ad administrationem pertinent , & Glos.* cum alijs, pro consensu interpretantur. & vniuersaliter, vbi demandatur consilium, capiendum à collegijs, intelligi debet, pro consensu, & sequendum est, vt clarè deducitur ex Segouiensibus *cap.7. tit. de visitatoribus num.* 13. vbi dicitur *Dicti visitatores sicuti, & reliqui Prælati tam in promotionibus ad officia, quàm in culparum correctionibus, ac etiam in omnibus alijs negotijs grauibus consilium à Discretis, vel maiori Discretorum parte semper petant, & sequantur.* esse autem rem

Factum sine consilio vbi ex lege requiritur, est nullum.

Consilium quando accipiatur pro consensu.

grauem,

grauem, delectionem loci pro celebrando Capitulo, certum est, quia nil grauius in Prouincia reperitur, quàm celebratio Capituli; & si in loco non apto celebretur, confunditur actio grauissima, cum religionis dedecore: maximè cum supponatur, hominem exterum ignorare ciuitatis mores, affluentiam, affectionem erga Fratres; & cùm expensæ fieri debeant à Prouincia, & quidem vt plurimum mendicando, deferri debet omninò consilio Patrum peritorum, qui in causis grauibus sunt ipsius collegæ. Itaque solus ipse, vel contradicente diffinitorio, non potest locum capituli decernere.

Considerandum est secundo, non teneri ex vi statuti omnium Discretorum exquirere consilium, quia inquit, *de consilio aliquorum Discretorum*: duo autem complent numerum aliquorum. *cap. pluralis. de reg. iur. in 6.* verum enim verò consuetudine inductum est, vt congregatorum omnium Patrum exquiratur consilium: quia cum omnes tangat, ab omnibus approbari debet. *de regul. eod.* eò vel maximè cum iustus zelus irrepere possit, si horum potius, & non illorum exquiratur assensus.

Dum autem statutum subiungit. *Admonentes eos, vt communi prouinciarum, ac Fratrum commodo, atquè vtilitati prospicere semper velint*, Non tantum est admonitio consilij, quam recordatio præcepti; quia de iure naturali tenentur Præsules communi bono prospicere, & aliter facientes contra charitatem, & iustitiam peccant, quo sensu dixit Apostolus, *Hortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis, &c.* Ex quo sequitur citare capitulum in loco non commodo, longiori, &c. est culpa contra hoc statutum.

STATVTVM XLI.

In Diffinitorio tàm generali, quàm Prouinciali, omnes Ministri, Guardiani, & Confessores Monialium, vel per se, vel per literas suis officijs renunciare tenentur.

Concors omnium statutorum consensus *Salmanticen. capit. 8. Segouien. cap. 7. Vallisoletan. an. 1593. Toletan. anno 1583. & Iulij Secundi cap. 8. 29. 30. 31. & Romæ vi. anno 1625.* Specialiter a Sede Apostolica confirmatorum. *Guardiani omnes renunciationem suorum officiorum spontaneam, & ex ànimo, in scriptis mittere teneantur.* Cautius reformati *cap. 8. Titulo de Discretis custodialibus. In questo Capitolo tutti li Guardiani saran' obligati a renunciare il lor' officio, e non renonciando espressamente, per vigore di questo statuto s'haueranno, come s'huessero renonciato.* Vt scilicet cæremoniam; quæ tumultuariè adimpletur, officiorum compleat terminatio; quia verè in Capitulo prouinciali omnes Guardiani, & Officiales de nouo eliguntur, atquè adeo de iure omnia officia Religionis vacant in Capitulis generalibus, & prouincialibus: in illis quidem virtualiter, quia possunt Patres generalis Diffinitorij aliquos nouos Prouinciales instituere, vt de facto fecerunt in generali Capitulo Romano *anno 1571.* in quo electi fue- *In Capitulis renunciātur officia.*

re tredecim Prouinciales Cismontanæ familiæ: & de instituendis Prouincialibus Vltramarinis in Diffinitorio Generali, concessit Clemens Quintus *in Clemen.exiui de verb.signif.§.Verum*. Attamen cum idem Clemens Quintus, electionem Prouincialium reliquorum Capitulo prouinciali demandauerit, cum sequentibus bullis aliorum Pontificum, Leon. X. *Ite vos §. poterunt*. Pij V. *Pastoralis.§.quod Prouincialium*. Gregor. 13. *Consueuit*. Sixti Quinti, *Cum de omnibus*, Non posset Capitulum generale Prouinciales instituere; & quod factum fuit in citato Capitulo Romano, tenendum est factum fuisse per specialem concessionem Pij V. Tunc sedentis, & licet quieti Religionis, & tranquillitati animorum expediret, eligere Prouinciales in Capitulo generali, Attamen cum perfecta promouendorum cognitio in tali Capitulo non habeatur, eaquè à duarum tantum personarum, Ministri scilicet, & Custodis relatione pendere deberet, consultissimè prouinciali Capitulo demandatur, cum hoc tamen stat, vt possit generale Capitulum acceptare renunciationes factas, & omnes reliquos ad renunciandum compllere, & noua Capitula in prouincijs indicere, secundum statuta, quod prudentię, & dispositioni Patrum remittitur, cum generalis regula seruari non possit: nam contingit sæpè, vt eligantur Ministri parum ante Capitulum generale, & esset scandalum populorum, non capacium nostræ regularis obseruantiæ, si quotidie viderent celebrari Capitula. De Guardianis autem inconcussa praxis est, vt omnes in Capitulo prouinciali, vel intermedio, denuò eligantur, confirmatis dignis, & cassatis inhabilibus. Quod maximè fauet humili, & probæ adiministrationi, cum sciant, se pręcariò officia possidere.

STATVTVM XLII.

In Diffinitorijs Generalibus, et Prouincialibus, agatur de negotijs ad totum ordinem, Prouincias, Conuentus, et Personas spectantibus. De obseruantia Regulæ, et statutorum etc.

Q. vid tractā dun̄ v in cap. Duo sunt præcipui Capitulorum fines, electio Prælatorum, & disciplinæ regularis conseruatio, horum alterutrum si deficiat, contra canonicas normas Capitula celebrantur, de primò, non est necesse aliud addere. De secundò sancit *Tridentin.Sess. 25. de regul.cap.1. Omnis(*inquit*) cura, & diligentia à Superioribus adhibeatur, tam in Capitulis generalibus, & prouincialibus, quam in eorum visitationibus, quę suis temporibus facere non prætermittant, vt ab illis non recedatur.* Nimirum ab obseruantia votorum, vitæ communis, & disciplinæ regularis. Iuxta *cap.cum ad Monasterium; in fin.de statu Monachorum.* cum sequenti. *In singulis.* & eadem *Sess.cap. vltimo.* pro obseruantia decretorum S. Concilij, mandatur quod *Regularia Capitula Prouincialia, & Generalia, in defectum illorum Concilia prouincialia, per deputationem aliquorum eiusdem ordi-*

ordinis prouideant. Quod ordinatum esse a Gregorio Nono, & replicatum in Concilio Salisburgensi, coacto *ann.* 1281. sub Martino Quarto in causa Ecclesiasticæ disciplinæ, cap.8. eiusdem Concilij acta testificantur. *tom.7.pag.*1173. *ibid.pag.*1179. & in celebrato sub Martino Quinto *ann.* 1420, *in causa fidei*, & *morem*. *Titulo de constitutionibus*. Multa ordinantur ad reformationem regularium. Ad quam rem multa apposité disseruit in prima oratione habita in Concilio Lateranensi sub Leone X. Ægidius Viterbiensis Generalis Augustinianorum;& S. Concilium Tridentin. vbiquè de fide, & morum reformatione sanciuit. & ex professo celebrata Concilia Aquisgrani in causa regulæ Benedictinæ *ann.*817.*tom.*6.*fol.*297. & 836. *de Ecclesiastica disciplina.fol.* 363. & in specie Leo X. *Ite & vos*, §. *Volumus*, præcipit in generali Capitulo condi statuta pro conseruanda reformatione. Clarius Concilium Basileense. *Sess.* 15. *de concilijs prouincialibus fine*. *Hæc Sancta* (inquit) *Synodus omnibus Prælatis Religionum, ad quos celebrare capitula pertinet,quod illa statutis temporibus,sub prædictis pœnis seruent,& seruari faciant, in quibus secundum canonicas sanctiones, & Religionum constitutiones, cum omni studio, & diligentia, ad veram reformationem intendant, vt regularis vigeat obseruantia, præcipuè, vt tria vota substantialia omninò seruentur.*

STATVTVM XLIII.

Deputentur aliquot examinatores doctrina, & integritate præstanres, pro Prædicatoribus, Confessarijs, Studentibus, & Magistris approbandis.

Et statut. Neapolitan. capitul.20. §.2.

Eligantur (inquit Clemen.8. de reformat. regul.num. 37.) in *Capitulo generali, ac prouinciali, aliquot graues, & periti, ex Fratribus cuiuslibet Prouinciæ, saltem tres, qui admittendos ad prædicationem verbi Dei, vel audiendas confessiones, etiam ipsorum Fratrum, ac Lectores publicos, diligenter simul examinent, priusquam probentur, & ad huiusmodi ministeria admittantur. Horum etiam curæ sit examinare, & probare tam quòad doctrinam, quàm quòad mores, promouendos ad quoscumquè ordines*, de quo statuto vide supra, vbi de examine ordinandorum. *Examinatores, eligendi in cap.*

Hoc adnotasse sufficiat, statuti transgressionem esse culpam grauem, quia materiam grauem continet, & ad grauissimam disciplinæ regularis obseruantiam,

STATVTVM XLIV.

Guardiani, Vicarij, Confessarij Monialium, Nouitiorum Magistri, & alij Officiales, communi consilio, & consensu, Pręside, aut Ministro Prouinciali proponente, iuxta veterem Religionis consuetudinem instituantur.

Proponere in capitulo spectat ad Præsidentē.

Agenda proponere ad Maiorem capituli spectat, qui caput est, & director totius corporis;& turpe est,membra capiti anteferri ideo perpetuo in Ecclesia Catholica vsitatum fuit, vt præses Concilij,puta summus Pontifex,Legatus Papę,Metropolita,vel Episcopus respectiuè loqui incipiant,& quæ tractanda sunt proponāt.Ita factum,& conclusum in Tridentino,in quo,*proponentibus Legatis*, omnia resoluta fuere, ita decretum in *Concilio Basileensi Sess.15. de concilijs prouincialibus,& Synodalibus tom.8,pag.45,Deinde ipse Diæcesanus de vita, & moribus subditorum solerter inquirat , &c. Sic etiam de Metropolitano , &c.* Quod seruatum fuit in Concilio generali Constantiensi , vbi omnia Pręses generalis Concilij proponebat,& primi ante alios Præsidentes nationum respondebant, Vt patet ex ipso Concilio, & ex modo obseruando in publica Sessione Conciliorum.*tom.7.conc.pag.* 1132. Præceptum in *Toletan.4.tom.4. conc.pag.583. Finitis titulis Metropolitanus Concilium alloquatur, dicens.Ecce Santissimi Sacerdotes recitatæ sunt ex canonibus priscorum Patrum sententiæ,de Concilio celebrando;si qua ergo quempiam vestrum actio commouet, coram suis Fratribus proponat, &c.* Ex quo Concilio ordinem Conciliorum celebrandorum colligit Isidorus Mercator , & emendauit Garzias Loaisa. *tom.1. concil.initio.* Quidni , si ab Apostolis hunc morem habemus? *Act.enim.1.*pro electione Matthiæ, Petrus caput,& præses loquutus est, *In diebus illis surgens Petrus (velut principalis, & caput,* inquit Collector conciliorum *tom.1. pag.1.)In medio Fratrum dixit, &c, Et Act.15 Cum autem magna conquisitio fieret surgens Petrus (tanquam Apostolorum supræmus,& caput,*addit idem Collector)*dixit ad eos,&c.*

Certum igitur ęst,ad Præsidem,& moderatorem spectarę propositionem eorum, quæ determinanda sunt in capitulis,& Congregationibus, quæ nobis vice conciliorum sunt,quæquè post præceptum celebrandorum conciliorum Ecclesiasticis,iniunguntur regularibus.Vnde *Barcinon.cap.8.de cap.generali n.40.* decernitur.*Præsidenti discretorio incumbit,proponere quæ tractanda erunt &c.* Difficultatem tamen facit descriptum statutum, *Præside,aut Prouinciali, iuxta consuetudinem veterem religionis proponente*, an scilicet voluntaria sit vtrique propositio,an primo occupantis,an dignioris, an consuetudo Prouinciæ attendenda sit,an totius ordinis,& vnde hæc conijci poterunt.

Mos antiquus eligendi Guardianos.

Et quidē de consuetudine Prouinciæ non esse interpretandum,patet ex verbo,*Religionis*,quod vniuersaliter illam extendit:Nisi nomine Religionis Prouincias intelligat,quia nō reperitur aliqua cōsuetudo,quę in tota religionę vniuersali-

ſaliter obſeruetur, ſed per prouincias in religionem migrauit, ſecundum magis & minus prout per plures, vel pauciores Prouincias diffuſa ſit: igitur nomine religionis, prouinciæ hoc loco venire poſſunt, & conſequenter ſtandum eſt, conſuetudini cuiuſcumquè Prouinciæ. Quæ autem ſit iſta conſuetudo in toto ordine, nō liquet, in ſtatutis enim Iul. 2. c. 8. *part. 9.* inuenio, *Quoad inſtitutiones, et poſtulationes Cuſtodū, Guardianorum, & aliorum officiariorum, ſtatuimus, quod niſi Generales, vel Prouinciales Miniſtri, ad quos regulariter pertinet taliū inſtitutio, aliud ex rationabili cauſa, quoad aliquos decreuerint, taliter procedatur &c.* Moris erat tunc temporis à conuentu eligi, & poſtulari. Conſuetudo igitur eſt, vt proponantur à Generali, vel Prouinciali: Quod quia copulatiuè interpretari non poteſt, ſecundum *l. ſæpè de verb. ſignif.* in qua dicitur, *coniuncta pro disiunctis, & disiuncta pro coniunctis ſæpè accipiuntur, vt cum dicitur, ſuper pecunia tutelauè ſua, tutor ſine pecunia dari nō poteſt. & in c. omnibus vobis. 2. q. 5.* ibi. *ipſe ergo Sacerdos ſi ſuſpicioſus, aut incredibilis ſuo Epiſcopo, aut reliquis Sacerdotibus, &c.* & ibi *Gloſ. & in cap. 2. de confeſſis. in 6. Si præſtitum veritatis, aut calumniæ iuramentum &c. cum Gloſſ.* eſſet enim irreuerentia, & confuſio: Niſi fieret ſecundum conſtitutiones Vrbanas Patrum Conuentualium. *cap. 8. tit. 3. n. 14.* quæ præſcribunt. *Proponatquè alterum Prouincialis, alterum vero illius cuſtodiæ temporaneus diffinitor.* Quod tamen ad rem non facit, quia nunquam tale in ordine Minorum practicatum fuit, nec in ſtatutis Iulij ſecundi, ex quibus, vt plurimum ſupradictæ conſtitutiones elicitæ ſunt, talis alternatiua propoſitio reperitur. quibus excluſis, ſi particula *Aut*, & *Vel* copulatiuè teneri deberent ſine ſumma confuſione practicari non poſſet.

Remanet igitur, vt intelligantur ordinatè, & ſecundum proprietatem vocis, quæ eſt diſiunctiua, vel alternatiua, cum ordine, itavt ſufficiat vnam partem adimpleri, vt plena manu probat *Barboſa. dict. 46. & 315.* vbi *num. 2. fine* adducit verba Caſtilion. *conſ. 24. num. 52. Quod ſi ponatur inter impoſſibilia, non importat alternatiuam, ſeu electionem, ſed ordinem, prout in clauſula codicillari. Quod valeat iure teſtamenti, vel codicillorum, importat, quod ſi poteſt valere iure teſtamenti, valeat ex ordine, ſi non poteſt, tunc iure codicillorum valeat.* & in priori dictione *nu. 4.* citat Rebuffum *in concordia tit. de collat. §. ſtatuimus.* dicentem. *licet iſta dictio ſit alternatiua, & ſufficiat ad verificationem, alteram partem eſſe veram; tamen natura huius dictionis eſt, vt ſit alternatiua ordinis non verò electionis.* & dato quod electionis, & non ordinis (inquit *Menochius*, ab eodem citatus) *debere eſſe electionem ordinatam.* Ex omnibus citatis ab eo authoribus firmat ipſe primam aſſertionem, quam appono per extenſum. *Suppoſito, quod hæc dictio* Aut, *propria, & vera, ac naturalis ſit alternatiua, ſeu diſiunctiua, & ad eius verificationem ſufficiat, alteram partem eſſe veram, quando illa ponitur inter perſonas, inter quas ſubeſt ordinata affectio, ſiuè interea concurrat neceſſitas reſtituendi, ſiue non, cenſentur vocati ordine ſucceſſiuo, et non ſimul.* & ſic, dum dicitur, *in maioratu ſuccedat filius, vel filia*, ex ordine Scripturæ præferendus eſt filius, vt idem *ex Couar.* & alijs probat. quæ videri poſſunt: cum antecedenter traditis *à Ioan. Caluino in Lexico pag. 228. à n. 56.*

Ex quibus concludo, liberum eſſe Præſidi proponere, nec poſſe coram illo, vel eò non permittente, proponere Prouincialem, quia propoſitionem ſtatuta, ſecundum conſuetudinem, priùs concedunt Præſidi, & deinde Prouinciali.

Et quidem turpe nimis est, Generalem ordinis, vel eius Presidentem, mutos manere, & otiosos, dum Prouincialis omnia disponit, & vt dicitur in prouerbio, fit tanquam signum ad tabernam, & lucernam ludentibus teneat; nisi vt dictum est, consuetudo Prouinciarum aliud suadeat: Quia Præses, cum sit homo nouus, & negotijs Prouinciç non adeò affectus, vel eorum gnarus, debet à Prouinciali, & Patribus proponendorum notitiam capere, & de communi ipsorum mente, & satisfactione Prouinciæ, instituendos proponere: alias multa oriri poterunt inconuenientia: & licet ex declarato statuto videantur hæc congruentia, tamen, si paci, & communi bono prospiciatur, debitum est Prælato, paci, non sibi consulere, qui omnia in ædificationem, & non in destructionem debet dirigere; eò vel maximè, quod si capienda est informatio, meliùs a patribus, quàm à reliquis capiatur, quibus de iure gubernium est commissum: & licet in diffinitorio aliqua affectio præsumi possit; cum ea præsumatur etiam ex parte subditorum, informantium Præsidentem, potiùs illi, quàm istis est deferendum.

STATVTVM XLV.

Guardiani, ex antiqua consuetudine, & statutis ordinis, per Ministros, & Diffinitores, legitimè congregatos in Capitulis institui, seu eligi debent, Secundum Prouinciarum compromissum &c.

Guardiani possunt eligi à conuentu.

Statuta sunt *Neapol. cap.5. Meclmensia 1449. Salmant.cap.8.Burdigall.1510. Barcinon.ac Segouiensia c.7.de elect.tit.de Guardianis.n.1.*

Compromissum, quod hic tangitur, est, quia antiquitùs Guardiani à proprijs Conuentibus eligebantur, & postulabantur, vt ex statutis Papalibus supra citatis patuit. & de facto ita eligi posse cum licentia Generalis, si Guardianus vacauerit extra Capitulum, concedunt *Barcinon., & Tolet.ann.*1583., *ac Segouiensia. tit.de Guardianis. num.3. & Rodrig.tom.2.q.53. art.1.* ex multis canonibus probat esse de iure communi *cap.fin.16.q.vlt.c.2. de elect.cap.cum dilectus. de consuetud.* & citat *Nau. in c. nullam num.2.* quem modum seruant nunc plerçquè Religiones. Quia tamen modus hic vtilis visus non est, & conturbationibus, ac sublevationibus obnoxius, cum præcipuè fratres, qui elegerunt, in alium migrent conuentum, & Superiore quem elegerint non gaudeant, prouisum est, vt in toto ordine, Superiores Locales in diffinitorijs generalibus, vel prouincialibus eligerentur, excepto magno Parisiensi Conuentu, vel si qui est alius, qui sibi Guardianum ex veteri iure constituunt. Et sic ante tempora Clem.4. practicari cœptum est, ait enim (Relatore supradicto Rod.) *Vt Guardiani, qui secundum statuta ordinis fratrum Minorum, aliter, quam per electionem instituuntur, post ipsum prouisionem, seu institutionem de ipsis factam, curam animarum habeant.* & sic postmodum Prouinciæ in diffinitorum compromiserunt.

Magna

Magna autem est difficultas tùm ex facto, tùm ex iure. Factum enim est, quòd Diffinitorio coacto, Præses Capituli, vel Prouincialis publicè proponit prouisionem talis conuentus, nominat personã aptam, & publicè exquirit vota Diffinitorum, & secundum pluritatem suffragiorum, publicè datorum, concluditur electio, vel institutio. quidquid dicat *Mir.tom.2.q.19.ar.2.conc.1.* nam vt dixit, & firmat *Rod.to.2.q.53.art.1.* contrarium practicatur; & Segouiensia, in quibus sunt Toletana, & Barcinonen. §. *de Guardianis*, nullum habent tale statutum. Ius autem est in contrarium, quia in his constitutionib. *cap.8. initio.* inter Officiales Ordinis numerantur Guardiani, & subiũgitur. *Omnes electiones Officialium eiusmodi, & canonicas esse, & ex S. Trid. Synodo per vota secreta fieri debere cautum est.* quia licet præmittant, *Qui omnes, cum per electiones aliỹ, & aliỹ per institutiones fieri consueuerint*, attamen de his institutionibus nullibi redit sermo, nisi vbi de Officialibus Cap. generalis agitur, *Tit. de ijs quæ in diffinitorijs agenda sunt.* vbi dicitur. *Procurator Ordinis, Commissarius Curiæ, Minister Candiæ, Guardianus Hierusalem, & alij Guardiani, & Officiales, qui Generalibus immediatè subiecti sunt, aut eligantur per vota secreta, aut instituantur.* Et vbi de Diffinitoribus prouincialibus. *ad institutionem, & depositionem cuiusuis Guardiani, &c. Nec aliter institui, aut deponi possit, &c.* & infra. *Tit. de ijs quæ in diffinitorio prouinciali agenda sunt. Guardiani, &c. iuxta consuetudinem instituantur.* & in hoc Tit. de Guardianis. *Institui seu eligi.* in fine totius *c.8. Et quãuis in instituendis Guardianis, Commissariỹ Visitatores*, &c. statuta autem *Barcinon.c.7. Tit. de Guardianis n.11.* strictius loquuntur. *Declaramus* (inquiunt) *quòd omnes Guardiani eligantur in Diffinitorijs capitularibus, per Ministros, & Diffinitores Prouinciarum, ad quos spectat vera, & canonica Guardianorum electio, per compromissum omnium prouinciarum, secundum laudabilem, & antiquam consuetudinem hucusquè seruatam, & dispositionem veterum constitutionum, sæpius renouatam, quã approbamus, & obseruari præcipimus.* Clarius Salmanticen. *cap.8. fine. Guardini in Capitulo prouinciali eligantur.* & post, *semper de Consilio Diffinitorum, post Capitulum deponantur. In generali Romano capitulo ann.1587.* statutum fuit, pro Vltramontana familia. *Prouinciales, vel Commissarij, alicuius Guardiani electioni Præsidentes, suos Secretarios, vel scribas, pro auditoribus, minimè assumant, ne fortè huiusmodi electionem violentari, siuè vim pati contingat, sed huiusmodi auditores ex ipsius Conuentus corpore seligantur*: quod & Segouiensia *supra nu.4.* præceperunt, in quibus admittitur electio more veteri.

Quomodo eligantur Guardiani.

Repugnat iuri quia eligendi sũt per vota secreta.

Ex quibus omnibus patet, nõ constare de secreta electione Guardianorum; canonicam, omnia statuta volunt; in institutionem potiùs, quàm in electionem inclinant, & relinquunt Prouincijs liberam optionem electionis secretæ, vel inter Diffinitores publicæ.

Quæ tamen determinatio, nec iuri commuui, nec Apostolicis constitutionibus est conformis: Quia cum Guardiani sint veri Prælati Ordinis, & curam animarum habentes, atquè adeò Ecclesiasticam dignitatem obtinentes, debent per canonicam electionẽ institui, quæ ex alibi dictis, est secreta. Nam licet vetitum sit, totum ordinem in diffinitoria cõpromisisse electionem Guardianorũ, id intelligendum est, modo, quo Conuentus singuli eligebant, vel eligere poterant; nemo enim in alium compromittere potest, id quod non habet, vel non potest. *cap. nemo. de regul.iur.in 6.* Eligebant autem de facto, nec aliud facere pote-

poterant, per vota secreta, nisi fecissent per quasi inspirationem, vel compromissum, quæ sunt formæ canonicæ eligendi. *cap. quia propter. de elect.* Ergo diffinitoria nihil aliud iuris arrogare sibi possunt, vt electiones publicas faciant. quod autem de iure communi institutio debeat fieri per electionem, probatur per recensita iura initio huius commentarij: nam *cap. congregatio. 16. quæst. 7.* ait. *Congregatio debet sibi eligere Abbatem, post Abbatis sui mortem. & cap. Osius Episcopus. de elect.* damnat electionem publicè factam, & electum excommunicat. *Et cap. 1. eod.* dicitur. *Nullus in Ecclesia, vbi duo, vel tres Fratres fuerint in Congregatione, nisi eorum electione canonica, presbyter eligantur. Si verò aliter, quis Ecclesiam adeptus fuerit, expellatur. Et cap. cum dilectus. de consuet.* Licet approbet, posse induci consuetudinem, quod vna Ecclesia eligere possit sibi Abbatem de gremio alterius Ecclesiæ, semper tamen loquitur de vera, & canonica electione. & vt alia pertranseam, affero *Conc. Trid. Sess. 25. cap. 4. de regularibus,* dicens. *In electione Superiorum quorumcumquè, Abbatum temporalium, & aliorum Officialium, ac Generalium, & Abbatissarum, atquè aliorum Præpositorum, quò omnia rectè, & sine vlla fraude fiant. In primis Sancta Synodus districtè præcipit, omnes supradictos eligi debere per vota secreta, &c. itaut eligentium nomina nunquam publicentur.* & certum est ex omnibus scribentibus, nostros Guardianos comprehendi, sub nomine Superiorum, & Abbatum, & in hoc decreto includi, quia nemo negat esse Superiores. Ergo electio publicè facta non est canonica. Pius Quintus in constit. *Pastoralis,* ait. *Quod illi Fratres eiusdem ordinis posthac in Generalem Ministrum, & reliquos Superiores solùm eligantur qui, &c.* & infrà. *Omnesquè tam Superiorum quorumcumquè, quàm Diffinitorum, Custodum, & Discretorum electiones per vota secreta fiant, iuxta S. Conc. Tridentini decreta; aliter electiones factæ pro tempore, nullæ; & pœnas in dictis decretis contentas, incurrant eò ipso.* Quod confirmauit Gregor. XIII. in Bulla *Consueuit. 1. & Clemen. VIII. de reform. regul. n. 36.* Quare euidens est, tales electiones esse nullas.

Instituere quid importet. Nec iuuat recurrere ad distinctionem electionis, & institutionis, quia verbum *instituere*, prout in iure, & in communi loquendi modo accipitur, inutilis, & impertinens est ad rem præsentem; quia communiter accipitur pro ponere, collocare, parare, docere, efformare, in rem aliquam introducere, creare, vel condere; determinare hæredes, adolescentem, successorem, feudum, &c. Testamentum, iuxta tradita à *Ioann. Caluino, in Lexico, fol. 982. & 83.* hæc autem omnia electionem non sapiunt: nisi velimus intelligere institutionem pro electione, cuiusmodi *regul. 1. in sexto.* dicitur. *Beneficium Ecclesiasticum, non potest licitè, sine canonica institutione obtineri.* Quod in beneficijs regularibus, & manualibus, cuiusmodi est Guardianatus, idem formaliter est, ac electio. & statutum, vt iuri communi (cui contrarium esse non potest) conformetur, secundum iuris eiusdem regulas declarari debet.

Et miror, quod Diffinitor, qui non est Prælatus, & Discretus Localis, qui tantùm votum habet in electione Prouincialis, & vltra nihil, eligantur per vota secreta, cum tota iuris sollemnitate; & Guardiani, qui sunt Prælati, curam animarum habentes, & sunt meliori titulo vocales in Prouincialibus Capitalis, non eligantur canonicè.

Ad hæc. Nemo est, qui nón videat, quanta oriri possunt iurgia, simultantes, & violen-

violentiæ,dum proponente Generali, vel Prouinciali Guardianos, Diffinitores coguntur publicè suffragari,vel refragari ijs, quibus subditi,& infensi remanere debent;itaquè cessat libertas, crescit animorum alienatio.

Quod si quis dicat, electionem esse secretam,quia fit inter ipsos vocales,qui extra diffinitorium acta non publicant.

Posset etiam dicere, esse secretam electionem Prouincialis, si fieret publicè coram ipsis electoribus,qui nihil extra publicarent.Et sic totum ius canonicum electionis euertere:Non enim est canonica,nisi sit secreta inter Electores.

Si instet,etiam Monialium electiones sunt secretæ,& tamen fiunt coram Prælato,& duobus, aut tribus testibus, vocaliter.

Respondeo, at est secreta quoad ipsas electrices, quibus vota non publicantur:at non esset si omnes, cæteras audirent.sic etiam eligentium nomina nota, sunt disquisitoribus; cum possint vocales oretenus ipsos conuenire, & eligendum nominare; attamen, quia non omnibus vocalibus dicitur,secreta est.At in electione Guardianorum omnes Electores socios audiunt, & disputant. *Electio Monialium quo modo secreta.*

Puto ad canonicam statuti executionem posse fieri electionem Guardianorum, quæ sit etiam institutio, si nimirùm Præses vnum proponat pro tali Conuentu,& deinde collatis secretis calculis videatur, si Diffinitores consentiant,vel dissentiant, & sic erit secreta,canonica,libera,odijs expoliata, &c.Hunc morem seruant nostri Patres Conuentuales in statut. *Vrbanis cap.8. Tit.3. num.14. Electiones Guardianorum, Custodum,& Diffinitorum, per ballotationes facienda est.antequam tamen ad suffragia veniatur,congregentur omnes illius prouinciæ Diffinitores tam perpetui, quàm temporanei,ibiquè inter se de promouendis discutiatur, &c.* *Conuentuales quomodo eligant.*
Nostri Patres Cappuccini *cap.8.suarum constitutionum*, ab eodem Sanctissimo D.N. Vrbano Octauo confirmatis. *pag.79.*sanctius disponunt, licet longius, & difficilius. *Si facciano l'elettioni delli Guardiani in publico Refettorio, per cædulas, si come si fan per cædulas tutte l'altre elettioni.*Reperio statutum generalis Cōgregation. Roman.ann. 1603.*Præsentetur Diffinitorio papyrus, seu cartula, in qua omnium nomina, qui voce passiua potiuntur pro Guardianis, cæterisquè Officialibus descripta sint:nullusquè Superiorum proponat, aut nominet aliquem Fratrem particulariter,sed omnes illi, qui sunt in papyro habeantur pro nominatis, & propositis,è quibus digniores eligantur proportionaliter ad locorum necessitatem*, Quo statuto corriguntur, & statutum de propositione à Præside facienda, & aliud de Guardianis instituendis, licet executioni demandatum non sit, & difficile in praxi euaderet. *Quomodo cappuccini.*

An autem induci per consuetudinem possit præscriptio circa hunc modum eligendi Guardianos?

Respondeo negatiuè, quia est contra ius commune, Con.Tridentinum, & Apostolicas Constitutiones sæpius renouatas;& si qua esset suspitio, vel opinio præscribendi, iam successiuè per nouas Constitutiones impeditur, per Pium Quintum,Gregorium Decimum tertium, Sixtum Quintum, Clementem Octauum, Vrbanum fœliciter regnantem. Et cum includant clausulas irritantes, & non obstantias consuetudinum, &c. Leges abrogari non possunt.

Sed quæritur, An Guardiani aliquando extra Capitulum institui possint?

Respondeo affirmatiuè, per statuta hæc.*Titulo de Guardianis fin. ex Neapol. cap. 5.& alijs. Conuentu autem extra tempus vacante, per Ministros, & Diffinito-*

nitores prouideatur opportunè. Ideſt ſimul congregatos,non ſigillatim per literas exploratos,vt per eadem ſtatuta mandatur,*Titulo de Guardianis*, alias enim Congregationem non facerent, nec congregati forent,vt per formam legis inductum eſt,cuius defectus nullitatem inducit.

Quæritur item, ſi quis nulliter eſſet electus, an denuò eligi poſſet?

Nulliter electus poteſt reeligi. Reſpondeo affirmatiuè, non quod prior confirmaretur, quia, quod nullum eſt,confirmari non poteſt. *Marſil.ſingular.196. & conſ.crimin.diuer.125.n.14. Cotta.V.Confirmatio.Roland.conſ.29.n.35.lib.1.Cephal.conſ.133.n.101.lib.1.Barboſ.Axiom.64.n.10.*Sed quod de nouo eligatur, *cap.ſuper eo.de elect.§.quod caſſata.*Nulla enim lex obſtat,quin ad nouam electionem deueniri poſſit;quia diffinitorij authoritas in vna mala electione non eſt exhauſta, vt eſſet in electione Prouincialis,&c.

STATVTVM XLVI.

Ad Guardianatus officium promoueri non poſſit, qui 30.ætatis, & 10. habitus annum non exceſſerit. *Et. Roman. ann.*1587,

Aetas Guardianorum. Ex communi ſcribentium ſententia,Superiores Locales Parochis æquiparantur:in hac tamen parte ſtrictiora ſunt ſtatuta Ordinis, canonicis ſanctionibus, nam ad curam animarum ineundam ſufficit vigeſimus quintus annus inceptus. *cap. cum in cunctis.de elect.§.inferiora.cap.licet canon.de elect.in ſexto. Tridentin. Seſſ.24.cap.12.§.nemo igitur.de reform.* & ſufficit inceptus. *Nauar. in manuali.cap.25.num.116.* & alij multi, & patet ex allegatis canonibus, quæ, *attigerit*, dicunt, non, *compleuerit*. at ſtatutum requirit annum trigeſimum completum ætatis,& decimum habitus: quod à iure communi non exhorbitat; licet enim Tamburrinus *tom.1.diſp.5.quæſt.9.num.20.* Fateatur, de ætate Abbatum nihil inueniri in iure expræſſum,niſi in *cap.indemnitatib.de elect.in ſexto.* in quo præcipitur non poſſe eligi in Abbatiſſam, niſi triginta annorum ſit; Attamen in Concilio Lateranenſi, ſub Leone Decimo *Seſſ.9.* in bulla reformationis Curiæ,*tom.9.fol.*107,expreſsè cautum eſt,*Idemquè in electis,et poſtulatis,quorum electiones, & poſtulationes, per ſedem Apoſtolicam admitti conſueuerunt, volumus obſeruari. Et ſi de minoribus ætate triginta annorum Eccleſijs, aut Monaſterijs, huiuſmodi contigerit promoueri, non diſpenſetur cum eiſdem, vt Eccleſiis citra 27.ætatis annum, Monaſterijs, verò citra 22. eſſe valeant.* Ex quibus liquet, veteri iure, Epiſcopos,& Abbates Monaſteriorum,qui noſtris Guardianis correſpondent, non eſſe aſſumptos ante 30.ætatis annum: Super quorum defectum, neceſſaria eſt diſpenſatio, quæ non fertur, niſi vbi ſit lex,conſuetudo, &c.

Et iure quidem optimo,quia vix poteſt eſſe habilis ad regularem diſciplinam conſeruandam,qui trigeſimum annum non exceſſerit, vt in Ordine Minorum experientia docuit.

An autem electio aliter facta ſit nulla?

Re-

Respondeo affirmatiuè, ex alibi dictis, quia minoris ętatis ad Guardianatum inhabilitatur, per verbum, *Promoueri non possit*.

Guardianus ante 30. annos eligi non potest.

An possit Diffinitorium dispensare?

Respondeo negatiuè, quia supra leges generales, inferiores dispensare non possunt.

Diffinitoriū dispensare non potest.

An Generalis?

An autem Generalis?

Respondeo, si vellemus attendere supradictæ Concilij authoritati, negatiuè respondendum esset, quia tales dispensationes ad Sedem Apostolicam reseruantur. & sicuti in decreto pro Parochis, quod non assumantur ad curam nisi 25. annum attigerit, non possunt dispensare, Papa inferiores, vt docuerunt, *Imola in Clemen. I. n. 34. de statu Monach. Corrasius de Sacerd. part. 3. capit. 3. n. 2. Troti. de verò, & perfecto Clerico lib. 2. capit. 18. n. 2. Petrus Gregor. Rei Benefic. cap. 37. n. 5. Barbosa de offic. Episc. allegat. 33. num. 35. & de offic. Parochi. cap. 2. n. 8. Nauar. in manuali citato cap. 25. n. 116. Rebuff. in praxi titulo de dispensat. ratione ætatis in principio.* Quorum omnium ratio est, quia super decreta Generalis Concilij inferiores non habent authoritatem, ita etiam cum Generalis sit sub statuto generali id prohibente, non poterit dispensare. Attamen cum hoc expræssè Generali non prohibeatur, & in iure talis determinatio expræssè non reperiatur, quia Leo Decimus, ibi loquitur de electionibus, quæ per Sedem Apostolicam admitti consueuerunt, nostra autem officia ad Curiam Romanam non spectant; Ideo puto posse Generalem, in aliquo paruo defectu trigenarij temporis dispensare, vrgente tamen legitima causa. Citra vigesimum tamen quintum annum censeo non posse, quia hoc in iure firmatum reperitur, ex supradictis: & fundatur resolutio in disputatis de authoritate Generalis.

STATVTVM XLVII.

Nec ad Guardianum prima vice assumi possit, nisi Vicarius, aut Secretarius Prouincialis biennio priùs fuerit, vel Prędicationis, vel lecturę munere triennio functus sit.

Excipiuntur ab hoc statuto Prouincię Vltramarinę, ob paucitatem Fratrum, & Laici, qui moribus, & meritis probatissimi essent. Ex *Vallisoletan. ann. 1593.* Nec video rationem, quomodo promoueri non possent Diaconi, vel Subdiaconi probatissimi, qui ob aliquem defectum, oneri non repugnantem, puta quia pollex illi ex infirmitate deficeret, &c. Vel quia ob humilitatem ad Sacerdotium, exemplo Seraphici Patris, promoueri noluisset. Ideò puto ex praxi, Generalem super hoc statuto facilè dispensare posse: Et fortasse etiam Diffinitorium, quia in viridi obseruantia non est, cum multi, qui Lectores, & Concionatores, aut secretarij non sint, antequam Vicarij sint, conuentibus præficiuntur, ob vitæ, & prudentiæ meritum.

Guardiani Vltramarini in quibus excepti. Laici possint esse Guardiani.

STA-

STATVTVM XLVIII.

Guardiani in eodem conuentu ad triennium dispensari possint à Diffinitorio; vltra autem triennium, nullibi, nec vt Guardiani, nec vt Præsidentes.

Guardiani vltra triennium, durare nō possūt.

Sic Vallisol. 1593. *Tolet.* 1583. *Aquil.* 1559. in quo Capitulo, de mandato Pauli Quarti sub pœna excommunicationis inter cætera statutum fuit. *Quod Guardiani elapso triennio, in eodem loco, in officio continuari non possint. Rom.* 1612. addiderunt, *Nullus Guardianis triennio expleto, possit continuare, etiam sub titulo Præsidentis, nequè in eo Conuentu, nequè in alio.* Et sic ad vniuersum ordinem extensa est dispositio Pij Quarti, *Viam ambitiosæ*, in qua, pro Vltramontanis, sub pœnis excommunicationis latæ sententiæ, priuationis officiorum, inhabilitatis perpetuæ, nullitatis electionis, præcipit Generalibus, & Prouincialibus, qui permitterent, aut facerent, *in quibuscumquè locis illarum partium Guardianos eorumdem locorum vltrà triennium; eosquè statim finito triennio, à dictorum scientia, non remouebunt, &c.* non tamen cum pœnis, quæ tantùm Vltramontanos efficiunt. & declarationem, Quòd nequè post triennium continuare possint, vt Præsidentes, putat esse sensum constitutionis Apostolicæ, *Portel. V. Guardianus. in addittione. num.* 2. quia aliàs ambitionem non eliminaret, & constitutio eludi posset.

Quod autem, nequè possit esse vltra triennium Præses in alio cōuentu, est eadem constit. ratio est; quia sic etiam fouetur ambitio, cuius destructioni intendit bulla, licet, tantùm dicat, *in eodem conuentu*, quam seruare debemus saltem ex statuto, tali rationi innixo: sapit enim perpetuitatē quandā officiorum, quā sūmoperè Apostolicæ, ordinis cōstitutiones abhorrēt, pręcipuè Leo *X. ite & vos.*

Nec per triennium in eodem cōuentu.

Manere autem per triennium in vno Conuentu Guardianum, contra ordinis constitutiones est, quę habilitant quidem ad triennium, sed in diuersis conuentibus. itaquè legitima causa dispensandi adesse debet, aliàs dispensantes, & dispensati mortaliter peccant, quia legi fraus inuritur, & statutum *publicam vtilitatem requirit*, non particularis Fratris commoditatem.

Sed si triennium protraheretur ob rationabiles causas?

Respondeo, Clemens VIII. declarauit, posse vltra triennium durare Guardianos per sex alios menses. & recepit *Cap. generale Rom.* 1612.

STATVTVM XLIX.

Ab vno Guardianatu ad alium, per annum saltem, aut ampliùs, vacari debet.

Segouientia *Tit. de Guardianis nu.8.* dicunt, *Nisi vacauerint per integrum annum. Salmant. cap.8.fine. Vacent postea per annum alterum*: annus autem non requiritur naturalis, sed capitularis id, est ab vna ad aliam congregationem, vel capitulum. *Post officia vacet per annum.*

Sed hic oritur difficultas, quia contingit multoties frequentia celebrari capitula, & Congregationes; an si ab vna congregatione ad aliam, sex, aut septem menses intercederent, possit reelegi in Guardianum?

Respondeo affirmatiuè, si superet duas, aut maiorem anni partes, quia cum debeat accipi annus capitularis, & hic talis iudicatus fuerit, cum omnes Guardiani in hoc anno sua officia terminent, & valeat talis acceptio in odiosis, valere etiam debet in fauorabilibus.

Adhuc quæri potest, An decedente aliquo Guardiano infra annum hunc, possit, reassumi ad Guardianatum, ille qui vacare debebat, quia cum reelectus in Capitulo non fuerit, & annus incæptus habeatur in fauorabilibus pro completo, non videtur illi repugnare?

Respondeo negatiuè, quia statuta omnia completum annum requirunt, in quo non valet sola incæptio.

An autem, si quis post expletum triennium, vacasset per aliquot dies post celebratum capitulum & ob mortem alicuius Guardiani iterum assumeretur, in alia familia, incurreret pęnas à Pio IV. impositas?

Respondeo negatiuè, quia quælibet vacatio, continuationem triennij interrumpit: & sic non sumus in casu.

* Quicquid sit de supradictis, vltra Salmatic. & Romanum, standum est pro præsenti statuto Gener. Tolet. 1658. sub Reuerendiss. Sambuca *cap. 8. num.4. part.204.* vbi habetur, quod *Guardiani completo triennio, per annum saltem vacare tenebuntur, qui non minor decem, aut vndecim Mensium sit*. Hoc idem fuerat prius decretum in Valisoletano *cap.8.* * *Annus vacanciæ Guardianorum.*

STATVTVM L.

Guardianus, Magister Nouitiorum simul esse non possit.

Clem. VIIJ. *Instit. Nouit. Nouitiorum Magister, ac socius ab omnibus officijs, oneribusquè vacationem habeant, quæ Nonitiorum curam, & regimen impedire valeant*. & Capitulum generale *Vallisolet.* 1593. & nostra hæc statuta, *experientia teste*, declarant, *vtrumque officium rectè exerceri non posse*. & hoc statutum obligat ad grauem transgressionem, quia tangit totius religionis fundamentum: nec assignari potest causa, quę dispensationem iustificet; Quia officium Guardiani in multis opponitur nouitiorum magistro; ille externis rebus, sæcularium audientiæ, fratrum internorum, & externorum expeditionibus adesse; iste abesse debet: nec excusatur si Vicarium, vel socium habeat sufficientem, quia Magisterium tali committendum esset, non Guardiano. *Guardianus non potest esse Magister nouitiorum.*

STATVTVM LI.

Vicarij Conuentuum ſint Graues &c. qui 30. ætatis, & decimum Religionis annum attigerint.

Quales Vicarij conuentuum eſſe oporteat.

Circa tales Vicarios, hæc ex probatis habemus authoritatibus. Primum, poſſunt à Capitulo, vel à prouinciali, aut ab ipſis Guardianis inſtitui.

Eorum authoritas quādo expirat.

Secundùm, Electus in capitulo, abſente, vel moriente Guardiano, retinet authoritatem illius, quia cum non a Guardiano ſit inſtitutus, & ab alio delegatam iuriſdictionem habeat, illam, eo decedente non perdit, ſicuti neque qui à Prouinciali eſſet inſtitutus. *Rod. 3. tom. q. 76. art. 1. Portel. V. Guardianus n. 3.*

Tertium, quoquo modo inſtituti, præſentibus Guardianis nullam authoritatem habent, quia ij ſufficiuntur in Guardianorum abſentia, & non preſente perſonaliter Guardiano, & coram, ſed etiam in conuentu exiſtente, niſi Guardianus declarauerit (vt moris eſt) quod in refectorio, in choro, in Capitulo, illi obediatur; tunc enim ob communicatam facultatem, parendum eſt illi.

Guardianis etiam abſentibus parere tenentur.

Quartum, obedire tenentur Guardianis, etiam illis abſentibus, & ipſorum obſeruare precepta: Quod declaro, ſi Guardianus per Prouinciam negotia acturus, per aliquot dies abſuerit, certè habet ſui conuentus regimen, etiam abſens, Quia qui parùm diſtat, non diſtare videtur. *Graff. decis. pag. 1. lib. 2. cap. 97. n. 58. Poſſeuin. cap. 1. n. 3. fin. Beia reſpon. caſ. p. 4. caſu 21. Ganzal. gloſſ. 43. n. 5. Trid. ſeſſ. 23. cap. 1 de reform. l. poſt liminium. §. captiuis l. Nihil. ff. de captiu. & poſtli. reuerſis.* Si autem extra Prouinciam progrederetur, quia tunc, non nomine Guardiani, ſed, vel Prouincialis, vel Capituli gubernat (non enim poteſt Guardianus extra Prouinciam exiturus per bimeſtre ſibi Vicarium ſubſtituere, ſed hoc ſpectat ad Prouincialem) non tenetur abſentis Guardianis mandata ſeruare, quia ab illius delegatione non pendet. & eſt deciſum in *Trid. ſeſſ. d. 23. cap. 1. de reform.* circa Parochi abſentiam, quam permittit per bimeſtere tempus. *Ita tamen, vt quandocumque eos cauſa prius per Epiſcopum cognita, & probata, abeſſe contigerit, Vicarium idoneum ab ipſo ordinario approbandum, cum debita mercedis aſſignatione relinquant.* & valet paritas Guardianis qui ſine Prouincialis licentia abeſſe non poſſunt, nec Vicarium in longa abſentia conſtituere; quia in iure Vicarius eſt, quem Superior conſtituit iu loco abſentis, vel impediti. *leg. 2. Cod. de off. eius qui gerit vices.* alterius.

Parum diſtans non diſtat.

Vicarius quis.

Quintum, Vicarium à Prouinciali factum vel confirmatum, ſeu à Capitulo inſtitutum Guardianus remouere non poteſt. *Rod. ſupra. art. 3. Portel. ibid.*

Vicarij quādo habeant Guardianorum facultates.

Sextum, Vicarius qui regit conuentum tanquam Superior Localis, qui ſolet aliquando dici Præſidens, habet eandem omninò facultatem, quam Guardianus, & ſic poteſt abſoluere, ligare, præcipere, punire, &c. ſicuti poſſet ipſe Guardianus, à quo ſolo nomine differt, benedicere corporalia &c. *Portel. V. vicarius in capite.* cum quo non concordo in eo, quod dicit de Vicario Moniatium, quem vult habere tantam authoritatem, quantam Vicarius in capite

Conuen-

Conuentuum,& Monasteriorum, nisi loquatur de aliquo Monasterio, cui adiaceat conuentus,vel hospitium fratrum,vt S.Claræ,& Mariæ Magdalenæ Neapolis;quia ille non est Superior sui socij,aut alterius, quo cum viuat: non enim socius confessarij est subditus illius, sed Guardiani, & Prouincialis, & sic non est Prælatus, nisi speciatim illum constituat Prouincialis, qui tamen non potest constituere Prælatum. nec propterea vnio duorum, vel trium potest appellari Monasterium, nec Conuentus in terminis nostræ Religionis, quæ conuentum non nominat,cui Guardianus præsit,nisi vbi habitare possint saltem 12. fratres, vt *in Tolet.*1583.*Segouiensib.Tit.de Guardianis. n.*7.Vnde Pius IV. Supra, qui ad eliminandam ambitionem, prohibet Diffinitores posse esse Guardianos, concedit posse esse Vicarios locorum, aut Confessores Monialium,qui non sunt fomenta ambitionis, cum non sit Prælati: & loquitur de Vicarijs non in capite, & de confessarijs quomodocumque appellentur.& Sixtus V. in bulla, *Ad Romanum spectat Pontif.* §.6. declarat dignitates,& prælaturas esse Custodiatum,Abbatiatum,Prioratum,Guardianatum,Diffinitoratum,Generalatum, & non nominat Vicariatum;nec Confessoratum; imò Illegitimos, quos à dignitatibus,& officijs arcet,permittit,posse esse confessores Monialium: quod signum est, non esse Prælatos, & consequenter illis non conueniunt quanta imaginatur Portel. lege *Mirand.2.par.q.21.art.2. conc.1.*qui ad probandum in 2.conclus. quod sint Prælati secundum quid, citat statutum capituli Vallisolet. 1571. *quod confessarij Monialium censentur esse Prælati in suis locis, & nullus frater illis subditus, possit è Monasterio exire sine eorum licentia.* Quod puto esse statutum prouinciale,quia eo anno non fuit celebratum capitulum generale Vallisoleti, sed Congregatio generalis Romæ, cum generale Capitulum Romæ celebratum fuerit *ann.* 1571. & indictum futurum Auinione pro *ann.* 1579. durabant enim tunc temporis Generales per 8. annos. & sic electo Romæ Reu. Christophoro de Capite fontium, celebrata est in hac familia Congregatio generalis. Itaque illud statutum non facit regulam generalem,nec simpliciter,nec secundum quid. *Prælaturæ ordinis.*

Septimum, Vicarij Conuentuum secundum Vltramontana statuta. *Tit. de Præcedentia num.21.in Segouien.* locum habent post Lectores artium, & Prædicatores conuentuales,in Minoribus conuentibus. *Secundum Neapolit. cap.41. Vallis.2593.& præsentia tit.de Præcedentia.* Supradictos præcedunt.Inter reformatos Superiorem localem sequuntur, & omnes alios præcedunt in aliquibus locis, & actibus. *Vicarij quẽ locum habeant.*

STATVTVM LII.

Congregationes capitulares singulo triennio bis, aut saltem semel celebrentur,prout magis,pro locorum, & temporum diuersitate,ac Prouinciarum bono, iudicio Patrum expedire videbitur.

Similitudinem habent Congregationes intermediæ,cum Concilijs Diœcesanis sicuti Capitula prouincialia, cum Concilijs Prouincia lib. & generalia cum generalibus, quia in generalibus tota cõit Religio: in prouincialibus omnes custodiæ vnius prouinciæ, & in Congregationibus capitularibus seu intermedijs omnes Patres, qui de totius Prouinciæ bono decernunt. Porrò celebrari singulis annis Synodos diœcæsanas, monet *Trid.sess.24.cap.2.de refor.post Aurelian.3. c.1.Lateranense sub Inn. & Leon.X.sess.10. Tarranense cap.8. Constansiense, Basiliense,&c.*

Congregationes intermediæ, ac annuæ. Statutum fundatur in 8.cap.regulæ, *Post capitulum verò Pentecostes Ministri, & Custodes, possint singuli, si voluerint, & eis expedire videbitur eodem anno in suis custodijs fratres suos ad Capitulum conuocare.* Super quo, & Leo X. in bulla *Ite & vos,* sanxit. *Poterunt tamen intra suum triennium præfati Ministri prouinciales, à suis Capitulis prouincialibus, quæ secundum regulam, & consuetudinem celebrabuntur, si minus vtiles fuerint, ab officijs absolui.* Verùm directè statutum non probant, quia regula non loquitur de capitulo Prouinciali quolibet anno cogendo, sed de eodem anno, quo fuerit generale Capitulum celebratum; ait enim, *post Capitulum verò Pentecostes, possint eodem anno, &c.* idque ad exequenda, quæ in Capitulo generali mandata fuissent, vt inquit *S. Bonauentura.* in hunc locum. Constitutio autem Apostolica loquitur de Capitulo in quo Prouincialis deponi poslit, quod vsui fuit aliquando in Religione, & mandatum celebrari ab Eug. 4. abrogatum tamen à Sixto 4. *& statuto Rom.an.1587. & Salmant.cap.8. quibus nostra, Tit.de prouincial.cap.initio. Mira.tom.3.q.21.ar.8.* & alia familla *Segouien. tit.de capitulo intermedio num.1.* vtuntur; & loco illius præceptum est celebrari, vnam, aut duas congregationes, non ad deponendum Ministrum, sed ad peragenda alia Prouinciæ negotia. *Nam ex hac consuetudine confirmandi Ministros, euenire solet non rectè, quandoquè, & intrepidè suo officio satisfaciant,* inquiunt statuta Salmant, citata. Illud tamen ad præsens Patres Cappuccini obseruant, vt videre est in statutis eorum nuperrimis fol.65.

Non potest cogi Prouincia ad celebrandã congregationẽ. Ex hoc statuto colligitur primò, non posse regulariter cogi à Generalibus Prouinciam ad celebrandam congregationem, quia Patrum iudicio remittitur.

Nisi Patres petant. Colligitur secundò, posse patres, etiam reluctante Ministro, petere Congregationem a Generali, dummodo maior illorum pars instet, nam nomine patrum, non veniunt duo, sed qui habiles sunt ad aliquid concludendum, qui sunt maior pars.

Celebranda est aliqua intermedia. Colligitur tertiò, debere Ministrum, & Patres aliquam intermediam Congregationem celebrare, quia moraliter impossibile est, in prouinciali Capitulo ita benè constitui Prouinciam quoad officiales, & subditos, quin spatio triũm annorum remedio aliquo non indigeat, & cum bonum commune sit scopus celebrandæ Congregationis, iure naturali, ad illud obligantur.

Maximè si causa grauis suadeat. Colligo quartò, extra statutum, si magna pars subditorum reclamet ad Generalem, pro Congregatione, & constet Diffinitorium, non commune, sed priuatum bonum intendere, posse, & debere Generalem præcipere, vt Congregatio celebretur, & Prouincia obedire tenetur, quia defectus, & excessus inferiorum, Superiores Prælati emendare debent. *Tit.de excessibus Prælatorum.*

STA-

STATVTVM LIII.

Ante Congregationem Prouincialem, Generalem moneant, & ab eo licentiam accipiant pro eadem celebranda, vtque si quid pro bono, & reformatione Prouinciæ ordinandum fuerit, ordinare possit.

Itaque inconsulto Generali, Congregatio celebrari non potest, alias esset nulla. Et ratio duplex assignatur, prima, Quia cum Congregatio hæc habeat vim prouincialis Capituli, in qua fiunt omnia, quæ in Capitulo, excepta electione Prouincialis, & Diffinitorum, cum Capitulum, sine expressa Generalis licentia celebrari non possit, sequitur, quod nec Congregatio sine tali licentia celebretur. Altera, vt Generalis, qui est caput omnium prouinciarum, dirigere, & influere possit in membra, quæ disciplinæ regulari expedire iudicauerit. Mutationes enim officialium, & fratrum, extra capitula, & Congregationes violenter fiunt. *Inconsulto Generali non celebranda.*

Quia tamen multa exequi Generales, nisi per se, aut per suos Commissarios præsentes fuerint, non possunt, sequitur ex hoc statuto, vt examinemus, de authoritate Generalium, circa destinandos Præsidentes ad intermedias Congregationes celebrandas.

Quæritur primò, An Generales, dum præsentes esse non possunt, valeant Præsidentes instituere?

Respondeo primò, regulariter non possunt, quia talis celebratio ad Prouinciale ex officio spectat. & sic antiquo statuto Vltramontanæ familiæ apud Ioan. Rouisserium c. 8. *tit. de capitulo intermedio.* cautum fuit. *Quantum ad Capitulum intermedium, relinquitur dispositioni Ministrorum prouincialium, nam si illis visum fuerit poterunt, in quocumque officij sui tempore, non expectata Generalium Prælatorum præsentia, vel licentia.* Salmant. cap. 8. in fine. *Post hoc singulis Cismontanis Prouincijs integrum erit, si placuerit Ministris, & maiori parti Patrum, quolibet anno sua celebrare Capitula. Quando tamen erit, iuxta præmissa, habenda authoritas Generalium, primò habeatur, antequam dicta capitula celebrentur.* Parisiensia an. 1579. *Capitula intermedia, siue Congregationes reseruantur Ministris prouincialibus. Alia verò ad arbitrium Reuerendissimorũ PP. Generalium.* Segobiensia Tit. de Capitulo intermedio. ex supradictis Salmant. & Tolet. an. 1587. *Quare mandamus, quod in medio triennij (consultis Prælatis generalibus) celebretur Congregatio, quæ vim Capituli habeat &c.* Vbi nulla fit mentio de præsentia Generalium, vel de præsidentibus mittendis. Et quod totam dirimit litem, adest statutum Romani cap. anno 1639. titulo de Ministro generali. *Item prohibetur prælatis Generalibus, ne posthac ad prouincias quemquam mittant, vt celebrandis earum Congregationibus intermedijs præsit, nisi causa valde notoria, & vrgens se obtulerit, vel maior diffinitorij pars Prouinciæ ita postulet, alioquin Prouinciales, & alij, ad quos attinet, vti iure suo in hac parte permittuntur.* ex quo. *Generales regulariter Præsidentes pro congregationibus destinare non possunt.*

Respondeo secundo, possunt generales destinare præsidentes, in duobus tan-

tum casibus; altero, vbi causa notoria, & vrgens offeratur; altero, si maior pars diffinitorij petat. quæ autem sit causa notoria, & vrgens, ex iure coniÿci debet: Nam ex alibi dictis, Notoriũ est, quod nulla valet tergiuersatione celari. Itaquè requiritur publica, & iam probata causa, quæ negari non possit, cuiusmodi esset, si diffinitorium totũ, vel maior illius pars, vni tantum factioni esset addictum. Vel si diffinitorium esset inter se diuisum, vnde bono publico, & paci periculum immineret. Vel si in diffinitorio iudicandæ essent causæ Guardianorum, quibus Diffinitores essent infensi. Vel timeretur aliquod malum Prouinciæ ex tali diffinitorio, in Congregatione cogendo, essentquè hæc omnia, vel illorum aliquod, notorium, tunc adesset causa legitima destinandi Præsidentem. Item Vrgens causa est, quæ Superiorem ad remedium adhibendum impellit, seu cogit, dum scilicet à suo officio, & conscientia stimulatur, adeo vt, si non mittat Præsidentem, bono communi se non prouisurum pro certo teneat. Causæ autem impulsiuæ erunt superius recensitæ, quibus addi potest, Graue negotium in Prouincia pertractandum, pro concordia aut satisfactione Prælatorum, Principium, Communitatum, quod concludi, nisi in Congregatione non possit. Nec enim potest Generalis sine causa, vrgeri ad hoc, quia non esset vrsio, seu impulsio, sed voluntas.

In quibus casibus possint.

Causæ notoriæ sint.

Quæ Vrgẽs.

Concesso principali, conceditur accessorium

Quis autẽ debeat esse taliũ causarũ Iudex, certũ est, debere esse ipsum Generalem: quia cui cõmittitur actus, committitur etiã illius principium; & cui conceditur principale, conceduntur etiam accessoria. *c. 1. c. propterea. de offic. iud. deleg.* Nec alius in ordine potest esse Iudex in causis, ad Generalẽ spectantibus.

In dubio recipiendus est Præses.

Verum si Generalis malè informatus de notoreitate causæ mitteret Præsidentem, an non subsistente causa, recipi debeat? Dico, si de facto agendum esset, obediendum est Generali, qui habet pro destinatione Præsidentis, causam, vt notoriam sibi suggestam. Nec contra Generalis determinationem de facto niti debet Prouincia, tùm ob reuerentiam, tùm ob iustitiam, quæ concedit iudici suam exequi sententiam. Tùm deniquè, quia sine tali Præsidente Congregatio celebrari non potest, non concedente Generali licentiam, nisi cum Præsidentis præsentia. Si autem de iure (vt procedi debet) suspendenda est Congregatio, & recurrendum est ad Generalem informandum. *c. si quando. de Rescriptis.* quia mandati causa cessante, cessare etiam debet mandatum. *cap. si pauper Clericus. de præbendis. in 6. Anchar. con. 399. num. 3. Rom. con. 374. nu. 3. 4. 5.* quia cessante causa, cessat effectus. qui tenetur audire prouinciam, contra cuius rationes niti non potest, & probato, quod causa non subsistat, debet Præsidentem reuocare. sed Vrgent verba statuti, *Alioquin Prouinciales, & alij ad quos attinet, vti iure suo, in hac parte permittantur.* Si Prouincia contendere debet cum Generali, nunquam erit locus *iuri suo vtendi*, quia Generales factum suum substentare vellent.

Cessante causa, cessat mandatum.

Permittantur quid importet.

Respondeo Verbum, *permittantur*, non significat, *procedant de facto, & ex seipsis.* sed *præcipiatur illis. c. accedens. d. 50. conce datur, sinatur. l. 7. ff. de legib. Indulgeatur. c. quidam 35. qu. 3.* & vniuersaliter significat dependentiam ab alio. *Bart. in l. Iubemus. 2. c. de sacro. Eccles.* Neq; enim de tanto Prælato iniustitiam præsumere debemus.

Tandem instantia Diffinitorij, nõ se extendit ad alios Patres Prouinciæ, qui in diffinitorio suffragari nõ debet, quia nomine diffinitorij non veniunt nisi illi qui

qui diffinitorio interesse possunt, vt patet ex statutis *Præsentibus*, *Salm. Vallisolet. Neapolit. &c. Tit. de ijs, qui ad Diffinitorium vocandi sunt.* ijs expunctis, qui per breuia apostolica exclusi postea fuerunt. Itaque constat diffinitorium ex emeritis Generalibus, Prouinciali, Custode, & 4. Diffinitorib.

Sed quid, si constante Diffinitorio ex æqualibus votis, vna pars sola petat Præsidentem? *Medietate diffinitorij petente Præsidentem, an concedêdus.*

Respondeo non posse illum Generalem concedere, quia Generale Capitulum vult, vt petat *maior pars diffinitorij*; medietas autem non est maior pars. Quid si petat medietas vbi sit Prouincialis, vel Generalis emeritus, vel vtriq; simul?

Resp. posse Generalem condescendere, quia etiam si dicatur, *Maior pars*, non tam attendendus est numerus, quàm numeri qualitas, & meritum: Vt in simili antiquo iure (quod electiones à maiori parte Capituli fieri mandabat) personarum zelum, & merita attendi mandatur. Et cum simus extra articulum electionis, debemus interpretari maiorem hanc partem, vt preualeat, vbi Prouincialis, vel Generalis præteritus inclinat, quia hæc est senior Capituli pars *c. dudum. c. quia propter. de elect.*

Quæritur 2. An Generalis, vel eius Præses, possit citatam, coactam, vel inceptam Congregationem suspendere?

Resp. in Rom. generali Capitulo mox citato, hoc statutum factum fuit. *Ordinatur à Capitulo generali, ne liceat Ministro Generali, & multò minus alijs inferioribus Prælatis, qui electionibus præsident, illas iam inchoatas suspendere, aut ijs iam congregatis, ad quos spectat, faciendis Congregationibus interesse, eos impedire, ne fiant. Præterea ijsdem Prælatis generalibus interdicitur, ne functiones, quæ ad Congregationem legitimè conuocatam spectant, suspendere, aut impedire præsumant. Scientes totum hoc irritum fore, vtpotè violentum, & libertati electionis contrarium.* *Coacta congregatio suspendi non potest.*

Ex quo statuto Colligitur 1. posse Generales suspendere Congregationes citatas, non tamen congregatas, quia de tantùm citatis, non disponitur.

Colligitur 2. non posse Generales suspendere congregationes iam inchoatas. Inchoatæ autem censentur, cùm vniti sunt Patres in loco capitulari, putà in refectorio, vel cubiculo, ad id destinato. Ita Concilium Tridentinum declaratum fuit, inceptum esse, dum Patres in Ecclesiam ad hoc deputatam coierunt, vt patet in *sess.* 1. & in modo celebrandi Capitula generalia, & prouincialia, apparet, incepta esse talia Capitula, dum congregati Patres in loco capitulari reperiuntur. & sic in *Tit. de ijs quæ in generali Capitulo agenda sunt*, declaratur incipiendum esse Capitulum à generali omnium processione, & gratiarum actione. Nec est necesse expectare, vt dicatur, *Veni Creator Spiritus &c.* quia ante hanc orationem, iam incepta est Congregatio, quæ à coniunctione corporum in vno loco incipere debet. Quinimò. *Congregatio quando dicatur inchoata.*

Colligitur 3. non esse necessarium vt in vnum cubiculum congregentur, sed sufficit conuenisse in destinato Conuentu, quia cum fuerint in vno conuentu, iam sunt congregati ad celebrandam congregationem; distinguit enim statutum, *Illas iam inchoatas*, à Patribus *iam congregatis*, & prohibet, ne impediant *functiones spectantes ad Congregationem legitimè congregatam*. Functiones au-

tem istæ sunt, celebrare missam de Spiritu sancto, Patres ad sonum tintinnabuli in vnum locum vocare, inuocationem Spiritus sancti præmittere, quemlibet in suo loco sedere, Officiales proponere, eos eligere, Prouinciæ negotia disponere &c. hæ omnes sunt functiones ad Congregationem spectantes, quas impedire Generales non possunt. Itaq; Generalibus authoritas adimitur, postquam ad destinatum Conuentum Patres aduenerint, aliquid contra Congregationem moliri; adeò vt si ordinent, etiam sub pœnis, & censuris, illis obediendum non sit. Quorum omnium ratio est, quia licet liberum sit Superiori citare Congregationem, ea tamen incœpta, inuritur Prouinciæ iniuria, si eius Patres, qui Prouinciam repræsentant delusi remaneant; & cum se habeat congregatio per modum vnius, non debet imperfecta relinqui.

Functiones congregationis.

Quæritur 3. An Præsidentes legitimè destinati ad celebrandam Congregationem, habeant authoritatem supra Prouincialem, & totam prouinciam, præcedentiam, iurisdictionemquè excommunicandi, vel puniendi?

Respondeo 1. Delegatus se debet continere intra limites mandati. *cap. Venerabili. cap. cum olim. de off. deleg. cap. cum dilecta. de rescriptis.* vbi Felin. *l. diligenter, ff. mandati.* & ideo si non habuit aliud mandatum, quam præsidere, iuxta illud discurrendum est,

Præses vt præses non est superior nisi in congregatione.

Respondeo 2. in hac præcisè causa, Generalis aliam iurisdictionem præsidenti concedere non potest, quia vt Præses, non est Nec Visitator, nec Commissarius delegatus in causa, vel causis omnibus, Hoc 2. modo delegari non potest nisi in Visitatione prouinciæ, & celebratione Capituli prouincialis, ac ad petitionem maioris partis prouinciæ. ita hæc statuta *cap. 8. §. Visitatores quando mitti debeant. §. 20. ex Salmant. cap. 8. Vallisolet, 1565. & 93. Aquitan,* 1559. primo modo iurisdictionem solùm habet in demandata sibi causa, & sic non habet authoritatem in prouinciam, aut Diffinitorium, vltra præsidentiam,

Respondeo 3, præsidentia iurisdictionem aliam non dat, nisi in ordine ad citationem Congregetionis, & dispositionem negotiorum, inibi tractandorum: & philosophandum est, vt de Præside congregationis generalis pro electione Vicarij ordinis Adde argumentum ex declaratione S. Congregationis Concilij super Bulla Gregor. xv. *Inscrutabilis, ad dub.* 5. vbi dicitur, quod Episcopis, ex præsidentia illis concessa in electione Abbatissæ, nullum ius collatum est, neq; confirmandi, neq; aliquid aliud faciendi: Et sic nullum ius habeat, ac iurisdictionem; quærelas accipere, processus formare, sententias ferre, per obedientiam præcipere &c, non potest, *c. nullus. de Parochis. cap. ad nostram. de consuet. cap. sententia,* 11. *qu.* 3,

Sed dices, si prouincia legitimum præsidentem recipere nollet?

Respondeo potest tueri, per iuris, & facti remedia suam delegationem, quia, concesso semel, quod possit celebrare Congregationem, concedi etiam debet quod possit contra omne illud, quod talem delegationem impediret. *cap. Præterea, cap, ex literis ven, de off. & pot. deleg,*

Respondeo 4. Præses Congregationis, cum vicem Generalis re præsentet, in actione in qua Diffinitorium, & Prouincialis inclunduntur, præcedere debet omnes, & honorari, tanquam delegatus à supremo ordinis Prælato, non solùm in procinctu, & actu celebrationis, sed etiam, post celebratam

Con-

Congregationem, non quidem spatio 20. dierum, prout sancitum est de Visitatore, ac Commissario, ad vniuersitatem causarum destinato; quia cum eius authoritatem non habeat, neq; illius priuilegijs gaudere debet, sed aliquo breuiori tempore, iuxta statutum aliud, *in Tit: Visitatores quando mittendi.* §. *vltimo*; quod est tale, *Quod si quem pro arduo negotio, aut Generalis ipsius arbitrio, aut ad postulationem alicuius Prouinciæ, quandoquè mitti contigerit, eo negotio peracto, mox de prouincia egredi, & ad propria redire teneatur.* Illud autem, *mox*, alibi declaratum est.

Quæritur quartò, An huiusmodi Præsidentes destinari possint à Generali super Congregationes reformatorum?

Respondeo negatiuè, Quia Gregor. XIII. in Bulla, *Cum illius vicem.* §. *Capitula custodialia.* disposuit. *Huiusmodi autem Custodiarum capitulis solùs Custos, qui erit pro tempore, vel eo decedente, Commissarius custodiæ, vel ipse Generalis Minister, si personaliter tantùm interesse voluerit, præsidere posthac valeat.* quam Bullam licet reuocauerit, quoad Generalis authoritatem Paulus V. *Postulat*: vbi Generalibus Ministris pro tempore ordinariam in reformatos tribuit facultatem, eam tamen ad Gregorianæ terminos Greg. XIV. in bulla *Onerosa*, reduxit: *Quoad* (inquit) *iurisdictionem Ministri generalis in reformatos, seruetur constitutio eiusdem Gregorij prædecessoris.* & licet Sanctiss. Vrb. VIII. in sua const. *Rom. Pontifex* ordinauerit, *Reformatos sub obedientia Ministri generalis degere, sicuti degebant secundum dispositionem literarum Gregor.* 13. *Clem.* 8. *& Pauli V.* subiungit tamen §. 5. *Constitutio tamen Clementis, quæ incipit, pro iniuncti, omnimò obseruari.* Clemens autem confirmat supradictam dispositionem Greg. 13. circa authoritatem Generalis in reformatos. cum autem leges concordandæ sint, vbi concordari possunt, & ad sustentandam bullam Gregor. XIII. cum correctione Paul. V. possit dici, quòd Generalis habeat authoritatem in reformatos, *si personaliter interesse voluerit*, dicendum est, talem clausulam non esse reuocatam per constitutionem S. D. N. cum lex posterior non tollat priorem, nisi expræsse de illa mentionem faciat. *Bartol. in l. minoris. init. ff. qui pet. tutel. & l. si constante. qu. 9. ff. soluto matr. & l. ab eis. C. de præd. minorum. vbi Doctores communiter. & Bartol. in l. Titia. §. cum Titio. ff. de adimendis legibus.* Quinimò ipse Paulus V. post restitutam Generali ordinariam in reformatos authoritatem, ait. *Custos cum discretis Guardianos constituat.* Vnde statuta reformation. *cap. 8. pag. 104.* dicunt: *Nell'elettione di Guardiani haueran' voto attiuo, il Superiore Generale, Custode, e discreti Custodiali. Il Commissario, benche haueße à presidere al Capitolo, non haucrà voto attiuo, nè passiuo.* Et sermo est de Capitulo prouinciali, non de Congregatione. Quam constitutionem tueri poterunt Reformati, per bullam S. D. N. *Iniuncti nobis.* In qua inter cætera dicitur. *Ipsique Reformati ad peculiaria Ministri Generalis mandata, quæ Diffinitorum prouinciæ iudicio, dictorum Reformatorum reformationi, & obseruantiæ, non fuerint congruentia, minimè teneantur.* Et destinare Præsidentem pro celebranda Congregatione, non est congruens commodo reformatorum. Quod, cum ipsorum iudicio, decernendum erit, dico, posse Patres prouinciæ petere Præsidentem, & Generalem illis concedere, secundum generale statutum; contra autem ipsorum voluntatem, minimè. An autem expediat, sapientiorum censuræ relinquo.

Præses ad congregationes reformatorum quando destinari potest.

Leges concordandæ sunt.

Lex posterior quomodo priorem tollet.

STATVTVM LIV.

Ab ordinaria Prouincialis obedientia, visitatione, gubernatione, & regimine, nullus, siuè Frater, siuè Conuentus eximatur, Nisi quo tempore Generalis, per se, aut per suos Commissarios actu visitat, pro ipsius syndicatu.

Quia multa sparsim dicta sunt ad Prouinciales attinentia, quæ Generalibus sunt communia, ea hic non replicamus, nimirum, quod authoritas Prouincialis sit ordinaria, vbi de ordinaria Generalis authoritate actum est. Quod ad Prouincialem possit appellari. Quod Prouincialis possit Vicarium, seu Commissariũ Prouinciæ instituere, Quod debeat prouinciam visitare, Quod debeat Cōfessarios examinare; videantur suis locis, vbi de officio Ministri generalis.

Prouincialis est ordinarius. Cùm igitur sit ordinarius, nullus subditus, seu subdita, à Prouincialis visitatione, & regimine eximi potest; Quia ex sæpiùs replicatis, Prouinciales æquiparantur Episcopis, & vbi sunt custodiæ, Archiepiscopis: ac propterea secundum iura, quæ de talibus loquuntur, discurrendum est. Iura autem omnia, summam Episcopo in sua diœcesi iurisdictionem tribuunt, nisi vbi limitata fuerit per S. Canones. hinc iure ordinario regere, visitare, punire, & corrigere possunt Fratres, & Moniales suæ Prouinciæ. Facit totus *Titulus de Officio Ordinarij*, præcipuè *cap. irrefragabili. cum cap. 1. & cap. quanto deuotio. eod. tit. cap. ab omnibus. de maiorit. & obedientia. cap. cum Episcopus. de Offic. Ordin. in 6. capit. Episcopus. 11. quæst. 3. Trident. de regul. Sess. 25. sparsim, præcipuè cap. 1. 4. 8. 20. 21.* Et specialiter Leo Decimus in bulla vnionis. Et quod caput omnium est, Regula cap. 10. *Fratres qui sunt Ministri, & serui aliorum Fratrum visitent, & moneant Fratres suos, & humiliter, & charitatiuè corrigant eos. Fratres verò subditi, &c. Vnde firmiter præcipio eis, vt obediant suis Ministris in omnibus, quæ promiserunt Domino obseruare, &c.*

Generalis quomodo potest eximere subditum ab obedientia Prouincialis. Sed dubitatur, An Generalis possit eximere aliquem subditum à sui Superioris obedientia?

Respondeo negatiuè, si sine rationabili causa fiat, secus si fiat cum causa. Causas rationabiles dico, si illum Commissarium constituat, si illi negotium aliquod committat, cui subiectio ad Prouincialem, impedimento sit; si subditum alicuius seruitio destinet, quod posse facere, Concil. *Tridentinum sancit sess. 25. cap. 4. de regul.* dum prohibet, ne quis alteri se subijciat, sine sui Superioris licentia: Ergo cum licentia poterit, Si in subditum Superior sit infensus, &c. Sine causa autem non potest, quia hoc est ordinem peruertere, & in regula dispensare; præcipit enim regula omnibus subditis, vt suis Prouincialibus obediant; ergo sine causa non potest eximere subditum ab obedientia suæ Prælati, fit enim illi iniuria. *c. ad hæc. de excess. Prælat.* subscribunt *Miranda to. 2. qu. 7. art. 6. apud quem Siluester.* Quorum tamen rationem ductam ab Episcopo, qui sine Papę licentia eximi à suo Metropolitano nō potest, iuxta *cap. Frater noster. 16. q. 1.*

16.*quæst*.1. non probo, nam non sumus in casu, quia ibi Pontifex reprehendit Metropolitam, qui voluerit se immiscere in exemptum per Sedem Apostolicam à sua iurisdictione, non quod non potuerit eximere subditum à iurisdictione inferioris Prælati. Nec idem iudicium est de subdito respectu Guardiani, vel Prouincialis, & de Episcopo, respectu Primatis; Sunt enim illæ Sedes, quæ inconcussæ conseruari debent, nec super illas vniendas, subdendas, eximendas potest, nisi Summus Pontifex; at subditus, qui potest à Generali remoueri ab obedientia huius, vel illius Prælati, & alteri supponi, non est tanta consideratio facienda: Nec semper quatuor (vt aiunt) pedibus, currit similitudo de Episcopis, & Prouincialibus. Teneo tamen sententiam, quam sequitur *Peirinus in formul. lit. E. c.* 35. *n*.3. *qui citat Mandosium, Romanum, Tuscum*. In quo etiam displicet, quod ad probandum, non posse Generales concedere exemptiones ijs, qui officia realiter non exercuerunt, quibus tales exemptiones conueniunt, adducit prohibitionem factam à Sanctissimo D.N. Eremitis S. Augustini, *Inter cæteras*, ac si dispositio vniuersalis esset, Cùm aliæ Religiones talia priuilegia concedere possint, & nostra duobus abhinc annis poterat. Legendus est etiam *Barb. alleg*. 89. *per totum*. In qua plena manu in vtramque partem disputat, an Episcopus possit aliquos eximere a sua potestate; & discordantes componit sententias, quod non possit plenè, & absolutè, etiam à iure reuerentiali, sed cum causa, & in reliquis possit. Quod applicari potest Prouinciali, vel Generali, qui non possunt absolutè eximere subditum ab ipsorum iurisdictione, saltem Generalis, non posset, quia subditus essentialiter est subditus illi, ergo ab hac subiectione eximi ab illo non potest; Esset enim subditus, & non subditus. *argumento. cap. cum ad Monasterium. de statu Monach*. Vide hoc iterum examinatum cap. 12. statut. 12. quæst. 4. Respondeo tertio.

STATVTVM LV.

Prouinciales non differant punitiones delinquentium, vsquè ad aduentum Generalium, sed eos iuridicè puniant.

Prima statuti ratio est, quia vt dicit *S. Augustinus, vel Gregor. relatus cap. si ea de quibus*. 35. *quæst*.4. *Si ea, de quibus Deus vehementer offenditur insequi, vel vlcisci differimus, ad vlciscendum vtiquè Diuinitatis patientiam prouocamus*. Sicuti ex opposito, Deus *ex malorum correctione placatur. cap. si quos. eod. ex Sancto Gregorio Epist*.5. *lib*.7. *Punitiones non differende.*

Secunda Ratio, Quia ipse Prouincialis tenetur punire delinquentes, & non alijs sui muneris obligationem relinquere; vt docet *S. Thomas* 2. 2. *qu*.67. *art*.4. *apud Peirinum tom*.2. *quæst*.2. *cap*.3. *num*. 137. *& infra*. Vbi multa ad rem præsentem apposite congerit. Mihi sufficiet regulæ mox citatæ præceptum. *Ministri visitent, corrigant Fratres suos, &c*. Ergo transgrediuntur hoc præceptum, punitiones differendo.

Tertia Ratio, est scandalum aliorũ, qui de Prælato negligente obmurmurant, cernen-

cernentes vepres, & spinas vitiorum, opplere vineam Religionis, vnde Prælati pigritia culpatur, Et congruit illud Ecclesiastici, *Noli quærere fieri iudex, nisi valeas animo infringere genere iniquitatem.* Et sicut peccare mortaliter Prælatum, scribit citatus *Peirinus num.* 139. qui vel non punit delinquentem, vel non pœna à lege posita, si dico peccare mortaliter qui notabiliter punitiones differt. Offendit enim iustitiam, Rempublicam, & ipsosmet delinquẽtes, quibus grauior est aliquando instantia, quam tolerantia pœnæ; Vnde meritò officio destitui mandatur.

Quarta Ratio est, quia sine causa Generales, vel Commissarios occupat, qui alijs intenti, non debent importunis negotijs prægrauari. Sunt enim in ordine distincta, & subordinata Tribunalia; & sicuti non decet præoccupare inferiorum iudicia, ita dedecet Superioribus inferiores causas remittere. Et hæc peruersio ordinis est, quia *non oportet accusatum alibi, quam in suo foro audiri. cap. si quis Episcoporum. 3. quæst. 6.* Forum autem accusati apud Prouincialem, est ipsius Prouincialis. *Et ibi semper causa agi debet, vbi crimen admittitur cap. vbi semper eod.*

Limitatur tamen statutum, *Titulo de punitionibus non differendis. cap. 8. Nisi legitimam ob causam, Generalis ipsius arbitrio probatam, id fieri non potuisse constiterit.* Vt fuit diffinitum in capitulo generali Romano. *ann.* 1575.

STATVTVM LVI.

In omnibus Visitationibus Confessarios Sæcularium, per se, vel alios examinet, vt diligentiùs studio vacent.

Confessarij sæpius examinandi. Monentur de zelo, quem habere debent circa Sacramentorum administrationem, qua ratione Episcopi possunt iterum examinare Parochos à suo prędecessore approbatos, si ignorantiæ suspicio incidat, vt S. Congregatio Concilij censuit. 26. *Augusti, ann.* 1628. *in Placentina.* Et Sanctissimus D.N. rescripsit Episcopo Giennensi die 30. *Ianuar. ann.* 1629. posse Episcopos iterum examinare approbatos à decessoribus, pro maiori suæ conscientiæ quiete, ad præscriptum constitutionis Pij V. apud *Barbos. V. Confessarius.* Primò qui alias decisiones S. Congregationis Episcop. refert. licet enim semel approbatus, examinari amplius non debeat, id intelligitur de ijs, qui absolutè approbantur, vt concessit Eugenius Quartus, *In Compendio priuileg. mend. V. Absolutio quoad Sæculares. 1. §. 4. vbi & Collector. & §. 16. Nauar. in Manual. cap. 27. numer. 266. Rodrig. tom. 1. quæst. 66. art. 4. Miran. tom. 1. quæst. 45. art. 8. Barbos. allegat. 25. numer. 35. apud quem Suar. tom. 4. in part. 3. disp. 28. sess. 7. num. 8. Reginal. lib. 4. num.* 203. At Confessores Ordinis approbantur cum hac conditione, vt quotannis à Prouincialibus in visitatione examinentur: Vt taceam regulam generalem, *cap. si Religiosus, de elect. in 6.* quod Religiosi non habent velle, neque nolle, & consequenter absolutè remanent dispositioni Prælatorum, tam quoad examen, quam quoad Cõfessiones audiendas, itaut, ipsis contradicentibus, cõfessiones

Religiosus non habet velle, nec nolle.

nes audire non possint, iuxta communem sententiam *Rodrig. tom. 1. tit. quæ. 60. art. 2. Miran. art. 13, con. 1 Sot. in 4. d. 18. quæ. 4. ar. 3. Henriq. lib. 6. cap. 6. num. 6. Graff. tom. 1. conf. lib. 5. con. 4. n. 18. Confect. tit. 17. cap. 5. illat. 7. Pen. tom. 1. quæst. 1. c. 21. d. 3.* *Confessarij, contradicentes prælato confessiones nō audiant.*

Non tenetur autem semper Prouincialis tales examinare, quia si pro certo sciat eos esse habiles, & studiosos, excusatur ab hac functione, argum. *cap. 15. sess. 23. Tridentin. de reform.* Vbi prohibetur excipi confessiones Sæcularium, sine examine Episcopi. *Si illis videbitur esse necessarium.* Ergo si Episcopus sciat approbandum esse doctum, Theologum, &c. Potest sine examine admittere: Ergo maiori ratione potest Prouincialis admissum, & approbatum non reexaminare, si sufficientem nouerit.

Cæterùm teneri, quando constet oppositum, ex iure ipso naturę probatur, quia tenetur impedire ne tantùm munus obeant inhabiles, & malè admissi, etiã si Episcopi consentiant, quia Religiosus magis spectat ad Prouincialem, quàm ad Episcopum, & ideo malè administrans Sacramentum pœnitentiæ, peccat, vt Religiosus, & vt Confessarius, quę duo in vna persona separari non possunt, & consequenter debet Prælatus emendare sui subditi delictum, quod animarum saluti præiudicat.

STATVTVM LVII.

Prouincialis registrum fieri curet, in quo omnia Prouinciæ decreta, etc. Describantur, etc. Et in Archiuio asseruetur.

In omnibus benè ordinatis Rebuspub. consueuit semper legum, & actorum conseruari memoria; hinc publica Archiuia, hinc regesta, hic protocolla, hinc matriculæ, in *Nouellis de Tabellion. §. illud const. 44. vbi glos. & l. Gall. §. idem credendum. ff. de liber. & posthum. vbi Bartol. Concil. Trid. sess. 24. de reform. matrim. cap. 2. vbi liber baptizatorum haberi præcipitur, & cap. 1.* matrimoniorum. *Mediolanen. 3. cap. de ijs, quæ ad capitulum pertinent.* In quo Capitularis Archiuij duobus canonicis cura demandatur. Et Archiuij Episcopalis, si sit à capitulari distinctum, clauim Episcopum conseruare: si commune, vnam Episcopum, alteram canonicum apud se habere, prout etiam in *con. 1, cap. de ijs, quæ pertinent ad honorum, &c.* Decretum fuerat; præcipitur; fieriquè regressa iurium omnium Ecclesiæ, instrumentorum beneficiorum, fructuum, constitutionum, & decretorum, strictissimè ordinatur. Et est communis praxis, ex visitatione Apostolica inducta, ob quam fiunt matriculæ defunctorum, confirmatorum, ordinatorum. Vt taceam de regesto S. Romanæ Ecclesiæ de quo meminit. *B. Nicolaus. 1. in Epist. ad Hincmarum Archiepiscopum Remensem.* tom. 6. con. fol. 580 ijs verbis. *Nam cum nobis, quos nostri vtiquè prisco Ecclesiæ Romanę more in registris exemplaria scriptorum, quę à Sede dantur Apostolica, reseruare, &c.* Cui præiuit S. Gregorius, qui suorum responsorum regestum confecit, Nec facile laudari possunt legum custodia; & antiquitatis monumenta, a quibus *Regesta conseruanda.*

vita

vita regulatur, & prudentia acquiritur. Subnectam ex *Cassiodoro* aliqua, ex citatis, vbi de Secretarijs Generalis.*lib.enim* 12. *Ep*.20. de Archiuio scripturarum publicarum dicit, *Armarium ipsius fortuna cunctorum est, & merito refugium omnium dicitur, vbi vniuersorum securitas inuenitur. Ad paterna transit officia, si incorrupta sit veritas custodita. Nam sicut diligens genitor seruat, quod otiosus successor inueniat; sic arbiter artium, nullum patitur propria vtilitate fraudari*. Et infra *Publicum est omne, quod feceris, dum aut laudatus gratiam, aut accusatus inuenire possis offensam*. Hinc in præsentibus statutis *cap*. 21. *ex Vallisolet*. 1593. Constituitur amplissimus titulus de Archiuijs quem in suis statutis *Segouien.Tit. eodem.cap*.9. Vltramontana inseruit familia, in quibus omnibus præcipitur, fieri duo Archiuia in qualibet Prouincia, & Conuentibus, Prouinciale vnum, Locale alterum: primi claues asseruent Prouincialis, & antiquior Prouinciæ Discretus: Secundi, Guardianus, & antiquior Discretus Conuentus, & in illis reponi receptiones, & professiones Nouitiorum, cum literis testimonialibus receptionum, & qualitatum; Librorum inuentarium; ordinum receptiones, & ordinatorum examen, approbationesquè; sicuti etiam ad Confessiones, & Concionandũ admissorum; Apostatarum, & delinquentiũ processus, seu sententię: Bonorũ immobilium Monialium inuentaria; Constitutiones Generales, & Prouinciales scripturęquè omnes ad Prouinciam, & Conuentus spectantes: Idquè sub pœna suspensionis, quoad Prouinciales, & priuationis quoad Guardianos. Et vt duæ huius Religionis familiæ, sicuti communicant in spiritu, & institutis, communicent etiam in monumentis, in postremo Romano Capitulo generali statutum fuit. *Sit in vtraquè familia Regestum, in quo notentur, omnes actus capitulares, non solùm ad futuram rei memoriam, sed vt Religionis status cognoscatur, & ad regiminis directionem inseruiat. Ad præsentis decreti properam executionem, iubetur vt actus omnes capitulares, decreta, bullæ, declarationes S. Congregationum, decisiones Rotæ, latæ in causis, nostræ Religioni spectantia, Romæ in Archiuio repertæ, quàm primùm transcribantur, & transumptum authenticum ad Vltramontanam familiam remittatur: Vbi etiam aliud fiet transumptum earum rerum, quæ ibi fuerint inuentæ, ad Cismontanam familiam pariter transmittendum*. Et iam de facto his diebus executioni mandatur, Scilicet *ann*.1641.

Inuentaria non conficiẽtes, vt peccent.

Quoniam verò negotium hoc, maximæ considerationis est, non dubito peccare mortaliter Prouinciales, & Guardianos respectiuè, si statuta ista non implent: Vt in simili, peccare mortaliter Parochos, qui inuentaria, sibi a S. Concilio Tridentino præcepta, non conficiunt, affirmat *Sanchez.lib.3.de matrim. disput.15.n.22.Reginal.lib.31.n.242.Guttier.de matrim.cap.60. n.9. Naldus in sum. V.Parochus.n.20.Basil.Pont.de imped.Matrim.cap.26.§.2.Posseuin.de offic.Curati cap.6.n.44.Barb.de offic.Parochi cap.7.n.8*. Qui supradictos omnes citat. adducentes pro fundamento, finem vitandi lites, in causa graui; qui finis etiam est in Prouincia, & in casu nostro.

STATVTVM LVIII.

Nullus Prouincialis per Commissionem sibi factam in propria Prouincia à Generali, etiam cum plenitu-

dine potestatis, exemptus sit a subiectione Commissarij Visitatoris ab eodem Generali in eamdem Prouinciam destinati.

Habet rationem specialem à superius disputatis, de exemptione subditi, &c. Quia Visitator præcipuè mittitur ad Syndicandum Prouincialem,& sicuti nullus subditus eximi potest à Visitatoris obedientia, ita nec ipse Prouincialis,quia ipse est primus,& potior subditus Visitatoris,& facit ordinatum à S.Conc.Tridentin. sess. 25.de regul. cap.8.*Præsides* (inquit) *& visitatores eandem habeant authoritatem in suæ congregationis Monasteria, ac regulares in eis commorantes, quam alij Præsides, & Visitatores in cæteris habent ordinibus.* Et cap.20. *Teneantur què quicumquè prædictorum Ordinum Monasterij præsunt, prædictos Visitatores recipere, & illorum ordinationes exequi.* Et in specie Gregor. 13.in bulla, *Quoniam nostro.8. Aprilis, an.*1575. Sanxit sub pęnis excommunicationis latæ sententiæ,priuationis,& inhabilitatis,&c. *Ne quis Prouincialis, & Guardianus, vel cuiusuis alterius gradus Religiosus, vel Religiosa eiusdem ordinis, ab ipso Generali Ministro Missis, pro visitandis Prouincijs, Commissarijs resistere,nec eis se opponere, aut contradicere, seu se rebellem exibere, ipsos,quacumquè de causa,vel quæsito colore,non recipiendo,audeat, nequè debeat.*

Prouincialis à Commissario nō eximitur.

Primùm, esset enim vanum,& superfluum,mittere Visitatorem supra Prouincialem,& illum à Visitatoris authoritate subtrahere.

Secundum, nequè Generalis, hoc potest facere, quia etsi in sua libertate sit, mittere,vel non mittere Visitatorem, à Missi tamen authoritate, Prouincialem eximere non potest.& vi præsentis statuti,& vi Constitutionis Gregorianæ,quę specialiter Prouinciales Visitatorum iurisdictioni supponit; quia nominationem quidem habet à Generali, iurisdictionem tamen à lege: Vt in Vicario Generali Episcopi. *cap.2.de offic. Vicarij.in 6.*& docet Sbroz. *lib.2.de Vicario Episcop.quæst.55 n.26.*Sanchez de matrim.*lib.8.disput.29.n.*13.

Visitator habet à generali nominationem,sed authoritatem à lege.

Nec tueri potest per *cap.sanè, quia nos.de offic.delegati.* Quasi delegatus à Generali,supremo Principe in ordine,Superior sit omnibus Generali inferioribus; quia dispar ratio est delegato Papæ, de quo est specialis dispositio, & delegato Generalis, de quo est opposita determinatio, tum per pręsens statutum,tum ex alibi dictis,quod Commissarius destinatus à Generali in causa, non est Superior Prouincialis, nisi supra ipsum particulariter mittatur, vel super totam Prouinciam:itaquè delegatio non inducit exemptionem.

STATVTVM LIX.

Prouincialibus Ministris fines Prouinciæ egredi non liceat,nisi de consilio,& consensu Discretorum,Commissarium ad eam regendam constituat.

Licet

Licet in controuersia sit, an Episcopus teneatur sibi Vicarium Generalem instituere, diuersis diuersa sentientibus apud *Barbos. allegat. 54. numer. 125.* Attamen qui negant, loquuntur de Episcopo iam in sua diœcesi existente, quia cum ipse sit præsens,& possit per se ipsum causas omnes expedire, Vicario non indiget; at discedente a sua Ecclesia, nemo est, qui neget,strictó iure teneri, suæ Ecclesiæ prouidere de capite, iuxta decretum *Concil. Tridentin.sess.23.cap.1.de reformat. Interea meminerint discessuri, ita ouibus suis prouidendum, vt quantum fieri poterit,ex ipsorum absentia nullum damnum accipiant.* Cum enim ex eodem Concilio loco citato, *& sess.6. cap.1. de reformat.* Residentia sit de iure diuino, consequens est, vt Episcopus vel per se, vel per suum Vicarium debeat residere.Quam doctrinam ad Prouinciales, qui sunt veluti Episcopi, facilè est applicare.

Prouincialis discedens Cōmissariū constituat.

Verùm non est adeò rigorosa sententia,vt per nullum temporis spatium Prouincialis abesse possit,quin Vicarium creet;quia secundum idem Concilium,*qui aliquantis per tantùm absunt, ex veterùm canonum sententia, non videntur abesse, quia statim reuersuri sunt.* Si Prouincialis ad aliquem viciniores Prouinciæ conuentum per vnum diem,aut alterum accederet,& deinde regrederetur,cum non est considerabilis absentia, non peccaret contra statutum. Quinimo (relicto spatio trium mensium, quod Episcoporum absentiæ indulgetur, quia hoc rem nostram non tangit, cum nec Episcopi recedere possint, quin prius Vicarios constituant) applico tempus octo dierum concessum Capitulo, Sede Vacante a *Tridentin.sess.24.cap.16* pro electione Vicarij Generalis; & puto posse Prouincialem per hoc tempus abesse absquè deputatione Vicarij. Et ratio est quia cum talis Vicarij deputatio fiat, vt viduatæ Ecclesiæ interim prouideatur, & indulgeat concilium tempus octo dierum, signum est, tale tempus non esse magnæ considerationis, & in quo magnum detrimentum Ecclesia pati possit, sic etiam,&c.

STATVTVM LX.

Si extra Prouinciam, Prouincialem mori contingat, Commissarius ab eo relictus Prouinciam regat,quousquè à Generali aliàs prouisum fuerit.

Cōmissarius quando mortuo Prouinciali duret. Delegati authoritasquando,per mortem delegātis, non spiret.

Supponit statutum, aliud inferius notandum; quod moriente Prouinciali, Guardianus loci,vbi obierit,Generalem de obitu certiorem faciat.

Et licet Commissarius iste sit delegatus,eius tamen authoritas non spirat per mortem delegantis, sicuti expirare deberet per *cap.licet vndiquè.de offic.delegati.* tùm quia hoc intelligitur, re integra, vt in dicto Capitulo dicitur, non autem re incœpta, vt dicitur *cap. relatum. cap. gratum. eodem tit.* Cuiusmodi est in casu nostro, quo supponimus Commissarium suam delegationem exercuisse. Tùm quia non fuit institutus à solo Prouinciali, sed à Diffinitorio, quod repręsentat totam prouinciam, quæ iam persistit, tùm deniquè,quia habet perpetuitatem à iure municipali,& statutario,vt patet.Et sic euadit Superior ordinarius

ex de-

ex delegato, cum gubernet, non nomine Prouincialis, sed Capituli generalis.

Et vt hanc materiam de vacante prouincia simul absoluam, licet per antiqua statuta, Vicarius deputari, & eligi non poterat, nisi Generalis expræssa accessisset licentia, per statuta verò recentiora citati Capituli generalis Romani, habemus, scripturas, & sigilla mortui Prouincialis, deferenda esse ad primum Prouinciæ Patrem, *Is verò absquè mora, conuocato diffinitorio, faciet Vicarij Prouincialis electionem, in qua votum actiuum habebit, & passiuum. Quod si Minister, aut Commissarius generalis intra tres dies consistant, consulendi sunt, & eorum responsio expectanda. Si tamen longiùs absint, ijs inconsultis fiat electio, non obstante statuto in contrarium ædito, quod ad hunc effectum reuocat Capitulum generale.* *Vicarius prouincialis à quo instituēdus.*

Quantam autem itineris longitudinem dies contineat, alibi dictum est, viginti nimirùm milliaria.

Sed supposita propinquitate Generalis, valet aliud vetus statutum, nimirùm, *Ad electionem verò Vicarij Prouinciæ non procedat, nisi prius à Generali ipso responsum acceperit.*

Hic dubitatur, an non respondente Generali, vel alium Vicarium sua authoritate constituente, ac inhibente, ne ad alterius electionem descendatur, Prouincia acquiescere debeat?

Respondeo affirmatiuè, quia clarè statutum, ait, *Prouinciam regat, quòusquè Generalis aliam prouisionem fecerit.* Ergo absolutè Generali talis prouisio committitur, vnde est in sua libertate, vel alium nominare, vel eligendi Patribus licentiam indulgere. Et sic decisum in *Clemen. Exiui. de verb. signif. in fine. In Romania verò, vel Grecia, quando Minister dictæ Prouinciæ moreretur, vel absolueretur citrà mare, illa vice seruetur, quod per hoc dictus Minister generalis, cum dictorum proborum consilio duxerit ordinandum.* Et licet sit dispositio, in re particulari, quod in simili fieri debeat, non obscurè demonstrat.

Dices, si relictus Commissarius, tempore celebrationis Capituli generalis, in quo nihil innouari præcipitur, moriatur, quis gubernabit Prouinciam? *Quid si Vicarius moriatur, tempore Capituli generalis.*

Respondeo, de iure communi, potuissent alium pro illo interim destinare, qui prouinciam gubernaret, cum non sit rationi consonum per multos menses remanere Prouinciam sine capite, *Necessitas enim non habet legem, & ideo lex subiacet necessitati. l. Tutor, qui repertorium. ff. de Administrat. tutor. & necessitas facit licitum, quod aliàs de iure non est licitum, de regul. iur. in 6.* Attamen in Generali Capitulo *Romano citato, Titulo de Vicarijs Prouincialibus.* huic casui prouisum est. *Quando autem absentibus Ministris Commissarij morientur, Prouinciæ regimen ad antiquiorem ipsius Patrem cum eadem authoritate, vsquè ad Prouincialis regressum, deferatur.* *Necessitas non habet legem.*

STATVTVM LXI.

Prouinciales in capitulo, quo suum expleant officium, in Diffinitores eligi non possint. Sub pœna nullitatis, &c.

Sic

Prouincialis in diffinitorem eligi non potest &c.

Nec Guardianus.

Sic fuit statutum in vltimo *Generali capitulo Romano*. Quod tamen non prohibet quin in Custodem eligi possint, quia licet Custos primus inter Diffinitores habeatur, tamen aliud officium est Custodis, aliud Diffinitoris.

Quinimò, nequè Guardianus eligi potest, nisi diffinitorium dispenset, *rationabilibus, & vrgentibus de causis*, Quæ si non adsint, dispensantes, & dispensatus tuti in conscientia non sunt, quia datum pro causa, ea non existente, non subsistit, vt alibi dictum est, & adest statutum Romanum vltimum, de dispensatione à Generali facta, sine causa.

STATVTVM LXII.

Prouinciales non eligantur, nisi in ea Prouincia professi, vel per decennium incorporati, in inferiorum officiorum gradib. aptitudinis suæ ad gubernandum specimen prębuerint, aliter electio ipso facto sit irrita, & nulla.

Prouinciales quando ex aliena prouincia eligi possint.

Et hoc in citato Capitulo generali determinatum fuit. Optima quidem ratione, quia Nouitij, & hospites vix Prouinciæ mores, & consuetudines percallere possunt. Vt probatum est de idoneitate Generalis, &c.

Colligitur nullam esse electionem Ministri, qui Vicarius, & Guardianus non fuerit: hi enim intelliguntur nomine inferiorum officiorum, & cum sit pluralis numerus, non solùm Guardianum continet. Et si ad Guardianatum, eligi non potest, qui priùs Vicarium non egerit, multò magis non poterit esse Minister generalis, qui ea officia antea non exercuerit.

STATVTVM LXIII.

Prouinciales Titulares, ad suffragandi effectum solummodo electi, ad instar Commissariorum Prouincialium se habeant, qui ad Capitulum Generale suffragantur, nec vllo Patrum Prouinciæ priuilegio, aut exemptione gaudeant.

Prouinciales titulares.

Et illud sancitum est in *citato Capitulo generali Romano*. Titulares autem sunt, vbi nulli Conuentus a Fratribus inhabitantur, destructi, aut derelicti ob gentilium, & infidelium incursionem. Vt de Ecclesijs apud Episcopos Titulares dicit *Conc. Tridentin. sess. 14. cap. 2. de reformat. quæ in partibus infidelium consistunt, Clero carentes, & populo Christiano*. Vt sunt nunc apud nos, Prouinciæ Scotiæ, Datiæ, quæ olim Florentissimę, nunc sola nomina retinuerunt, ad

ad quarum possessionem, cum spe reducendæ fidei, & religionis, solent Titulares Ministri aliquando institui. Licet hæc institutio in nostra religione rarò visa fuerit. Inter Patres autem Conuentuales frequentius, ac in alijs religionibus. Isti enim cum plebem non habeant, in quam iurisdictionem exerceant, & solo nomine gaudeant, non debent verorum Prouincialium priuilegijs frui, nec enim commodum habere debent, qui incommodum non habent. *De regul. iur. in 6. c. qui habet.* Et ideo, cum tantùm destinentur ad suffragandum in generali Capitulo, hac functione expleta, nihil aliud obtinere debent,

STATVTVM LXIV.

Ad Prouincialatus officium reeligi non poßint, nisi sexennio antea vacauerit: nisi sit in aliena Prouincia, ob rationabilem causam, Generali antea probatam.

Ad dicta c. 8. stat. 36. quæst. 10. de Diffinitoribus, addo, non posse eligi denuò in Prouincialem, qui post officium sexennio non vacauerit, vt dicit statutum ex Gregor. XIII. *Consueuit.* 2. *Ministri autem prouinciales per duplum temporis officij ministeriatus, postquam absoluti à tali officio fuerint, in Ministros Prouinciales reeligi non possint.* Vbi notandum est illud, *Postquam absoluti, &c.* Quod denotat sexennium vacantiæ debere numerari post absolutum officium, itaut à prima ad secundam electionem, numerari debeant nouem anni capitulares. Quod valere aio, in ijs, qui tenuerunt prouincialatum vltra duos annos, qui iis ad merita Prouincialatus acquisierunt, nam si ante biennium renunciassent, cum tanquam Prouinciales emeriti non existimentur, non debent haberi, vt Prouinciales, sed vt reliqui Fratres; ad quorum numerum redacti sunt. *Prouincialis officio functus, quā do reeligi possit.*

Posse autem alienæ Prouinciæ præfici, hoc temporis lapsu non expectato, concessit Pius Quintus. *Pastoralis, &c. Possit tamen Minister prouincialis in aliena prouincia Prouincialis esse.* Et loquitur de lapsu annorum inter officia, & officia.

STATVTVM LXV.

De locali Capitulo.

Cōeuum Seraphicæ Religionis institutum, de quo S. *Bonauentura citatus*, vbi de culpis, & disciplinis faciendis. *In speculo disciplinæ ad nouit. par. 1. cap. 16. Statuta sub Alexandro Sexto, c. 5. Papalia Iul. II. cap. 7. de capitulo culparum par. 34. Neapol. cap. 13. Vallisoletan. ann. 1593. Segouien. cap. 4. Tit. de capitulo Conuentuali, ex Toletan. ann. 1583. & Segouien. ann. 1621. Romana ann. 1603. in fine.* *Capitulum locale.*

Cōeuum quidem, sed non speciale, quia hunc sanctum, & verè regularem modum tenendi capitulum, aliæ etiam religiones habent, vt Canonici regulares

Lateranenses *par.1, suarum ordin.cap.25. De generalibus Fratrum culpis omni hebdomada in Capitulo audiendis à Patre.* Præmonstratenses aliàs citati.*dist.1, cap.7. de capitulo quotidiano.* Cum Prædicatoribus. *dist. 2. eodem titulo.* Minores conuentuales in statutis *Vrbanis cap.10. tit.5. de capitulo culparum.* Alijquè posteriores: Nec inauditum priscis Patribus, vt dicemus.

Consistit autem hoc spirituale exercitium, vt considentibus in capitulo Superiore, cum subditis omnibus, qualibet sexta feria, primùm Superior sermonem ad Fratres habet.

2. Ecclesiam vniuersalem, Pôtificem, Cardinales, Protectorem, Prælatos. Diœcesanum, Generalem, Prouincialem, & Patres ordinis ac Fratres, Principes, Benefactores, ac seipsum, Fratrum orationibus, ac sacrificijs seriò commendat.

3. Præces aliquot pro viuis, & defunctis ad Deum funduntur.

4. A Minoribus incipientes: bini, & bini coram Prælato suas culpas publicè fatentur, & proportionatas repræhesiones, ac correctiones excipiunt.

5. De precipuis regularis disciplinæ capitibus admonentur, Prelatiquè ordinationes auscultant.

6. Absolutis omnibus, facto Capitularis Campanæ signo, recitantes alternatim *psalm. Beati omnes, qui timent Dominum,* Refectorium versus ordinatè procedunt, mensam benedicturi, & de Dei benedictionibus in charitate participaturi.

Vtilitas capituli culparum.

Quanti autem estimandum si tale exercitium, docuit Sanctissimus Patriarcha Dominicus apud *Theod. de Apold. lib. 3. cap. 12.* Qui Romæ in Conuentu Sancti Sixti degens, ex ipsiusmet diaboli confessione cognouit, quam sit Inferno luctuosum, quam religiosis proficuum: Itaut aduersus illud, portæ inferi præualere non possint, cum totum illius ædificium aduersus dęmonum insidias sit ordinatum; Vt quædam virtutum regularium Panegyris rationabiliter appellari possit. Locus illæ (inquit *Abbas de Mauburgo Alphabet.12 c.9. Membr. 4. lit.O.) Præ omnibus alijs, hostib. est terribilis, et Spiritui Sancto gratus, & hominibus vtilis, vt ostenditur ex multis exemplis. Ibi enim Diabolus amittit quidquid lucratur in alijs locis. Vnde hunc tanquam liberationis portum, religiosus amare debebit, & tanquam ianuam, & portâm Paradisi, licet videatur ergastulum martyrum, & infernus quidam damnatorum.* Et ex Magistro Adam de Sancto Victore, dicit Capitulum excusare extremum iudicium, quia confitetur, accusatur, corrigitur. *Ne accusetur in postremo iudicio coram mundo vniuerso.* Et quidem quod attinet ad culparum publicam confessionem (non quam publicam pęnitentiam Canones appellant; de hac enim non loquimur, sed quæ leuiora quædam errata ad humiliationem, & correctionem Prælato exponit) habemus sententiam Sancti Augustini, *De vera, & falsa pœnitentia cap.11. Si peccatum occultum fuerit, sufficiat referre in notitiam Sacerdotis, vt grata sit oblatio muneris, &c. Qui enim multos offendit peccando, placare multos oportet satisfaciendo; vt Ecclesia prius offensa per culpam, in conuersione flectatur per misericordiam.* Quod ad leuiora Religiosorum errata, per quę multi in religione offenduntur, applicari potest. Hugo Victor. *De institut. Monasticis, serm.53.* qui est *de confessione facienda,* inquit. *In facienda autem confessione talis discretio esse debet, vt quotidiana leuiaquè peccata alterutrum coæqualibus confiteamur, vt orationibus factis pro inuicem saluemur.* Porrò *grauioris lepræ immũditiam, Sacerdoti, id est summo nostro Prælato, scilicet Abbati*

pan-

pandere debemus. Quia, vt inquit Gregor. *libr. 32. moral. cap. 17. Facilè culpa corrigitur, quæ erubescitur, quia esse culpa sentitur.* Quæ fuerat Sancti Hieronymi mens in *Regula Monacharum cap. 9.* Vbi *de correptione facienda, & generali accusatione criminum in feria sexta* agit, *Nec pudeat* (inquit) *Singulis hebdomadis feria sexta, quo die Saluator opprobria, & mortem pro homine ab homine pertulit, vnamquamquè Sororum suam vitam coram omni cœtu sororum discutere, et de commissis contra præcepta, & regulam, se proprio ore criminari, ac disciplinam subire, quatenus stimulata mens cogitationis, stimulo accusationis, ac verborum, caueat accusanda, pudendaquè committere. Nec tamen propter hoc occulta cogitamina cordium prodantur, nec occulta peccata, quæ solùm debent Sacerdotibus confiteri: sed solùm, quæ præceptis obuiant publicis, & exempla peccandi sororibus præbent. Si verò vel tumore, vel verecundia, seipsam accusare neglexerit, liceat vnicuiquè propalare crimen alterius, vt nullatenus radices inobedientiæ, & superbiæ in sancto hortulo vestro arripiant, non euellendas de facili.* Quo fundamento innixi *Prædicatores* loco citato, contra præsentes proclamandi licentiam omnibus tribuunt, dummodo *non ex sola suspicione, nec de auditu (nisi dicat, à quo audierit, & ille sit præsens in domo) id faciant.*

Culparum sancta deportatio.

Modum, suos defectus propalandi, & humilitatem in pœnitentijs recipiendis, luculenter, loco citato tradit *S. Bonauentura*, qui capitulum S. Patris Francisci admonitione determinat, *Beatus* (dicebat Sanctus) *qui non est velox ad se excusandum, & humiliter sustinet verecundiam, & repræhensionem de peccato, vbi non commisit culpam.* quod ingenuè adimpleuit *lib. 11. in Vitis Patrum cap. vlt.* Abbas Pæmenses, qui repræhensus à quodam Diacono suo amico de quodam errato, & nihil sibi conscius cum esset, intra se cæpit dicere. *Diaconus iste intensissimè diligit me, & charitate motus hoc dicit mihi, vt sobrius, & vigilans sim. Sed tu infelix anima, dum dicis non feci hanc rem, innumera mala gessisti, & latent te, vbi sunt quæ fecisti heri, vel nudius tertius, vel ante decem dies? Recole ea, si potes. Et hoc itaquè fecisti, sicuti, & illa, & latent te, sicut, & illa. Sic itaque animo affectus, quasi reuera id fecissem, sed oblitus essem, cæpi gratias referre Deo, & Diacono &c. Surgens perrexi ad Diaconum, vt pœnitentiam agere.*

Ne se religiosus excuset.

Fructus autem Capituli culparum, iam supra recensiti sunt. Sufficiat vnum referre, emendationem scilicet vitæ; & perfectionis studium. Est enim veluti schola, in qua defectus corriguntur, & emendantur. Præsentissimo Spiritus Sancti auxilio, qui suos fideles docibiles reddit, & in domo cineris, & figuli, bonitatem, & disciplinam, & scientiam eos docet. Narratur enim in dictis Patrum Vitis *lib. 6. libell. 5.* de quodam Monacho, qui *stimulatus à fornicatione cœpit decertare, & extendere abstinentiam suam per 14. annos, postea tamen veniens ad Ecclesiam, manifestauit vniuersæ multitudini, quod patiebatur: Et quieuit stimulus.* Tantùm valent detectæ coram multitudine inimicorum insidiæ, vt euadant ex veneno anthidotum. Et colubrum cauda appræhensum in disciplinæ virgam inuertant. *Exod. 4.* quia *Virga, & correptio tribuunt sapientiam.* prouer. 29. *Et disciplina Dei corrigit nos in finem.* ps. 17.

Culparum confessione, tentationes discedunt.

STATVTVM LXVI.

A cura Conuentuum, et Prouinciæ Prælati abesse non possint, nisi legitimæ causę, Christianę charitatis, Vrgentis necessitatis, debitę obedientiæ, et euidentis Reipub. vtilitatis, per Superiores ante probentur.

Has causas Concilium Triden. assignat. *Sess. 23. cap. 2. de refor.* Ex quo per analogiam inter Episcopos,& Curatos,ac Prouinciales Generales,& Guardianos.

Residentia est de iure diuino. Dico primò, Residentia est de iure diuino. Triden. supra. *Cum præcepto diuino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est*(etiam nostris Prælatis sine analogia, sed propriè, commissa est cura animarum) *oues suas cognoscere,&c. Quæ omnia nequaquam ab ijs præstari,& impleri possunt,qui gregi suo non inuigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt.* Et citantur in margine *Ioann.21. Pasce oues meas. Act.20. Attendite vobis,& vniuerso gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam,&c. cap. sicut. 7. quæst. 1. cap. qui Episcopatum. 8. quæst. 1. cap. extirpanda. cap. nonnulli. de Clericis non resid. cap. peruenit. cap. non oportet. 7. quæst. 5.*

Sine causa Dispensari non potest. Dispensatio sine causa, non valet. Dico secundò, Sine causa Generalis, vel Prouincialis super residentia dispensare non possunt. Triden. cit. *Neque abesse posse, nisi ex causis,& modis infrascriptis,&c.* Facit ratio receptissima, quod non valeat dispensatio in lege Superioris, si fiat sine causa. *S. Thomas. 1.2. quæst. 96. art. 5.& quæst. 97. art. 4. Victoria de pot. Papæ. Et can. num. 7. Soto de Iust. quæst. 7. art. 3. & lib. 4. de Iust.& iure. quæst. 7. art. 7. Nauar. cap. Statuimus. n. 10.& 36. apud quem alij. Suar. lib. 6. de leg. cap. 19. à n. 6. Rod. to. 1. q. 22. ar. 4. Miran. to. 2. q. 9. ar. 5. Portel. V. Dispensatio. in Add. num. 12.*

Quæ sint istæ causæ. Dico 3. causæ legitimæ dispensandi super residentia sunt, *Christiana charitas* cum quis abest iuuandæ alicuius particularis Ecclesiæ, vel Conuentus causa, ad extinguendas lites ortas vel inter fratres, vel sæculares. ad sedenda odia,& inimicitias, ad componendas paces, & fœdera &c. ad succurrendum parentibus, amicis &c. ægentibus, infirmis &c. eosquè consolandos præsentia, ope, &c. *Vrgens necessitas.* V.g. morbi curandi, belli, vel hostium incursi vitandi, pestis, vel intemperiei declinandæ, odij, vel inimicitiæ aut persecutionis, vel fratrum, vel sæcularium effugiendi, vitæ, salutis, libertatis, periculi &c. *Debita obedientia.* Generali, vel Prouinciali, vel Papæ Legato, imperantibus iustum,& debitum obsequium, boni publici, vel particularis, vt visitationis, Prouinciæ, negotij peragendi,&c. *Reipub. vtilitas,* vt est celebratio Capitulorum, defensio iurius Prouinciæ, aut Conuentum, promotio reformationis &c. Hæc omnia ex *Azor. 2. p. lib. 7. c. 4. q. 4.*

Circa aeris intemperiem, Vel Superioris infirmitatem, quæ vt plurimùm in

Guar.

Guardianis potest accidere, aduerto, non posse gaudere tali dispensatione illum, qui constitueretur Guardianus in conuentu insalubris aeris, iã noti, à quo per totum Guardianatus annum, vel per maiorem anni partem abesse deberet. Tùm quia esset Guardianus titularis; tùm quia sciens, & prudens tale onus acceptauit, & sibi imputare debet, etiam si ibi Vicarium constituat; quia cum hæc officia non dentur in titulum perpetuum, vel non debet acceptare, vel debet renunciare; quia si inuenitur, qui possit esse Vicarius, poterit eidem titulus Guardiani conferri. *Vgolin. de off. Episcopi. c 15. §. 3. Zerola in praxi Episc. p. 1. §. 7. Armendar. Tit. An Parochi debeant residere. n. 132.* *Loci intemperies, aut infirmitas quoad nõ residentiam.*

Nec pestis, aut intemperies, quæ omnes tam Guardianum, quàm subditos corriperet, excusat à residentia, quia in casu communis periculi, cura ouium Prælato incumbit, sub peccato mortali. *Io. 10. bonus pastor animam suam ponit pro ouibus suis. Vasquez opus. de benefic. c. 4. §. 2. ar. 1. dub. 2. Molfes. Tract. 6. c. 11. n. 13. Barbos. de Parocho. c. 8. n. 48.* *Prælato ouium cura, maximè in periculis incumbit.*

Circa inimicitias fratrum, casus est metaphysicus, quia si subditi, vel subditus Superiori aduersentur, non debet remoueri Superior vel cum illo in residentia dispensari, sed remouendus, & puniendus est subditus, nisi Prælatus causam dederit, quia tunc officio destituendus est, quo se indignum ostendit, ob inimicitię causam, quam dedit. Si autem fuerit inimicitia, vel auersio Domini loci, Episcopi, vel cõmunitatis, (nisi voluntariæ fuerint, & sine fundamento ex parte Prælati, aut deduci posse in exemplum timeatur (tunc vel Guardianus est cum alio commutandus, vel ab officio) si mereatur, remouendus (nisi parùm temporis pro officij complemento supersit,) quo non soleat institui nouus Guardianus. *Subditorum inimicitia pro non residendo.*

Circa debitam obedientiam, aduerto Non posse Generalem applicare actualem Ministrum, vel Guardianum ad commissiones, & Visitationes, si habeat alios, curam animarum non habentes, qui æquè benè possint talia præstare seruitia. Ex doctrina *Caiet. 2. 2. q. 185. ar. 5. Soti lib. 10. de Iust. q. 3. ar. 4.* quos refert, & sequitur citatus *Azor. q. 5.* dicens non posse Papam dispensare super residentia cum Episcopis, & aijs Curatis, occupando illos in officijs Camerarij, Pœnitentiarij, V. Cancellarij, Thesaurarij, Auditoris Rotæ, Secretarij, vel Confessarij sui, vel cantoris in capella Papali, si habeat alios, non curatos, qui eadem præstare possint. Quam sententiam, citatis *Sà, Gonzalez, Ricco, Garzia, Armendario, Possevino, Io. Valer. Bonac. Alzedo, Sanctarello, sequitur Barbosa citatus à n. 23. & allegat. 53. n. 85.* Nec obstat statutum de Visitatoribus, in quo dicitur. *Eligantur Visitatores, qui aliàs Ministeriatus officio functi sint, aut actualiter fungantur* quia exponi debet iuxta regulas de residentia, nimirùm si alij non actualiter Ministri, non reperiantur idonei; nec enim iuri communi repugnare statutum, credendum est. *Debita obedientia à residentia excusat.*

Addiderim pro Generalium iudicio, non obligari ad inquirendum omnium subditorum ingenia, antequam Curatis ad negotia vtatur, hæc enim grauissima occupatio esset, sed sufficit, circa sibi notos discurrere, & si aliũ opportuniorem non inuenerint, Prouincialem destinare; dummodo, respiciatur bonum publicum, non particularis affectio, putà, quod si iste non mittatur, amicus non euadet Prælatus &c. hoc siquidem, carnem sapit, & sanguinem. Missus tamen mittentis intentionem, & zelum non habet discutere, sed promptè obedire, relicto mittente in diuini discrimen examinis.

Dico 4. vltra quatuor recensitas causas, potest dispensari super residentia; *Animi relaxatio à residendo excusat.* per duos saltem, vel tres menses, siuè continuos, siuè interpolatos cum Prouincialibus, & Guardianis, relaxandi animi causa. *Trid. citatum,* qua indulgentia, & nos gaudere possumus, qui eiusdem Concilij rigorem portamus. Animi enim relaxatio virtus moralis est, qua, & rigidi Regulares vti, honestè & rationabiliter non prohibentur. Locus autem, & tempus seligenda sunt, ne ad dissolutiones, comessationes, aliaquè huiusmodi, quæ Religiosos dedecent, eatur. Nec in magnarum festiuitatum Aduentus, Natiuitatis, Quadragesimæ Resurrectionis, Pentecostes, addo, & S.P.N. Francisci, Portiunculæ, Stigmatum, Conceptionis B.V. & ieiuniorum diebus à residentia discedatur. Vltra quod tempus Superiores dispensare non possunt, quia præcisè. Concilium vetat. *Extra prædictas causas, nullo pacto debere duos, vel ad summum tres menses excedere.* Nec obstat statutum dicens. *Decernimus spatium absentiæ extra prædictas causas, nullo pacto debere excedere vnam aut alteram ad summum hebdomadam*, quo renunciatum videtur concessioni Concilij. Non inquam obstat, quia interpretandum est iuxta sententiam *Nauarri in Manuali c. 25. n. 121.* dicentis pro absentia Parochorum ad duos menses non requiri licentiam Episcopi, sed benè quando abesse debeant vltra id tempus. cui assentitur *Azor. illum citans. dicto lib. 7. c. 5. q. 10.* sic ad propositum, statutum concedit duas hebdomadas vacantię, quas accipere possunt Guardiani sine licentia Ministri; ad vlterius, cum in Religione sit grauior, requiritur licentia.

Peregrinationes non sunt legitima causa nō residendi. Dico 5. peregrinationes, etiam votos sancitas in subditis curatis, non esse legitimam causam super residentia dispensandi. Probatur ex *c. magnæ deuotionis. de voto, & voti redemp.* vbi Alexander III. absoluit Episcopum Trecensem à voto Vltramarino, & inter cætera ait. *Ecclesiæ Trecensis suspiria, cui vinculo pastoralis sollicitudinis es alligatus, sine cuius assensu votum peregrinationis emittere forsitan non debueras.* in nullis enim recensitis causis ista deuotio continetur. Nec relinquendæ sunt obligationes propter voluntarias deuotiones: illos tamen duos, vel tres menses applicari posse peregrinationibus, & deuotionibus, laudabilius iudico.

In residētia quis dispensare possit. Dico 6. formam traditam à Concilio pro impetranda dispensatione in Regularibus, totam referendam esse in Prelatum, vt nimirùm Generalis in prouinciali. Prouincialis in Guardiano dispenset. Nec in Guardiano dari potest casus, importunè discedendi à suo conuentu extra limites suæ iurisdictionis inconsulto Prouinciali, vt concedit Tridentinum Episcopis, in repentinis casibus, quia id nobis vetitum est per statuta ordinis, & esset Apostata: nisi talis vrgeret necessitas, mortis, occisionis &c. quæ excusari posset, per consensum Discretorum. Casus enim vrgentissimi aliquando legibus non submittuntur, & per epicheiam permittuntur. Quod dicit *Miranda citatus supra,* de Generali, qui extra ordinem *Casus vrgentissimi non subiacent legibus.* sine Papæ licentia abesse non potest, puto non esse verum, quia Concilium remittit absentiam Metropolitæ ad antiquiorem suffraganeum. Ergo absentia Generalis posset remitti ad aliquem, vel aliquos Prouinciales, de quorum consilio, & assensu discedere posset.

Non residētium pœnæ. Dico septimò, Pœnæ non residentium sunt, carentia fructuum, pro rata absentiæ *Triden. sess. 6. & 23. cap. 1.* Peccatum mortale. Priuatio officiorum, & beneficiorum, siuè de facto ex *cap. extirpandæ. de Prebendis.* siuè de possibili. cap.

cap. ex tuæ de Cler. non resid. cap. Clericos. cap. ex par. 1. cod. tit. cum traditis per *Abbatem. in dicto cap. extirpandæ.* quæ omnia statutum amplectitur, dicens. *Si quis autem contra hoc decretum abfuerit, decernimus, præter alias pœnas aduersus non residentes ex iure præscriptas, ac mortalis peccati reatum, quem incurrunt, etiam officio suspendendum esse, vel Superioris iudicio priuandum.*

DE VISITATORIBUS.

Præter dicta circa debitum, quod habent Prælati visitandi ordinem, & prouincias, sequentia statuta examinanda sunt.

STATVTVM LXVII.

Visitatores eligantur, Viri prudentia, zelo, pietate, experientia, & dexteritate insignes; qui vel Ministri fuerint, vel sint, aut Diffinitores Generales, vel Prouinciales existant.

Tota Religionis salus in his Visitatoribus consistit. Quia Generales innumeris alijs negotijs impediti, prouincias visitare non possunt, & satis est, si aliquem, in itinere, vel in tenendo Capitulo, occurrentem conuentum visitent. Hinc tanquam ad summam rerum spectans, in Generali Capitulo, Messanę habito *an.* 1531. electi fuere 21. Patres ex diuersis Prouincijs quos, & non alios ad libitum possent Generales mittere ad visitandas Prouincias: postmodum Generalium arbitrio relicti fuere, & quidem de iure, quia delegare suam iurisdictionem, contingit ad libitum Ordinarij; cum delegatio libera omninò sit. Libera quidem quoad personas, non tamen, quoad personarum qualitates, quia non cuicumque, sed aptis demandari debet. Vnde in generali Capitulo Aquilano *an.* 1559. declaratum fuit, hanc destinationem Visitatorum esse *Naturali, diuino, atque humano iuri consentaneam. Etsi quis contrarium asseruerit, ipso facto excommunicationem incurrat, & omnib. priuetur actibus legitimis.*

Religionis salus in visitatione consistit.

Et de qualitatibus Visitatorum iura decernunt, debere *Religiosas, & circumspectas personas, cap. in singulis Regnis. de statu monach.* & colligi possunt ex fine, apud Triden. sess. 25. cap. 3. de ref. *Sanam doctrinam inducere, bonos mores tueri, prauos corrigere, & subiectas oues cohortationibus, & admonitionibus ad religionem, & pacem accendere.* Debent igitur esse sani in fide, docti in scientia, honesti in moribus, zelantes in disciplina, prudentes in agendis.

Visitatoris qualitates.

Sed dubitatum est, si tales non sint, an acceptari debeant? Respondeo affirmatiuè, quia praua electio Generalem grauat, subditos non eximit, qui possunt contra Visitatorem, ad Superiores recurrere, & reclamare.

An recipi debeat, si non sit qualificatus Visitator, Prouincialatu, vel Patratu? Respondeo affirmatiuè, quia disceptatio qualitatum spectant ad Generalem,

qui peccabit, si statutum trãsgrediatur notabiliter, dixi notabiliter, quia parum pro nihilo reputatur. Et non sentio ademptam esse Generali potestatem per hoc statutum quin possit destinare aliquem, qui nec Minister, nec Diffinitor fuerit, vt de facto multos vidi missos ad Visitandum, tùm quia non additur clausula irritans, tùm quia authoritas Generalis hic non est impedita, tum deniquè, quia poterit esse Pater, aptus ad tale munus obeundum, qui tamen Superior non extiterit. Et quoad hanc partem statutum est potius directiuum, & consultiuũ quam preceptiuũ, & authoritatis Generalis arctatiuum. Dixi in hac parte, quia in alijs est absoluta sui muneris obligatio, vt graues, & sufficientes personas mittat. Et ferè semper, qui nullo sunt titulo conspicui, nec graues euadunt, nec cum applausu recipiuntur, nec de illis fit casus vltra opinionem. Et coguntur moribus, rigoribusque & in fractione panis opinionem aliquam aucupari, Iuxta monitum Apostolicum 2. ad Titum. *In omnibus prabe te ipsum exemplum bonorum operum in doctrina. in integritate, in grauitate.* Memor suæ iuuentutis, ex qua contemptibilis videbatur, sicuti, & ipsemet Apostolus infirmus ex præsentia corporis. Ideo vltimo loco grauitatem posuit, quia obtineri non potest, nisi præcedentibus bonis operibus, doctrina, & integritate. Et quidem in hoc vigilandum est, vt suauius Prouinciæ visitentur, subditiquè facilius Visitatores recipiant, Vt statuta ipsa docent.

STATVTVM LXVIII.

Quando Generalis adesse non possint, Visitator eius nomine, & authoritate Prouinciale capitulum conuocare, celebrare, et in ipso præsidere, ac omnia, et singula præstare debet, quæ ad capituli celebrationem spectant.

Visitator nõ potest mitti, nisi ob Capitulum prouinciale. Consuetudo est lex.

Primò certum est, non posse miti Commissarium Visitatorem, nisi occasione Capituli celebrandi, vel ad petitionem prouinciæ, vt alibi dictum est, quod probat *Peirinus tom. 1. quæst. 1. c. 18. §. 1.* Non enim potest Generalis quoties voluerit, vel per se, vel per alios visitare prouincias: esset enim ordinem, & consuetudinem perturbare. Consueuit siquidem singulo quoque triennio à Generali, vel eius Commissario quælibet prouincia visitari. Et hęc consuetudo est lex. *cap. consuetudo. d. 3. cap. videtur nobis. Qui matrim. aduisare possunt.* ad quod respiciens Triden. *sess. 25. cap. 1. de regul.* præcipit, vt Superiores suis temporibus visitent. Alias ex particulari affectione procedere iudicaretur, quod maximè generali Prælato vitandum est *Nauar. Com. 4. de regul. n. 23.*

Bis visitare prouinciam non licet.

Quid si visitata Prouincia, celebratoq; Capitulo, nullo reclamante, iterum Visitatorem mitteret, vel ipsemet visitare vellet, an esset recipiendus? Quę difficultas etiam de Prouincialibus examinari posset?

Respondet *citatus Peirinus*, negatiuè. Et licet tale facinus a Generali nunquam patratum esse, memoriæ proditũ sit, attamen ob reuerẽtiam Generali debitam,

bitam, saltem in sua persona, negare non auserim, nisi in casu, quo stultus committeretur excessus. De eius Visitatoribus, à Peirino non discedo; qui etiam soluit in sua, dubium, quod esset in nostra religione soluendum, nimirum quia Gregor. 13. Constitutione *Quoniam nostro*, edita 8. *Aprilis* 1575. in qua non recipientes Commissarios Visitatores à Generali missos, grauissimè excommunicat, & mulctat, ait. *Volentes eundem Ministrum generalem, quotiescumquè sibi expedire videbitur, quos voluerit Commissarios, ad quascumquè sui ordinis vtriusquè familiæ prouincias, quibusuis consuetudinibus, ac statutis non obstantibus, liberè mittere posse.*

Respondeo, attendendum magis esse ad mentem, quàm ad verba statuti. *cap. humanæ* 22. *quæst.* 5. Etiamsi verba videantur contraria. *Siluester V. Dispensatio. quæst.* 4. *num.* 7. mens autem statuentis est, seruare illæsam, & liberam facultatem Generalis, vt suis temporibus visitatorem mittat. Ait enim in proemio (ex quo statuentis mens colligitur, ex *Panor. in cap. aduersus. de immun. Eccles. num.* 2.) *Vel Cõmissarios ab ipso Generali pro tempore deputatos, &c.* Et in dispositione ait. *Ne quis Prouincialis, &c. Ab ipso Generali missis pro visitandis Prouincijs, Commissarijs resistere, &c.* pro *tempore* autem, *& visitandis prouincijs*, respicit consuetudinem, & statuta ordinis, quæ singulo quoquè triennio visitari præcipiunt. Et quoad hoc annullat consuetudines, & statuta in contrarium. Et præterea notanda sunt illa, *quotiescumque expedire videbitur.* Extra autem tempus, nec expedit, nec vtile, sed pacis conturbatiuum, scandalorum generatiuum, & magnarum conturbationum productiuum est. Vnde Generalis concessa ab ordine, & à lege facultates, non vtitur ad ædificationem, sed ad destructionem.

Mens legis attendenda.

Quæ ex proemio colligitur.

Moneo tamen lectores, ne temerè missis à Generalibus opponantur, cum nesciant causas, quas prædicti habuisse potuerint. Et nè vitant inobedientiæ notam, rebellionis suspiciones, & graues, in quas se conijcere possunt, angustias, Cum eundem effectum per recursum ad ipsos, vel maiores, obtinere possint.

Secundò certùm est, non posse celebrari Capitulum prouinciale, sine expræssa licentia Generalis, quàm præsumere non potest Commissarius ex generali commissione, nisi concedatur expræssè. Iuxta repetitam regulam. *In concessione generali non veniunt specialia. de regul. iur. in* 6. Et specialissimum est, celebrare capitulum, quod non solet ordinariè in literis commissionalibus Visitationis apponi. Quare quando in statuto dicitur, *possit eius nomine, & authoritate celebrare capitulum.* Intelligi debet de authoritate expræssa, & explicita: Sæpius enim accidit, vt vnus visitet prouinciam, & alius Præses capituli destinetur, vt his diebus accidit in Prouincia Sancti Angeli. Nec in isto articulo Generalis habet restrictionem: Licet de honestate, & aliquando ex iustitia (si contraria non vrgeant) non debeat Visitatori talis authoritas denegari, quod malè audit in ordine.

Capitulum prouinciale sine licentia celebrari nō potest.

STATVTVM LXIX.

Qui etiam opportuno tempore mittendi sunt, vt totam Prouinciam diligenter antea visitare possint.

Cum

Visitatores quo tempore destinandi.

Cum Capitula quolibet, triennio celebrari debeant, & Prouinciales vltra triennium durare non possint, iuxta Constitutiones Apostolicas, quas Clemens Octauus, ad sex alios menses extendit; itaut Prouincialis finito triennio, statim cesset esse Prouincialis,& sex alios menses gubernare possit,vt Commissarius; quibus elapsis, eò ipsò vacet ipsius officium,necessariò coguntur Generales mittere Visitatores, aliquot menses ante finem trienni), plus, minusvè secundum prouinciarum latitudinem, Vt visitari possint, non perfunctoriè, sed iuxta sacrorum canonum instituta. Hoc autem tempus, vt plurimùm solet esse trium, quatuor, & ad summum sex mensium, quando Prouinciæ latissimæ essent. Accidit tamen aliquando,ob graues causas,elapso biennio (quo Prouincialis emeritorum priuilegia acquisiuit) destinari Commissarios. Sed hoc rarissimè, & ex causis vrgentibus, quia alias iniuria irrogatur Prouinciali, ante tempus eumdem ab officio remouendo; quia eò ipsò, quo Commissarius intra Prouinciam fuerit, Prouinciali suspenditur iurisdictio: Vnde causis legitimis non extantibus, potest de iniustitia conqueri, & in pristinum restitui.

STATVTVM LXX

Visitator antequam commissionem exequatur, eam Prouinciali, vel præsenti, vel per literas significet.

Delegato non creditur nisi ostendat facultatem.

Quia delegato non creditur, nisi de delegatione doceat, vt in Praxi Criminali *Titulo Iudex delegatus. pag.* 101. probatum est: Vnde illum, non publicata commissione non recipere, nulla rebellio est. Significatio autem hæc authentica esse debet, itaut probari possit, quia si non probaretur, nullum effectum produceret, quoad punitionem Prouincialis, & aliorum, qui contemplatione non publicatæ commissionis cum non reciperent; Et posset puniri Commissarius aliter procedens *cap. quoniam contra. de probationib. in fine.* Nisi Generalis esset præsens in eodem conuentu, quia in eo casu, credendum esset dicenti, se esse institutum Visitatorem, cum nullus præsumatur, ita desipere,vt tantum mendacium dicat. *Menoch. consf.100. num. 78. Farinac. quæst.214. Hostiens. in summ. de offic. delegat. in Rubric. de recip. Baldus, & Salicet. in l. omnis vir. C. de testibus. Bartol. in l.1. C.eod. & alij apud Farinac. supra. Natta in addit. ad l.citat. vbi allegat. concord.*

Sed dato casu, quod Visitator per literas significasset Prouinciali suam commissionem, & nuncius eas non reddidisset, an Commissarius legitimè suam possset prosequi commissionem?

Commissionales literæ cum effectu ostendi debent.

Respondeo negatiuè, quia prius cum effectu debet probare suam delegationem. *cap. cum in iure peritus. de offic. delegat.* ibi: *Nisi de mandato Sedis Apostolicæ certus extiteris, exequi non cogeris quod mandatur.* Cum traditis à *Mascardo de probat. conc.949.n.18.& con.1465.à n.7.Ricc.in collect.dec.p.3. collect.532. Perez lib.2.glos.1.tit. 1.lib.8.Ordin. Sanch.de Matrim.lib.8.dis.17. nu.17. Tiraq. de Nobilit.c.29.nu.39. Menochio de Arbitris. lib.1. qu.76.num.8. Abb. in dicto cap. cum in iure. Glos. & alijs.* Et culpa Tabellionis, aut malitia, Prouinciali noce-

nocere non debet, *cap. non debet aliquis. cap. sine culpa. de regul. iur. in 6.* Et clarè statuta inquiunt, *Visitator antequam commissionem suam exequatur, eam Prouinciali præsenti, ostendat, vel per literas significet. Deinde ante visitatonis initium ipsi Prouinciali locum assignet, &c.* Ergo ex ordine patet non esse incipiendam Visitationem, nisi post commissionis notificationem.

An debeat mittere originales literas commissionis, an verò illarum exemplar, an autem sufficiat, scribere, *Nuncio tibi me esse Commissarium, &c.* *Velin originali, vel in authenticis exemplaribus.*

Respondeo, *Abb. in citato cap. cum in iure. num.6.* ait mandatum probari posse, vel ostendendo originale, vt *toto titulo de fide instrumentorum*, vel per exemplum authenticum ex originali sumptum, & in literis nunciatorijs insertum. Et citat *Hostiensem hic. Felinum. in cap. finali. de fide instrumentor.* & probat *Aloysius Riccius in praxi aurea, resolut. 414. num. 2.* Atquè hoc de rigoroso iure, Quando Prouincialis simplicibus literis credere nollet; & elicitur ex statuto, in quo Commissio ostendi mandatur præsenti, vel nunciari absenti. Sicut enim præsente Ministro non crederetur dicenti, nisi ostenderet, originales, vel authenticum transmittat exemplum. Authenticum autem fit, per literas ipsius Commissarij, sigillo alicuius conuentus munitas, quia non consueuit Religio, externos adhibere notarios. Quinimò simplicibus literis aliquando creditur.

Dices. Si his remedijs non obstantibus Prouincialis absens credere nollet, vel diceret, nescire, an talis commissio sit vera, vel falsa, &c. Quid agendum?

Respondeo, ex citati *Abb. & Hostien.* doctrina, Prouincialem malitiosè se opponere, quia commissio sigillata sigillo Generalis, illiusquè subscriptione munita, fidem authenticam facit, & Commisarius potest contra ipsum procedere, tanquam contra rebellem *cap. literis. de offic. delegat.*

STATVTVM LXXI.

Deinde ante visitationis initium Prouinciali locum assignet, &c.

Sequentia aliquot statuta per aliqua dicta expediam.

Dico primò, Visitator debet assignare locum Prouinciali, illiq; iurisdictionem circa externum gubernium suspendere. Et ratio est, quia Prouincialis syndicatur; & ideo visitationem nec impedire, nec perturbare debet, Vt est in praxi omnium iudicum, cum sui officij rationem reddunt. & tradunt *Clar. q. 53. Versu. fuit aliquando. Baldus con. 178. num. 3. Vol. 1. & fusè in tract. de syndicatu. Joseph Cumia. in practica syndicatus. præcipuè cap. 15. nu. 3.* *Visitator locum prouinciali assignet.*

Hinc meritò suspendit omnes obedientias Prouincialis, & præcipit fratribus per vniuersam prouinciam, vt è sui conuentus limitibus non excedant, quia secus eos visitare non posset, si accedens ad Conuentum illos aliò iuisse reperiret. *Obedientias suspendat.*

Meritò etiam Prouincialem in vno conuentu, non de principalioribus restringit, vt suam authoritatem expirasse quoad externum regimen cognoscat, & pos.

& possint subditi, liberè contra non amplius Superiorem, suas petitiones exponere; alias timere possent, & dubitare an audirentur a Visitatore, qui Prouinciali addictus videretur.

Literas circulares ad prouinciam. Dico 2. Communibus literis, de suo aduentu Prouinciam totam monere debet, orationes publicas pro fælici visitationis exitu indicere, eisque seipsum commendare. Ratio est, quia nesciretur eius aduentus, authoritas, ordinationes; neq; si ad Prouincialem reccurrendum esset pro causis vrgentibus. & cum sit opus, ad Dei gloriam, & Religionis bonum ordinatum, communibus suffragijs est adiuuandum. ita iura præscribunt. *cap. 1. §. Sanè. de censibus. in 6. & ibi Doctores. Concil. Trid. sess. 24. cap. 3. de refor.* & in communi praxi ante visitationem expediuntur edicta, de quibus videri possunt. *Barbosa in collect. bullar. V. Edictum. Gauantus in praxi visitationis episcopalis.* §. 4. & in fine, vbi formulas edicti describit.

Prohibere sæcularium fauores. Dico 3. monere non solùm, sed & præcipere debet, ne recurratur ad fauores sæcularium pro ambiendis officijs, ad ipsorum memoriam reducens sanctiones Pauli V. & Sanctissimi D. N. Vrbani VIII.

Magnum siquidem impedimentū est bono regimini, cū negotia Religiosorum ambitionis impulsu, à sęcularibus promouētur, & quia huius materię mentio incidit, de illa secundū Paulinā, & Vrbanā constitutiones nonnihil afferam.

Ambitum per fauores, qui prohibuet in & per quas pœnas. Sciendum est igitur 1. Paulum V. *an. 1619. die 18. Aprilis.* in constitutione, quæ incipit, *Admonemur*, prohibuisse Superioribus Minorib. obseruantibus S. Francisci. 1. gratiam aliquā concedere. 2. pœnas remittere. tertiò gradus, honores, dignitates, officia, administrationes, functiones, prælaturas ad instātiam sæcularium, vel ecclesiasticarum personarum extra ordinem tribuere. subditis autē, primò fauores ad supradicta procurarare. secundò spontè oblatos recipere. Tertiò munera ad hunc effectum sæcularibus dare. Pœnæ transgredientium sunt; Superioribus excommunicatio latæ sententiæ, post virtutem sanctæ obedientiæ; subditis perpetua inhabilitas ad obtenta, & obtinenda. Quia tamen vidabatur tractu temporis in non vsum abijsse, & publicata denuò fuit constitutio in generali Capitulo Tolet. *ann. 1633.* & quoniam in odiosis, non videbatur reformatos compræhendere, vt in meo quodam consulto censueram, vt ambitionis erumpentes gemmæ, apostolicæ excommunicationis frigore siccarentur, ad eosdem expresse à S.D.N. Vrb. 8. in cōstit. *Admonemur pastoralis.* ædita 29. Iulij an. *1639.* extensa fuit. Itaq; omnes Franciscanos sub Generali obseruantiū militantes narrata dispositio compræhendit.

Sciendum secundò, hos Pontifices non induxisse, nec nouum nec singulare ius, sed antiquum renouasse, sancitum à Pio V. *ann.* 1571. *Pastoralis officij.* & Gregor. XIII. *an.* 1573. *Consueuit.* Pius sic. *Qui autem ad officium obtinendum, quorumuis fauorem extra ordinem procurauerint, vltra prædictas pœnas*, (excommunicationis latæ sentētiæ, & priuationis perpetuæ vocis actiuæ, & passiuæ) *per mensem carceri mācipentur.* Greg. addidit *inhabilitatem ad omnia officia ordinis, nisi sæcularem ex malitia rogasse constiterit*, & quoad Prædicatores *ann.* 1580. adiunxit, gratias concedere, pęnas remittere, non posse. quas etiam, Clem. VIII. *ann.* 1592. gratias idest gradus, honores &c. non posse concedere, vetuit. itaque Paulina ex omnibus conflata videtur. de quibus *Rodrig. tomo 2. quæst. 56. articul. 1. 2. & 3.*

Scien-

Sciendum tertiò, Superiores, & subditos compræhendi in pœnis tantùm, dum gratiam, & iustitiam concedunt, vel procurant in ordine ad ambitionem. Ita prœmium bullæ, *Ne ad dignitates, & officia, per emendicata suffragia ambitiosus pateat excessus*. ex prœmio enim mens legislatoris dignoscitur. *l. fin. ff. de hæred. instituendis. cap. quia propter. de elect. Nauar. de datis, & promissis nu. 7.* Quia continet causam finalem. per textum iuris optimum in dicta *l. fin. de hæred. instit. vbi Bart. Bald. Imola*. Ex eo mens disponentis colligitur. Panor. in *cap. Aduersus. n. 2. de Immun. Eccles.* sicuti ex præfationibus probatur intentio contrahentium *l. Titia §. idem respondi. ff. de verb. oblig. l. item quia §. fin. ff. de pactis*. & ex præfationibus statutorum probatur mens statuentium. *Bart. in l. ambitiosa ff. de pœnis*. Ad prœmium recurrimus, quò disponentis voluntatem coniiciamus. *l. 1. initio. ff. de transaction. Nau. de rescript. in cap. si quando. excep. 5. num. 1. 7. 11*. Cessante enim causa finali, cessat dispositio. *cap. cum cessante de appell. Ladigere. §. dulcissimis. ff. de legat. 2.* & tradit *Pano. in c. suggestum. & cap. meminimus. de appell. in c. fin. de rescrip. Fel. in c. tua. de iure iurando*. Cessante igitur ambitione, cessat lex. idem patet ex Pio disponēte contra procurantes officia. & ex Gregor. cōtra recurrentes ad fauores sæcularium, ad aliquod officiū obtinendum, extra enim Ambitionem (quæ ex S. Th. 2. 2. q. 131. art. 2. *Est inordinatus appetitus honoris*, & est peccatū mortale) ratione finis mali, vel ratione rei ambitæ, nō erit culpa, vel concedere, vel petere per fauores; Quia secluso vitio poterit esse virtus tendens tam ex parte Fratrum, quàm sæcularium, ad maiorem Dei gloriam, & Religionis candorem. Nec est præsumendum, voluisse Pontifices facere de licitis illicita, vt in simili. *Nau. de datis nu. 22.*

Pœnæ incur runtur dum tenditur.

Ex prœmio meos legis dignoscitur.

Ambitio quid sit.

Hinc colligo primò, petere gratiam, vel iustitiam ad vitandum scandalum, puta si sæculares scandalizarentur, quod aliquis Frater contra rationem retineretur carceratus in conuentu, vel esset è conuentu eiectus ob prætensum scandalum, & non esset verum, quod talis Frater esset necessarius pro reparatione conuentus, pro concionibus, pro confessionibus, pro regimine conuentus, vel prouinciæ, & peteretur à sæcularibus deuotis, & rem probè callentibus, zelumquè Dei habentibus, &c. Non peccaret concedens, nec puniendus esset, quia hic nulla est ambitio.

Quando non incurrantur pœnæ.

Colligo secundò, si Frater, remota ambitione, & formato sibi vero, vel falso conceptu boni publici, sponte oblatos fauores acceptaret, vel procuraret, non esset pœnis obnoxius ex eadem ratione.

Colligo tertiò, procurare officia, ambitionem nō sapientia, vt Coquinarij, Librarij, Quæstoris, Ostiarij, Hortulani, &c. Non est contra has constitutiones, quia non est credibile, Pontifices de his minutijs disposuisse, quæ sunt abiectionis materia, etiam si, hic, aut ille contrarium appræhenderet, & ad malum finem procuraret, vel concederet.

Colligo quartò, procurare, vel concedere obedientias pro studijs, peregrinationibus negotijs, &c. non est contra has bullas, quia nulla hic ambitio; & poterunt aliquando esse virtutis actus, religionis bonum promouentes, vt dum procuratur studium iuueni bonæ indolis, licentia filio ad iuuandos parentes, ad lites componendas, &c.

Sciendum 4. non esse mentem constitutionis negare Primatibus, Principibus Regibus, Cardinalibus, Imperatoribus, Episcopis, &c. quod negatum, inferret dam-

damnum religioni, & inureret ingratitudinis maculam, quodque non posset sine ingenti rubore negari, essetq; apud prudentes, & pios inurbanum nimis, & absurdum. Secluso enim ambitionis fomento quod omninò secludimus; non est præsumendum voluisse Pontifices, Religioni, & Religiosis obesse. cum enim Religio pauperum à Benefactoribus, & maximè Principibus pendeat, si ipsorum aliquis pro sua consolatione, suæq; domus adiutorio, peteret fratrem aliquem, vel mitti, vel collocari, vel præfici alicui conuentui, si idnegatur Regi, v. g. vel Reipublicæ, creari posset magnum conuentui, vel prouinciæ incommodum, vt replicatæ experientiæ docuerunt; leges enim positiuæ cum tanto detrimento non obligant, & impossibile iudicatur, quod est nimis difficile. *c. erit autem lex. d.4.* quia lex ad commune commodum fertur. *l. 1. & 2. ff. de legib.* & dictant leges communem vtilitatem. *5.eth.c.1. Villal.tract.11. per totum. num.4. Mencaca lib.1.controu.cap.vlt. num.2. Salas de legib. disp.1.sect.8. n.52. Bonac. de leg.qu.1. punct.1. n.11.* & est talistanta ista difficultas, vt Reuerendissimus Campanea, qui talem constitutionem in suis statutis inseri voluit, sibi à Pontifice dispensari procurarit, ob ineuitabiles moraliter casus.

Inpossibile, quod nimis difficile.

Quid prohibitum sit ambire.

Sciendum quintò, prohibita in hac constitutione, sunt Gratia, Iustitia, Gradus, Honores, Dignitates, Officia, Administrationes, Functiones, Prælaturæ, quæ sic breuiter explico.

Gratia quid significet.

Gratia aliquando significat beneficium Ecclesiasticum, aut indulgentiam, vel authoritatem. *c.gratia. de rescriptis. in 6.Clem. gratiæ eodem tit.c.ob gratiam. de regul.iur. in 6.* Aliquando sumitur pro eo, quod fit sine obligatione. *Bart.in c.1.de pace iuramento firmata. & l.Titius. ff. de obed. seq. patr.* sic Theologi ex Apostolo, *Gratia si ex meritis non est gratia.*

Quid iustitia

Iustitia hic significat præstationem iuris debiti, à Superiore, vel iudice: est enim, *constans, & perpetua voluntas ius suum vnicuique tribuens. Instit. initio. li.1.de iustit.& iur.& l.vltima. ff.eod.* Cũpræhenditq; distributiuam, & commutatiuam. Quæ quia iudicat de contractibus, commutationibus, compensationibus, ad rem non pertinet. itaquè remanet distributiua, respiciens pœnas, & præmia, secundum merita distribuenda; & sic opponitur gratiæ, quia iustitia includit ius, gratia excludit. Hic igitur illa iustitia prohibetur, quæ est religionis destructiua, disciplinæ regularis confusiua, ambitionis materies. Cuiusmodi esset condonatio pœnę debitæ delicto, eius, qui puniri nollet, & propterea ad fauores sæcularium recurreret: si enim ad solum se tuendum (vbi in religione ille non posset) & ad vitandam indebitam vexationem, recurreret ad sæculares, non peccaret in has bullas, quia de iure naturæ quilibet se defendere potest, & debet. Quod limito, si timeretur pęna grauis, triremium, exilij, longioris carceris, &c. Non autem de leuibus, & ordinariis, quæ salutares appellantur; Quia maius esset dispendium, quã compendium, dum secreta Religionis sæcularibus reuelaret, & pro leuibus ad fauores recurreret. Hinc Aduocati, Procuratores, externiq; Iudices conquiruntur, quando legitimæ defensionis copia non habetur.

Gradus.

Gradus non sumitur pro distantia personarum, vt in matrimonijs, apud *Hostiensem in summa. & l.1.cum seq. ff.de gradib.* nec pro ordine successionis in testamentis. Vt *l.5.vnde cognatio.l.1.ff. de tabulis.* Et alibi, sæpe, sed sumitur pro existimatione honoris, & loci. Hinc in *gradum reponere*, est eiectum restituere.

vt notarunt *Spiegelius*, *& Pratteius apud Ioann. Caluin. in lexico*.

Honor aliquando est idem ac dignitas. *l.nuper.ff.de donat. inter virũ, & vxo-rem*. Aliquando sumitur pro Magistratu, vnde Iuuenalis. *Nunc cum summus honor, finito computet anno, sportula quid refert?* Et in hoc sensu coincidit cum dignitate, Prælatura, functione, officio, Administratione. Propriè enim honor est *reuerentia virtuti debita, ex Aristotele, seu prærogatiua quædam ex vitæ merito, morumquè probitate causata, qua quis à vilibus, & plebeis personis distinguitur*, vt notauit *Sebastianus Medici tract.de defini.par.* 2. Ponitur autem honor hoc loco, non pro actu reuerentiæ, sed pro obiecto, seu munere, ob merita collato, & est idem, ac dignitas, & officium. *Honor.*

Dignitas est honor propter merita, specialiter Principis, vel legis beneficio impensus, *Bart.l.1.ff.de dignit.lib.12. Codicis.* hic verò accipi debet pro administratione rerum Ecclesiasticarum, cum iurisdictione. *Abb.in c.de multis.n.12. de præbend. Glos.in c.quia, de Clericis non resid. Hostien. in sum.de præbendis numr.2. Rota apud Card.in Clem. Audit. n.9. de rescript. Zacch.in addit.ad Abb.in Rub. de præben.col.2.* Etsi etiam pro beneficio simplici aliquando accipiatur. *c. si forte.de elect.* *Dignitas.*

Officium, latissimam habet significiationem. 1. significat magistratum. *l.1. ff.de iurisd.om. Iudicum. l.27.ff.de verb. oblig.l.22.ff.si certum petatur.* 2. significat munus publicum, & honorem. *l.2.ff.de his, quæ vt indig.l.4.ff. de off.præsidis.* 3 significat *ministerium seruile.l.46. §.actores.ff.de iure fisci.* 4. sumitur pro actu congruo, & debito cuiq; personæ. de quo *Tullius, Ambrosius*q; qui de off.tractarũ. *Officium.*

Administratio apud Canonistas respicit Ecclesiastica beneficia; quia administrare idem est, ac gubernare, & curæ officium, sustinere. *l.2.ff.si ex plurib.tutorib.& curat.* vnde administrationis nomine veniunt officia, & prioratus in *Clem.1.de rescriptis*. quod tamen est latè sumptum, vt in *Repertorio ad Abb.* *Administratio.*

Functio est officij præstatio, quæ in suos actus exire debet. *Vlp.Inst.lib.6.* *Functio.*

Prælatus est omnis curam animarum habens. *Abb.in c.2. de iud.* est Prioratus, Guardianatus, & Superioritas localis. *c. nullus.de el.in 6.* est omnis honor, qui propter administrationem tribuitur. *c.quæ Episcopat.7.q.1.* *Prælatura.*

Quibus sic declaratis, exclusis, quæ ambitionis sunt materia, compræhenduntur hac constitutione, Vicariatus, Guardianatus, Præsidentatus, Prouincialatus, Visitatoratus, Commissariatus, Generalatus. Item Magister Nouitiorum, lectura theologiæ, Prędicatio, Confessionum auscultatio siuè sæcularium, siuè monialium, quia hæc omnia, vel sunt offi.& dignitates, vel sub nomine gratiæ compræhenduntur; idq; cum expræssa reflexione, quod per ambitionem procurentur. *Quæ sint ambitionis materia, & prohibetur.*

Hinc soluuntur dubia apud *Rodr.* Primum qui procurat literas fautrices, & non præsentat, non incurrit, quia pœnalia cum effectu intelliguntur. *c.hæc verba de pænit.d.1.* vbi dicitur. *Qui voluit statuere, & statuit, sed statutum non habuit effectum, non incidit in pœnam edicti.* Secũdum, qui procurat, & mittit literas, quæ tamen non perueniunt ad manus Superioris, non incidit. ex doctr. *Nau.lib.5. consil.de sent.excom.conf.60.* dicentis non esse excommunicatum, qui mitteret literas ad moniales (vbi vetitum esset) si illæ non peruenirent, quia prohibitio mittendi respicit receptionem, sine qua non nocent. Tertium, ignorãtes pœnas non incurrũt in foro interiori *Nau.in man.c.28.n.56.* Quartũ, moniales his nõ ligari, quia nõ nominãtur, & in odiosis, nõ veniãt fœminę sub nomine masculorum. *Casus alíqui in quib. pęnæ non incurruntur. Fœminæ in odiosis nomine masculorum non veniunt.*

tũ.*Tiraquell.tract.de consanguinit.*§.1.*gloß.9.n.* 189. & 200. & traditur expresse *l.quisquis.§.ad filias.C.ad legem Iuliam maiest.* Quintum non teneri Superiorem inquirere contra procurantes fauores, &c. Quia non præcipitur: Et posse formare suam intentionem, quod talis procurans id non fecerit ex ambitione, vt possit sine scrupulo concedere, quod petitur: Nisi constaret contrarium, vel vrget conscientiam, quia peccaret, & in pœnas incideret. Sextum, esto sciat Superior, Fratrem procurasse fauores, potest tamen concedere officium, non intuitu fauoris, sed vel ob merita petentis, vel ex suo arbitrio; quia si non concedit officium intuitu mẽdicati suffragij, certum est non incurrere: verum si sciat procurantẽ peccasse, ipse etiã peccaret, cooperando; sed hoc nõ est inclusũ in bulla. Septimum, Si cognosceretur, fauores esse interpositos ad impediendum dignum à consecutione officij. Et est casus exceptus in Gregoriana.

Sciendum sexto, non posse tueri se Fratres ob non vsum, quia iam est reuocata per nouam Constitut. Apostolicam; & non vsus multos annos requirit ad abrogandam legem. Atquè hæc de constitutione.

Visitatorum socij quot, & quales esse debent. Dico quartò, Visitatores duos tantùm Socios habere possunt; Celeriter visitationem absoluere, pedestres incedere; prouincias superfluis sumptibus non grauare; à munusculis abstinere; Exemplo magis, quàm verbis pręire. Hæc omnia ex pluribus statutis, & inueterata consuetudine, ac Apostolicis diplomatibus Vnum tamen afferam Santissimi D.N. Vrbani Octaui, *anno* 1640. 1.*Iunij*, quod incipit. *Militantis Ecclesiæ*, editum pro restituenda disciplina in Ordine Seraphico, in quo inter cætera dicit. *Quos cum Prouincialibus, & Prouinciarum Commissarijs ad vrgentiora destinatis paternè monemus, vt in casu vrgenti, ac per regulam permisso memores sint paupertatis, humilitatis, & patientiæ Christi D. Saluatoris Nostri, ad cuius Vitæ exemplum B. Franciscus, & conuersationem instituit, & ordinem fundauit; vilioribus, despectisquè iumentis contenti sint, & comitatu, qui Sæculares diuites decet, relicto; maiori, qua fieri poterit modestia, gradiantur; exemploquè præeuntes sciant in concessis tantum casibus equitandi licentiam indulgere: concedentes Prouincialibus, & Commissarijs, vt vno, eoquè humili iumento pro se tantùm, non autem pro socijs, in necessitatis articulo vti possint. Aliàs si contrafecerint, suis officijs destituti remaneant.*

Visitatores moneãt Fratres, & quo modo. Dico quintò, Visitatores conuocare debent Fratres ad Capitulum, eos admonere, eisdem visitationem indicere, præcipiendo vt dicant, Quæ de iure dicenda sunt; odia, aut passione sepositis. postea debent Ecclesiam, & quæ in ea sũt visitare, item Conuentum, Cellas; Officinas, & reliqua: tandem Fratres iuxta *Praximiam editam* interrogare circa omnia, regularem disciplinam, & regulæ obseruantiam concernentia, pręcipuè inquirere de prouinciali, socijs, Guardianis, sed in generali, ac de suo prædecessore, vt in citata praxi cautum est, *Titulo inquisitio.pag.*21. & est clarum in iure, nam *cap.ea quę.de statu Monach.* dicitur, *sequentes autem Visitatores perquirant priorum Visitatorum vestigia diligenter, & eorum negligentias, & excessus referant sequenti capitulo Generali, vt iuxta culpam, publicè debitam pœnam portent* Et verè mirabile est, quod vbi omnes superiores, etiam Generales syndicatui sistantur, & eorum culpas, est qui ex officio inquirat, & puniat, soli Visitatores obseruantiæ nostræ, postquam excesserunt in pluribus, & aliquando prouincias pessumdederunt suis impertinentijs, & sublcuationibus, immunes euadant.

Visitatorum vitam syndicent successores.

Dico

Dico sextò, Non recipientes, recusantes, impedientes, resistentes, opponentes, contradicentes, rebellantes Visitatoribus Prouinciarum, sunt ipso facto excommunicati, cum reseruatione ad Papam; officijs priuati, & ad alia perpetuò inhabilitati, ac voce actiua, & passiua destituti. Ita Gregor. XIII. in bulla, *Quoniam nostro*, & est in iure communi *cap. ea quæ. de statu Monac. Ipsi etiam Visitatores, Monachos quos contumaces inuenerint, & rebelles iuxta modum culpæ vice nostra regulari censura percellant. Absquè personarum delectu non parcendo rebellibus, quin ouem morbidam eijciant de ouili, &c.* De materia rebellionis, & inobedientiæ, initio horũ commentariorũ diximus. de receptione Visitatorũ post ostensionem commissionis supra, itaquè restat, vt pęnas has incurrant, temerè se Visitatoribus rebellantes; in hoc enim verbo omnia alia includuntur, & nisi sit rebellio, nõ est punitio, quia Pontifex ait, *Resistere, se opponere, aut cõtradicere, seu se rebellẽ exhibere.* Omnia si quidẽ per vltimũ verbũ declarans, temeritas autem est, vbi nulla causa subest, vt etiam alibi diximus.

Visitat orãbus rebellantium pœna.

Sola rebellio punitur.

Dico septimò, Visitatores non possunt statuta Prouinciæ condere, vel immutare, sine capitulo: Fratres extra prouinciam mittetere, nisi ad Generalem pro eorum negotijs: Prouincialem, & Patres sine consilio, & consensu maioris partis Patrum Prouinciæ, punire notabiliter, aut priuare, nisi Generalis prius admoneatur, excepto casu scandali notorij, & quod Generalis distet per decẽ dies itineris: Ad ordines, & professionẽ admittere: In creditis sibi prouinijs, vltra 20. dies post capitulum manere. Hæc omnia statũ vniuersalem prouinciæ concernunt, vt sunt statuta prouincialia, patres prouinciæ, ordines, & professio Fratrũ, quæ requirunt, vel consensum, vel scientiã, Fratrum prouinciæ nec sufficit sola authoritas. Et in idem recidit mora Commissarij, expeditis sibi commissis negotijs, quæ maximè prouinciam, & prouinciale inquietaret.

Visitatores non possunt statuta cõdere, vel immutare, &c.

Dico octauò, Visitatores non habent votum in electionibus capitularibus, nisi eis specialiter concedatur, possunt tamen excludere, *quos indignos legitimè iudicauerint*. Ratio est, quia cum nõ sint ordinarij, eis votum non competit in electionibus, nisi ex ordinarij delegatione; Generalis enim suas vices alteri potest committere, cum absens fuerit, quia ordinarius est. Et aduertendum est, distinguere statuta, de delegata suffragatione Visitatoris, nimirum in capitulo, pro electione Prouincialis, Custodis, & diffinitorum; & in hoc nec votum habet, nec habere potest de iure; dicitur enim in statuto generali cap. Salmanticensis an. 1618. *Declaratur, Commissarium Visitatorem Prouincialem, non habere in electione Prouincialis, Custodis, & diffinitorum votum electiuum, quemadmodum habent Generales, quorum vota verum numerum officiunt.* Ex Triden. cap. 6. sess. 25. de regul. *Nec in posterum liceat Prouinciales, Abbates, Priores, aut alios quoscumquè titulares, ad effectum electionis faciendæ constituere*, cũ clausula irritãte: Licet vsus contrarius inualescere cęperit, in Diffinitorio; & in hoc potest illi sine dubio votum subdelegari iuxta statutum, circa finem, cap. 8. descriptum. *Quamuis in instituendis Guardianis, & alijs officialibus capituli, Commissarij Visitatores in Diffinitorio votum non habeant, nisi specialiter per facultates id eisdem concessum sit, ad eos tamen, &c.* Quod sumptum est ex Salmanticensibus cap. 8. in quibus declaratur, qui sint isti officiales, nimirum, *Guardianorũ, & confessorum monialium, ac sororum, in diffinitorio.* In quibus notanda est forma diuersa loquendi, *In Capitulo, & in Diffinitorio.* Tamen ex cognitione,

Non habẽt votum in capitulis.

Mm quam

quam habent à Visitatione, eisdem ex officio incumbit, indignos ab officiorum assecutione impedire, vt dicitur in *c. in singulis Regnis de statu Monach. Studeant visitare, corrigentes, & reformantes, quæ correctionis, et visitationis officio viderint indigere, ita quod si Rectorem loci cognouerint ab administratione penitus amouendum, denuncient Episcopo proprio, et illum amouere procuret quod si non fecerit, Visitatores, hoc referant ad Apostolicæ Sedis examen.*

Possunt cũ causa excludere ab officijs. Verum tamen est, quod non sufficit sola attestatio Visitatoris, ad excludendum ab officijs, sed necessaria est causæ cognitio, quia statutum ait. *Quos indignos legitimè iudicauerint.* Legitimè enim importat modum iuridicum, & ordinem iuris. *Glos. & Abb. in cap. Consanguinei. de re iudicata. Bartolozus de claudendis instrum. claus. 8. glos. 6. Seraphin. decis. 290. num. 2.* alias posset malignitati aditus aperiri. Nec Diffinitorium tenetur credere Visitatori dicenti, talem esse prælatura indignum. Itaquè tenetur dicere causas, ex visitatione acceptas.

Non requiritur plena probatio exceptiua. Nec tam rigorosè punctum hunc tenendum censeo, vt legitimitas hæc appareat per plenam probationem, per confectos processus, per latas sententias, vt videtur velle. *Iason in l. si quando col. 2. nume. 9. C. Vnde vi*, Cui subscribit. *Tuscus practic. conclusio. tom. 3. conclus. 305.* sequens *Alexand. consf. 119. num. 9. lib. 2.* qui nec semiplenam probationem admittit, & sensit *Miranda tom. 2. quæst. 23. art. 22. in fine.* Mordicùs requirens iuridicum processum exceptorium, cum citatione, & defensione partis, quia non agimus de tollendo acquisitio iam officio, sed de acquirendi impedimento: Nec procedimus per viam sententiæ, aut contestationis litis, sed per secretam collationem, & cõsultationem, quæ infamiam non irrogat. Itaquè sufficere puto, si Visitator Visitationes ostẽdat, à fide dignis acceptas. Et mos obtinuit, vt in excludendo aliquos ab officijs non fiant formales processus, qui satis communitatem conturbarent; eò vel maximè, cum contra tales procedi non possit ad effectum exceptiuum, nisi inquirendo contra illos de defectibus, & nescitur, si tales proponendi sint ad officia, &c.

Exclusus, nulliter eligitur. Facta autem exclusione legitima, si Electores adhuc exclusum eligant, electio est nulla, quia facta de persona inhabili. Et si dicatur contrarium, sequitur, grauissimum hoc statutum esse omninò inutile, quia passim à Diffinitorio eludi potest: Cum enim dicat statutum. *Visitatoribus diligenter curandum est, ne ad huiusmodi officia promoueantur, aut promoueri possint, quos ipsi indignos legitimè iudicauerint.* Et Salmanticensia *cap. 8.* (vnde hoc statutum acceptum est) dicunt *Commissarius poterit, quinimo, & debet procurare, ne indigni promoueantur.* Patet manifestè, quod si diffinitorium suæ prohibitioni stare non debet, talis potestas est vana, & illusoria, Maximè cum Visitatores præcisè mittantur ad bonam electionem Superiorum faciendam: Et diffamatus per probos viros de aliquo crimine, licet de illo non sit condemnatus, promoueri non debet.

Diffamatus eligi non debet. Et est doctrina *Rodrig. tom. 2. quæstio. 53. art. 3.* Quam etiam firmat per *Nauarrum, Paleotum, Sotum, Siluestrum, & Mirandam, Hieronym. Rodrig. resol. 58. numer. 32.* Quod diffinitores possunt, & tenentur propalare delicta grauia, etiamsi occulta eligendi in Prælatum, si alia via vitari damnum non possit, Quia bonum publicum bono priuato præponendum est; Ergo multò magis debet facere hoc Visitator, cui mandatur ex officio. Retractantibus igitur Diffinitoribus exclusionem legitimam, Commissarius electionem factam

con-

confirmare non debet, imò infirmare. Quia in conscientia confirmare indignum non potest.

Dico nonò, Visitatorum decreta, & ordinationes, tam tota prouincia, quàm particulares Fratres seruare tenentur, Sub pœna peccati mortalis si id comportet materia. Etsi Prouinciales illa mutare, rescindere, vel contemnere, aut alterare auserint, sunt ipso facto excommunicati, excommunicatione Papæ reseruata, & incurrunt pœnas rebellantium, per Gregorium Decimumtertium fulminatas. *Insuper* (inquit) *quia aliquando nonnulli Ministri ex visitatis prouincijs per Commissarios ad hoc deputatos, quæ à dictis Commissarijs rectè, & salubriter ordinata, & gesta fuerint, rescindere, mutare, aut contemnere solent, sub omnibus, & singulis pœnis supradictis expressè prohibemus, ne quisquam ab eisdem Commissarijs facta, & ordinata mutare, alterare, aut peruertere, sine expressa licentia Generalis vllo modo præsumat.* Verbum enim, *Quisquam* ad solos Ministros refero, quia de illis facta fuerat mentio, & ad ipsos spectat ordinatorum obseruantia. Congruit autem citatis iuribus. *cap. In singulis regnis cap. ea quæ statu Monach. Tridentin. Sess. 25. cap. 8. de reformat. Sess. 21. cap. 8. de reformat. & Sess. 24. cap. 3. de reformat.*

Visitatorum decreta obseruanda sunt.



CAPITVLVM IX.

STATVTVM I.

Ad prædicationem Verbi Dei non admittatur, nisi Sacerdos, aut saltem Diaconus ætatis, ad minus 25. annorum, vitæ, & morum integritate probatus, qui triennio integro theologiæ studuerit, & per examinatores idoneus iudicetur.

§. I.

Prædicator debet esse Sacerdos.

Sacerdos) Ijs Christus prędicandi munus iniunxit. *Marci vltimo. Nouissimè recumbentibus illis, &c. Dixit eis, euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ. Matth.* 28. *Luc.* 24. *Act.* 1. omnes enim tam Apostoli, quàm Discipuli erant Sacerdotes. Vt notat *Gloss. in Decimum Lucæ: sicut in Apostolis præcessit forma Episcoporum, ita in 72. Discipuli figura relucet minorum presbyterorum. Et cap. in nouo. d.* 21. *Videntes Apostoli messem esse multam, & operarios paucos, rogauerunt Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam. Vnde ab eis electi sunt 72. Discipuli quorum typum gerunt presbyteri.* Idem in *cap. sequenti*. Et non quidem omnes Sacerdotes habent authoritatem ex officio prędicandi, sed solum curam animarum habentes, vt doctè probauit in Concilio Basilensi. *Henricus Kalteisen orat. de libera prædicatione Verbi Dei.* Quia in ordinatione accipiũt tãtũ authoritatẽ super corpus reale Christi, non mysticũ; Vnde nec Christus in ordinatione Apostolorũ dedit illis ius prędicandi, sed solùm conficiendi corpus, & sanguinẽ ipsius. Deinde potestatem remittendi peccata, postmodum ascendens in Cœlum, prędicandi. Hinc *can.* 65. *sextæ synodi Constantinopol. tom.* 5. *concil. pag.* 341. Sub pęna excommunicationis inhibetur Laicis prędicatio, authoritate *Gregorij Theologi Nazianz. orat. de seruanda in disputationibus moderatione*. ea pręcisa ratione, quia corpus mysticum Christi habet caput, & membra. 1. *cor.* 12. *Cur te pastorem facis cum sis ouis? Cur caput, cum sis pes? Cur Imperator, cum sis relatus in numerum militum?* Et sic *Eph.* 4. in enumeratione membrorum Christi. *Dedit quosdam Apostolos, quosdam Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autẽ Pastores, & DD.* Munus docendi Pręlaturę concedit. Quod refertur ex Conc. Lateranensi *c. cum ex iniuncto. de heret.* vbi excommunicantur, qui sibi prædicationis vsurpant officium, quod Episcoporum proprium munus est. *Trident. sess.* 5. *de reform. cap.* 2. *& sess.* 24. *cap.* 4. ex *Conc.* 11. *Toletan. cap.* 3. *& degendæ sunt dist.* 71. *&* 72. In quibus multa ad rem congeruntur. *Ex* 1. 4. *&* 5. *Cartaginensibus, Antiocheno, Romano, & Mileuitano Concilijs.* Et docuerunt *Ambrosius in cap.* 4. *ad Ephes. Bernardus serm.* 64. *in cantica. S. Thom. quod lib.* 12. *q.* 17.

Prædicatio curatis commissa.

Henricus de Hassia par. vlt. in Genesim, Augustinus de Ancona de Ecclesiastica potest. quæst. 64. art. 2. Guillelmus Episcopus Parisiensis in Sacerdotali. Thomas VValdensis. tom. 1. lib. 2. art. 3. cap. 73. *Gregor. in lib. 14. moral. cap. 4. Hieronym. adu. Vigilantium cap. 6.* Et alij multi, qui docent, munus prędicandi competere Episcopis, & Pastoribus ex officio, qui sunt Sacerdotes. Diaconis autem aliquando ex delegatione conceditur in statutis Alexand. VI. Martin. V. Iul. II. posse licentiari ad prædicãdum, quia isti non accipiunt in ordinatione potestatem prædicandi, sed *legendi Euangelium pro viuis, & defunctis.* Legantur. *cap. adijcimus. 16. quæst. 1. cap. perlectis. d. 25. cap. in sancta. d. 92. & cap. Diaconus. ibid. cap. sicut enim. 11. quæst. 1.* Nec obest *cap. perlectis. d. 25.* & quod dicit *Magistr. in 4. d. 24.* quod *Lectoribus vetus testamentum, & diaconibus nouum, prædicare præceptum est.* Quia vel intelligitur, si illis à Sacerdote precipiatur, vel delegetur, vel nomine prædicationis accipitur lectio publica Euangelij. vt diuersimodè respondetur à Doctoribus: aliàs nullo modo concionari possunt, Quia scientia, & prædicatio non commendantur labijs Diaconi, sed Sacerdotis. *Malach. 2.* vt tetigit *Gregorius relatus cap. si rector. d. 43.*

Diaconi quãdo prædicare possint.

§. II.

Viginti quinquè annorum) Est de iure communi, quia sufficiunt etiam ad Sacerdotium, & ad curam animarum, vt *Martin. V. c. 9. Iul. II. c. 9. par. 2. & Alexandrina statuta* decreuerant *cap. 9.* & statuunt Prædicatores d. 2. cap. 12. Antiquitùs tamen plures requirebantur. Nam in *Concil. 2. Rauennate sub Clemen. V. celebr. ann.* 1311. *Rubric. 13 tom. 7. fol. 932.* decernitur, *Quod ad prædicationis ministerium, qui trigesimum ad minus nõ attigerit annum, cuiuscumquè Religionis existat, de cætero in aliqua Ecclesia non admittatur.* Debilitata tamen natura, sicuti Sacerdotium ad 25. annum est redactum, ita etiam prædicatio Verbi Dei: ante quod tempus, contemptibilis potius est, & monstruosus, iuxta Pauli ad Timotheum admonitionẽ. *Nemò adolescentiam tuam contemnat,* vt alibi ponderauimus. vnde *statut. Iul. II. citata.* Quæ concedunt ministris prouincialibus posse dispensare in ætate Prædicatorum subiungunt, *dum aliàs sint idonei, Virtuosi, Literati, & corporeæ apparentiæ repræsentabiles.* Super omnia valere debet exemplum Christi Domini, qui docere, & prædicare cępit, cum 30. esset annorum. Licet enim cani sint sensus hominis, canities tamen corporis, reuerentiam, & maiestatem conciliat. Do Gregorium, *hom. 2. in Ezech. Nequaquam* (inquit) *debent homines in ætate infirma prædicare, quia iuxta rationis vsum, sermo doctrinæ non suppetit, nisi in ętate prouecta. Redemptor noster, cum Cœli sit conditor, & Angelorum doctor, ante triennale tempus in terra Magister noluit fieri hominum vt videlicet pręcipitatis vim saluberrimi timoris infunderet, cum ipse etiam, qui labi non posset, perfectę vitę gratiam non nisi perfecta ætate prędicaret.*

Prædicatoris ætas.

§. III.

Morum grauitate,&c.) De bonitate,modestia, grauitate, atquè exemplare concionatoris Euangelici pos sem ex vniuersa Sriptura,& Sanctis,prophanisquè scriptoribus immensum con. farcinare centonem.attamen quia multa dicta sunt vbi de studio, & scientia, & passim obuia,etiā in spiritualibus libris sunt, & ex ipsa sæculari eruditione apud *Gorgiam,Aristotelem,Hermagoram,Tullium,Tricianū,Quintilianū Augustin.de doctrina Christiana, Isid.lib.2.Originum.Et alios* certum est, *Oratorem debere esse Virum bonū dicendi peritum.*Paucioribus contentus ero, ex Nostro Seraphico parēte præsertim exceptis.Ipse enim cap.9.regulæ inquit.*Moneo quoquè,& exhortor eosdem Fratres,vt in prædicatione, quā faciunt, sint examinata, & casta eorum eloquia,ad vtilitatē,& ædificationem populi,etc,*Quæ commentās,*Martinus V.*ait. *Vita,& moribus approbatus,cuius doctrina merito,populi ædificari valeant sine scādalo.Et Hugo de Dina* exponit ex verbis primæ regulæ, *Prædicare debent sanctæ cōuersationis exemplo,prout Sanctus in regula: priùs hortabatur dicens, omnes Fratres operibus prædicent.Et Pisanus.*Moneo (inquit)& exorthor,*Vbi ponit qualiter verbum est prędicandum:debet esse Catholicum.*examinata, *ne scilicet sint erronea, vel in causa.*Castum,*id est fabulis Poetarum non immixtum,ne sapiat immunditiā, aut vanitatem.*Ad vtilitatem populi,*id est exemplare,id est ab habente Vitę exemplaritatem, cum plus moueant facta, quàm verba; ideo dicit* ad ædificationem populi. Et ne ex riuulis,sed ex fonte hauriamus Sancti Patris doctrinam, appono aliqua dicta eiusdem Sancti ex *Collat.16.& 17.inter eius opuscula relatis,* in quibus agit de vanis, & tumidis Prædicatoribus, & de conditionibus, & laude boni Prædicatoris, constituens bonos, & malos prædicatores ante diuinum Tribunal.*Tunc*(inquit)*veritas sanctę humilitatis,& simplicitatis, sanctæquè orationis,& paupertatis,quę est vocatio nostra,exaltabitur,& magnificabitur;cui veritati ipsi inflati vento scientię detraxerunt vita, & vanis sermonibus scientię suę. Volo Ministros Verbi Dei tales esse, vt studijs intendentes, nullis alijs officijs impediantur.Prius Prædicator haurire debet secretis orationibus,quod postea sacris ostendat sermonibus, prius intus calescere, quam extra verba proferre. Laudandi sunt Prædicatores illi, qui pro tempore sapiunt, sibiquè gustant. Illi verò malè sciunt diuidere,qui prædicationi totum,deuotioni verò nihil impendunt, Laboret Prædicator magis exemplo, quam verbo, magis lachrymosa prece, quam loquaci sermone. Plaugendus est Prædicator, tanquam vera pietate priuatus, quia in prædicatione, non animarum salutem,sed propriam laudem quærit.Siue, qui prauitate destruit vitæ,quod ædificat veritate doctrinæ.Præferendus huic est Frater simplex, & elinguis, qui bono exemplo alios prouocat ad bonum. Donec sterilis peperit plurimos.1.reg.2. inquit Prophetissa, & quæ multos habebat filios infirmata est. Sterilis est pauperculus Frater, qui generandi in Ecclesia filios, non habet officium; hic pariet in iudicio multos; quia quos nunc priuatis orationibus conuertit ad Christum, suæ gloriæ tunc iudex adscribet.Quæ multos habet filios infirmabitur, quia Prædicator vanus, & loquax,qui multis nunc, quasi sua virtute genitis, gaudet, cognoscet tunc se nihil proprij habere in eis.*

Prædicator sit moribus grauis.

Orator qualis esse debeat.

Prædicatores quales volebat S. P.F.

Doctri-

§. IV.

Doctrina.) Dubio procul è Sanctis Patribus hausta, *Prædicator* (inquit Augustin. *lib.*4. de doctrina Christiana. *cap.* 5.) *Sit prius Orator, quam Doctor, & in ipsa hora accedens, priusquam exerat proferentem linguam, ad Deum leuet animam sitientem; eructet quod biberit, vel quod impleuerit, fundat.* & cap. 27. *Habet autem, vt obedienter audiatur, quantacumquè granditate sermonis, maius pondus vita docentis.* & cap. 39. *Sed etiam præbeat alijs exemplum, & sit ei quasi copia dicendi, forma viuendi.* vbi lepidè interpretatur illud Hieron. 13. *Qui furantur verba mea vnusquisquè à proximo suo.* dicens. *Qui enim furantur, alienum auferunt, verbum autem Dei non est ab eis alienum, qui ei obtemperant, potius ille dicit aliena, qui cum dicat bene, viuit malè. Quæcumquè enim bona dicit, eius excogitari videntur in genio, sed ab eius moribus aliena sunt. Eos igitur dicit Deus furari verba sua, qui boni videri volunt, loquendo quæ Dei sunt; cum mali sint faciendo, quæ sunt. Sanctus Hieronym.* in leuit. *relatus cap. si quis vult. d.* 36. Concionatores Moysi, & Aaron semper manentibus in tabernaculo, comparat, *Vt à Deo discat legendo Sacras Scripturas, & sæpius meditando; & illa doceat, quę à Deo ipse didicerit.* & Ambros. sermon. de ieiun. relatus cap. 6. d. 35. *Qui Christum annunciat, ab omni vitiorum incentiuo pręstare se debet alienum.* Quia (vt inquit Gregor. hom. 6. in Euangel.) *Cuius vita despicitur, restat, vt eius prędicatio contemnatur.* & lib. 30. moral. in fin. *Tunc est sermo viuus, & efficax, cum est prędicantis pura sanctitas, & virtuosa perfectibilitas.* & ho. 30 in Ezech. *Vita prędicantium, & sonat, & ardet; ardet desiderio, sonat verbo; ę candens est prędicatio accensa. Sed de candenti ęre scintillę prodeunt, quia de eorum exhortationibus verba flammantia ad aures audientium procedunt.* & ibid. hom. 2. *Ille vberes prędicationis fructus colligit, qui semina bonę operationis pręmittit. Nam loquendi authoritas proditur, quando vox opere non adiuuatur.* & ho. 10. *Sermo dulcedinem non habet, quem vita reproba intra conscientiam remordet: Vnde necessè est, vt qui verba Dei loquitur, prius studeat scire, qualiter viuat, vt post ex vita colligat, quę, & qualiter dicat.* & Chrisost. hó. 6. de laudib. D. Pauli, *qui prędicationis officium suscipit, non oportet mollem esse, & resolutum, sed fortem, & per cuncta robustum: Nec enim saltem attingere quisquam debet, pręclari huius muneris functionem, nisi paratus sit millies animam suam in mortem tradere.* Lege *Isid. lib.* 3. *sentent. cap.* 36. & 37.

Hauriat, e S. Scriptura & oratione doctrinam.

Prædicator qui malè viuit est fur.

Prædicator exemplaris sit.

Verè enim iuxta artis regulas, mouere alios non potest non motus, nec extinctus accendere. Mouerunt populos *Elias, Baptista, Christus, Apostoli.* quia *Ille quasi ignis, & verbum illius quasi facula. Ecclesiast.* 48. alter erat *Lucerna lucens, & ardens.* Tertius, *ignem venit mittere in terram.* Apostoli linguis igneis ad prædicandum expediti fuere. Extincti carbones ad tingendum sunt apti, mortuæ manus non lauant, nemo alijs bonus, qui sibi malus.

§.V.

Prædicator S. Theologiā calleat.

Sac. Theologię triennio studerit) Vt etiam decretum fuit in Generali Cap.Rom.1612. huc examen,& approbatio refertur, atquè examinatorum institutio, de quibus alibi dictum.*S.August.4.de Doct.Christiana.c.16* fusè probat,Prædicatori non tantū preces,sed studium maximè esse necessarium.*S.Hieron.ad Nepotianū* scribit. *Diuinas Scripturas sæpius lege.disce quod doceas.* Ambr. lib.1. de off. *Summo studio requiratur , quod verum est, non falsa pro veris dicere , non obscuris vera inuoluere , &c.*Et licet studium scholasticum hìc præcipiatur , attamen , cum S. Theologia ex Diuina scriptura dependeat,& hæc super omnia concionatoribus necessaria sit; debent etiam Theologiam , quam vocant symbolicam , Concionatores callere ; Ne vltra crepidam docere videantur , & illa præcipere , quæ ignorant.

Per examē approbetur.

Quatenus enim concernit sufficientiam,Concionatori necessariam,sub mortale obligat,quia ad prædicandum, etiamsi per decennium studuerint,licentiari non possunt , nisi sciant.Et est præceptum regulæ , *examinatus , & approbatus* . Super quo nullus potest dispensare;omnia enim hæc sub mortali obligant. Primum,ne admittatur , qui saltem Diaconus non fuerit . Secundum , nisi probatæ fuerit vitæ. Tertium , nisi sufficienter sit in S. Theologia instructus. Quartum , nisi per proprios , & capitulares examinatores fuerit approbatus. Nisi aliundè constet euidenter esse idoneum,vtpotè Magistrum, Doctorem, Lectorem S.Theologię.vt in loco supra citato cauit Iul.II. Greg. IX. Inn. IV. super regulam Tria enim prima in iure naturali, ac diuino fundantur , quartum, in regula,& iure communi,ac constitutionibus Apostolicis , & quatenus concernit morum approbationem,cum nec Minister, nec Examinatores concedere possint licentiam concionandi, nisi id illis compertum fuerit , necessariò infertur,debere à Patribus Discretis Conuentus testimonium expectare, iuxta statuta *Neapol.c.20. Salman.c.9. Roman.*1587. & est expræssa determinatio *Con.Tr. sess.5.c.2.de refor. Regulares verò cuiuscumquè sint ordinis , nisi à suis Superioribus de vita,moribus,& scientia examinati, & approbati fuerint, ac de eorum licentia , etiam in Ecclesijs suorum ordinum , prædicare non possint.*quod priùs decretum fuerat in *Con.Laternen.sub Leone X.sess.11. con.to.9.pag.* 142. de modo prædicandi,quæ est prima bulla illius sessionis,cuius verba apponere iuuat. *Sacro approbante Concilio statuimus, & ordinamus;vt nullus, tam Clericus sæcularis, quam cuiuscumquè etiam mendicantium ordinis regularis,aut quiuis alius,ad quem facultas predicandi,tam de iure,quam de consuetudine, aut priuilegio pertinet, ad huiusmodi officium exercendum admittatur , nisi priùs per Superiorem suum respectiuè diligenter examinatus(in qua re conscientiam ipsius oneramus) ac morum honestate,ætate,doctrina,probitate,prudentia,& vitæ exemplaritate ad illud aptus,& idoneus reperiatur,&c.*Ex qua doctrina.

Non ritè licentiati peccant quādo cōcionātur.

Colligitur primò,promotos cōtra hos canones,& statuta mortaliter peccare toties quoties prædicauerint.Ratio est,quia authoritas Prouincialibus concessa est delegata , licet delegatione perpetua , nam de iure competit Generalibus.

bus, est autem concessa secundum statuta, quæ ipsi obseruare tenentur, & sunt de forma actus, qua deficiente actus est nullus. Vt probatum est. Verè enim non est examinatus, & approbatus secundum regulam, ergo peccat contra præceptum regulæ.

Colligitur secundò, Prouincialem non posse Prędicatorem ipse solus, & sine electis examinatoribus, approbare. Ratio est, quia præter statuta ordinis, quę præcisam obligationem cum nullitate actus appositi, imponunt, adest decretum *Clem. VIII. de reform. regul.* alibi à nobis citatum *Eligantur in Capitulis aliquot graues, & periti ex Fratribus cuiuslibet prouinciæ, saltem tres, qui admittendos ad prædicationem Verbi Dei diligenter examinent, &c.* Addo clausulam *Lateranens. Conc.* citati, quæ talis est. *Si qui autem contra præmissorum aliquod, committere quidquam ausi fuerint, vltra pœnas, contra tales à iure statutas, excommunicationis etiam sententiam, à qua, non nisi à Romano Pontifice, præter quam in mortis articulo constituti, absolui possint, eos incurrere volumus. Et vt eorum exemplo, alij attentare similia minimè audeant, eis prædicationis officium etiam interdictum esse, perpetuò decernimus.* quas pœnas licet vsu receptas non esse dicant *Suar. Fill. Caietan. Nauar. apud Thesaurum V. Prædicatores. c. 1. fin.* Et fauet Trid. citatum, in quo de his pœnis non fit mentio; tamen, quod non approbatus legitimè, prædicet, videtur rigorem huius constitutionis incurrere, quia de iure est, vt non nisi examinatus prædicet, & saltem quoad suspensionem prædicationis, valere debet. Nec euitatur, dicendo, clausulam non compræhendere licentiam prædicandi, sed alia, quæ in illa bulla recensentur, vt innuere videtur idem Thesaurus, qui alijs enumeratis de hac non meminit. Quia cum Pontifex dicat, *Si quis autem contra præmissorum aliquod, &c.* & non prædicare sine licentia, sit vnum, & primum præmissorum, videtur includi, cum sit grauissimæ Ecclesiasticæ disciplinæ transgressio. Nec etiam, si dicatur examinatum à solò Prouinciali, esse examinatum à suo Superiore, & sic non contra iri constitutioni; nam cum hic Superior solùs examinare non possit, & Clem. VIII. determinauerit modum examinis, à rigore legis non videtur exemptus. Quidquid sit de pœnis, apparet ex modo legum, quale peccatum committatur. Et vt omnis dubitatio cesset, habemus expressum statutum, tale. *Qui aliter admissus fuerit pro suspenso, & priuato habeatur, nisi Generalis authoritate admissus sit.* & *Rom.* 1587. *Nullus ad prædicandū admoueatur, qui S. Theologiæ triennio cōtinuò non studuerit. Ministri, & Diffinitores, qui hoc statutum non impleuerint, vel neglexerint, eò ipso ab officio, & dignitate decidant, & sic promotus, decennio a predicatione cesset.* Et rationabiliter Generalis eximitur, quia statuta hæc ad promouendos in Prouincialibus capitulis, & diffinitorijs tantùm extenduntur; & regula absolutam authoritatem, Prædicatores admittendi soli Generali committit.

Prouincialis solus non potest prædicatores, admittere.

S T A-

STATVTVM II.

Qui per alios, quam per Generalem, extra suam Prouinciam erit admissus, cum ad propria redierit, prædicare non possit, nisi Diffinitorij consensus accedat.

Nec in aliena Prouincia, nisi priùs à Prouinciali, saltem per litteras benedictionem obtinuerit.

Confirmatum in Capitulo generali Romano.

Prædicator in aliena prouincia sine prouincialis licentia, vel benedictione non prædicet.

Deducuntur ex iuris communis principijs, cum enim ex dictis, prædicandi munus ad Episcopos spectet, quia ipsorum est, oues salutis pabulo pascere; & Prouinciales, quasi Episcopale munus obtineant, ad eos pertinet videre, qui ex suis subditis prædicent, & quales sint; ideo admissi ab alijs, in Prouincia noua indigent probatione, quia nemo potest alteri in aliena prouincia iurisdictionem, vel concedere, vel exercere, inconsulto ordinario. Hinc, qui in alienis studere prouincijs, & in illis concionandi licentiam obtinuerunt; vel qui in aliena concionari desiderant, debent id facere, cum ordinarij, vel approbatione, vel benedictione; ex quibus excipitur Generalis, quia est omnium prouinciarum immediatus Superior. ita Concilia mox citata, quæ præcipiunt, neminem prædicare posse, nisi à suo Superiore licentiam, & approbationem obtinuerit. Suus autem Superior non est Prouincialis alienæ prouinciæ, sed propriæ. Et quoad benedictionem, ipsum etiam Tridentinum distinguit de Ecclesijs sui, & non sui ordinis, in his expressam licentiam, & examen, in illis solam benedictionem iniungit, *sess.5.c.2.de ref.*

Horum statutorum transgressio, ex dictis, grauem culpam continet, quæ non excusatur tacito consensu, vel præsumpta licentia, aut epicheia, quia in primo statuto requiritur consensus scriptus, qui non potest non esse expressus, & in secundo Epistola scripta saltem, quæ epicheiam excludit.

STATVTVM III.

Prædicatores eleemosynas, etiam prætextu prædicationis, oblatas, pænitùs non recipiant, &c.

¶ Eleemosynas pecuniarias recipiant.

Pendet ex dictis de paupertate *c.4.& 6.*& nulli dubiú est, quin contrafacientes peccent mortaliter, vel recipiendo, vel disponendo, vel deponendo, vel

deponi

deponi faciendo, vel expendendo, vel applicando, vel quocumquè alio modo distrahendo eleemosinas oblatas, quæsitas, donatas Prædicatoribus nostris; sed omnia disponi debent per communitates, aut benefactores in manibus syndicorum Apostolicorum, ad vtilitates Conuentuum, vel *Inibi existentium, vel propriæ familiæ, vt Salmanticensia cap. 9. Romana, ann. 1575. Vallisoletan. ann. 1593. Roman. ann. 1612. & vltimò, Sanctissimus Dominus Noster Vrbanus Octauus, in citata Constitutione Militantis Ecclesiæ,* decreuerunt Contêtus vero de hac postrema. *Ne autem* (inquit) *in dicto Ordine recipiendi pro concionibus pecuniarias eleemosynas, dequè illis ad Concionatorum arbitrium disponendis, grauissimisquè Regulæ Beati Francisci voto, & præcepto passim contrauenıatur, omnibus, & singulis dicti Ordinis Concionatoribus, vltra pœnas in proprietarios, per eiusdem Ordinis statuta, fulminatas, in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sua priuatione officiorum, quæ obtinent, ac perpetua inhabilitate ad quæcumquè officia, gradus, & dignitates in posterum, ipso facto incurrendis, præcipimus, & mandamus, vt de prædictis eleemosinis, per se nullo modo disponant, nec eas ab offerentium manibus in suas recipiant, vel in Procuratoris, vel alterius cuiuslibet deponi faciant: Sed easdem integras Prouinciali Superiori significent, qui de illis iuxta regulæ præscriptum disponant.* Quibus, quia clara sunt, nihil addendum puto.

STATVTVM IV.

Caueant Concionatores, ne quicquam contra Sanctæ Romanæ Ecclesiæ libertatem, &c.

Hæc etiam sunt ex citatis Concilijs deprompta. Lateranense enim sub recensitis pœnis excomunicationis, & suspensionis prohibet primò, prædicari Scripturam declaratam, secundum sensum dissonum ab explicatione Sanctorum Patrum, illisquè contrarium, non autem (inquit *Thesaurus supra citatus*) præter declarationem illorum, quia Sacra Scriptura habet multos sensus. Secundò, asserere tempus prexum iudicij vniuersalis. Tertiò, Constanter aliquod dicere futurum ex particulari reuelatione, vel inani diuinatione. Quartò, publicè detrahere Prælatis, Episcopis, & Superioribus, eosquè mordere, reprahendere de malè gestis, etiam tacitis nominibus. *Non prædicent contra libertatem Ecclesię, prælatos, &c.*

Tridentinum autem addidit. *Si Prædicator errores, & scandala disseminauerit in Populum, Episcopus ei prædicationem interdicat. Si hæres, contra eum iuxta iuris dispositionem procedatur.*

Statuta verò addunt. *Si prædicauerit contra Ecclesiasticam libertatem, contra Clerum, contra aliquam Religionem, actibus legitimis, & prædicatione perpetuò careat, & grauiùs puniatur, Superiorum arbitrio. Etsi hoc non obstante, prædicare ausus fuerit, carceribus mancipetur. Si autem erroneam, vel hæreticam doctrinam, aut in fide suspectam, & contra bonos mores, Sacramentum pænitentiæ, austeritatem vitæ, publicè, vel priuatim dogmatizauerit, prædicauerit, defenderit, vel cum eis conuersatus fuerit, & familiaritatem habuerit, aut libros damnatos, hæreticos, vel suspectos legerit. Sit ipso facto excommunicatus, & statim carceribus*

mancipe-

mancipetur ad Generalis arbitrium. In quibus non intenditur vſurpari iuriſdictio ſupræmi Sanctæ Inquiſitionis Officij.

STATVTVM V.

Nullus de cætero libros per ſe, aut per alios prælo dare, imprimi, aut publicari facere, ſine licentia ordinarij, & Generalis, ſcriptis obtenta, ſub priuatione ipſo facto actuum legitimorum, audeant, &c.

Libri quomodo imprimendi.

Eſt decretum *Lateranenſis Concilij Seſſ.* 10. *de impreſſione librorum*. Confirmatum in *Tridentino Seſſ.* 4. *in ſimili titulo*. Quibus præcipitur *Regularibus, vltra examen Ordinariorum, & Inquiſitorum, licentiam quoquè à ſuis Superioribus impetrare teneantur, recognitis per eos libris, iuxta formam ſuarum ordinationum; qui autem ſcripta eos communicant, vel euulgant, niſi antea examinati, probatiquè fuerint, eiſdem pœnis ſubiaceant, quibus impreſſores*. Pœnæ autem ſunt *anathematis, & mulctæ in Canone Concilij Lateranenſis appoſitæ*.

Super quo notandum primò, Teneri Superiores libros examinari facere antequam probentur: Aliàs incurruntur pœnæ.

Notandum ſecundò, Excommunicationem eſſe fulminatoriam, & ipſo facto, non tamen reſeruatam.

Notandum tertiò, Superiorum nomine in Concilijs, non poſſe intelligi niſi Generalem, quia ſic declararunt ſtatuta Ordinis, & clarè deducitur ex Tridentino, *Recognitis per eos iuxta formam ordinationum ſuarum*. Statuta autem huius familiæ præcipiunt recognoſci per Generalem, aut de eius mandato. Quod fuit antiquiſſimum in ordine, nam in ſtatutis Alexandrinis cap. 5. dicitur. *Iuxta ſtatutum Benedicti Decimiſecundi. Noua cuiuſquè opera per Fratres ipſius ordinis publicari, communicari, vel eorum copia fieri ſine ſubſcripto, & examine Generalis Miniſtri, & Capituli generalis licentia prius ſpecialiter obtenta non poſſint. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, omnibus Scholaſticis, ac legitimis actibus, ac vſu librorum, ſe nouerit priuatum fore*. In altera tamen familia etiam ad Prouinciales extenditur. Vnde colligitur aliter impræſſos libros, eſſe illegitimè impreſſos.

Notandum quartò, Euulgationem librorum non impreſſorum, hic prohibitam, non eſſe intelligendam de eo, qui complacentiæ, vel amicitiæ, aut correctionis gratia alicui amico ſuum ſcriptum oſtenderet, vel accommodaret, vel quocumquè alio modo priuatim participaret; ſed qui ita publicaret, vt æditioni, vel impræſſioni æquiualeret, vt ex *Suar, Fill, Azor, Sorbo, Rodrig, aduertit Theſaurus V, libri. cap. 4. limit.* 1.

Notandum quintò, Per ſtatuta prohiberi editionem, etiam per alios factam, ſiuè

siuè nomine suo, siuè alterius: Dummodo regularis, sit in causa talis impræssionis, vel de suo consensu, & sine legitimis facultatibus fiat; Nam si eo nesciente, vel Sæcularis, obtenta ab ordinario, &c. Licentia, imprimeret scriptum Religiosi, sine nomine Religiosi, non esset pœnæ reus; Quia in tantùm prohibetur in quantùm sine licentia imprimitur. Peccaret tamen regularis si suum scriptum alijs imprimendum donaret, sine licentia Superioris, quia dat, quod suum non est, & esset puniendus, vt proprietarius, Et vt gloriæ Religionis osor.



CAPITVLVM X.

STATVTVM I.

Generales Minister, Commissarius; Prouinciales, & Visitatores, totum ordinem, totam familiam totam Prouinciam visitent, &c.

De obligatione, quam habent Prælati suos subditos visitandi, iam disseruimus, vbi de Generalis officio.

Normam, quæ teneri debet in visitatione Conuentum, Ecclesiarum, Cellarum, Fratrum, tùm generaliter, tùm specialiter; & de modis in paternis, & contentiosis inquisitionibus tenendis, tradidimus; & egimus in nostra Praxi Criminali per suos titulos, itaut non sit opus illa replicandi.

Visitatores superflua tollant.

De tollendis superfluis, & nostro statui non necessarijs è cubiculis, & personis Fratrum, sancitum est in d.cap. *In singulis regnis.* & cap. *Ea quæ. de statu Monach.* In primo quidem *Corrigentes, & reformantes, quæ correctionis, & reformationis officio viderint indigere.* In secundo autem, *Cum Visitatores processerint ad visitationis officium exequendum de statu Monasteriorum, & obseruantijs regularibus diligenter inquirant, & tam in spiritualibus, quàm in temporalibus corrigant, & reforment, quæ viderint corrigenda.* & in *Triden. Sess.* 25. *de reg. cap.* 1. *Præcipitur, Vt omnes regulares tam viri, quàm mulieres, ad regulæ, quam professi sunt, præscriptum, vitam instituant, & componant; atquè in primis, quæ ad suæ professionis perfectionem, vt obedientiæ, paupertatis, & castitatis vota; necnon ad communem vitam, victum, & vestitum conseruanda pertinentia, fideliter obseruent. Omnisquè diligentia, & cura à Superioribus adhibeatur, tam in Capitulis, quàm Visitationibus, quæ suis temporibus facere non prætermittant, vt ab illis non recedatur.* Idem replicatur *cap.*8. & decreuit *Clem. VIII. de reform. regul. à num.* 8. & infra, post Leonem X. in bulla. *Ite, & vos.* & Pium V. ac statuta *Salman. cap.* 8. *Aquilana an.*1559. *Romana ann.*1571. *Vallisol. ann.* 1593. *Vltramontana, Iulij II. cap.*16. *per totum. Alexand VI.* cap. 10. & veterem, ac frequentem obseruantiam. Et nullus dubitat, peccare mortaliter Prælatos, qui visitantes, inordinata non ordinant, superflua non tollunt, abusus non eliminant, & quantum ipsis per vires conceditur, collapsam, vel labentem disciplinam, non restituunt, & sustentant.

Visitationis scopus.

hic est enim visitationis finis ex *Trident. Sess.*24. *cap.* 3. *de reform. Visitationum præcipuus sit scopus, sanam doctrinam inducere, bonos mores tueri, prauos corrigere, populum ad religionem, pacem, & innocentiam accendere.* Et adeò graue est visitationis munus, vt ex defectu illius, vel ex indulgenti modo illam præstandi, nō solùm Seraphica, sed etiam omnes aliæ Religiones à suo splendore deflexerint. Ager enim pigri, spinis, & vrticis repletur; siluescentem vineam labruscæ testantur spinas, & tribulos campus mortalitatis ebullit, qui Prælato operario ad culturam commendatur: Et nihil magis ruit ad procliue, quàm morum indisciplinata

plinata congeries. pugnamus contra vitia, contra nosmet, *vbi continua pugna, & rara victoria*, nisi viriliter agatur.

Nec ad solos prætactos, sed etiam ad Superiores locales visitandi Conuentus Cellas, extenditur; quotannis enim, saltem ter, cum Discretis visitare tenentur, indeque quod superfluum fuerit abducere, & defectuosos in regulari obseruantia continere. Quo præcepto non minùs obligantur Guardiani, quàm Generales, & Prouinciales; imò magis, quia ipsis est commissa disciplinæ regularis immediata custodia, qui propterea Guardiani vocantur, siuè Custodes, vt sępiùs in regula vocati veniunt, quia præcisum ipsorum munus est, obseruari facere regulam, & regulares constitutiones custodire. Prouinciales siquidem, Visitatores, & Generales visitant, vt negligentiam Prælatorum localium suppleant. *Delinquentes Monachos per Abbatem loci corrigi faciant.* Inquit cap. ea *quæ de statu Monach* & infra. *Si verò Abbates in corrigendis iuxta Visitatorum mandatum, & regularia instituta in seipsis, seu Monachis inuenti fuerint negligentes, proclamentur, & corripiantur, & ita puniantur publicè in capitulo generali, quod pœna ipsorum sit alijs in exemplum.* & cap. *Cum ad Monasterium. eod. Prior præ cæteris post Abbatem potens sit in opere, & sermone, vt exemplo vitæ, verboquè doctrinæ Fratres suos, & instruere possit in bono, & à malo etiam reuocare; zelum Religionis habens secundum conscientiam, vt delinquêtes corripiat, & castiget, obedientes foueat, & confortet. Abbas verò quanto frequentius, poterit, sit cum Fratribus in conuentu, vigilem curam, et diligentem sollicitudinem gerens de omnibus, vt de officio, sibi commisso, dignam Deo possit reddere rationem, quod si præuaricator ordinis fuerit, aut contemptor, seu negligens, aut remissus, pro certo se nouerit, non solùm ab officio deponendum sed & alio modo secundum regulam castigandum, cum offensa non solùm propria, verum etiam aliena, de suis manibus requiratur.* Vtinam hoc speculum continuè Superiores locales intuerentur, dubio procul sibi, & subditorum profectui, & saluti consulerent. Super omnia autem de hac re, & grauissimè sanxerunt *statut. Papal. Iul. II. cap. 10. par. 12.*

Visitare Cellas etiam Guardiani tenentur.

Superiorum localiũ obligatio.

STATVTVM II.

Fratres cum primùm redierint, sociorum excessus notabiles, Guardianis, aut alijs Superioribus, secretò intimare teneantur.

STATVTVM III.

Etsi aliâ via, vltra confessionem sciuerint, Confessionis sigillo non præiudicant, si reuelent. Etsi iussi non faciant, inobedientiæ culpam incurrunt: propter quam actibus legitimis Superiorum arbitrio, sunt priuandi, ac carcerib. alijsq; pœnis macerandi.

STA-

STATVTVM IV.

Si quis autem dogmatizauerit, quod qui in secreto Fratrem monuit, vel criminis socius sit, non tenetur etiam iussus per obedientiam, crimen superiori reuelare, tanquam pestiferè, & in detrimentum ordinis docens, priuetur actibus legitimis, et carceribus etiam mancipetur: Scire enim debent Superiores, non tantùm vt puniant, sed etiam, vt periculum præcaueatur.

Patres societatis quam legẽ habeãt circa factorum reuelationem.

De verbo ad verbum sumptum est statutum ex Papalibus *Iulij II.c.3.par.14.* quę ãntiqua statuta citant; idipsum pracipientia *Farineria*, & à S. Bonauentura probata esse, dicit *Suarius tom.4.de Relig.lib.10.cap.9.num.7.* qui si legisset Papalia, & Salmanticensia, ac Alexandrina his antiquiora (edita scil. *anno.* 1509. & Salmant. sub Iulio III. *an.* 1553.) maiorem potuisset statuto suæ societatis firmitatem adijcere, quo *Ad maiorẽ in spiritu profectum, & præcipuè ad maiorẽ submissionem, & humiliationẽ propriam, contentus esse quisq; debet, vt omnes errores, & defectus ipsius, & res quæcumque quæ notatæ in eo, & obseruatæ fuerint, superioribus, per quemuis, qui extra confessionem eas acceperit, manifestentur,* vt idem Suarius scribit *loc.cit.cap.7. num.2.* cuius legitimationem adducit *num.* 18. *licitum est omnibus nostris manifestare Superiori, vt Patri, quodcumq: delictum alterius siuè graue; & hic est sensus regulæ, cum ex illis verbis capit.4. examinis constet, nostros cedere cuicumq; iuri famæ, quod huic manifestationi obstare posset; & facultatem facere omnibus deferendi ad Superiores quęcumq; ab illis notata fuerint.* atq; ita in praxi obseruari, ait, dum quilibet antea interrogatur, an tali iuri renunciet? Clarius *Alphonsus Rodrig.3.p.exercitij perfectioni, tract.8.c.6.* citat, in primis, nostra Statut. Barcinonensia, & Serenam conscientiam, quam, & ipse Suarius citauerat ex *Corduba q.1.in regul.* Tandem *Iulius Nigronus in reg.20.communium* ex multis probat regulę honestatem.

Minores quomodo teneantur reuelare superiori defectus.

Verùm satis distant statuta Minorica a societatis Canonibus; quia per hos possunt Religiosi societatis sponte, & non requisiti reuelare Superioribus leuia & grauia delicta, etiam secreta, & occulta, quæcumquè illa sint: Licet postea declarauerint, *Vt Patri;* moti fortasse ex nimio rigore, quem præseferunt, ex *Bagnes 2.2.q.33.ar.4.* maximè si peccata ad boni communis, vel tertię personæ detrimentum vergant; quo casu, vltra potentiam, habent præceptum reuelandi, vt idem *Suar.* adnotauit *cap.8.num.21.* At Religio Seraphica, præcipit reuelare, non quoslibet, sed *excessus notabiles.* Alexandrina. & Iulij 2. *notabiles, & infamiam, aut ruinã ordini prętendentes, secundum Farinerij generalia statuta, Prælatis denuncient,* non quidem spontè, sed requisiti, iuxta decretum Clem. VIII. *de refor.regul.num.* 21. quod est huius statuti, vel regulæ declaratiuum, *cum autem*

tem (inquit) *quis in conuentum reuertitur, Superiorem iterum adibit, benedictionem recepturus, qui à socio, itineris rationem, & quid rei actum sit, diligenter requirat.* non enim Clem. VIII. ex suo capite tale decretum elicuit, sed ex statutis Religionum. ergo secundum hanc normam practicari debet: & propterea additur, *Maximè cum per obedientiam requiratur.* & Alexandrina, & Iuliana. *Tunc si à Prælato per obedientiam de notitia talis peccati requiruntur, tenentur illud reuelare. Nunquam tamen Prælati, de secreto alicuius, quæ soli diuino subiacent iudicio, ad sibi, vel alteri extra confessionem reuelandum cogant; mitterent enim falcem in messem summi Imperatoris Dei, & crimen lesæ maiestatis incurrerent,* quibus addunt Papalia. *Præterea dicere, & affirmare, quod socij in crimine, non debent, etiam requisiti à Superiore socios prodere &c.* ex quibus paret mens perpetua religionis. Primò Quod omnino secreta, & quæ soli diuino iudicio reseruantur, (quæ non sunt purè mentalia, vt dicitur de hæresi &c. sed quæ per congruos testes probari non possint, saltem per vnum omni exceptione maiorem, vel per famam &c.) non tenetur subditus deportare ad Superiorem; quia hoc est contra ius naturale, tùm ex parte denunciantis, qui suæ famæ, & credibilitatis iacturam pati posset; quia si Prælatus illi non crederet, iniret praui delatoris conceptum. Et ex lege charitatis, tenetur plus se quam proximum diligere, vt præcauerunt statuta Papalia Iul. 2. dicentia. *Additur tamen, quod si ex tali denunciatione, possit de reuelatione confessionis oriri suspicio, ex quo reuelans incurrere iuridicè valeret infamiam, & ecclesiasticam pœnam, non deberet illud vllo modo propalare, quia negligeret famam propriam, & contra ordinem charitatis ageret, nisi constare posset, aliàs quam per confessionem sciuisse.* & cum totus iste discursus fundatus sit, super possibilitate, vel impossibilitate probationis, sequitur, quod omninò improbabile, reuelandum non est *S. Tho. quodl. 4. ar. 12. & 2. 2. q. 33. a. 7.* tùm exceptione denunciati, quia bona fama spoliatur, iuris naturæ, & legis diuinæ, & humanæ, ordine non seruato: cuius obseruantia præualere debet statutis regularium, quidquid sit de societate, iuribus naturæ, & Euangelij renunciare, ijsque humanum institutum præferente, de quo disputare non refert. Videantur *Lorca in 2. 2. S. Tho. q. 33. a. 8. sect. 2. disp. 47. à numer. 8. Sot. de Tegendo secreto. membro 2. q. 4. con. 3. dub. 3. Adrian. post quæstionem de* correctione, Dubio *ostenso Tostat.* in fine *q. 84. in Matt. Palud. q. 4. Gabriel lect. 71. in cano. Silu. q. 4. Nauar. Philiarcus de off. sacerdotis. tom. 1. p. 2. lib. 4. cap. 12. Rod. tom. 2. q. 8. ar. 4.* eius compilator *resol. 36. num. 6. & 13.* vbi censuram Academiæ Salmantic. citat. Hoc certum est tale non vigere in Religione minorica, quæ Euangelium sequitur, & sacris canonibus regulatur. Et cum statuta contra talia iura non valeant, secundum illorum rigorem omninò interpretanda sunt: Vt docuit *Portel V. Correctio Frat. in addit. n. 5.* & respondet *Lorca n. 14.* & elicitur ex verbis S. Bon. in statuto, quod citat Suar. *Frater, qui Fratrem correxit de aliquo excessu secundum formam Euangelij, &c.* Et Petrus Ioann. super verba *regulæ, teneantur prædicti Fratres ad eos recurrere.* cap. 7. ait. *Peccatum de quo non processit suspicio, pandere, est contra ius diuinum, & occasio multorum scandalorum, & in magnum periculum animarum par. 4. firm. Trium Ordin. pag. 82.*

Quæ peccata reuelāda sunt prælato aut non.

Secundò Quæ in perniciem ordinis vergunt, & sunt satis notabilia, etiam non facta correctione, reuelari possunt, quia proditiones vrbium, rebelliones in Principes, hæreses, &c. Ex communiter scribentibus, sine correctione reuelantur

Quando non facta correctione pecca ta reuelari possint.

quia debemus præferre bonum publicum priuato,& totum magis amare,quam partem:Nisi per correctionem secretam spes emendationis affulgeat,quia tunc etiam præmittenda est correctio *S.Th.quodl.*12.*art.*13. *Nauar.in sum.c.* 18.*nu.* 56.*Graff.p.*1.*decis.lib.*2.*c.*69.*n.*17. *Reginal.lib.*24.*n.*55.*&* 58. *Sil.V.correctio q.*3. *n.*4 *Angles* 2.*p.*9. *de correct.fraterna,ar.*1.*diff.*6.*Salon.*2.2.*q.*68. *ar.*1.*con.*2. quo loco ponderanda sunt verba statuti, *defectus notabiles*, id est maximè considerandi, insignes, aperti, vt ex *Plinio lib.*36.*cap.*5.*docet Calepinus.* quę synomina sunt in hac lege,cum in *ruinam, & perniciem ordinis tendentes.* Ac si diceret, nisi reuelentur, etiam non præmissa correctione fraterna, grauissimum Religioni damnum accideret. Attamen etiam ista debent egredi fines omninò secretos: quia stat communis sententia,secreta,quę famam,indicia,suspiciones effugiunt, reuelanda non sunt.Si enim Prælatus corrigere,vel paternè emendare vellet delatum, & ille negaret; Superior confunderetur, & delator in suspicionem iustæ calumniæ deneniret:Quod magis patebit ex dicendis.

Tertiò,Subditus,in ijs, quæ non tenetur ex iure naturæ, & diuino denunciare,non requisitus,expectare debet Superioris requisitionem, & non vltrò se ingerere;& tunc requisitus,& per obedientiæ imperium,adactus,debet suo Prælato ad paterna interrogata respondere; sic statuta loquuntur. Vnde colligitur, debere in Prælato aliquam præcedere scientiam seu suspicionem, vt moueri possit ad interrogandum, secus irrationabiliter procederet. Quo casu si excessus non sit omninò occultus, subditus tenetur iuxta mentem interrogantis respondere,aliàs non:quia sicuti non potest de occultis interrogare,ita subditus non tenetur respondere: Sunt enim hæc relatiua. Excipio aliquos casus perniciosos, & grauissimos, qui nec correctione emendari, nec silentio reparari possunt, in quo procedit doctrina secundi. Et tradidit *Peirinus tomo* 1.*quęs.* 1. *cap.*16.*&* §.1.*&* 2.Et maximè valere debet fraterna charitas, & purus religionis affectus.

STATVTVM V.

Superiores nullo modo in omninò occultis se intromittant,sed tantùm de ijs,quæ per generalem inquisitionem,aut accusationem,aut denunciationem, ad eorum notitiam peruenerint, vel de quibus publica fama, vel clamorosa insinuatio fuerit.

Super quo statuto quærendum est.

An processus factus per viam secreti delatoris, vel per literas anonimas sit validus?

Ad secreti delatoris instantiam,nō est procedēdum.

Respondeo negatiuè quia Iudex procedere non potest sine accusatore vero, vel ficto.*S.Thomas* 2.2.*quæst.*67.*art.*3.quem sui sequuntur. *Nauar.de Iudicijs.*§. 21.*principale.numer.* 80. *& in cap.inter verba.*11. *quæst.*3.*Clarus quęst.*8.*numero* 5.*Couar.*1. *Resolut.cap.*1. *Aret.in practica par.*1. *cap.* 17. *Lessius lib.*2. *cap.*129. *dub.*1.*Petrus Nauar.lib.* 2.*cap.*3.*num.*180.*Leiman.lib.*3.*&* 5.*cap.*2.*num.*3.*de iudicijs.*

dicijs.Et tract.3.par.3.cap.4.num. 14. *Sot.de Tegend.secret. memb.2.quæst. 6.con. 3.Clauis regia lib.12.cap.11.num.16.* & aliorum apud ipsum. *Cord. in sum. quæst. 64.Suarez tom.4. de Relig. lib.10.cap.12. à num.præcipuè 16.Sil.V. Inquisitio. quo titulo, & summistæ.Coriolan. de casibus reseru. part. 2.cap.5.num.26. Rodrig.tom. 2.quæst.7.art.10.& 9. Hieron.Rod.resol. 40.num.9. Miranda tom.1. Ordin. Iudic. quæst.12. art 7.& quæst. 7.art.8. & in practica quæst.3.art. 2.con.4. Bertus Lucen. sis in prxai tit. 6. cap. 4.& 6.num. 4.Pegna in directorio. Scol. quæst. 67.par. 3.* Ratio est,quia ex octauo præceptò decalogi tenemur nõ infamare proximum, sine causa;& qui aliter facit,peccat mortaliter,& tenetur ad restitutionem famę. Sed delator secretus, & scriptor anonimus produnt non infamatum, nec per clamorosas insinuationes malè audientem, alias non esset opus tanto secreto; ergo scopus huius occulti modi procedendi est aperire secretos peccatores, quos aperitione infamat; Ergo ex natura secretæ delationis violatur octauum præceptum decalogi, contra quod nullus mortalium sancire potest. Excipiò proditiones Reipublicę, hæreses, &c.Quæ ob bonum publicum; naturali iure dictante,sine infamia denunciari possunt.

Secundò, *cap.qualiter, & quando.2.de accus.cum sequenti cap. licet heli. de Simon.* præcipiunt non esse procedendum sine infamia, exemplo *Luc.* 16. Sodomorum, *Gen.*18.aliàs idem esset accusator, & iudex, & falsæ, ac malignæ criminationi ianua panderetur. Est casus expræssus. *cap.Inquisitionis. de Accusat.* Quærentibus enim, *Vtrum, cum duo,vel plures iurati affirmant, aliquem, crimen aliquod,eisdem videntibus commisisse, de quo aliqua infamia non laborat, aliquam illi pœnam infligere debeatis? Et Vtrum ad petitionem quorumdam, quasdam vobis schedulas occultè tradentium, infamationem Episcopi continentes, sit ad inquisitionem procedendum?* Respondet Innocentius Tertius,*Nullum esse pro crimine, super quo aliqua non laborat infamia, seu clamorosa insinuatio non præcessit, propter dicta huiusmodi puniendum. Quinimò depositiones contra cum recipi non debere, cum inquisitio fieri debeat solummodo super illis, de quibus clamores aliqui præcesserunt, Nec ad petitionem eorum, qui libellum infamationis porrigunt in occulto, procedendum est ad inquisitionem.*

Ergo Tribunalia,& Iudices sæculares malè procedunt.

Iudices sæculares qua re possunt ad occultam delationem procedere.

Respondeo primò, *Lessius lib.2.cap.29.Azor.par.3.lib.13.c.18.quæst.1. apud quem Caiet. 2.2.quæst.64. art.2.Sotus de Iust.q.6. art.2. Baldus in l.Iubemus. C.de probat.Clarus lib.5. receptarum.quæst. 5.qui ait esse communem.Bonac.in 8.decalogi disp.10.puncto 6.propos. 1.n.5.Coriol.cit.n.7.* Dicunt hanc praxim esse quidem contra S. Canones, & doctores; tamen defendi posse ob consuetudinem locorum, & prouinciarum.quæ responsio nobis applicari non potest,quia habemus consuetudinem contrariam.

Iudicia regularium à corruptelis sæcularium, distare debent.

Respondeo secundò, nostra iudicia non solùm distare debent à modo procedendi Laicorum, quæ vt plurimùm corrupta sunt,& lucra sectantur;sed etiam Clericorum sęcularum, qui eorum opera didicerunt. Et propterea dicit *Coriolanus*, Sæculares agere contra S.Canones, excusari tamen, quia frequentia delicta, extraordinarium procedendi modum requirunt; quod nec nobis applicari potest,in quibus talia nec sunt,nec præsumuntur.

Rimis,& apicib. iuris nõ tenemur.

Respondeo tertiò,Minores per constitutionem Bonif.8.non tenentur rimis, & apicibus iuris, qui laudabiles sunt, & non propter aliud, nisi quia disciplina

regularis infirmatur; ergo multo magis alieni esse debemus à corruptela Iudicum Sæcularium, quę sacris repugnat canonibus.

In formandis processibus seruare debemus statuta, & consuetudinem.

Quartò, contraria consuetudo semper viguit in ordine, quæ vim legis obtinet. *cap. nos. cap. consuetudo. d. 1.* & Bonif. 8. *Ad augmentum*, ait. *Vobis authoritate Apostolica indulgemus, vt ad correptiones, & punitiones Fratrum delinquentium in fligendas, Prælati ordinis supradicti rimis, & apicibus iuris postpositis, liberè procedere valeant secundum consuetudines approbatas, & generalia facta, & etiam facienda ipsius ordinis instituta.* Sed habemus consuetudinem, & statuta in contrarium *Salmant. cap. 10. Neapolit. cap. 33. Vallisoletana iam in textu citata, Praxim Criminalem æditam de mandato Generalis Roman. Cap. ann. 1639.* Quæ solos Canonicos procedendi modos recipiunt. *Titulo de forma iuris seruanda à Iudice pag. 15. §. modus. Titulo de Denũciatione Canonica. pag. 18.* vbi decernitur, *Inhabilis ad accusandum, est etiam inhabilis ad denunciandum cap. 1. de Accusat. cap. cum dilectus. 2. cap. cum oporteat. eod.* Ergo sciri debet iste denunciator. *Denuncians iudicialiter, tenetur tempus, locum crimen adnotare. Et si falsum denunciauerit, pœna extraordinaria est plectendus ca. cum dilectus cit.* Sed nescitur, quomodo punietur? *Canonicè denuncians, tanquam testis examinari potest;* Ergo debet esse notus. *Per literas missiuas sine nomine, non est procedendum.* Ergo, &c.

Scripturæ sine nomine præsumitur falsa.

Quintò, Tribunal S. Officij tales intitulatas literas, & denunciationes non recipit, *Simancas. Cathol. institut. Tract. 43. Rubric. de ordin. procedendi num. 10. Farin. de hæresi, quæst. 175 n. 66.* Quia sine nomine, & subscriptione præsumitur falsa. *Ferdin. de Castro Palao. par. 1. operis moral. tract. 4. disputat. 8. pun. 1. nu. 4.* aliàs daretur improbis occasio probos infamandi. *Siman. in Enchir. violatę relig. tit. 22. Rubric. de Inquisition. ordin. n. 8. fin. cum Farin. citato, nu. 68.* ergo multò minus esse debet in religione, quæ non est ita priuilegiata.

Sextò, Hic modus procedendi, præsumere facit Superiores, talium tecnarum artifices: eundem facit Iudicem, & Accusatorem. Fraternitatem minuit, dum quilibet de occulto delatore dubitat. Malignitates nutrit, quando cuilibet improbo licet contra probos sæuire. Seraphicum Ordinem *Infami, ac publico hominum exitio reperto, genere maculat. Tacit. 4. Annal.* Infames dimittebat Antoninus Pius delatores, si probassent; si non probassent interficiebat. Titus, & pater flagellis cædebant, & in furcas agebant. Vt refert *Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 22. Delatori lingua capuletur, aut conuicto caput amputetur.* Sanxit Adrianus Papa. *cap. Delatori. 5. quæst. 6. Infames, vt plurimum sunt isti Delatores. Bertus Lucensis citatus.* Hinc veteri edicto sancitum, Ne milites, Veterani, Mulieres, & Nobiles, delatoris munus assumerent, & his conspurcanda est Franciscana Religio?

Delatores quam mali.

Delatoribus non facilè credendum.

Remoueant Iudices prauum, & detrahentium labia. prou. 4. quia *nihil tam inquinat* (inquit Hieronym. ep. 14) *animum, nihil est, quod tam mobilem mentem, & lenem faciat, quam facilè totum credere, & obtrectatorum verba, temerario mentis assensu sequi: hinc crebræ dissensiones; hinc odia iniusta nascuntur.* Audiant Bernardum *lib. 4. de consid. c. 6. Clandestinas* (inquit) *& susurratas delationes non recipias. Et hanc velim generalem tibi constituas regulam, vt omnem qui palam veretur dicere, quod in ore loquutus est, suspectum habeas. Quod si te iudicante, dicendum coram, ijte renuerit. Delatorem Iudices, non Accusatorem.*

Vtatur Superior auditis clanculum ad prudentiam, non ad punitionem; sat est,

est, si canonicis districtionibus vtatur, & nolit sapere plusquam oportet Memor aureæ sententiæ Traiani Imperatoris apud Iuniorem Pliniū lib. 10. ep.98. *Sine authore vero propositi libelli,nullo crimine locum habere debent. Nam,& pessimi exempli,nec nostri sæculi est.* Et loquitur de inquisitione contra Christianos, atquè adeò Religionis,& fidei illorum temporum.

Totum hoc adijcere placuit,quia post editam praxim Criminalem, ausus est quidam, & processum de rebus grauibus per secretos delatores, & anonimas literas incipere, & sustentare. Veritatem nisus sum calamo aduersus malum insurgens tueri. Et quia oportuit peritorum iudicio scripta firmare, & dignati sunt Primarij,ac sapientissimi Vrbis Doctores,& Magistri hanc disputationem collatis calculis roborare,quos honoris gratia, & ad horum commentariorum splendorem,prout subscripserunt appingo.

Ego Carolus Antonius Thesaurus Pœnitentiarius Italus in Basilica Vaticana idem sentio,& probo,& propria manu subscribo.

Ego D. Antonius Naldus Clericus regularis conuenio cum antedicta subscriptione quæsiti, heri de sero mihi proposita; & quamuis ex doctrina Bartoli in l.prolatam à Præside.C.de sentent.& interlocut.posset alicui forte videri festinata responsio, & per consequens suspecta, tanquam sine sufficienti instructione huiusmodi causæ prolata;video tamen adeò apertis iuribus ipsam comprobari (vt in præclara allegatione sufficientissimè deductum fuit) vt nullus pro hac parte ambigendi locus relinqui appareat. Et ex abundanti liceat mihi prædictis doctrinis addere aurea Imperatoris verba in præcit.l. prolatam. dicentis. Prolatam à Præside sententiam contra solitum iudiciorum ordinem, rei indicatæ authoritatem, non obtinere, certum est. Quid ergo clarius dici potuit pro retinenda immemorabili consuetudine, antiquissimę, itidemquè amplissimę Religionis Franciscanę in administranda iustitia? Nec quis apponat quęso contrarium Secularium Iudicum morem, quia optimè diluitur hęc obiectio per doctissimum Sotum lib.5.de Iust.q.5.ar.1. fin. vbi ait. Quod Fiscales instituantur scrutatores occultorum criminum, credo, quod nequè D. Thomas, nequè antiquiores Sancti probassent. At postquam consuetudo hęc habet, non est nostrum, de hoc censere hęc illę. Et tandem considerandum venit, quod omnes boni Principes semper à se curarunt eliminare delationes, & grauissimis pœnis coercere. Patet in l.8.ff.de Accusation.l.omnes.& l.non liceat.8.§.vnusquisquè. C. de delat. Et execrabiles nunciatores vocantur, in l.ex varia.C.eodem ex his itaquè, alijsquè per multis, quę in hunc locum afferri possent, adhęreo, atquè subscribo pręfatę sententię, saluo semper, &c. Ego D. Antonius Naldus Clericus regularis manu propria.

Eiusdem sum Voti, Ego Frater Vincentius Candidus Pœnitentiarius apud S.Mariam Maiorem.

Idem sentio Ego D.Hilarion Rancatus Cisterciensis.

Eidem opinioni assentior,Ego Iuo Gattula I.V.D.& in Vrbis Gymnasio,in ordinarijs legum Primarius Professor.

Supradictę sententię libenter subscribo,cum eam esse Diuino,& humano iuri conformem,optimis rationibus,fuerit deductum. Et ideo nihil addo, cum eas comprobare possem. S. Consultę supremi Tribunalis praxi. In quo cum initio Pontificatus Clementis VIII. inoleret prauus mos, vt libelli accusatorij, sine nomine subscripto reciperentur, fuit, consulente præcipuè, inclitę Memorię Viro, Antonio Maria

Cardinale Saluiato, decretatum, ne id in posterum fieret: Prout patet in Responsione S. Consultæ cum Constitutione Clemen. VIII, facta, dicto Cardinali Saluiato, prohibente, vt nullo modo fiat, & ne reciperentur libelli accusatorij, sine nomine inscripto. Et ita fieri audio, in supplicibus libellis, qui Sanctissimo D. N. offeruntur, quando alicui crimen impingitur. Petrus Martonus I V. D. & in Vrbe Aduocatus,

Prædictæ sententiæ, tanquam verissimæ libentissimè me quoque subscribo, Ego Paulus Boncompagnus I. V. D. & in Vrbe Aduocatus,

Libenter me dictæ opinioni subscribo, Ego Gauinus Vicus Thomasinus S. Theolog. Doctor,

Ita Iuris omninò esse censeo, Ego Sebastianus Ciuccius,

Idem pariter constanter sentio, & approbo, Ego Matthæus Morettus Aduocatus,

Ita Iuris esse censeo, Ego Carolus Corbanus,

Idem sentio, Ego D. Alexander Consedentius, &c.

Idem sentio, Ego D. Scipio Polidorus S. Thom. Magister.

Libentissimè subscribo D. Melchior da Graça Matissinensis Canonicus Congregationis Sancti Georgij in Alga ex Prouincia Portugalliæ.

Atquè hæc pro Visitatoribus contentiosis. Cætera ad praxim remittimus. Et ad alium specialem de his materijs tractatum, quem præ manibus habemus,



CAPITVLVM XI.

STATVTVM I.

Omnibus Fratribus precipimus, vt non tantùm à malo, sed etiam ab omni specie mali caueat, etc.

Quia suspecta consortia quænam, & qualia sint, ex Seraphici Sancti Bonauenturæ doctrina, sacrorumquè canonum authoritate, statuta optimè declarant, nihil immoramur. Solùm circa præceptum regulæ, & pœnas in transgressores latas, aliqua considerabimus.

Suspecta cõsortia prohibentur.

Prohibet enim regula cap. 11. *Ne habeant suspecta consortia, aut consilia mulierum.* Vbi aduerso spiritum, & zelum S.P. qui in tribus votis essentialibus tantùm adhibet hæc verba; *Præcipio firmiter.* De Paupertate *cap. 4. Præcipio firmiter Fratribus vniuersis, vt nullo modo denarios, vel pecuniam recipiant.* De obedientia *cap. 10. firmiter præcipio eis, vt obediant suis Ministris in omnibus, quę promiserunt Domino obseruare, & non sunt contraria animæ suę, & regulę nostrę.* & de castitate *cap. 11. Præcipio firmiter Fratribus vniuersis, ne habeant suspecta, &c.* Nec sine ratione; quia vt S. Bonauentura Sen. 2. d. vl. quæst. vl. inquit. *In Regula B. Francisci simpliciter pręcipitur, quod illius professores, nihil omninò habeant proprium super terram. Simpliciter etiam pręcipitur perpetuò continere, non solùm ab actu, sed etiam à suspecto, consortio, & consilio mulierum. Simpliciter pręcipitur suis Prælatis obedire, sed in omnibus, quæ non sunt contraria animę, & regulę. Nescio si ad aliquod istorum votorum, quisquam sciat plus addere. In hoc ergo perfectionis culmine, congruum est quæstionis terminare sermonem.*

Vota essentialia quam in Religione Franciscana emineat.

Attamen *Suar. tom. 4. de relig. lib. 1. de relig. Societatis Iesu. cap. 3. num. 5.* Vbi laudata arctissima paupertate Minorum, non solùm ait. *Hoc autem paupertatis genus etiam societas amplectitur in societate professa,* Sed etiam num. 6. notat *aliqua singularia, & propria societatis, quę perfectionem huius paupertatis augent.* Primum est, quod inter se votent non publicè, sed in Sacristia, coram, Superiore, aut alio Sacerdote non relaxare tam arctissimam paupertatem, sed restringere. de quo voto *lib. 6. cap. 6. per totum* disputat, & affirmat, posse eius relaxationem acceptari si offeratur à Pontifice. Et ego puto posse à Generali dispensari, quia est votum simplex non respiciens nisi societatem professam, & factum post institutam Religionem. Nec minor est authoritas Generalis in dispensando votum suorum subditorum, concernens voluntariam quandam renunciationem circa paupertatem, quam sit circa ieiunia, si à quolibet vouerentur, & orationes &c. Et iam philosophatur ipse Suarius, quomodo possit expedire, ad maius bonum Religionis, vel Ecclesiæ, Societatem habere conuenientes, ac moderatos redditus in communi, vbi fides plurimum labefactata sit. Et quia præsidium pœnarum, à fundatoribus cæterarum religionum appositarum, debi-

Paupertas Iesuitarum minoricæ cõfertur, & præfertur à Suario. Et quare.

le visum fuit ad defendendum murum societatis, quæ est paupertas, visum fuit votum voto vallere, quod est de non admittenda relaxatione paupertatis.

Iesuitarum Ecclesiæ, vt diuitias, & redditus habere possint.

Secundum est, quia non possunt societatis Ecclesiæ, Sacristiæ, vel fabricæ habere redditus, nec anniuersaria; nec cappellanias: *quod Minoribus prohibitum non est* (inquit ipse) declarat tamen *lib. 4.cap.9.n.1.* hanc singularitatem, ex bullis Pauli, & Iulij Tertij, id debere intelligi, *Præter ea, quę opportuna erunt ad vsum proprium, & habitationem. Et res sibi ex charitate donatas ad necessarium vitę vsum, quarum reuera domus professa est capax alicuius dominij in communi nimirùm earum rerum mobilium, quas ad actualem vsum habet. Idemquè censendum est de dominio illius rei immobilis, quę solùm ad habitationem, vel alium huiusmodi vsum, scilicet ad aliquam recreationem Religiosis necessariam inseruit.* Et capitulo coronidem imponit, narrando quomodo aliunde paupertas societatis excedat paupertatem Minoricam, quia huic non repugnant redditus pro sacristia, & prouentus ex cappellanijs, qui repugnant paupertati Societatis. declarat tamen *num.*8. Nomine fabricæ, & sacristiæ non venire ornamenta Ecclesiæ, & onera sacristiæ, pro luminaribus, pro sacrificijs, &c. Tandem in *cap.3.citato, n.6.* dicit Collegia, & nouitiatus habere proprietatem, non domus professas, *quod perfectionem non minuit, quia spiritus, & perfectio religionis ex primaria parte, & fine, quò tendit, consideranda est.*

Iesuitarum obedientia super omnes exaltatur.

Quantum ad votum obedientiæ, *lib.1.cap.2.num.*11. ex quadam epistola P.B. Ignatij, in qua vult Societatis sobolem per notam obedientiæ ab alijs Religionibus distingui, docet, *sicut aliæ Religiones eminent, vel in paupertate, vel in rigore pęnitentiæ, vel in choro, &c. Ita speciale studium societatis esse in excellentia obedientiæ, & per eam specialiter promouere suos religiosos ad perfectionem propriam.* & probat primò, ex parte materię *lib.4.cap.12.n.7.* quia aliæ Religiones promittunt obedientiam limitatam; Societas ex parte materiæ sine limitatione, & mensura; nam promittit obedire, *In omnibus rebus, ad quas potest cum charitate, obedientia se extendere, & in quibus nullum est manifestum peccatum.* Secundò, ex parte modi, qui est *cum abdicatione voluntatis, atquè iudicij*, Vt Beatus Ignatius scribit, & vt ipse commentatur. *Ex tota anima, ex tota mente, ex totis viribus.* Tertiò, ex parte finis, quia Societas specialiter, ordinatur ad salutem proximorum; tùm quia ipsi, *per se, & principaliter conuenire, nullam habet dubitationem*; tùm quia ita per se Societati conuenit, *vt nulli alteri religioni, ea ratione conueniat*; Nam Religio S.P. Dominici habet prædicationem, *Non ex officio, sed ministerialiter, subueniendo Episcopis.* Religioni Minorum dicit Gregor. IX. *Ministerium prędicandi ex sua professione conuenire*; exceptionem tamen specialem huic religionis non ponit, nisi quia cum ceteris mendicantibus ad eandem metam cum quadam diuersitate reducitur; Societas verò ex fine primario, & intentione habet tanquam proprium in quartò modo, vt proximos adiuuet prædicationibus, missionibus &c. Hinc *Nulla alia, speciali voto Summo Pontifici in Missionibus se obligat.* Nulla *primariò, sed secundariò, & ex abundanti, proximorum vtilitati, & perfectioni deseruit:* & propterea appellatur societas *Clericorum, seu Presbyterorum; quia illis incumbit ex sua institutione procurare salutem proximorum; Aliæ autem Religiones per se non postulant Clericatum.* Capitulo postea 3.*num.*7. citata sententia *S.Bonauenturæ in cap. 2. regulæ, & Sancti Bernardini* circa Minoricæ obedientiæ altitudinem, protestans se ab-

abstinere à comparationibus, asserit *Totam illam perfectionem, quæ ex amplitudine materiæ in obedientiæ voto reperitur, posse in societate reperiri*: & prӕter causas iam recensitas, adducit totalem dependentiam à Generali, in quo, *Maxima est potestas, & eius immediatior influxus, seu gubernatio, quam in vlla religione inueniatur: deinde in singulis personis, cuiuscumquè qualitatis, dignitatis, aut antiquitatis sint, respectu propinquorum Superiorum*.

Laxitatem voti restringit postea, & quidem optimè *lib.4.c.12.num.*10. dicens. *In rigore præcepti aliquam admittere limitationem; quia quæ sunt contraria, vel impertinentia ad auxilium proximorum, non est cur sub materia illius voti comprӕhendantur, licet aliàs bona sint, quia religiosi societatis non profitentur facere quodlibet bonum, nec seruare quodlibet consilium, sed iuxta finem præstitutum.* Vnde infert *num.* 11. non teneri Iesuitas ex præcepto obedire, si imponatur illis orare pro proximo, austeritates, & pęnitētias arripere, captiuum redimere, externam pacem procurare, pro republica negotiari, peregrinationem suscipere inter Turcas, ad loca terræ Sanctę, &c. Quia hæc formaliter non concernunt illa media, quibus Societas vti debet ad auxilium animarum. & *n.*12. non teneri ad omnes actiones, quę absolutè possunt charitatem, & perfectionem augere, sed tantùm, quæ faciunt ad finem Societatis, & *n.*13. neque teneri sub præcepto si pręcipiat Generalis in nomine Domini N. I. Ch. & in virtute obedientię, nisi pręcipiatur. *Obseruantia, constitutio, declaratio, ac viuendi ordo omninò iuxta nostrum institutum.* Reliqua ait pertinere ad consilia, vt in fin. *n.*14. & nulla peccata mortalia continere, exceptis votis, vt *n.*13.

Quoad votum castitatis, *Possunt* (inquit lib.11.cap.3.n.4.) *distingui varia media, quibus, & castitas custodiatur, & perfectio eius acquiratur: & in his mirum in modum abundat, & excellit hoc institutum.* Modi autem isti sunt *Summa Superiorum vigilantia, Inferiorum charitas, Cogitationum manifestatio, Custodia sensuum, Vitare otium, Cauere colloquia fœminarum, nisi cum magna circumspectione, necessitate, & vtilitate, Sacramentorum frequens vsus, moderatio victus, & vestitus, cum alijs, quæ ad asperitatem corporis pertinent.* Hoc vltimum tamen declarat *lib.4.cap.3.n.5.* quia *S. Thom. 2.2. quæst. 188. art. 6. ad* 3. dixerat, continentiam obtineri, *per abstinentiam cibi, & potus, quæ pertinet ad famem, & sitim.* Colligit *abstinentiam magis in diminutione quantitatis, quàm in ciborum qualitate consistere.* Sed audio Prophetam dicentem, *Genua mea infirmata sunt à ieiunio, & caro mea immutata est propter oleum.*

Iesuitæ quà alijs præstent, circa castitatis custodiam.

Similia docent *Nigron. Tit. par. 3. n. 13. & regul. 7. 15. 25. Alphonsus Rodriguez par. 1. praxis perfectionis, tract. 8. cap. 13. & par. 2. tract. 1. cap. 1. & part. 3. tract. 8. cap. 6. Sanchez. lib. 7. in decal. cap. 27.*

Quibus refellendis, vel confutandis, non vacat, qui voluerit, legat P. Arthurum in Martyrologio Franciscano in *Add. à num.* 77. qui alios citat, solùm, quod tangit Minoricæ Religionis statum, considerabo. etiam si sciam Religionem non esse perfectam, vel perfectiorem, quia calamis, & speculationibus defenditur, nec apud prudentes crescere ob comparationes, vel iacto aliarum Religionum defectuum fundamento. Vniuersis patet, qui pauperiores sint, Iesuitæ, an Discalceati, Reformati, Cappuccini, Recollecti, & obseruantes Franciscani.

Et quoad hoc, etiamsi mille votis, & cerimonijs, & iuramentis suam paupertatem

tatem Patres Societatis tueantur, quod prædicant suadere non poterunt; Quia, ipsis confitentibus, tam Nouitiatus, & collegia, quàm domus professæ habent proprietatem in communi; nec deficiuntur omnis generis suppellectili tam sacra, quam vsibus ipsorum accommodata, fortasse etiam cum excessu.

Franciscana religio quã pauper.

Religio autem Minorica nec vnius oboli proprietatem habet, vel habere potest. Nota sunt iura, & praxis. & ex dictis in cap.6. perfectior est paupertas in communi, & in particulari; hac carent, Iesuitæ.

Votum simplex, pro alterius defensione appositum, etiamsi à bona intentione instificetur, in re tamen videtur inutile; quia quod non potest maius, non poterit minus. Neque extollit Iesuitarum paupertatem supra Minoricam, quia hæc cum voto, & præceptis regulæ, nec procurare, nec consentire, nec acceptare potest relaxationes, dispensationesquè paupertatis, vt patet ex infinitis monumentis ordinis, quæ perpetuò renunciarunt, & renunciant priuilegijs relaxatiuis, declarantquè similia esse subreptitia, & malè impetrata. Sufficiat vnus Sanctissimus Vrbanus Octauus, qui *an.*1625. in bulla. *Sacrosanctum*, Ad Religionis petitionem præcepit obseruari decretales *Nicol.III.& Clem.V.* in quibus puritas illius regulæ declaratur, *Quæ in Euangelico fundatur eloquio, Vitæ Christi roboratur exemplo, fundatorum militantis Ecclesiæ Apostolorum eius sermonibus, actibusquè firmatur*, in qua dicitur, *hæc est illa celsitudo altissima paupertatis*, quam tot Summi Pontifices confirmarunt.

Quod redditus Sacristijs, Ecclesijs, Infirmarijs Franciscanis non repugnent, dixerunt multi. *Sor. Tit.leg.* citans *Federic. de Senis, Cordub. Zabarell. & Seren. conscien tiam. Hier. Roder. resol.88.nu.19.* qui alios citat; at alij negant, vt *Sanc. lib.7.decal.cap.26.à n.47. Azor.tom.1.lib.12.q.16.c.23.Cypr.Grouf.in fin.lect.6.in c.6.*ait. *Negatiua tamen cum Bal. Anch. Ser. Conscien. Cordub. & Politio multo tutior est, pro puriori Regulæ obseruantia.* Sed esto sit probabilissima, nihil inde colligit Suarius, quia tantùm est Sacristias, & Ecclesias habere annua legata, ac Fratres nulla talia habere, quia Ecclesiæ, & Sacristię non sunt Fratrum, sed Ecclesiæ Romanę, & Fratres illa non administrant, nec administrare possunt, sed Ecclesia Romana per suos Syndicos; igitur tantùm est Fratres celebrare, vel vti paramentis in eorum Ecclesijs, quantùm si in Ecclesijs aliorum id facerent. Nec refert, sub nomine Sacristiæ, & fabricæ non venire ornamenta, &c. Si pro his, non obstante voto, possint redditus procurari, &c. Et hoc non potest Religio Franciscana.

Sacristijs quomodo repugnat proprietas.

Quod autem collegia, & nouitiatus habeant redditus, & hoc non minuat perfectionem societatis, quoad præstitutum sibi finem, laudo; at non possunt laudare, quod dicere videantur, tendentiam ad istum finem superare paupertatem totius Ecclesiæ, quod est omninò falsum; nec intelligo, quid faciat ad istã summam paupertatem distinctio domorum professarum sine redditibus, & Collegiorum cum redditibus, cum professos in collegijs ad libitum Generalis liceat comorari; imò quãdo in paupertate claudere deberet dies, possunt senio, & infirmitatibus confecti, ac laboribus inutiles, vel libris conscribendis occupati, degere, & diem vltimum obire in Collegijs, vt inter alios dixit *San.lib.7. dec.c.27.nu.13.* ac perinde sit distinctio voluntati Generalis remissa, & paupertas tumultuaria. Hoc autem in Fratre Minore nefas esset, & esse, & facere.

Sed examinemus speciales excellentias obedientiæ: materiam dicit illimitatam,

tam, quia se extendit ad omnes res in quib. non sit manifestũ peccatũ, Cum limitatione, quod nõ excedat finem societatis. Sed Religio Frãciscana promittit obedire in *omnib. quæ non sunt cõtraria animæ,& regulæ*.quę verba nõ solũ includũt actus in quib. nõ est peccatũ,sed etiã indifferẽtia;quia si Superior Frãciscanus præcipit suo subdito,pacem componat,pro proximo oret,legationẽ ineat, peregrinationẽ suscipiat, dummodò rationabilis causa insit,omnes expositores regulæ dicunt, teneri sub culpa mortali obedire; ergo multò inferior est obedientia Iesuitica, obedientia Franciscana. Modus nec etiã excedit, quia omnis vera obedientia abdicat à se voluntatem,& iudicium; quia secundum S.*Th*.2.2. *q*.104.*a*.2.obedientia est virtus moralis promptam reddens voluntatem,ad implendum præcipientis imperium; quia obedientia,quæ habet aliquid de suo, vt in prosperis;vel est nulla,vel minor,vt dixit *S.Greg.lib.*35.*mor.c.*13.*relat.c.sciend.* 8.*q*.1.& S.Ben.*c*.5.*reg.*&*1.obedientia*(ita legendum,non humilitatis)*gradus,est sine mora*.& infra.*Hi tales relinquentes statim,quæ sua sunt,& voluntatem propriam deserentes,mox exoccupatis manib.& quod agebant, imperfectum relinquentes,vicino obedientiæ pede iubentis vocem factis sequuntur*. & infra. *Non suo arbitrio viuentes, sed ambulantes alieno iudicio*. Ecce verbaliter obedientia Iesuitica, quæ Benedictinam superare non poterit, & à qua fortasse S. P. Ignatius suam desumpsit,cum alijs multis:nec aliam vllam,quia in regulari obedientia duo includuntur,vt submittatur iudicium, & voluntas subditi,iudicio,& voluntati Superioris; etiam si iudicet subditus,oppositum esse rationabilius;attamen captiuare debet intellectum in obsequium obedientiæ, & obedire etiam si sibi displiceat, & sensualitas eluctetur. Sic Christus dominus factus est obediens vsquè ad mortem, quam tamen pars inferior obire noluisset. Sed nihil hac conceptione inferius continet minorica obedientia, de Voluntate expressè dicitur cap. 10. *fratres verò, qui sunt subditi recordentur, quod propter Deum abnegauerunt propriam voluntatem, vnde firmiter &c.* Si desiderant illud Suarij interpretis Sancti Ignatij *ex tota anima &c*.accipiant,quid scribat de obedientia perfecta S. P.Franciscus *cap.3, sacræ admonitionis ad fratres. Ille homo renunciat omnibus quæ possidet, qui seipsum totum præbet ad obedientiam in manibus sui Prælati, & quidquid facit,aut dicit,quod ipse sciat,quod non sit contra voluntatem eius(dum bonum sit,quod facit) vera obedientia est. Et quando subditus viderit meliora,& vtiliora animę suæ,quam ea, quæ suus Prælatus pręcipiat, suam voluntatem sacrificat Domino. quæ autem sunt Pręlati, opere studeat adimplere. Hęc namque est charitatiua obedientia, qua Deo,& proximo sacrificium seipsum facit*. & Collat. *quarta de Vera obedientia* ait. *Fratres charissimi,verbum primò præceptum implere,nec expectetis iterari,quod dicitur vobis, nihil etiam impossibilitatis causemini,siuè iudicetis esse in pręcepto,quia & si supra vires vobis mandarent,sancta obedientia viribus non carebit. Nec considerare debetis quis,vel qualis sit,qui vobis pręcipit,sed solùm quod sit Pręlatus. Subditus Pręlatum suum non hominem considerare debet, sed illum pro cuius amore est subiectus: quantò enim contemptibilior pręsidet, tantò magis humilitas obedientis placet*. Ecce totus subditus secũdum animam, & corpus;secundum voluntatem, & iudicium;secundum possibilia,& impossibilia in viribus obedientię: non igitur est inferior.

Obedientia Franciscana amplissima.

Qualem obedientiam desideraret S. P. F. in suis filijs.

Nec finis societatis Patrum tam amplè est extendendus. Nam quoad prædicationem, tam subsidiarij sunt Iesuitæ, quam Dominicani, quàm Franciscani,

quia

quia munus prædicandi non spectat ad mendicantes, cuiusmodi etiam sunt Religiosi societatis; neque ad Clericos vt sic, sed ad Episcopos, & Curatos, vt alibi dictum est: & regulares omnes in subsidium substituuntur. Nec Clericatus est speciale in societate, quia præter Clericos Minimos, Theatinos, Somascos, &c. Prædicatores, Minores, & alij ex instituto Religionis sunt Clerici, vt superfluum sit hoc probare; quia etiam Laicis seraphicæ Religionis præcepit Innoc. III. vt coronas clericales deferrent, vt refert. *VVading. an.* 1210. *num.* 15. Nec missiones, quia Franciscana religio vltimum capitulum regulæ expræssè disponit *de euntibus inter Saracenos, & infideles,* laxiori quidem modo, quam in societate, quia nostri mitti possunt à Prouincialibus, illi à solo Generali, & summo Pontifice, cui vouere Iesuitas obedientiam pro missionibus, peculiare non est, quia primum Capitulum Minoricæ regulæ dicit. *Frater Franciscus promittit obedientiam, & reuerentiam Papæ Honorio, & successoribus eius.* quod amplius est, quam si arctetur ad solas missiones, ad quas à summo Pontifice destinari possunt ex hoc voto. Nec Franciscana Religio secundariò instituta est ad vtilitatem proximorum, quia de B. Francisco canit Ecclesia. *Non sibi soli viuere; sed, & alijs proficere vult Dei zelo ductus.* & iam nota est historia, Christum Dominum reuelasse, & præcepisse B. Francisco, vt in ciuitatibus habitaret, & prædicationi attenderet. *Quia non vocaui te propter te solum, sed propter salutem etiam aliorum, propter quos ponet verba sua in ore tuo;* vt ex diuino retulerunt oraculo fratres Philippus, & Masseus missi à sancto Patre ad B. Siluestrum, & S. Claram, pro diuinæ voluntatis exploratione; Circa finem seraphicæ religionis, vt refert P. VVadingus. *ann.* 1212. *num.* 30. & ipsemet Dominus Crucifixus præcepit Beato P. *Vade repara domum meam quæ labitur.* ex quo postea Lateranensem Ecclesiam sustentauit. Vnde in collatione secunda opusculorum S. Patris, legitur monitum datum fratribus. *Consideremus* (inquit) *fratres charissimi vocationem nostram in qua vocauit nos misericorditer Deus, non tantum pro nostra, sed pro multorum etiam salute, vt eamus per mundum exhortando omnes plus exemplo, quam verbo ad agendum pœnitentiam de peccatis suis, & habendam memoriam mandatorum Dei. Nolite timere quia pusilli, & insipientes videmur, sed securi annunciate simpliciter pœnitentiam &c. Ite ergo annunciantes hominibus pacem, prædicantes pœnitentiam in remissionem peccatorum. Inuenietis infideles, superbos, blasphemos, qui exprobrantes resistent vobis. Ponite ergo in cordibus vestris patienter, & humiliter omnia tollerare.* Nonne hæc est Apostolorum missio? nonne seruus crucifixus sui crucifixi Domini, & verba, & finem, & opera imitatus est?

Franciscani ad salutem animarum ordinati.

Quod autem tota societas immediatè ab vno Generali dependeat, proprium obedientiæ non est regularis, quia Minoribus in voto est, cap. I. regul. *Cæteri verò fratres teneantur fratri Francisco, & eius successoribus obedire.* non solum immediatè, sed immediatissimè, eo modo quo fideles tenentur obedire Christi Vicario. & c. 7. *Teneantur habere vnum generalem Ministrum, & ei teneantur firmiter obedire.* Quod si hanc immediationem intelligat respectu regiminis, quia à solo Generali omnia officia prouidentur, hoc non est priuilegium obedientiæ, sed regiminis, ad quod obedientia ista dirigitur.

Franciscanæ castitatis cautela.

Castitatis custodiam in societate non excellere, ipsamet media quibus videtur laudari, suadent oppositum quia (nisi temerè de alijs iudicemus) in Minorica

rica Religione (de hac tantum dicam) Superiores summè vigilant. Inferiores charitate vrgentur, siuè pro anima sua, siuè pro proximorum admonitione, & correctione. Cogitationes Confessarijs, Patribus spiritualibus, & Superioribus communicant, & etiam (more maiorum) publicè aliquando confitentur. & iuxta Sancti Bened. in regula c. 4. consilium, *Omnes cogitationes malas cordi suo aduenientes mox ad Christum allidunt, & seniori spirituali patefaciunt*. sensus custodiunt, fœminarum, & suspectorum colloquia vitant, moniales fugiunt, sacramenta fræquentant, cilicijs, vigilijs, ieiunijs aspero habitu etiam cubantes corpus macerant. Quid igitur peculiare habet castitas in societate? nos præcepto, obligante ad mortale, tenemur non solùm peccata, & occasiones fugere, vnde castitas maculari possit, sed etiam suspiciones, & consilia, quibus alius de nobis afficeretur, etiam si nulla esset mala intentio, nullum esset periculum. propterea sub præcepto, Monialium Monasteria nobis ingredi vetitum est. nescio autem (vt ad S. Bonauenturam reuertar) quid vltra rationabiliter addi possit. fortasse statuta grauissima desunt? fortasse pœnæ, quæ culpas emendent? fortasse Superiorum monita? sit vnum pro omnibus S.P. N. Collat 6. *Mulierum familiaritates*, (inquit) *colloquia, & aspectus, quæ multis occasio sunt ruinæ, eò sollicitius vitare debemus, fratres charissimi, quò sæpius per huiusmodi videmus debilem frangi, & fortem spiritum infirmari. Harum contagionem euadere, conuersantem cum eis, nisi probatissimum Virum, tam facile iudicio, quam iuxta scripturam. prou. 6. in igne ambulare, & non comburere plantas. Non enim securum puto earum formarum introrsus haurire imagines, quæ possunt, aut edomitæ carnis resuscitare igniculum, aut pudicæ mentis maculare nitorem. Friuolum profectò est quodcumq; mulieris colloquium excepta sola confessione, vel instructione breuissima, iuxta quod saluti expedit, vel congruit honestati. Quæ sunt quæso cum Muliere, Religioso tractanda negotia? Ex nimia securitate minus cauetur hostis, & diabolus, si de suo capillum potest habere in homine, citò excrescere facit in trabem. Nec enim solùm mortificari debent vitia carnis, aut eius incentiua frenari, verum etiam exteriores sensus, per quos mors intrat ad animam, summa diligentia decet custodire*. Hæc S. Pater. Sed de hoc satis.

Circa familiaritates mulierum vitandas S.P. F. monitum.

STATVTVM II.

Qui de suspectis consortijs notatus fuerit, charitatiuè admoneatur, & corrigatur: Admonitus, si se non emendauerit; Superior, suspendatur officio, vel priuetur; Subditus, actibus legitimis destituatur per triennium, vel grauiùs puniatur, &c.

Quæritur primò, An suspicio debeat esse iuridicè probata, vt ad hæc indicidua Superior descendere possit?

Suspicio consortij debet iuridicè probari.

Respondeo affirmatiuè, quia pœna sequitur delictum iuridicè probatum, maximè cum de suspensione, vel priuatione agatur officij, & alijs grauibus, &

exte-

exterioribus. Ita statutum Salmanticense, à nobis adductum, & probatum in Praxi Criminali *tit. de sententia fin. pag.41. Prælatus non debet declarare quemquam commisisse delictum, pro quo pœna ipso facto imposita erat, nisi prius per rei euidentiam, vel aliàs legitimè de crimine constiterit*. Et *Vallisoletan. ann.* 1593. *Inhibemus ne Prælati nominatim de peccato alicuius inquirant, nisi de eo crimine, fuerit infamia de iure notatus, aut aduersùs eum fuerint indicia euidentia, & probabilia*. Item, *statuimus, contra inauditam partem, aut in eum, qui non est legitimè, ac sufficienter conuictus, aut confessus, grauem aliquam sententiam ferri non posse, nec debere, qua quis aut actibus legitimis, vt officijs ordinis priuetur, aut in exilium relegetur, aut notabili nocumento afficiatur. Latam, ipso iure nullam decernimus, atquè oppositum facientes, actibus legitimis perpetuò priuari debere*. Debet igitur Superior examinare delatores, & testes; & postquam de suspecto consortio constiterit, admonere, &c.

Modus correctionis.

Quæritur secundò, An tale iudicium fieri possit à Guardianis?

Respondeo negatiuè. Quia vbi pœnæ tales irrogantur, spectat ad Prouincialem. Potest tamen Guardianus paternè monere subditum, & pœnitentijs salutaribus coercere. Quinimò, & tenetur.

Quæritur tertiò, An vna tantùm, vel plures admonitiones præcedere debeant, An publicè fieri, An scriptis mandari?

Respondeo, seruanda est regula Euangelica, vt innuit verbum, *Charitatiuè admoneatur*. itaquè Prælatus debet subditum vocare inter se, & ipsum solùm, & monere: Si non resipuerit, adhibere testes, si suspicio fuerit non publica: sin autem, in refectorio, aut Capitulo; quæ scribi debet, vt cursus iuridicus constet, pro futura punitione.

Quæritur quartò, An nō præmissa admonitione, posset deueniri ad pęnas, &c.

Respondeo negatiuè, quia non seruatur ordo à constitutione præfixus: Non enim agitur hìc de lapsu carnis, sed de suspicione, & periculo, quod non potest facere delictum notoreitate insigne, vt regulas ordinarias debeamus excedere. Ad summum erit notoria suspicio, quæ resipiscentia emendari poterit.

STATVTVM III.

Quibus pœnis Clerici, & Iuuenes subiaceant, qui in aliorum cęllas præterquam Magistri, & Superioris, vel alij in eorum ingredi præsumpserint, Aut Sæculares iuuenes, præcipuè pueros, in proprias admiserint.

Ingressus in aliorum cubicula prohibetur.

Sequitur statutum regulas suspecti consortij, quo non præsumpto, pœnas non irrogat. Vnde si incidenter, sine malitia, sine suspicione, quæ moraliter mentem aliorum non moueant, fiat, nulla pœna imponi poterit: Quia cessante causa, cessat effectus. Vt latè deducit *Barbosa Axiomate 40. per totum*.

Verùm cum ipse ingressus, vel introductio sit prohibitus, vel prohibita, non

tantùm ex motiuo suspecti consortij, sed ex alijs causis honestissimis, poterit Prælatus ad monita deuenire; & nisi resipiscentia sequatur, etiam ad alias statuti dispositiones; quia tunc cum violatione statuti sequitur rationabilis suspicio. Et hoc rigorosè obseruandum est, vt tam Sancta constitutio conseruetur. In hanc rem optimè scribit *P. Nigronus regul. 33. commun. per totum*, vbi veterum patrum monita, mores, & constitutiones adducit. Qui videndus est.

STATVTVM IV.

A socio solitus sequestrari cum mulieribus, vnde oriri possit suspicio, Iudicio Superioris, si canonicè monitus, & correctus non se emendauerit, tanquam de suspecto consortio reus, actibus legitimis priuetur, etc.

Et si Iteratò punitus, sequestratione huiusmodi, duobus testibus fide dignis conuincatur, ad veritatem dicendam grauiter arctetur.

Et si vnus testis de sequestratione, et alter de lapsu carnis deponat, grauius arctandum decernimus.

Monitum Sancti Hieronymi ad Nepotianum. *Si propter officium Clericatus, aut Vidua visitatur, aut Virgo, nunquam domum solùs introeas. Solùs cum sola, secretò, & absquè arbitro, vel teste non sedeas. Hospitiolum* (Grauius ex vetusto exemplari *jostiolum*) *tuum aut rarò, aut nunquam Mulierum pedes terant. omnes puellas, & Virgines Christi, aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige. Ne sub eodem tecto mansites, nec in præterita castitate confidas. Si familiarius est aliquid loquendum, habet nutricem maiorem domus, Virginem, Viduam, vel Maritatam: non est tam inhumana, vt nullum præter te habeat, cui se audeat credere. Caueto omnes, & quidquid probabiliter fingi potest, ne fingatur, ante deuita.* *Mulierum consortia fugiantur.*

Augustini item cap. 12. regulę. *Quando simul estis in Ecclesia, & vbicumquè, vbi fœminæ sunt, inuicem vestram pudicitiam custodite. Deus enim qui habitat in vobis, etiam isto modo custodiet vos ex vobis.* Quam commentantes, & statuto firmantes Præmonstratenses dist. 2. cap. 23. num. 39. dicunt. *Si aliqua infamia de alicuius incontinentia exorta fuerit, & inquisitione facta, comperiatur solido fundamento subnixa, etiamsi infamatus, de ipso lapsu conuinci non possit, dummodo infamia grauis sit, & eius causam dedisse constet, vocetur ad Monasterium, & delicti merito Castigetur. & si peracta pœnitentia, absque scandalo remitti nequeat, suo Pastoratu priuetur.* Prædicatores dist. 1. cap. 17. de graui culpa. §. 2. *Si quis procedens vbi fœminę sunt, oculum fixerit. (si tamen hoc in vsu habuerit) vel cum fœmina solus, non de confessionibus, vel honestis loquutus fuerit.* Canonici Lateranenses. part. 2. c. 34. *Qui de crimine luxuriæ suspecti redduntur, nisi sint rei ex verisimilibus, & sufficientibus coniecturis, teneantur purgare se &c.* Eremitæ Sancti

Augu-

Augustini 2.p.c.13.*Fratres cum Mulieribus non colloquantur sine licentia, & socio à Priore assignato, qui audiat, & videat, &c.* Canonici S.Georgij in Alga dist. 4.c.9.*Si aliquis intus, siuè foris conuersationem suspectam habere reperiatur amoueatur ab illo conuentu, & puniatur iuxta grauitatem culpæ.*

Sanctus Benedictus in Regula c.4. *Castitatem amate.* vbi *Perez commẽtator n.* 227.citat S.Basilium *de constitut.Monach.c.4.Qua propter Mulierum conuersationes, quam maximè fugere oportet, nisi aliqua ineuitabilis necessitas cogat, velut ab igne cauere conuenit, itaut celeres, & repentinos discessus faciamus quia scriptum est Prou.6.Quis deligabit ignem in sinu suo, & vestimenta eius non comburet? aut, quis ambulabit super prunas ignis, & pedes non comburet?* & Fulienses Monachi super idem Cap. *Rarissimè visitentur sæculares, aut benefactores, præsertim Mulieres, & nunquam, nisi propter magnam causam. Nec licet alteri fratrum seorsũ cũ muliere loqui, nisi fratre comite vidente, & audiente.* Cælestini Tract.1.c.20.§.15. *Si qui Monachi absq; speciali Superiorum licentia, vel soli absq; adiuncto socio loquantur cum aliqua Muliere, in Capitulo recipiant disciplinam.* Montis Oliuetani 2 p.c.77. *Quod si euidentissimis tãtũ cõuincatur indicijs, per spatium vnius mensis ad arbitriũ Generalis carceribus mãcipetur, & in pane, et aqua qualibet 6.feria ieiunet.* Carthusiani par.2.cap.20. *Familiaritatem, & colloquia, cum Mulieribus, maximè cum personis, & in locis, ac horis suspectis inhibemus & Visitatoribus vt illa rescindere studeant, iniungimus.* Fundantur autem omnia ista in iure communi, naturali, & diuino; quia vitare debemus, & ruinã nostram, & scandalum aliorum. Hinc toto *Tit. de Cohabitatione Clericorum, & Mulierum cap. inhibendum cap. si quisquam.* Iubentur non solùm concubinas dimittere, sed etiam suspiciones vitare: & quod grauius est, neque cum Matre, Amita, & Sorore conuersari. *Quia* (inquit Concilium Nanatense) *instigante diabolo, & in illis scelus perpetratum reperitur, aut in pedisequis earumdem.*

Solitus sequæstrari, quis dicendus. Declarandum tamen est statutum. *Solitus sequestrari.* Verificabitur, si pluries id fecerit. *Institu.de rerum diuisionibus.§. Panonum. Bartazolus de clausulis instrumentorum.Clausul.21. glos.12. num.2.* Vnus enim actus non sufficit, vt voluit *Antonius Gabriellius lib.3.Titulo de Locatione. Concl.1.* Cum multis quos citat, vbi probat, rem solitam dici locari ex vnica locatione, ex eo præcisè, quod ex vnico actu successiuo, & continuato per tempus aptum ad inducendum consuetudinem, inducitur consuetudo per *Abb.in cap.fin.de Consuet.ex tex. in c.cum de beneficio. de præbend. in 6. Felin. in cap. cum accessissent. V. secundus casus de constitut.Rip.lib.1. responsionum.cap. 14.* Et alios. Alij tamen innumeri apud ipsum communiter tenent requiri saltem duos actus, vt notauit inter cæteros *Baldus in l.item lapilli.ff.de rer.diuis.& in l.binos.C.de Aduo.diuer.iud.Decius, Iason, Curtius, & alij apud ipsum.Et Barbos.dict. 376. num.1.2.3.* Et quidem *solitum* accipi variè, docet textus, & illic *Bartol.in l.Mela.§. sed si alimenta.ff. de alimentis, & cibar.leg.& in l.1.C.quomodo, & quando iudices* In subiecta autem materia, nec vnum, nec duos actus puto constituere *solitum*; Nam huc trahi non potest ratio illa tractus continuati, neque ratio consuetudinis, quæ ad rem præsentem sunt impertinentes, sed moraliter coniectandus est malus animus delinquere volentis in carnis lapsu, qui difficulter cognosci potest ex vno, aut altero actu, nisi ita fuerint qualificati ex circumstantijs, quod Superioris mentem ad violentas præsumptiones adducant, Et quia difficile coniectu est,

remit-

remittitur Iudicio Superioris, qui æquitate, & charitate pensatis, ad canonicas admoniones descendat.

Quidquid sit, post canonicam monitionem, si redeat, sine dubio reus suspecti consortij redditur, quia non obstante admonitione, & obedientia, ad rem prohibitam reuertitur. Et ideo rationabiliter punitur.

Quando quis reus suspecti cōsortij.

Vbi autem dicitur. *Si iteratò punitus, &c.* Intelligi debet de punitione actuū legitimorum, Quia prima punitio est admonitio canonica, qua apud communitatem malè audire incipit. Secunda punitio est priuatio actuum legitimorū, postquam, si sequestrationem reiteret, arctandus est grauiter: Si autem testem de lapsu, & alterum de sequestratione contra se deponentes habeat, grauissimè: Supponit enim statutum alia statuta, nimirùm, quod arctatio augeri possit, secundum excessus delictorum, vt dicitur *cap. 5. Titulo de laboritijs, & negotijs ad honestatem non pertinentibus. Si verò aduersùs aliquem de flagitijs huiusmodi probabilis suspicio habeatur, is quidē grauiter: si autem violenta, grauissimè arctetur. cap. autem 7. Titulo de Tortura, & Arctatione* dicitur. *Arctatio est, quod singula hebdomada tribus diebus disciplinetur, cum psalmo Miserere mei Deus recitato, & pane, & aqua tantummodo reficiatur. Tempus autem arctationis huiusmodi, Superiorum taxetur arbitrio.* igitur Arctatio grauari potest, vel multiplicando dies disciplinæ, & ieiunij, vel extendendo tempus carcerationis. In praxi autem Criminali, *Titulo di Tortura pag. 33.* determinatum est, nullum posse arctari, nisi causa, legitimè in actis probata, quæ sit, vel dictum vnius testis integri, de facto principali deponentis, quæ solet dici semplena probatio, vel indicium graue, plenè probatū, Vel vnus testis non integer, de visu, adminiculatus tamē fama, vel alio leui indicio. Cum enim reiteratio sequestrationis sit graue indicium culpæ, rationabiliter arctari potest. Et cū testis de visu, adminiculatus dicto testis de sequestratione, faciat violentā præsumptionem, rectè in grauissimam arctationem conijci poterit: Et si de facto deponat, puniri, vt in praxi; si per tormentum se purget, dimitti, & absolui, cum clausula. *Nouis superuenientibus indicijs, &c.* Quādo se totaliter purgare non potuerit, vt ibidem dictū est.

Arctationis gradus.

Dari non potest sine probatione.

In omni tamen euentu, ab illo loco remouendus est, vt *cap. 7.* determinatur, *Titulo de pœna in castitatis transgressores. Si quis legitimè conuictus fuerit domos suspectas ingressum fuisse, ab eo loco amouendus est omninò, &c.* Quæ autem sit domus suspecta, venandum non est, ex qualitate familiæ, quod non malè audiat, quod sit nobilis, &c. Nam in his domibus etiam peccata committi possunt, æquè ac in domibus meretricum, cum æquè fœminæ sint vtrobiquè, & aptæ ad supponendas faces libidinis; sed accipiendæ sunt ex circumstantijs, commoditatibus, colloquijs, familiaritatibus, &c. Alijsquè coniecturis, quæ nobis vicinam culpam suadeant.

Domus suspectæ quæ sint dicendæ

STATVTVM V.

Mulieres intra septa Monasterij introducentes, pœnis Apostolicis subiaceant, & Superiorum arbitrio carcerentur, quas subeant etiam qui easdem in domunculas confessarij Monialium destinatas, admiserint.

Pœnæ intro ducentium mulieres intra septa cōuentus.

Pœnæ in introducentes Mulieres intra septa Monasterij ex quacumquè causa, sunt excommunicatio latæ sententiæ, Sedi Apostolicæ reseruata, tam quoad introducentes, quàm quoad introductas: Et priuatio officiorum, ac perpetua inhabilitas,& suspensio à diuinis, sine alia declaratione,tam Superioribus,quàm subditis,eas introducere,vel admittere præsumentibus. ita Pius V. in bulla, *Regularium personarum. edita 23. Octobris an.*1566. & Gregor. 13. *Vbi gratiæ ann.* 1575. *ibid. Iulij.* Etiamsi sint Comitissæ, Ducissæ, aut Marchionissæ, etiam sub prætextu priuilegiorum, quomodocumquè impetratorum. Et licet vterquè Pontifex prohibeat ingressum sub prætextu licentiarum,& priuilegiorum,vnde ansam dicendi aliqui arripuerint, non esse excommunicatos, qui sine talium prætextu ingrederentur. Vt probat vltimus, quem sciam scripsisse de hac re, Michael Ferro *par.2. quæst.moral. quæst.91. contra Dianam tract. 2. miscell.resol. 32. apud quem Sanchez, Suarez, Zerola, Sayrus,Rodriguez, Miranda, Magal.Barbosa, Campanilis.*Vbi etiam negatiuam sententiam, non probabilem dicit.quam tamen defendit etiam *Filliuc.Tract.5. de censuris cap.5.num.*119. Et quidem indigna est nota improbabilitatis, quam probabilem facere possent tot insignes Viri, cum in terminis canonicis,maximè sit probabilis,quia rigorosè interpretatur odiosam dispositionem. Nec tria argumenta, quæ facit magna sunt, quia verbum, *sub prætextu*,esto significet rem veram, vel fictam, Greg. prohibuit ingressum, sub hoc prætextu, id est siuè habeant, siuè habere credant priuilegia, non tamen quæ hunc prætextum non prætenderent: & sic nullum est argumentum,quod vocat nouum,& non penetratum,cum antiquissima sit disputatio inter Doctores de operantibus sub prætextu, vt scripsi de absolutione casuum reseruatorum,sub prætextu priuilegiorum,antequam hunc librum viderem. Verbum autem. *Quouis modo*, nihil probat contra istos Doctores; quia refertur ad ingressum intuitu licentiarum,siuè verarum,siuè non,non autem ad ingredientes sine hoc prætextu. Tandem coniectura quod si prohibet ingressum sub hoc prætextu, multò magis, sine vllo prætextu, bona quidem est,at non, quæ stare possit immobilis, quia in odiosis non attendimus consequentias, sed sententias. Et *contra eum, qui legem dicere potuit, apertiùs est interpretatio facienda*, vt dicitur de reg. iur. cum ergo solùm prohibeat sub prætextu, & potuit prohibere vniuersaliter, non debemus extendere &c. hæc dixerim contra hanc censuram.

Opinio negans excommunicari,introducentes mulieres intra claustra, nō sub prætextu priuilegiorum,est probabilis.

Opposita tamen est probabilior.

Quia in re contrarium sentio,cum *Diana part.4. tract. 4. miscell. resolut.* 179. *vbi contra Layman. lib.4. tract.5. cap.12. num.*4.tenentem contrarium, atq; dicentem, mentem Pontificum fuisse, non inducere nouum peccatum, & censuram, sed impedire conturbationem regularium, ob ingressum magnarum mulierum, eo quod cum multis comitatæ accedant, & ideo remoto scandalo &c. non esse mortale, & citat *Suar.tom.5.disp.21.sect.6.*nec constare de constitutione in contrarium. quam opinionem sibi non placere affirmat ob authenticam declarationem Pij V.factam *an.*1570. 16. *Iulij.* in constit. *Decet Romanum Pontificem fuisse, & esse mentem; & intentionem nostram, quod dictæ literæ non solùm comprehenderent, & comprehendant mulieres habentes, & prætendentes facultatem,& indulta ingrediendi Monasteria,sed etiam omnes, & quascumque mulieres alias,tam in genere,quàm in specie.*

In qua etiam constitutione declarat, *Non precludi aditus ad Monasteria, & loca*

loca regularia dictæ congregationis (Carthusiensium.) ac eorum Claustra, quando in eis Missæ, & alia diuina officia celebrantur; ac dum processiones fiunt, & quando Christi fidelium cadauera ibi sepeliuntur, ac etiam pro eis suffragia fiunt; sed, & liberè perpetuò concedimus eisdem omnibus mulieribus facultatem, vt ad illa loca dictæ Congregationis, in quibus prædicta pia opera exercentur, cum alijs Catholicis personis accedere, liberè, & licitè possint. Et similiter, quod quando diuinum in claustris Monasteriorum huiusmodi proponitur, vel per aliam quacumque causam tantus concursus populi fuerit, quod commodè egredi non possint; & ingredi per portam Ecclesiæ, perpetuò concedimus, vt dictæ Mulieres, vnà cum alijs secularibus personis, possint ingredi per portam claustri Monasteriorum, dummodo recto tramite accedant ad portam, quæ exitur è Monasterio. Idem declarasse fertur Greg. XIII. apud Villagut. citatum à *Lezana tom.1. cap.10. num.9.* qui accipiens à Quaranta, V. Monasteria, & Conuentus pag. mihi 306. & à Filliucio supra, dicit practicari in sac. pœnitentiaria: quod pro lege haberi debet, cum agatur de interpretatione legis apostolicę, & de facto ita practicatur. quinimò rigorosè non tantum S. Pœnitentiaria reseruat ingressum ad inhonestos vsus, sed etiam officijs priuat, & in posterum inhabilitat regulares introducentes tales fęminas, & absoluendi potestatem Pœnitentiarijs minoribus adimit. *Intra septa quando mulieres introducere possimus.*

Reginas, & Imperatrices, quia in prædictis constitutionibus non compræhenduntur, posse ingredi clausuram regularem, docet *Rodrig. tom.1. q.48. ar.1. cum Sanchez. lib.6. in decal. cap.17. nu.5.* Quod extendo ad Archiduchissas, & ad magnas Duchissas, vt Tusciæ, Parmæ, Moschouiæ, Sabaudiæ; istæ enim neque compræhensæ videntur; quia cum recenseat Duchissas, Comitissas, & Marchionissas, voluit compræhendere tantum minores, quæ Comitissis, & Marchionissis connumerari possent, quæq; absolutæ Dominæ non sunt, non autem illas, quæ regalem præferunt dignitatem, & splendorem. Qua ratione Sanchez extendit ad filias Reginarum, & Imperatricum, quæ nec Duchissæ, nec Comitissę, nec Marchionissę sunt; & sic ad Principissas maiores istis etiam extendi posset, ob eandem rationem, & fulciri ex paritate concessionis Greg. XIII. *Quæ sanctimonialium* edit. 8. *Septembris.* 1584. in qua reuocat licentias omnes ingrediendi concessas, *Præterquam ipsorum Monasteriorum, domorum, locorumq. fundatricibus, aut dotatricib. aut altricibus, nec non Marchionum, Comitum, Ducum & Superioris gradus Principum coniugibus, eorumquè filiabus.* quę omnes cum honestis damigellis, & matronis, ingredi possent, cum solę ingredi non soleant, nec deceat. *Io. de Cruce. in Epit. lib.1. cap.5. dub.1. con.1. Villalob. 3. p. sum. tract. 35. diff. 35. n.4. Hier. Rodrig. resol. 27. n.7. qui istos citat.* *Quæ fæminæ nobiles admitti possint.*

De fundatricibus &c. autē; cū sit propria Monialium, non spectat ad mares.

Declaratio facta pro Carthusianis, extensa fuit ad omnes per eundem Pium V. vt patet in primo viuæ vocis oraculo, dato per Cardinalem Cribellum, & relato post constitutiones eiusdem Pontificis in *Bullario Rodrig.* Et cum habeamus communicationem priuilegiorum, extenditur etiam constitutio illa Pij.

Circa processiones; an legitimus sit ingressus si fiant data opera processiones extraordinariæ, sentio cum *Portel. in addit. V. Claustra Monachorum nume.6. Et Coriolano. par.2. cas.3. num.34.* contra *Rodrig. ar.3. & suum Compilatorem num. 4.* Quia cum Pontifex dicat, *Quando in eis Missæ, & alia diuina officia celebrantur, ac dum processiones fiunt,* Et non distinguat de ordinarijs, & non ordinarijs, sicu- *Ingressus ob processiones & professiones, &c.*

ti non incurrentur pœnę ſi ad petitionem vnius mulieris aliqua extraordinaria Miſſa celebraretur in clauſtro, cui illa aſſiſteret, ita neque ſi fieret proceſſio extraordinaria, quia illa etiam eſt proceſſio,& ſumus in rigoroſa diſpoſitione legis,& in motiuo illius,quia pręcauētur pericula,& male occaſiones,tam in proceſſione extraordinaria, quam ordinaria.quidquid dicat *Hier.Rod.citat.& Lezana n.*12.In defenſionem Rodriquez,cuius reſpoſiones debiles ſunt.

Si ingreſſæ aliquo modo à recto tramite deuient.

Circa, *recto tramite incedendum*, certum eſt debere intelligi, ne diuertatur ad interiores officinas,non autem,quod in eodem clauſtro, publicè, & coram omnibus non poſſit aliquos paſſus diuertere,vt ſi proceſſio præcedat per medium, Mulier non poſſit ad latus accedere , vel ex alia Clauſtri parte ambulare,quia in hoc ſenſu rectus trames eſt,cum rectitudo ſolùm ordinetur,ne à patenti clauſtro aliò diuertat.

Huc intrat proceſſio, quæ fit à ſolis Fratribus, dum Sanctiſſimam Euchariſtiam deferunt ad infirmum,in clauſtro,& infirmaria manentem.

Et ingreſſus in ſachriſtias,ad quas aditus ex parte Eccleſiæ patet. *Bonac. de Clauſura.quæſt.5.punct.3.*

Et quando in clauſtro eſſet ſacellum , in quo ad alicuius deuotionem celebraretur miſſa.*Rod.citatus art.3. Sanchez loco citato numer. 22. remoto ſcandalo, &c.*

Et quando emitteretur profeſſio in capitulo, vel ſacello.*Bonac.citat. punct.4. n.*10.qui debuit etiam concedi,dum datur habitus; quia vel vtrumquè, vel neutrum eſt diuinum officium : in quo caſu in contrariam partem inclinauit *Peirinus tom.1. priuil.Conſtitut.6.Iulij II.n.*14.verè enim eſt officium diuinum , quia publicè oratur, benedicuntur veſtes, habetur ſermo ad pietatem ordinatus , & cultus diuinus extrinſecus exercetur.

Et quando neceſſaria eſſet Mulier Medica ad curandum infirmum.*Coriol.p. 2. aſ .3.n.32.*

Et quando Mulier inſequentes fugeret, ne occidatur.*Idem*, quia hoc non fit auſu temerario.

Monaſterij nomine , quid intelligatur.

Monaſterij autem nomine non intelliguntur , hoſpitia in ciuitate,infirmariæ extra Conuentum,Monaſteria nondum completa,nec à Fratribus inhabitata conuentualiter. Hinc *Valliſoletan.ann.*1593.quæ ad noſtram familiam ſpectant. Et *Toletan.ann.* 1583. Quibus altera vtitur , loca Guardiani Titulo decorari non poſſe,*Niſi vbi communitas in Eccleſia, Dormitorio, ac Refectorio ab octo ſaltem Fratribus , ſeruari poſſit.* Verum tamen eſt , quod talis numerus Fratrum ibi degere non debeat,vt Conuentum faciat,ſed vt fabricæ inuigilet,quia ſi ibi conuentualiter degatur, conuentus erit , etiamſi fabrica non ſit perfecta. *Sorbus V. ingreſſus Mon. n.* 11. ex quo *Quaranta ſupra.* citat declarationem Cardinalium expeditam per Cardinalem Alexandrinum *ann.* 1584. pro Cappucinis , *Quod loca, quæ ſunt in fieri, vel quę dum fabricantur , adhuc conuentus ibi ad morandum non fuerit introductus , ſed ſolùm ibi aliqui habitauerint Fratres pro fabricę potiùs ſeruitio,quàm aliter,Clauſuram nullam eſſe.*

Sed hic emergit dubium,omninò explicandum, An poſito quod introductus ſit conuentus ad habitandum , An Clauſura eo ipſo reſultet , itaut inducat cenſuras, an verò debeat à Prælato declarari.

Reſpondeo , Clauſuram declarari poſitiuè deberi , vel à Superiore , vel à con-

consuetudine illam interpraetante. Nec enim vnio multorum, nec domus, seris clausa, constituit regularem domum, ac canonicam clausuram, quia hac ratione domus saeculares, in quibus plures Fratres per aliquod tempus morantur, essent clausura, quod non est ver ùm. Vnde in *Concilio Aquisgranensi, relato à Coriolano dicta par.2. cas.3. num.10.* definitum fuit. *Necesse est, vt Claustra, in quibus Clero sibi commisso, canonicè viuendum est, firmis vndiquè circumdent munitionibus vt nulli omninò intrandi, & exeundi, nisi per portam, pateat aditus. Sint etiam interius dormitoria, refectoria, cellaria, & caeterae habitationes, vsibus Fratrum, in vna societate viuentium necessaria.* quibus verbis, clausura non ex se consurgit, sed ex Superiorum imperio. Clausura enim ex veteri appellatione Iuristarum apud *Brissonium, & Ioan. Caluinum.* Limitum designationes, ac custodias significat, siuè angustias adituum, quae regionem aperiunt, *ex Suida.* Terminos autem, & fines determinare, spectat ad Principem, & Superiorem. Hinc moenia à fundatoribus Vrbium designantur, vt fecit Romulus, &c. Hinc *Molfesius tract.7. cap.20. num.38.* ait. *Septa Monasterij, intelliguntur fines clausurae Monasterij, & ideo statur consuetudini Religionis, quibus finibus terminetur clausura.* Decernere autem, quod haec pars, vel illa, hortus, vel silua sit clausura, certè ad Prouincialem pertinet, non ad Guardianum. Legè *Portel.V. Monasterium. in addit. num.1.* qui ad Coriolanum addi, sufficere ad clausuram, quod morentur quàtuor, vel quinque Fratres cum suo oratorio, seu parua Ecclesia, & quod Praelatus clausuram designauerit, tùm ad effectum excludendi foeminas tum ad immunitatem Ecclesiasticam.

Clausura quando censeatur.

Clausura, quid.

Quod si Prouincialis non declararet ob ignorantiam, vel indauertentiam, clausuram; tunc dico, completo conuentu, & obseruantibus omnibus talem clausuram, ac credentibus obligari ad illam, transacto sufficienti tempore, induceretur clausura; quia consensus populorum facit ius, & licet consuetudo non possit inducere censuram, potest tamen inducere clausuram, ad cuius violationem cēsura consequitur: Esset enim contra dictamen rationis, quod completus conuentus non fieret clausura, ad excludendas mulieres. Tamē si positiuè, nec Superior decerneret, nec Fratres ab introductione mulierum abstinerent, nunquam euaderet clausura regularis, ob rationem dictam.

An introductam semel clausuram, possit Superior illam auferre?

Respondeo affirmatiuè ex causa, putà si post declaratam clausuram, conuentus rueret, vel in horto aliquid agendum esset, quod per mulieres praestari deberet (scio enim aliquas regiones, in quibus mulieres caementarijs materiam comportant) tunc posset Praelatus tollere rationem clausurę, sicuti potest consecratum calicem consecratione priuare, etiam non fracto calice, sed tātum cum ferro pulsato, aut percusso cum intentione priuandi illum cōsecratione, ita potest, aperiendo ianuam, vel rumpendo parietem, aut sepem, declarare, quod talis pars conuentus non est amplius clausura.

Clausura tolli potest.

Saltem (dices) in eo casu cellae ipsae Fratrum essent clausurae, in quas si mulieres ad quiduis introduceret, excommunicatus euaderet?

Respondeo, nego assumptum, Quia licet materialiter cella sit maxima clausura, attamen formaliter, & vt de clausura loquimur, non esset talis, quia clausura est vnus totus conuentus, &c. Cum suis terminis. Nisi si opus esset reparari vnam partem domus, & altera seris, ac portis clauderetur, & a Superiore pro

Cellae solae nō sunt clausura.

Oo 3 clau-

clausura declararetur, quia tunc standum esset determinationi Superioris.

Patet igitur quibus casibus, aliquis, clausuræ erit fractor: & quod dicitur de hospitijs confessariorum, verificat supradictam doctrinam, quia illa conuentus non sunt; attamen, quia Religio, illa declarat clausuram, inducunt excommunicationem, & pœnas, quando ingressu mulierum temerantur.

De Monialibus.

STATVTVM VI.

Monasteria omnia, et Moniales quæcumquè, etiam primę Regulæ Sanctę Claræ, per Prouinciales Ministros, tanquam Visitatores ordinarios, opportunis temporibus visitentur.

Moniales à Prouinciali bus visitandæ.

Conclusio certa est, quod Superiores Ordinarij Monialium S. Claræ, Vrbanistarum Tertiariarum, seu S. Elizabeth, & Conceptionis, sunt Generales, & Prouinciales: Et ideo eas visitare, & gubernare debent, aliàs renitentes, vel relinquendæ, vel tanquam rebelles puniendæ sunt. Probat Miranda conclusionem *quæst.5.de Mon.art.1*.de Clarissis, quia in ipsarum Regula *cap.1*. dicitur. *Et aliæ Sorores teneantur semper successoribus, Fratris Francisci, & Sororis Claræ obedire. & cap. 12. Visitator Sororum semper sit de ordine Fratrum Minorum.* De Vrbanistis, ex Iulio II. *Vt Prouinciales Fratrum Minorum tantam potestatem, & facultatem habeant circa Moniales S. Claræ, illorum curæ commissas, quantam Vrbanus VI. in Regula prædictarum Monialium commisit Protectori dicti Ordinis.* De Tertiarijs, ex Sixto IV. & Iulio Secundo, & Leone X. successiuè, Antecessoris costitutiones confirmantibus, *Quod Generalis, & Prouinciales Ministris Ordinis Minorum, & eorum Vicarij, tam conuentuales, quàm obseruantes habeant sub sua iurisdictione omnes Fratres, & Sorores Tertij Ordinis B. Francisci, quos charitatiuè visitent, & eosdem iuxta regulam, & instituta dicti Ordinis instruant, & reforment, &c.* De immaculatæ conceptionis, ex Iulio Secundo confirmante ipsarum Regulam, *Vicarij generales, & prouinciales, ac Custodes respectiuè sint Visitatores huius Sanctæ Religionis, quibus firmiter teneantur obedire in omnibus, quæ promiserunt Dominio obseruare, & non sunt contraria animæ, & huic regulæ.* idem latius *ar.2*. in quo probat hanc authoritatem esse ordinariam, & non delegatam, cum alijs multis, ibi videndis. His addo Constitutiones Generales Alexandri Quarti, *cap.11*. per totum, vbi de Monialium regimine, & visitatione disponitur, Constitutiones Iulij Secundi, eodem *capitulo, par.6*. in qua citantur bullæ Sixti Quarti, & Innocentij Quarti quibus *Generali, & Prouincialibus Ministris Ordinis Minorum, & Vicarijs de obseruantia datur cura Fratrum, & Sororum Tertij Ordinis cum facultate visitandi, instruendi, reformandi, corrigendi, puniendi, ad ordinem ipsum, & professionem recipiendi; Visitatores*

etiam, & confessores qui eis Ecclesiastica Sacramenta ministrare debeant, assignandi, &c. Citatur etiam bulla aurea Sixti Quarti, data Prædicatoribus, & Minoribus, qua supradicta facultas eisdem confertur respectiuè, super Sorores Tertij Ordinis. Et dicta statuta Iulij Secundi, diriguntur, *Reuerendis in Christo Patribus Ministris, Vicarijs, Custodibus, Guardianis, Abbatissis, Matribus, Fratribus, Sororibus trium ordinum. S. P. N. Francisci.* Vt patet in eorumdem indictione,& confirmatione;Constitutiones Iulij Tertij, quæ Salmanticenses appellantur, *eod.cap.11.Con.Triden.sess.25.de regularibus.cap.5.8.9.10.* in quibus multa obseruanda circa clausuram, professionem,& alia ad Moniales spectantia præcipiuntur Episcopis,& alijs Monialium Prælatis,& Superioribus.itaq;supponit,Moniales aliquas regularibus subesse.Gregor.13.*Ex benigna.ann.*1575.1. *Maij* Confirmat,& communicat omnia priuilegia Fratrum Minorum, *Monialibus S.Claræ, & de Pœnitentia Tertij Ordinis, & in Congregatione sub trium votorum essentialium professione, & Superiorum Ordinis Minorum regularis obseruantiæ obedientia degentibus.* Pius V. *Ea est officij nostri ratio. ann.* 1568. extinguit Vicarium, & Visitatorem Tertij Ordinis, illosque supponit Generali, & Prouincialibus Ordinis Minorum. *Ita perpetuò supponimus, vt Minister generalis in vniuerso ordine, Prouinciales vero ordinis Minorum de obseruantia in suis quisquè Prouincijs plenum ius, liberam authoritatem, ac in spiritualibus, & temporalibus iurisdictionem omnimodā habeant in domos omnes. Monasteria, & loca quæcumquè, nec non personas vtriusquè sexus, tam in capite, quam in membris, visitandi, corrigendi, &c.* Et Gregor.13.*Quoniam nostro.*excommunicat, & priuat etiam Moniales, quæ ad tribunalia Sæcularia recurrunt, & commissarios à Generali missos non recipiunt: Quidquid sit de, nouitatibus factis in Italia circa Tertiarios, hoc vnum certum est, quod Moniales Tertiariæ, seu Sanctæ Elisabeth, quæ sub Ordinis regimine remanserunt, habent Superiores ordinarios iam dictos. Legatur *Sorbus, V. Moniales. in Compendio priuil.* Quæ si non obediunt, vel sunt, tanquam retinentes excommunicandæ, vel tanquam rebelles abijciendæ. *Clemen. Attendenter. §.fin.de statu Monach.* in qua excommunicantur impedientes Visitatores Monialium. *Tolet.lib.1. capit.39.num.7.* Quod quidem est ordini facilius, & expedientius (vt passim fit) in supræmum tamen Monialium exterminium vergens, cum scilicet à cura Regularium ad Seculares,tanquam per hoc medium, ob rebellionem puniendæ vt discolæ transeunt. Natę enim in gremio religionis,natiuum Cœlum,paternnm alitum,maternum, ac naturale nutrimentum amittunt, cum ad Sæcularium regimen, regularem disciplinam non callentium,dimittuntur. Superiores enim disparis professionis dantur Regularibus in pœnam, quia *Arandum in boue, & in asino, & de lana, linoquè texendum:* nisi in necessitate, diuinum vetuit, & humanum preceptum.*deut.22.cap. cum causam. de elect.Triden.sess.14.cap. in decima.18.quæst.2.* vbi dicitur *Monasteria Virginum monachorum administratione, & præsidio gubernentur: tunc enim salubria Christo dicatis virginibus præbemus, quando eis patres spirituale eligimus; quorum non solùm gubernaculis tueri, sed etiam doctrinis ædificari possint.* Nec Minoricę Religioni damnum possunt adscribere, quia hæc, sicut ab initio Monialium curam abhorruit,vt patet non solùm ex renunciatione facta,in generali Capitulo tēpore S.Bonauenturæ, & acceptata ab Vrbano Quarto, sed etiam ex lite habita inter Moniales, affectantes a

Monialium suprema pu nitio dum S[e] cularibus co[m] signantur.

Monialium curam mino rum Religio semper auer sata est.

Fratribus gubernari, & Fratres illas admittere nolentes; in qua idem Sanctus fauorabilem sententiam obtinuit, vt refert *VVading. an.*1263.*num.* 17. *in cuius tom.*2. *regesto* reperitur Breuis Apostolici exemplar,incipientis. *Inter personas.* & *ann.*1264. *num.* 3. recensetur instructio eiusdem Sancti Bonauentu. missa ad P.Laurentium Visitatorem Monialium Tusciç;in qua, inter alia,præcipit,confici instrumentum publicum à singulis Monialium Monasterijs, quo ipsæ confiterentur,nihil iuris acquirere posse in Fratres, quod illas gubernare tenerentur, &c.Et duo ab his instrumentis adducit.Et quod fortius vrget,est reprçhensio facta à S. P. N. Francisco, relataquè à dicto *P. VVadingo ad annum* 1219. *num.* 47.in P. Philippum Longum, vnum ex socijs ipsius; quia ob zelum salutis, & perfectionis Monialium, quas *Melius instruendas ab illius vitæ viris, quam ab ijs qui molliusculè, & laxè viuunt, quibus nihil tam peregrinum, quàm suis corporibus violentiam inferre.* Vt idem Author dicit, consensit, & procurauit institui à Protectore Ordinis Visitator illarum, cui Sanctus Pater. *Malè fecisti (inquit) Frater Philippe, malè fecisti.hucusquè fistula fuit in carne, eratquè curationis spes, sed nunc mossibus radicata, euasit sanè incurabilis.* Vt sanè prophetasse, & rem euentum probasse, dum non potuerunt, quando voluerunt, nec possunt quando volunt, *onerosam,molestam, & periculosam curam excutere,* supradictus Pater affirmat.

Pena monialium, & monasteriorum rebellium.

Hinc mirum non est,si hoc grauissimo, & seuerissimo statuto, suæ indemnitati Religio cauerit. *Si monasterium quodpiam adeo insolens fuerit,vt spræta Superiorum authoritate, & rupto sanctæ obedientiæ vinculo in contumacia perstiterit; Aut ad principes,vel magistratus, aut ad quoduis externum tribunal pro auxilio, ope,fauore, vel consilio, contra ordinis iurisdictionem, ac libertatem confugerit. Vel ad alios quoscumquè fauores sæcularium, ad reformationem restaurationem, & reparationem disciplinæ regularis declinandam, seu repellendam; illud anathematis vinculo, ex Apostolica sanctione innodatum, ab ordinis ipsius cura, continuò abdicandum,& ab eo Fratres,ad eius gubernium destinatos,amouendos esse decernimus, & statuimus.*&c.*Atquè vt ab omnibus inuiolatè seruetur,sub pena suspensionis,aliaquè,Superiorum arbitrio,incurrenda, præcipimus.*

Cuius praxis non in solo zelo sine scientia, sed in iustitia, longanimitati coniuncta,constituenda est,pro quo.

Praxis puniendi monasterium rebelle.

Dico primò,peccant mortaliter Superiores contra charitatem, & contra iustitiam, si ob leues causas Moniales renunciant; Quia suprçmum illis irrogatur malum,regulari disciplinæ illarum præiudicium infertur, & populis scandala generantur.

Dico secundò, non quæcumquè inobedientia ad hoc sufficit, sed debet esse grauissima, pertinax, & rebellis; ac contumax: patet ex verbis statuti. *Insolens, spreta obedientia, rupto muro, excusso iugo, in contumacia, &c.*quæ summam inobedientiæ execrationem continent:illaquè debet esse probata, notoria, & publica. Atquè adeò ex praxi criminali, & statutis, debent præcedere monitiones paternæ, præcepta canonica, citationes, intimationes, per temporum interualla, eaque replicata, vt sexus fragilitati, atque inperfectioni paternè, & iustè consulatur; quia licet Mulieres maiestatem Superioris contemnentes, non minùs dolosè, & grauiter peccent, quàm Masculi, vt scripsit *Gadd. ad l.*1.*ff. de verb. signif.* excusantur tamen ob iuris ignorantiam. *l.* 2. *in fin. ff. de iud.*

Mulieres vt mares delinquunt.

fin.

fin.l.1. infin.ff.de eden.Ioann. And. & Imola in cap.2. de constitut. Grillenzonus. conf.139. num.4.5. & fuit doctrina *Abb.in c.cum quidam.de iureiurando. in princip.*quod minus peccare præsumatur rusticus, & mulier, quam nobilis, & vir; quia illi minus scientiæ,& perfectionis habent, quam isti,& ideo minus Deo ingrati sunt.

Dico tertiò,si non totum,vel maior pars Monasterij rebelle fuerit,sed aliquæ particulares, non potest secundum hoc statutum dimitti: Quia verbum, *Monasterium*,dicit vel totum, vel maiorem partem:sicuti in simili de electione, alienatione, &c Loquitur de Ecclesia, Capitulo, Conuentu, &c.*cap.1.de his, quæ fiunt à prælatis. & cap.tua.cap. cum Apostolica. cap. nulli. de rebus. Eccles.non alien.*

Dico quartò,Monasterium totum excommunicari non potest, quia non est persona vera, sed repræsentata; excommunicatio autem ligat solùm personam veram.*cap. P.& G.de offic.delegati.cap. Romana.in fin.de sen.excom.in.6. Siluest.V. excommunicatio.1.numer.*10.Et licet aliqui collegium excommunicari posse affirment,communior tamen sententia,& tenenda,firmat contrarium;Quia alioquin posset excommunicari innocens,nisi constet omnes ad vnum esse rebelles quia tunc non solùm singulariter recensitæ, sed etiam totum Monasterium excommunicari posset. *Collegiū excommunicari nō potest.*

Dico quintò,Authoritas Apostolica, qua excommunicari conceditur, est Gregor.13.*Quoniam.*In qua excommunicat rebelles Commissarijs,& Visitatoribus;etiam Moniales,ac ad tribunalia sæcularia recurrentes.Notandum tamen est, eam solùm loqui de Visitatoribus missis à Generali, non à Prouinciali. Ligantur tamen excommunicatione, authoritate ordinis fulminanda, tanquam quæ suo Prælato obedire tenentur; Et excommunicationem, & alias pœnas à Gregor.13.latas, incurri statim, ac non obedierint, vel se contumaciter rebelles præstiterint. *Rebellantes Cōmissarijs missis à prouincialibus. non sunt excommunicati.*

Dico sextò,Supposita rebelli contumacia, tenentur sub mortali Superiores, Monasteria dimittere,quia statutum firmiter precipit, & pœnam suspensionis, ac grauiores imponit; ac propterea grauis materia, & grauis obligatio conijcitur,& omne excludit arbitrium.

Dico septimò,Modus dimittendi,vel renunciandi Monasterium,erit præsentare Episcopo scriptum instrumentum,& testimonium, causam renunciationis continens.

Dico octauò, Solus Minister sine Diffinitorio non potest aliquod Monasterium renunciare. Quia sicuti non potest solùs recipere, ita neque dimittere; & cum sit ex grauissimis negotijs Prouinciæ, ipse solus præstare non poterit.*toto tit.de his,quę fiunt à præl.sine cons.cap.* Et si ipse solus non potest destinare confessarium tali Monasterio, quomodo poterit renunciare solus, monasterium?

STATVTVM VII.

Ad Monasteria Monialium nemini Fratrum, quouis colore, &c. Accedere liceat, nisi impetrata licentia

scri-

ſcripta Superioris, vel publici muneris obeundi gratia, etc.

Monialium colloquia quam perniciosa.

Grauius materia hæc, & eò conſiderabilior, quò frequentioribus fulta remedijs, adhuc quotidianis infirmitatibus vincitur. Cœpit cum ſexu fragilitas; conſuetudine morbus, occaſione periculum generatur ita afflactu adurens, vt vel medicos ipſos inficiat, & ad ſui ſubſidium adhibitos, peſtifera contagione deperdat. Vnico tantùm ſecuros remedio, abſentia, ac fuga. in hoc ſolùm Baſiliſco diſſimilis quod vbi ille (teſte *Plin. lib. 8. cap. 21.*) *reliquos ſerpentes ſibilo fugat, vt ſolùs regnare videatur*, & vt *Lucanus lib. 9.* cecinit. *In vacua regnat Baſiliſcus arena*, hæc ſibilo attrahit, & accepto à primo illo, humani generis hoſte, veneno, animæ, & puritati pernicem loquela, & illecebris meditatur. Ideo ab antiquis temporibus prouiſum eſt, ne regulares propè Moniales habitarent, vel morarentur, vt legitur *cap. Diffinimus. ex ſeptima Synodo. cap. in nullo loco. ex Magno Gregorio. cap. Monaſteria. Ex Concilio Agatenſi. cap. in decima actione. ex Concilio Hiſpalenſi.* 18. *qu.* 2. quæ omnia fugam præcipiunt, quia *Adulterium intercipit cohabitatio, ſi habeat aditus Monachus ad Monacham, vel Monacha ad Monachum ſecretò ſingulariter ad collocutionem. Propter inſidias diaboli, aut propter oblocutiones hominum.* Et quoad Fratres Minores optimè præuidit P. Seraphicus, dum turbato ſæpius animo dicere ſolitus erat. *Timeo ne dum Deus nobis abſtulerit vxores, diabolus nobis procurauerit Sorores*, vt refert *VVading. ad an.* 1219. *nu.* 44. quo loco recenſet etiam exemplarem punitionem datam à Seraphico Patre cuidam Fratri Stephano, qui cum licentia Viſitatoris ad Moniales acceſſaret, contra præceptum Sancti Patris; & de errato indulgentiam petebat, quem grauiter increpans, iuſſit in frigidiſſimum omnem tempore hyemali, menſe nimirùm Decembris, vt erat veſtitus immergi, quod & fecit dicente interim Sancto Patre, *Extingue hac aqua ſcintillas quas in te tenis, & mitis, ſed periculoſus ignis accendit. Laua, & abſterge his vndis ſecretas ſordes, quæ te inſcio, tibi fortaſſis hæſerunt.* Et exeuntem, ad madidum per duo miliaria præiuit, nec vnquam videre voluit, vſquequò ad quoddam hoſpitium venerunt; ibi ſiccatis veſtibus, animaduerſionis rigor tepuit, vt ſciamus, quid nobis in ſimili faciendum ſit quod vt clarius pateat.

S.P.F. notabile dictum circa moniales.

S.P.F. punitio de allocut. monialium.

Moniales alloqui, ſine licentia, et neceſſitate non poſſumus.

Dico primò, Fratres nullo modo poſſunt alloqui Moniales, ſine legitima facultate, & vera neceſſitate. Concluſio hæc probatur ex decretis tùm Ordinis, tùm Pontificijs. Primò enim in ſtatutis Alexandrinis *cap.* 11. dicitur. *Item Capitulum generale, ex mandato Sanctiſſimi D. N. Alexan. VI. ſtatuit, & ordinat, vt de cætero ſeruetur Conſtitutio Generalis Henrici, edita an.* 1387. *de mandato, & voluntate Vrbani VI. quæ talis eſt. Si quis abſquè licentia Generalis, aut Prouincialis, in ſcriptis obtenta, ad Monaſteria, præſertim S. Claræ acceſſerit, vel ad Moniales Nuncios inhoneſtos, aut rei inhoneſtæ cauſa miſerit; ſi is fuerit in officio, eo ſit priuatus ipſo facto: Et cui hæc pœna non competit expellatur de Conuentu, & prouincia conſuſibiliter. Seruari tamen volumus Sixti Conſtitutionem, quæ eſt talis. Firmiter, & pœnitus præcipitur omnibus Fratribus ſub pœna excommunicationis, ad carceris, ac priuationis omnium actuum legitimorum, vt ad Monaſteria nullo modo accedant, nec Monialium Eccleſias, vel crates earum, vel rotas, vel feneſtras viſitent, quocũq;*

colore

colore; nec ad eas nuncios mares, vel fœminas mittant pro ferendis, & referendis verbis, aut munusculis, & xenijs, seu pitantijs sine licentia Prouincialis Ministri.

Secundo statuta Papalia *Iul. II. cap. 11. part. 1.* dicunt. *Nolumus fratres, quacumq; de causa ad ipsa loca exteriora, quocumq; modo accedere ad locutoria, vel crates, seu rotas eorum, ad colloquendum sororibus; nec cum aliqua loqui possint, nisi ex speciali Ministri sui licentia: quæ etiam non detur, nisi probis, & honestis, ac maturis fratribus, & quicumque contrarium fecerit, in pane, & aqua tribus vicibus coram fratribus comedere teneatur.*

Tertio statuta Iulij III. cap. item 11. *ordinamus vt nullo modo fratres cum Monialibus, aut sororibus tertij ordinis colloquia habeant, nec ad earum Monasteria accedere possint, nisi necessitate vrgente; quam Minister cum aliquo probo Patre debeat iudicare, & tunc licentia in scriptis habita, poterunt eas, duabus sororibus, aut Monialibus præsentibus, & audientibus alloqui; ita tamen, quod prius se earum Confessori, sub vnius disciplinæ pœna se representet; Secùs actibus legitimis per annum priuetur.*

Quarto Vallisoletana sub Pio IIII. ann. 1655. *De mandato Santissimi sub pœna priuationis officiorum, præcipitur omnibus Prælatis tam generalibus, quàm prouincialibus, vt nullo modo ad Monasteria Monialium, pro alloquendis ipsis audeant ire, nisi fuerint pro spirituali profectu ipsorum Monasteriorum, accersiti ab Abbatissis de consilio discretarum, & pro exequendis dumtaxat muneribus per earum regulam, & mandatum Apostolicum illis demandatum: & quod sub ijsdem pœnis nullo modo licentiam tribuant fratribus suis accedendi ad monasteria Monialium, & eas alloquendi, nec apud Confessarios comedendi, aut pernoctandi, nisi tam vrgens esset causa, quod sine detrimento earum, non posset eis denegari.*

Quinto ann. 1571. sub Pio V. in Capitulo generali Romano. *Quod fratres apud monasterium Monialium cibum non capiant, neq; cum vlla loquantur, etiam quando solemnitas Monasteriorum agitur.*

Sexto ann. 1600. sub Clem. VIII. in generali item Capitulo Romano *strictissimè cauetur, ne quis fratrum quascumquè amicitias, seu priuatas cum Monialibus collocutiones, nostræ, vel alterius Religionis, sub quolibet habedt prætextu, sub pœna priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, & perpetuæ inhabilitatis ad omnia ordinis officia obtinenda.*

Septimo ann. 1612. sub Paulo V. in Comitijs Generalibus Romanis. *statuta generalia Toletana ann. 1606. interdicentia colloquia familiaria fratrum cum Monialibus, & accessum ad earum conuentus, extra casus, & formam ab eisdem præscriptam, denuò confirmantur, & exactè obseruari præcipiuntur.*

Octauo S. Cong. sub Sixto V. ann. 1590. decreuit, nullum Regularium, exceptis Confessarijs *posse absq; licentia expræssa S. Congregationis accedere ad Monasteria Monialium, seu sororum.* Nec si mittantur ad celebrandas missas, posse *alloqui moniales, vel alias personas intra clausuram degentes.* Nec Confessarios posse comedere, aut bibere, refici, aut cibum sumere, nisi tempore confessionum generalium, & in domo, quæ distet à Monasterio, nisi aliter constitutum sit, sub pœna priuationis ipso facto vocis actiuæ, & passiuæ, & officiorum. vt refert *Sorbus V. Ingredi monasteria. §. Illustrissimi, & Reuerendissimi Cardinales. Quaranta V. monasteria Monialium. pag. mihi 348. Naldus eodem tit. & alij multi.*

Tandem,

Tandem, eadem *S. Cong. ann.* 1623. 12. *Cal. Decembris*, idem decretum de verbo, ad verbum renouans, addit compræhendere etiam Equites Hierosolimitanos; & declarat, *Contrafacientes, ab alio, quam ab apostolica sede, aut à S. Congregatione absolui, & reahabilitari non posse*. & concedit *Locorum ordinarijs, vt quatenus opus sibi visum fuerit in domino expedire, licentiam concedere possint per quatuor vices ad summum, quolibet anno, cuicumquè regulari, vt Moniales sibi in primo, & secundo tantùm consanguinitatis gradu coniunctas conuenire, & alloqui possint. Id tamen non aliter, quam seruata ad vnguem forma infrascripta; Vt nullo modo liceat diebus festiuis, aut in Aduentu, Quadragesima Sexta feria, Sabbato, & Vigilijs, Licentia obtenta ab ordinario, & ab alio ad quem spectet, consignetur confessario ordinario Monasterij, qui penès se retinere debeat, isquè associet, & præsens sit, & auditrices de more, non autem aliæ assistant. Prædictaq; licentia pro die, & hora certa in scriptis concedatur, in librisq; Cancellariæ eiusdem ordinarij annotetur. Si ordinarijs contrarium fecerint, iudicium Sanctissimi, & S. Congregationis formident. Regulares supradictas pęnas, & grauiores arbitrio S. Congregationis incurrant*. Circa quod obiter aduerto, in fine decreti Sixti V. apponi. *Iniungentes cunctis RR. Patribus Generalibus, Prouincialibus, & alijs quorumuis Monachorum, & mendicantium, ac non mendicantium ordinum, & Congregationum Superioribus, ad quos spectat, quatenus infra terminum vnius mensis, a die, quo præsens decretum ipsis intimatum fuerit, computandi, debeant eiusdem decreti copiam intimare, ac notificare, intimasse, ac notificasse, ne vllam aliquando desuper ignorantiam in futurum allegare, ac prætendere possint*. Vnde colligi potest, quid sit dicendum de alijs decretis, quibus talis clausula non apponitur, quæ verè singularis est, & modum canonicum obligandi continet. Hoc autem decretum, quoad præsentationem licentiæ Abbatissæ, & de assistentia Auscultatricum, & de obtinenda licentia, statutum fuit *ann.* 1593. etiam in ordine nostro, in Capitulo generali Vallisoletano.

Quomodo concedi potest licentiā loquendi monialibus.

Intimatio decreti S. Congreg. regular.

Circa quæ decreta, & statuta.

Quæro 1. An sit peccatum mortale alloqui Moniales sine causa, & forma hic præscripta? mitto collocationes malas vel ad malum finem directas, quia de his nullus dubitat.

Quod peccatum sit alloqui Moniales sine licentia.

Respondeo, peccare mortaliter affirmant *Bonaccina de Clausura, q.3. punct. 4. num.3. Barbosa in collectanea V. Moniales. 5. Naldus V. Moniale. num.* 17. qui citat. *Anton. Tabienam, Angelum, Siluestrum, Sotum, Nau. Caiet. Henriq. Vgolinum. Coriolanus* 2. *p. casu* 3. *nu*.43. qui adducit quandam declarationem Cardinalium 1. *Iun.* 1606. dicentem. *Vltra pęnas &c. incurrere etiam pęnam peccati mortalis*; & alij, qui è grauitate pęnæ, & modo mandandi, culpæ grauitatem eliciunt. Tamen cum hæ ordinationes non sint maioris ponderis, quam diuinæ, & naturales, in quibus paucitas materiæ excusat; dicendum est, abesse culpam mortalem, dum grauis excessus non fuerit, & contemptus absuerit. *Coriolanus qui supra*, dicens propter aliquod verbum causa vrbanitatis, iudicio boni viri, propter declarationem alicuius casus conscientiæ; quia tunc habet rationem sermonis, & concionis, propter allocutionem per interpositam personam, cum odia sint restringenda, non peccari mortaliter. firmant *Peirin. tom.2. priuileg. const.6. Pij V.* §.10. *num.36 Diana 3.p. tract.2. de Regular. resolut.* 104. *& tract.2. de dub. regul. resol.* 48. vbi ad spatium vnius Miserere, & aliquid amplius

amplius se determinat, contra eos, qui decem verba putarunt sufficere ad culpam mortalem, imò duo vel tria, si essent de rebus obscęnis. *Bonac. de clausura. quæst. 3. puncto 5. numero primo*, qui citat Homobonum Ego autem boni viri, & probi Confessoris iudicio determinationi remitto, qui considerare debent personas sibi colloquentes, si iuuenes, senes probi &c. ex quibus occasio, vel fomentum tentationis oriri posset: quod est præcipuum intentum harum omnium prohibitionum; si incidente, & casu; si data opera, & frequenter; hæc omnia consideranda sunt in morali prohibitione, vt peccata mortalia vitentur, & superiorum præceptis pareatur. Notanda tamen est ad hanc rem sententia *Rodrig. tom. 1. q. 45. art. 4. §. cum. autem.* qui omninò eximit à culpa mortali accessum, & collocutionem cum Monialibus, dicens nec accessum, nec locutionem esse materiam grauem, remoto scandalo, & periculo; & ægrè admittit peccatum veniale, maius, vel minus, secundum excessum. Citatquè rigorem Romanæ Curiæ, *quæ grauibus pęnis punit eccessum, vel colloquia cum monialibus, quarum pęnarum grauitas* (inquit) *subindicat legislatoris mentem esse, hanc constitutionē, accessum prohibentem, vel saltem ad venialem culpam obligare*. Et cum doctor iste sit classicus in rebus Regularium, in aliquo casu facem præferre poterit. (Licet locutū etiā secundū morē Hispanicum, qui in colloquio Monialium minus, quàm in Italia, malè olet) & subscribit *Lezana tom. 1. c. 25. nu. 36.* qui ait esse veniale, remoto scandalo, & circumstantijs in malum qualificantibus; quia tunc esset mortale, ex *Suar. tom. 4. de rel. tract. 8. lib. 1. c. 10. n. 27.*

Loqui autem cum monialibus per interpositam personam, putauit *Belloch. in praxi mor. part. 2. qu. 4. num. 514. ex Graffio*, Inducere peccatum mortale, & excommunicationem, vbi id sub censura prohibitum sit, quia aliàs esset obseruare corticem excommunicationis, fundatus in *cap. cum apud. de sponsalibus*. in quo consensus præstitus per nutus, & signa sufficiens ad Matrimonium declaratur, *cum quod verbis non potest, signis valeat declare*, inquit textus. At vero non sumus in casu, quia ad matrimonium requiritur non locutio, sed consensus, qui quomodocumquè præstitus, validat illud; at in hac prohibitione requiritur locutio, & sic textus nihil probat: & quidem cum sit res odiosa, secundum omnes leges, rigorosè interprætanda est.

Respondeo secundò, Formam licentiæ scriptæ, signatæ, registratæ, ac consignatæ, confessario, non esse adeò necessariam, quod non seruata inducat peccatum mortale, nisi fiat ex contemptu, sed sufficere in conscientia facultatem oretenus factam. ita *Bonac. de clausura. qu. 3. punct. 5. num. 3.* quinimmò sufficere tacitam, scripsit *Sanchez in decal. lib. 6. cap. 16. nn. 114. & Rodrig. tom. 1. qu. 45. art. 4.* qui ducti ex verbis *cap. periculoso. de statut. Regul. in 6. Nisi rationabilis, & manifesta causa existat, ac de illius, ad quem pertinuerit speciali licentia ingressus vel accessus pateat ad easdem.* Et scientes, Taciti & expræssi idem esse iudiciū; firmant, sufficere licentiam tacitam; Etsi refragetur *Bonaccina citatus num. 5.* quia taciturnitas ex regula canonica 44. *nequè consensum, nequè dissensum ostendit*. Attamen quia, *Qui tacet consentire videtur*, ex regul. 43. si ex coniecturis constaret de consensu Superioris, etiam fatetur sufficere; eo vel maximè cum sufficere licentiam non scriptam pro ingressu ad monasteria monialium, sentiunt *Miranda. q. 2. de monialibus, art. 2. conc. 2. citans Nauar. in c. statuimus. numero 6.* Dicentem, non requiri licentiam scriptam, quando causa est clara,

Defectus scripturæ in licentia nō inducit peccatum mortale.

Licētia oretenus data sufficit ad ingressum in monasteria monialium.

saltem

saltem ex mente *Mirandæ* non requiritur scripta in casibus ordinarijs Medicorum, Chirurgorum, &c. Quod affirmat etiam *Llamas in Methodo curationis in appendice.§.6.apud Sanchez supra, numero* 32. Quem tamen non sequitur, nisi in casibus repentinis, vbi Superioris non posset haberi præsentia, quo casu generalem scriptam traditam Abbatissę, vel Confessario, vel alteri probo viro, sufficere, dicunt *Rodrig.tom.* 1.*quæst.* 46.*art.* 6.*fin. Bonac. supra pun.* 2.*num.* 2.*fin. Andreas, Venturellus. de Clausura Monial. pag.* 41. *Homobonus de casibus reseruatis. par.* 2.*casu* 5. *V.* 3.*pag.* 3. *quæst.* 2. Qui necessariam tantùm esse scriptam, quoad forum externum affirmat *Hieronym. Roder. resolution.* 26.*num.* 8. qui citat *Barbos. in Tridentin. sess.*25. *cap* 5.*num.*9. sed debuit citare §. *licentia in scriptis obtenta*, vbi citatur *Ioann. de la Cruz canclus.* 3.*notab.*3. *Villalob. par.*2. *tract.*35. *diffic.* 46. Et licet multi graues doctores contrarium sentiant, non caret altera opinio sua probabilitate, quæ apud me maximè consistit, in eo, quod si potest Episcopus concedere licentiam generalem alicui, vel Abbatissę, vel confessario, &c. Vt toties quoties opus fuerit, admittant personas necessarias, idquè sine alia scripta licentia; aliter iremus in infinitum, & necessitatibus non occurreremus, contra id quod voluit *Bonac.quæst.* 4.*par.*3. *nu.* 4.*ex Sanchez num.* 38. dicens non requiri licentiam scriptam Abbatissæ, vel Confessario, vt dent licentias, &c. Sed quas dabunt isti delegati debere esse scriptas; quasi non sit plus delegare suam facultatem concedendi licentias, quàm ipsas concedere; nec sunt adeò disparata, vt non ordinentur sicut causa, & effectus: multò magis poterit suffragari licentia non scripta, ab ipso Episcopo immediatè cōcessa. Etsi in omni casu requiritur pro forma legis talis scriptura, nō posset Episcopus existens in Ecclesia Monialium, concedere alicui ingressum in clausuram, vel etiam ipso præsente in platea, &c. Quia parùm refert, quod distet, muro, vel muris interpositis: hoc autem moralem persuasionem excedit, cum verè, & realiter, & coram testibus, & publicè, ac ob legitimam causam concessa fuerit licentia, nil aliud intendunt Concilium, & Constitutiones Apostolicæ, vt non passim concedantur tales licentiæ, *Sed vt eam daturus maturum præmittat consilium* (inquit *Venturellus*) *ne decipiatur*, *& ad omnem ambiguitatem tollendam*. Vel vt ait *Sanchez num.*31. *Vt maturiùs, & rariùs ea licentia concedatur.* Et non video, quomodo non possit Prælatus, cum maxima maturitate, & raritate, cum consilio, & intima cognitione causæ, coram toto Capitulo, concedere aliquando oretenus licentiam aliquam in aliquo casu, cum completè præstentur, omnia pro manutenencia clausuræ; excepta scriptura, quæ non debet sumi tanquam de forma præcisa, saltem in foro conscientiæ: & quod peccet mortaliter, & sit excommunicatus, qui cum tot cautelis, clausuram ingrederetur. Fateor durissimam mihi videri sententiam, si vniuersaliter, & sine vlla exceptione teneatur, totum hoc collectum sit hoc loco ad inferendum, si dicente Triden.sess.25.cap.5.de regul. *Nemini liceat ingredi septa Monasterij, sine Episcopi, vel Superioris licentia, in scriptis obtenta, sub excommunicationis pœna, ipso facto incurrenda.* Cum secutis bullis Pij V. & Gregor. 13. idem mandantibus: & multò maioris momenti sit ingredi clausuram, quam alloqui Moniales; & citati Doctores (qui faciunt opinionem probabilem) affirment, non peccari mortaliter, si licentia in scriptis non obtineatur; maiori ratione affirmandum est, de licentia accedendi ad Monasteria; & colloquendi Moniales.

Conditiones licentiæ pro alloquendis monialibus difficiles.

Clarius conijcitur abesse peccatum mortale, si aliæ formalitates non seruentur, vt non liceat determinatis diebus; Nisi licentia consignetur Confessario ordinario; Quod is associet, & adsit; Quod auscultatrices assistant; Quod concedatur licentia pro die, & hora certis; Quod adnotetur in libris Cancellariæ: hæc enim omnia vix simul conuenire possunt, nec credo ab aliquo huc vsquè punctualiter obseruata esse: Quia cum decreto non præcipiat, nec cogat Confessarium, quod velit nolit assistat, ipse poterit recedere, & horam, ac diem assignatas frustrare; vel postquam accesserit Religiosus ad parlatorium, poterit recedere: Eo vel maximè si longiorem Religiosus protrahat sermonem, & Confessarius recitaturus sit horas canonicas, vel ob frigus, & torporem deambulet, an censendus sit, præsens esse? Cum in iure, erit præsens, etiam si sic in alio cubiculo domus, vt alibi dictum est, & sic vel sine culpa sua peccabit mortaliter, vel licentiam exequi non poterit, quid si die, & hora assignatis adesset Confessarius extraordinarius, an essemus in rigore decreti, requirentis ordinarium? An etiam tunc esset peccatum mortale? Idem etiam dici potest de auscultatricibus, quas cogere non poterit nec Confessarius, nec allocuturus; quinimò si casu, solitæ Auscultatrices impeditæ rationabiliter essent, tunc loqui nõ poterit, quia sine illarũ assistentia licentia non valet. Si hora, & dies assignetur, v. g. 18. & præpedita Monialis non compareat nisi 23. licentia non valebit, & peccabit mortaliter. Si Cancellarius pigritia non adnotet talem licentiam in libris Cancellariæ (solent enim aliquando, nec grauiores scripturas adnotare, maximè vbi nihil lucrentur) & dicat impetranti, *adnotabo illam*, & obliuiscatur, aut non curet, Religiosus peccabit mortaliter si loquatur; quia decretum dicit, *pœnis in supradicto decreto contentis, ac si nullam licentiam obtinuissent, eo ipso nouerint se addictos, & seuerius etiam puniendos.* Et quod præcipitur de die, & hora, facillimè accidere potest, vt tali die, vel hora Moniales occupatæ sint, quibus Episcopus præcipere non poterit (si suæ subditæ non fuerint) vt audiant colloquentem. Et de diebus exceptuatis, nescio an peccaturi sint mortaliter, si aliquo die Quadragesimę, vel ieiunij loquantur Monialibus, eo vel maximè, cum his diebus, ob afflictionem corporis, magis sint mortificatę, & deuotæ, præsupponantur minus obuię vanitatibus, quàm si concedatur licentia loquendi in hebdomada quinquagesimę, quando fiunt baccanalia, vel in octaua Paschatis, exactis ieiunijs, quibus etiam animus in hilaritatem soluitur. Et tandem discurrendum esset, An Episcopi mortaliter peccent, hæc non obseruantes, quibus dicitur. *Quod si locorum ordinarij, per plures vices, vel in vlteriori gradu, aut aliter, quam seruata forma supradicta, licentias concesserint, vel permiserint, sciant se intentionis Sanctissimi D. N. & S. Congregationis transgressores, iudiciumquè reformident.* Et an intentio Sanctissimi sit, quod sub mortali peccato, modo supra scripto procedant; quod non est dicendum, quia nullam pœnam imponit, ex qua culpæ grauitas connijciatur, nec conditiones istæ sunt adeo graues, vt culpam mortalem inuoluant. Hæc tetigisse sufficiat, ne mortalia peccata multiplicentur, quando causa grauis non vrgeat.

Quæstio secunda, An Episcopis etiam conueniat concedere licentias Regularibus, vt cum exemptis Monialibns colloquantur?

Respondeo affirmatiuè; ex duplici decreto iam recensito, *Non licere absquè expressa licentia S. Congregationis ad Monasteria, siuè sui, siuè alterius ordinis ad*

collo-

Episcopis incumbit cõcedere licẽtias quo ad non suas, alloquẽdas.

colloquendum accedere. Quam deinde Sanctissimus commisit Episcopis, seu *locorum ordinarijs, &c.* Et quidem priuatiuè quoad Superiores regulares: hoc tamen inteligendum est de Regularibus, qui priuata negotia tractaturi sint, vt patet ex verbis, *Ad colloquendum, & tractandum cum eis. Et Moniales sibi in primo, & secundo tantùm gradu consanguinitatis coniunctas conuenire, & alloqui possit.* Quæ peculiaria negotia indicant; Non autem si à Superiore destinentur ad aliquid, suo nomine tractãdum cum Abbatissa, vel sororibus particularibus, concernens bonum Monasterij, vel disciplinam regularem; Quia cum Superiores ex munere possint alloqui Moniales, quoties expedire iudicauerint, sine alia licentia, vt prbat Nau. & innuit decretum, *Superiore, cui Monasterij, siue domus cura incumbit, Visitatore, & Confessario exceptis*. Sicut igitur potest ipse accedere ad Monasterium ita potest suam facultatem delegare, quia ordinarius est; & per alium facere, est facere per seipsum. Neque tenetur Prælatus regularis dare licentiam scriptam ex vi decreti S. Congregationis, quia solùm disponit de Episcopis; licet teneatur ex vi statuti, quod explicamus, dicit enim *sine licentia scripta Superioris, vel publici muneris obeundi gratia*. publicum siquidem munus est, nuncium deferre Monialibus ex parte Superioris. Hoc loco aduertendum est non solùm *Superiores Prouinciales, sed etiam locales, quibus cura monasterij monialium incumbit, non compræhendi sub decreto ædito contra regulares, accedentes ad monasteria monialium*, vt decreuit S. Cong. Regul. in Alexandrina. 20. Iul. 1640. & in Caputaquensi 27. Settembris 1641. & per literas datas Archiep. Amalphitano 22. Nouembris 1641. vt videre est in vlt. tom. Regesti ordinis nostri. lib 2. n. 100. 152. & 162. Ne ordinarij, Superiores locales vexent si eos ad monialium monasteria accedere videant.

Quæstio tertia. An easdem pœnas incurrat Regularis, qui alloquitur Moniales Episcopis subiectas? nam ratio dubitandi est, quia decretum dicit, *sui vel alterius ordinis*, quæ non solùm respiciunt Moniales, quę ex instituto sunt regulares, atquè adeò possunt dici alicuius ordinis (hoc enim superfluum fuisset declarare per *sui*, aut *alterius ordinis*) sed respicit ordines quibus subsunt, vel è quibus ortæ fuerint; vt S. Claræ, S. Elisabet, Sancti Dominici, Sancti Augustini &c. hunc sensum literalem habent, ex quo inferri posset, quod Moniales, quæ subsunt Episcopis, & ab aliquo ordine non dependent, non includantur, in hac prohibitione.

Respondeo tamen, Includi maiori ratione, quia si prohibetur de Monialibus proprijs, multò magis de alienis: & cum omnes Moniales sint sui, vel alterius ordinis, omnes includuntur.

Sed quid si Episcopus per excommunicationem prohibuisset accessum, an regulares censuras incurrerent?

Resopndeo negatiuè, quia censuræ non afficiunt nisi subditos. *Bonac. loco cit. puncto 4. num. 8.* apud quem *Quaranta, Rodrig. Sanchez, Barbosa, Graffius, Item Bellochius 2. p. de casibus q. 4. num. 534.* apud quem *Sayrus, Tabiena, Sanchez, & alij*.

Loquentes monialibus sine licentia punire potest Episcopus, & quando.

An autem Episcopus punire tales possit, vel cum etiam sine licentia colloquuntur cum Monialibus sui ordinis?

Respondet affirmatiuè *Bonaccina loco cit.* ex bulla *Greg. XV. de exemptorum priuilegijs.* ibi *Regulares si deliquerint circa personas intra septa degentes, aut circa*

clausuram

clausuram Monialium, etiam Regularibus subiectarum, ab Episcopo, tanquam sedis apostolicæ delegato quoties, & quando opus fuerit puniri, & corrigi valeant.

Verùm, constitutio non videtur extendi ad colloquia in vniuersum accepta; quia loqui de rebus sanctis cum monialibus, non est delinquere circa personas intrà septa degentes; quia delinquere in aliquem, est illum offendere, & iniuriam inferre: & cum connectatur delicto circa clausuram, quæ non violatur per accessum, sed per ingressum, fracturam, vel quid simile, ita delictum circa moniales erit, si vel inferatur iniuria, dictis, Scriptis, vel earum pudicitia tentetur. Producitur tamen declaratio quædam S. Congregationis Concilij facta *an. 1624.* quæ talis est. *An Regularis absque legitima licentia accedens ad Monasterium Monialium regularibus subiectarum, vbique in loco colloquijs destinato cum Moniali colloquens, à diœcesano Episcopo, tanquam sedis apostolicæ delegato coerceri, & puniri possit? S. Congregatio censuit, posse. quam Sanctissimus D. N. Vrbanus* VIII. *ad se latam approbauit.* cum meminit. *Barbos. de Iure Ecclesiastico cit. num. 67. & Lezana mox citatus n. 36.* quæ declaratio si vera est, non extenditur, nisi ad regulares inuentos colloqui in collocutorijs publicis, non autem si colloquantur ex aliqua alia parte; quia pœnalitates istæ vltra proprietatem verborum extendi non debent. & ratio est, quia cum puniri debeant delicta, quæ scandalum generant, non autem occulta, & accessus ad collocutoria publica admirationem generet videntibus, iure, punitioni publicæ supponuntur. Nec obstat responsio ad vltimum dubium, motum circa citatam constitutionem Gregorianam, quod nimirùm Constitutio tribuens Episcopis ius in Regulares delinquentes circa Moniales, *Habeat locum in omnibus delictis, non autem in notorijs tantum, & cum populi scandalo:* Quia cum supra probatum sit ex communi opinione, hanc locutionem non semper esse peccatum mortale, sed multoties veniale, non potest appellari delictum, supra quod procedere debeat Diœcesanus, tanquam delegatus Apostolicus; & consequenter, nisi induat rationem delicti, non spectare ad Episcopos, qui in alienam messem falcem inijcerent, inconsideratè se in hanc materiam intromittentes. Ad hæc, neq; Episcopus procedere posset, si inuenisset quidem Regularem in loco colloquijs destinato, non tamen colloquentem, quod actum requirit, non præparationem, aut conatum; quia esto Monialis ex vna parte, & Religiosus ex altera, cum animo firmato ad colloquium adessent, non tamen colloquerentur, nullum peccatum committerent, in his decretis vetitum: Nec ab Episcopo puniri possent, & constare debet iuridicè Episcopo, antequam Religiosum carceret, & tam graui iniuria, in persona illius suam religionem afficiat, quod actualiter loquuti fuerint; Quia non datur illi facultas inquirendi ex officio, sed actu colloquentes puniendi. non probato igitur delicto, si contra Regularem procederet, grauiter peccaret contra iustitiam, ex principijs iam discussis, & communiter receptis in modo criminaliter procedendi.

Alloquentes moniales in publicis collocutoris, tantum punire potest Episcopus.

An Episcopus possit prohibere sub excommunicatione, ne Sæculares accedant ad Monasteria exempta?

Negatiuè respondet *Barbosa citatus n. 168.* adducens declarationem Congregationis ad Episcopum Ripanum *ann. 1617. 1. Septembris.* Quod non possit Episcopus promulgare excommunicationem in colloquentes Monialem regularibus subiectam, absque ipsorum licentia.

Episcopus non potest ferre censuras in colloquentes moniales exemptas.

Quæstio quarta, An pœnæ istæ incurrantur ante sententiam?

Pp Respon-

Pœne ante sententiam non incurruntur.

Respondet affirmatiuè *Bonaccina quæst. 2. pun. 4. num. 6.* Malè tamen, & irrationabiliter ex contrario fundamento; quia priuatio vocis actiuæ, & passiuę requirit actionē hominis exteriorem, non minus, quàm priuatio officij, & omnis alterius quæsiti iuris. Etsi peccatum secretum fuerit, vt inquit *Coriolanus par. 2. casu 7. numero* 41. 42. 43. non tenetur se prodere cum iactura suæ famę. Nec enim istæ pœnæ sunt censuræ, in quibus vsus obtinuit, vt habeant paratam executionem, & notandum est *Barbosam loco citato* 166. *fin.* citare Coriolanum in partem contrariam, qui tamen *num.* 41. ait ex sententia negantium incurri has pœnas, *Verum esse, quando in decreto solùm dicitur incidant in suspensionem ipso facto: at quando vltra additur sine alia declaratione, vt hic (loquitur de introducentibus Mulieres intra clausuram) tunc non est opus alia declaratione.* At in decretis de non alloquendis Monialibus, non est, hæc particula, *sine alia declaratione*, ergo hic Author malè citatur. Quod autem Coriolanus dicat, teneri secretò alloquentem *quærere rehabilitationem secreto modo*, neq; placet, quia supponit incursum, quod tamen supra negauerat *Rodrig. in exposit. motus proprij Pij V. num.* 31. 32. *Sorbus V. Ingressus. num.* 10. *Sayrus in claui reg. lib. 3. cap.* 10. *num.* 35. nostram responsionem docuerunt, *Corduba qu. 3. apud quem Caietanus, & Couarruuias. Alphonsus de Castro de lege pœnali lib. 2. cap. vltim. In tertia principali conditione. Nauarrus de datis, & promis. num. 44. Molina de Institia tom. 1. disput. 96. Sanchez lib. 6. in decal. cap. 17. n. 39.* qui illud, *sine alia declaratione*, exponit, de declaratione pœnæ, non delicti; quod docuerat *lib. 2. cap. 22. num. 20.* vbi citat *Conar. 4. decret. par. 2. cap. 6. §. 8. num. 10. Mexta in Taxa panis con. 6. n. 136. Ludou. Lopez par. 1. instruct. consc. cap. 296. Graff. decis. par. 1. lib. 2. cap. 11. num. 41. Henriq. lib. 13. de excomm. cap. 56. num. 3. Rodrig. par. 1. sum. cap. 195. num. 3.* Et fauet ratio, quia cum hæc res sit dubia, adesse debet sententia declaratoria Iudicis; ante quam non censetur, Legislatorem obligare voluisse. *Nau. in sum. c. 28. Simancas de Instit. Cathol. tit. 9. num.* 227. maximè cum sit dubium iuris: & adeò verum esse affirmat, vt sustineat hoc loco, & citet seipsum *lib.* 10. *de matrimon. disputat. 8. n.* 14. quod neq; afficiantur pœnis, priuationis, &c. Etiamsi constituti coram iudice negent delictum, & euadant, ob probationi defectum (multos authores congerens.) Itaque cum hac probabilissima sententia affirmo pœnas nec in foro exteriori, nec in conscientia incurri, nisi præcesserit sententia iudicis, declaratiua delicti, nec video cur in angustias, quas euadere possunt, conijciantur, cum experientia doceat, nullum petere dispensationem, vel rehabilitationem super his pęnis, vel à S. Congregatione, vel à S. Pœnitentiaria; & communiter talis sensus in praxim reductus sit.

Sine alia declaratione, quid valeat.

Quæstio quinta, An pęnæ istæ afficiant Moniales?

Moniales nō incurrũt pœnas.

Respondeo negatiuè, quia latæ sunt contra alloquentes, & accedentes ad ipsas: peccant tamen, vel venialiter, vel mortaliter, iuxta excessum, & Superiorum, ac regulæ prohibitionem, quia tenentur seruare silentium, & non cooperari aliorum peccatis.

Quæstio sexta, An stante pluries replicata declaratione S. Congregationis pręcipuè die 15. *Ianuar. ann.* 1616. & 15. *Martij. Eiusdem ann.* Quod Pater, Mater, Fratrer, Filius possint alloqui suas Moniales, non indigere licentijs, *Apud Barbos. supra n.* 172. possint Regulares hac declaratione vti?

Respondeo negatiuè, quia hæc est pro Sęcularibus, non pro regularibus, quibus

bus expræsse prohibetur, & limitatè conceditur posse cum licentia loqui cum consanguineis in primo, & secundo gradu. Attamen cum matre, vel cum filia moniali dico posse filium, vel patrem loqui sine licentia, quia hic casus est nimirum exceptuatus, nullam suspicionem admittere valens; & propterea in concessione vltima non fit mentio de hoc stipite, qui gradum non facit quasi relinquatur naturæ iuribus; nec melioris conditionis esse debent Sæculares Regularibus, qui probiores præsumi debent, vbi lege vetitum expressè non fuerit.

Cum matre, vel filia pater loqu. regularis sine licentia.

Quęstio septima, An Confessarij comedentes, vel pernoctantes in eorum hospitijs apud moniales, in omni alio casu non exceptuato, peccent, & puniendi sint.

Respondeo, cum doctrina superius tradita, si fuerit cum scandalo, periculo, nimia frequentia, notabili inordinatione, peccare, & puniri debere, alias non: Si enim pluuijs, vel lassitudine, vel alio aliquo vrgenti negotio impediretur, ne ad conuentum redire posset, non peccaret mortaliter, &c. Si intra diem parum cibi, vel potus, vel refectionis sumeret; vel raro comederet, ex paruitate materiæ, neque peccaret. Si quando occasione vrgente contingeret in talibus pernoctare aliquem ex pia, & rationabili causa, remoto scandalo, vel alia malitia, secum retineret, neq; puto peccare mortaliter, vt vsus interpratatur, quia non est credendum humanas leges in his casibus obligare. Et in hunc modum interpretanda sunt statuta ordinis idem præcipientia. *Ne Fratres, aut Confessarij apud Moniales comedant nisi tempore confessionis generalis sub priuatione officij, suffragiorum, & carceris.* Quod in *Salmanticentibus cap. 10. Roman. ann. 1571. & Vallisoletan. ann. 1693.* Et alijs reperitur.

Comedere, & pernoctare in hospitijs confessariorum, non semper est peccatum.

Quæstio octaua, An eędem pęnæ incurrantur, si colloquia fiant cum Sæcularibus, quæ intra septa morantur, vel cum alijs mulieribus, quæ in aliqua domo communiter viuunt?

Respondeo primò, incurri etiamsi alloquantur mulieres sæculares, quę in clausura morantur, ita expræsse decretum. *Moniales, sorores, aut quamlibet aliam personam intra clausuram degentes.*

Respondeo secundò, non incurri, nisi tales mulieres sint moniales, in monasterio, habente clausuram, habitantes; ita decretum. *Monasteria, seu domos, quarumcumquè Monialium sui, vel alterius ordinis.* quare si sint mulieres simul habitantes, & non sint moniales, vel cum monialibus morantes, non sunt in dispositione huius decreti; & odia extendi non debent. *Barbos. citato loco. numero* 158.

Alloqui faeminas quæ morantur intra clausuram, est vetitum.

Questio nona, An Superioribus indifferenter liceat Moniales, sibi subditas alloqui, vel in ædibus Confessoris, vel alibi apud ipsas comedere?

Respondeo per sequentia statuta. *Superiores ad Monasteria Monialium non accedunt, nisi pro expediendis muneribus, ex earum regula, mandatis, aut Sanctionibus Apostolocis, S. Concil. Tridentini decretis, aut ordinis constitutionibus eisdem incumbentibus, aut pro communi earum commodo, spiritualiquè profectu, ab Abbatissis, seu Monasteriorum præfectis, vnà cum discretis Conuentus vocentur, qui contrafecerit, suspendatur officio, vel etiam priuetur, Superioris arbitrio.*

Superiores quando, & quomodo possunt alloqui moniales subditas.

Nec eis liceat in ædiculis, quæ pro peccatorum confessionibus, & visitationibus ineundis deputatæ sunt, aut alibi apud Moniales comedere, nisi cum generalem earum visitationem ineunt contrafacientes officio priuentur. Dico igitur, cum allo-

cutiones extraordinariæ Prelatorum nimis conspicuę sint, & super omnes scandalum generent, nisi supradictæ conditiones, vel saltem (remotis formalitatibus, Abbatissarum, vel Discretarum) legitimę, & graues causę adsint, Superiores peccare mortaliter, contrarium facientes, & grauiter esse puniendos. Nec facile declarari potest, quantùm errent, talia committentes, quia ipsorum exemplo, & Moniales, & Fratres dissoluuntur, quos in officio, redarguti à culpa, continere non audeant, nec possunt.

Ingredietes intra clausurā monialium sine licentia, quas pœnas incurrant.

Dico secundò, *Sub pœna excommunicationis latæ sententię, & officiorum, ac suffragiorum priuatione, nullus cuiuscumquè dignitatis, gradus, conditionis, sexus, vel ætatis, sine licentia Superioris in scriptis obtenta, ingredi potest clausuram Monialium.* Ita statutum Ordinis ex Tridentin. *sess.25. de regul. cap.5. cap. periculoso. de statut. regul. in 6.* Pio V. *Circa Pastoralis. ann. 1566. Regularium personarum*, eodem anno. *Decori, & honestati. annò 1596.* Gregor. 13. *Vbi gratiæ. ann. 1575.* Qui post alios vetat. *Monasteria huiusmodi quouis modo ingredi audeant, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, super quâ à nemine, nisi à Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo, absolutionis beneficium possit impertiri. Abbatissis verò, nec non Abbatibus, Conuentuum, ac alijs Monasteriorum vtriusquè sexus Superioribus, & personis, quocumquè nomine vocentur districtè præcipimus sub eadem excommunicationis pœna, nec non priuationis dignitatum, beneficiorum, & officiorum suorum, ac inhabilitatis ad illa, & alia imposterum obtinenda, ne in Monastria, Domos, & loca sua quemquam, prætextu huiusmodi licentiarum ingredi faciant, aut permitant. Quin etiam sub eisdem pœnis ipso facto incurrendis prohibemus omnibus personis Ecclesiasticis, & Sæcularibus, ac etiam Ordinum quorumcumquè Regularibus, ne prætextu licentiarum, ab Episcopis, & alijs Superioribus. quibus illas concedendi in casibus necessarijs tantùm ex decreto Concilij Tridentini tribuitur, Monasteria ipsa Monialium pro libito, sed pro necessitatibus vrgentibus dumtaxat, ingredi seu è Moniales sub ijsdem pœnis, illos aliter admittere præsumant.* Quam particulam ad verbum descripserunt statuta Vallisoletan. *an.* 1593. Circa quam conclusionem.

Quæritur primò, Ad quem spectet dare licentiam, & examinare causas necessarias ad ingressum intra clausuram.

Licentiare adingressum spectat ad Superiorem.

Resqondet statutum. *Qui verò necessariam ob causam aliquando intra admittendi sunt, Superioris iudicio, & authoritate antea probētur; & ab eo Moniales, generalem, aut specialem facultatē scripto habeant.* Ratio est, quia exemptarū Episcopi non sunt Superiores, sed Prelati regulares; & ideo in carū Monasteria ipsi soli iurisdictionem exercent, priuatiuè quoad Episcopos, *Concilium* enim *Trident. sess.25. cap.5.* ait, *sine Episcopi, vel Superioris licentia*, quæ non est alternatiua permissiua, sed relatiua ad suas subditas, vt Congregatio Concilij declarauit *ann.* 1597. 19. *Iunij* apud *Marzillam lib.1. tit.12. c.10.* & Concilium Tridentinum impræssum Lugduni *an.* 1633. cum declarationibus S. Congregationis Concilij, ex *Bibliotheca Bellarminij* (vt præferunt) erutis. *Congregatio Concilij consueti licentias ingrediendi intra septa Monasteriorum Monialium, regularibus subiectarum, ex vera tantùm necessitate concedendas, spectare dumtaxat ad ipsos Superiores regulares.* Quam etiam retulerunt post Concilium Tridentinum impræssum *Turnoni ann.* 1621. In quo etiam ad illa verba Concilij Tridentini, *Ingredi autem intra septa*, refertur alia. *Dato quod à Superioribus regularibus huiusmodi licentia*

ingressus

ingressus concedi debeat priuatiuè quoad Ordinarios, an possint Ordinarij aliquam super ipsarum licentiarum concessione superintendentiā habere, & qualē? Congregatio censuit, quod etiam sit seruanda consuetudo. Si autem ex aliqua causa expedire iudicaret, ipsas licentias improbare, ex toto non poterit; verum posset aliquem particularem accedentem impedire. Et quidem manifestè apparet in ipso textu Concilij. Nam loquens de exitu Monialium, dicit, *Nisi ex legitima causa ab Episcopo approbanda.* de ingressu autem, *sine Episcopi, vel Superioris licentia;* Quia rarior est egressus, soli Episcopo committitur; ingressus, autem, quia est frequentior, remittit proprijs Prælatis; & ita communiter sentiunt *Rodrguez, Nauarrus, Sanchez, Graffius, Miranda, Azorius, Barbosa apud Bonaccin. quæst. 4. pun. 2. n. 3. & Hieronymum Roderi. resolut. 26. n. 8. & Lezanam. cit. c. 25. n. 25.*

Cum igitur licentia ingrediendi concedi debeat à Prælatis Generalibus, vel Prouincialibus (Locales enim talem authoritatem non habent, quia Superiores Monialium non sunt, nisi aliquando ex commissione, nec Abbatissæ, quia ipsæ recludi debent, non alios admittere, & Concilium loquitur de maribus, non de fœminis) & ante talem concessionem causæ examinandæ sint, necessariò causarum iudicium ad Prælatos spectat.

Superiores locales vel Abbatissæ id non possunt.

Quæritur secundò, Quid nomine Monasterij intelligatur?

Respondeo ex *Gregorio IX. Innocentio IV. et Nicolao III. in cap. Exijt. de verb. signif. in 6. Nomine Monasterij volumus Clausuram, domos, & officinas interiores intelligi, pro eo, quod alia loca, vbi homines Sæculares conueniunt, possunt illuc Fratres causa prædicationis, & eleemosynæ petendæ accedere, quibus fuerit à Superiore concessum, exceptis semper prædictarum Monasterijs inclusarum, ad quæ nulli datur accedendi facultas, sine Sedis Apostolicæ licentia speciali.* Sed quæret aliquis, quò non possunt Sæculares accedere? Respondeo ad totum illud spatium, quod est muris septum, & ostijs clausum, in quo collegialiter viuunt Mulieres, Deo, per vota solemnia dicatæ, vt ait *Corduba ex Hugon. de Dina q. 2. in cap. 11. regul.* a quo Moniales exire non possunt, sine censura. Hinc collocutoria, Ecclesiæ, Confessionalia, non veniunt nomine Monasterij, nec domus aliæ, in quibus collegialiter viuant mulieres, non tamen ex institutione Apostolica; licet *citatus Corduba* etiam ab his nos arceri putet ex regula; tamen licet sit optimum omnes vitare cum illæ non sint Monasteria Monialium non est nobis vetitum, & ita Romæ in Monasterio Turris speculorum, in quo non est Clausura, in Conseruatorio puellarum Sancti Vrbani, ingrediuntur Fratres, ac Neapoli, in simili Conseruatorio Sancti Spiritus, vt mihi experientia compertum est. Quod autem tangitur de Monasterijs inclusarum, intelligitur de Monialibus Sanctę Claræ, primæ regulę, de quibus Minores habent speciale præceptum, *& non ingrediantur monasteria monacharum præter illos, quibus à Sede Apostolica concessa est licentia specialis.* Quod de solis istis in principio Religionis intelligebatur: ad omnes tamen quascumquè extenderunt postea loco citato *Nicol. III.* & subsequentes Pontifices. Itaquè de illis habemus speciale preceptum, cui non derogatur per generales concessiones, nisi de nobis fiat specialis mentio, vt citatus *Corduba* aduertit *pun. 2.*

Quid nomine monasterij intelligatur.

Inclusæ moniales quæ.

Quæritur tertiò, Quæ sunt causæ sufficientes ad concedendum ingressum?

Respondeo, ex Gregorio Decimotertio, qui citat Concilium Tridentinum, & Pium V. in constitutione edita *ann. 1582. 3. Decembris,* quæ incipit. *Dubijs*

Causæ legitimantes ingressum.

quæ emergunt. § *Casus tantùm necessarij*, qui Superiorum iudicio relinquuntur; quiquè sint rationabiles, & manifesti, vt dicitur *cap. periculoso. est statu regul.* nec possint à Monialibus absquè externorum auxilio præstari; quia si possent, eo ipso desinerent esse casus necessitatis, saltem moraliter intellectæ, cui nimirùm commodè à Monialibus obuiari non valeret. Ex quo sequitur, posse admittere Confessarios pro infirmis, qui confessiones excipiant, & alia Sacramenta ministrent, Opifices, Medicos, Chirurgos, Fossores hortorum, Vinearum cultores, Mortuarum polinctores, Onerum gestores, seu baiuli; Iudices, cum satellitibus ad expellendũ malefactores, qui ad mortem quærerentur, siuè fœminę, siuè mares, nec alius esset effugij locus, & omnes alij casus, quos recta ratio pro seruitio monialium, aut monasterij dictaret, vt taceam de Superioribus, & Visitatoribus, qui inuigilare debent bono monialium, & clausuræ; omnes enim isti cum iure naturę concessi sint, interpręntantur votum, & pęnas clausuræ, alias esset irrationabilis, & non humana. Legantur *Miranda to. 1. quęst. 2. Rodrig. tom. 1. q. 46. Sanchez lib. 6. cap. 16. Bonaccin. quæst. 4. pun. 4. Barbos. lib. 1. Iuris Ecclesiastici cap. 45. à num. 118. Llamas in Methodo, Molfes. tract. 7. cap. 20. Portel V. Clausura. Hieronym. Roder. resolut. 26. & alij multi*.

Hinc iustificantur statuta. *Dare licentiam eiusmodi, nisi personis probatis, & in casibus tantùm necessarijs, Superiores debent. Qui licentiarum prętextu, præterquam vrgentibus de causis ingredi præsumpserit excommunicationem, & pœnas, &c. Incurrat.* Quę per Moniales intus expediri possunt, per exteros fieri non permittantur; quia deficientibus veris causis, incurrunt excommunicationem tùm Superiores concedentes, tùm ingredientes, tùm moniales consentientes.

Quæritur quartò, An omnibus omninò sine licentia, & causa denegetur ingressus.

Pueri vel puellæ ingredientes, an incurrãt pœnas. Respondeo, omnibus vsum rationis habentibus, etiam si sint fœminæ, puellæ, vel habitum suscipere volentes, quia leges vniuersaliter, & sine distinctione loquuntur, & sic vsus obtinuit, & interpręntatus est; prohibetur enim violatio clausurę, quę per cuiuslibet doli capacis violatur ingressum; nam non prohibetur violatio monialium, quia de hoc satis patet, sed clausurę, quam rumpunt, etiam fœminæ introeuntes, quę duos fines habet: primum pudicitiæ custodiam: secundum distractionis, & conturbationis elimitationem. Ita communiter omnes, qui excipiunt infantes, qui his finibus obuiare non possunt, authores citat *Bonac. quæst. 4. pun. 1. n. 5. & 6.* vbi declarat, non debere excedere septennium, quinimo nec attingere, vel complesse, quia tunc habent vsum rationis.

Secundum quem sensum declarandum est statutum. *Si qua monialis masculum, aut fœminam cuiusuis ætatis sine licentia introduxerit, etiamsi inter Virgines sacras adscribenda sit, excommunicetur, priuetur velo, & carceribus mancipetur, vel grauius etiam puniatur, Superioris arbitrio: quibus pœnis subiaceant Monasterij Præfecta, Ianitrices, & Rotis præpositæ, si ad hoc earum consensus accesserit.* debet enim declarari de masculis, & fœminis, si vsum rationis attigerint.

Ad quem finem latum est etiam aliud statutum. *Vt exactius clausura seruetur, decernimus, & statuimus, vt nequè triticum, nequè vinum, nequè fruges, nequè quidquam aliud in monasterijs villis, præter quam ad earum vsum, & necessitatem asseruentur; nec præterea canes, equi, & alia generis eiusmodi animalia, etiam ad bre-*

ue

ne tempus, admittantur, neque depositum quidquam, quouis prætextu asseruetur, sub pœnis Superiori arbitrarijs. Quod Alexandrina cap. 11. dixerunt *Inhibetur monialibus in monasterijs canes tenere magnos, paruorum autem euitetur multitudo.* autius iam citata, quia & magni, & parui, deuotioni, & puritati incommodant: Licet enim, & bestiæ, & triticum, aliaquè huiusmodi per eorum ingressum clausuram non violent, maximam tamen conturbationem suscitant, occasiones præbent, libidinum fomenta ministrant, & sic in statutis monialium Neapolis, factis à S. Congregatione, & relatis à *Quaranta citato num* 31. dicitur. *Abijciantur è Monasterio omnes Catelli:* aliorum enim bona, & deposita exsportari, & adsportatari, à baiulis, à dominis, qui cum Abbatissa, & monialibus necessariò tractare coguntur, &c. Et ideò ad fugandas malorum occasiones, etiam ista prohibentur.

Dico tertiò, Sub ijsdem pœnis ingredientes ob legitimas causas monialium clausuram, tenentur propter illas ingredi, & non alias. Puta si ob necessarium seruitium, illud tamē præstare non intendit, sed vtitur illo tanquam prætextu. V. g. Confessarius sub prætextu auscultandæ confessionis in cubiculo, animo tamē alloquēdi monialem; Nobilis sub prætextu seruitij præstandi deportationis lapidum, cementorum, &c. Animo tamen aliud faciendi, isti omnes excommunicationem, & pœnas incurrunt, quia verè, & realiter sine legitima causa ingrediūtur *Barbos. dict. lib. 1. Iuris Ecclesiastici. c. 44. n. 121. apud quem Piasec. in praxi Episcop. p. 1. c. 3. n. 55. Gallet. in Margarita casuum. V. Monialis Bonac. dict. q. 4. pun. 3. n. 17. apud quem Zerola in praxi p. 1. V. moniales ad 8. quæsitum. V. 4. Sanchez dict. lib. 6. c. 16. num. 49. & 69. & c. 17. & 28. Rodrig. tom. 1. q. 46. ar. 3. notab. 2. Barbos. de off. & pot. Episc. alleg. 102. n. 58. Lezan. dict. c. 25. n. 26. & 27. apud quem Miranda q. 2. ar. 4. Diana tract. 2. de dub. regul. resol. 51. Ganantus in Manuali Episc. V. Monialium clausura à n. 46. Belloc. de casib. p. 2. q. 4. n. 517.* Loquens de licentijs subreptitijs impetratis ad loquendum, &c. Declaro tamen conclusionem cum *Bonac.* valere solùm, quando ingrediens non habeat intentionem præstandi, quod in licentia explicatur; quia si intendat hoc, & concomitanter, aliud, non incurreret, quia tunc vera causa subsistit, licet ex prauo fine peccet mortaliter. quinimò si principalius intendit aliud, non excusaretur à pœnis, quia verè committitur fraus, & Superior talem non concessisset licentiam; sic etiam si tempore ingressus cessasset causa, puta si monialis deliquium passa, vocaret confessarium; cum autem ingressus pararetur, iam morbus abscessisset, non posset ingredi, quia nulla est causa; sic etiamsi licentia impetrata esset cum causa simulata, tempore autem ingressus in veritate subsisteret, non posset ingredi: quia licentia à principio nulla, per nouum accidens non fit legitima.

Ingredientes sub aliquo prætextu, vt tamē aliud faciāt pœnas incur runt.

Huc reducitur statutum, *Confessario, cum intra septa monasterij ob necessitatem ad eius officium spectantem, erit ingrediendum, superpelliceo cum stola semper indutus sit, nec cum alijs, quam cum socio, sibi deputato ingredi liceat, sub pœna priuationis officij, & etiam grauiori.*

Item *Superioribus tùm Generalibus, tùm Prouincialibus, cùm inuisendæ clausuræ, aut alia vrgenti de causa ingrediendum erit, viros secum socios probatissimos ducant; hi quidem duos, illi verò quatuor ad summum.*

Item, *Nō liceat quouis prætextu, vel quæsito colore, intra septa monasterij comedere, aut dormire cuiquam, cuiuscumquè sit conditionis: quibus etiam, antè solis or-*

tum ingredi (exceptis medicis) aut post eius occasum intus permanere, perpetuò interdictum sit.

Item, *Ingredientes ad ea loca recta properent: & ea negotia, propter quæ ingressi fuerint, quamcitius expedienda diligenter curent: & vt id exactè seruetur, eos curet præfecta, antiquiores moniales specialiter deputatas comitari.* Respiciunt enim præcisa, & necessaria negotia peragenda, additis cautelis, vt sanctius, & citius expediantur, super quibus,

Quæritur primò, Quod peccatum sit dormire in Monasterio monialium?

Dormire in monasterio monialium aliquando licet.

Respondeo, sine euidentissima, & ineuitabili causa, non solùm mortale, sed etiam fulminatis pænis plectendum; quia nil magis prohibere intendunt Ecclesiasticæ leges, quam talem actionem omninò sanctimonialium clausuram dedecentem; & nunquam ad hoc licentiam concessissent, aut concederent iuxta *c. Diffinimus.* 18. *q. 2. non cubet monachus in mulierum monasterio.* Ex 7. synodo in aliquo tamen casu excusarem à peccato, v.g. si confessarius adiuuans moribundam, & per aliquam noctis partem cum socio in officio charitas persistens, non erit inconueniens, si aliquam horam somno indulgeat, reuersurus statim ad commendationem animæ, quia moraliter necessarius est illi operi, periculum mortis imminet, si discedat reuersurus, fortasse necessitati adesse non poterit; hoc enim casu permissus est somnus; & comestio, ex concessione Sixti 4. apud Rodrig. infra citandum §. Aduertendum etiam, & quod pro commendatione animæ ingredi possint confessarij clausuram, expressè concessit Vrbanus 4. in *regula S. Claræ c. 7. ibi. Sic quoquè se habeant in animæ commendatione*, nimirum induti alba & stola cum duobus socijs, vel vno, saltem indutis superpelliceo. *Et audita confessione, vel alio tradito sacramento, sicut ingressi fuerint, ita egrediantur, nec moram ibi faciant longiorem; sic quoquè, &c.* & tradit *Rodrig. tom. 1. q. 47. ar. 4. §. 2. casus. Sanchez cap. 16. nu. 48.* hæc dixerim, quia *Barbos. citatus nu. 132.* dicit confessarios, exire debere commendatis animabus, relicta cura monialibus eas hortandi ad benè moriendum; quasi commendatio animæ consistat in illis tantummodo, quę in fine breuiarij continentur, & non sint multa composita ritualia ad hoc, & moniales omnes sint aptæ ad hoc ministerium, & debeat relinqui in tanta necessitate monialis. Vnde sanctè statuerunt Fratres Carmelitæ discalceati *part. 3. stat. c. 30. nu. 3. in impræssis Rom. an. 1631. Si monialis aliqua sit morti proxima, non liceat Sacerdoti nostro intra clausuram pernoctare, nisi ægrota sit in eo periculo, vt eo pietatis officio egeat, quod in morientes exerceri solet; at ea defuncta statim cum socio exeat, &c.* Fuerunt autem istæ constitutiones eodem an. à Santissimo D. N. Vrbano Octauo, confirmatæ de causa scientiæ.

Ad commendandam animam potest ingredi Sacerdos intra claustra.

Quæritur 2. de longiori mora, quæ traheretur, exactis operibus?

Protrahere moram vltra necessitatem, quale peccatū.

Respondeo, parum temporis non induceret culpam mortalem, imò nec venialem. *Sanch. cit. n. 69. Rod. to. 1. q. 49. ar. 1. Miran. q. 2. ar. 2. Bonac. infra. Villalob. to. 2. tract. 35. diff. 49. n. 1. apud Dian. tract. 2. de regul. resol. 51. fin.* concedit quadrantem horæ, *Lezan. cit.* excessum putat, sufficientem ad peccatum mortale. cęterùm omnis mora notabilis peccatum mortale est, & cōparatur à *Rodr. to. 1. q. 47. ar. 11.* quem sequitur *Sanch. dict. c. 16. n. 68. & infra*, cum mora Monialis legitimè egressæ, & docuerat *Collector priuil. V. Ingressus monasteriorum monialium notab. 1.* ait tamen *Sanch.* etiamsi longiorem traheret moram, ob malum finem,

finem,non incurreret censuras,quia iam est ingressus cum debita licentia:& citat.*Zerol. in praxi Epis. p.1. V. moniales, ad quæsit.8. ac seipsum c.15.n.60.& 61.* quo loco potius contrarium tenuit: ait enim in *c. periculoso. de statu regul.*dici. *Quamprimum fieri poterit*;& glosam explicare verbum, E' *vestigio statim,vel continuò* cum alijs,& Pio V. *Decori*,dici. *sed nec in prædictis casibus extra illa ministeria,nisi ad necessarium tempus stare liceat.*& concludit *eam solam moram damnari, quæ alicuius momenti esset, vt potè, quæ in clausuræ fraudem cederet.* cuius rationem adduxerat:quia *expedita concessionis causa,reditur ad ius commune.* si igitur longior mora est in fraudem clausuræ, & cessante causa, cessat licentia,& reditur ad ius commune;sequitur,non solùm peccare mortaliter,sed esse excommunicatam, nec video, quomodo censuras non incurrat, quæ sine causa moratur extra clausuram,cum ab illis communem reddat, sola causa egressus, non licentia; quia si daretur licentia sine causa,nulla esset, ex quo infertur simile de mora in clausura,quæ, remota moralitate excusante,vel vrbanitate,vel aliqua leui curiositate videndi claustrum,&c. iam destituta remanet, & in rigore bullarum,& iuris communis, & vlterius non esse excommunicatum, qui ingressus cum legitima causa,fornicaretur cum Moniali:contra id quod ex *Zerola Sanchez* attulerat: quia hic casus directè opponitur clausuræ,& censeri debet formalissimè inclusus in rigore legum,ad quem nec vnquam somniassent Prelati concedere ingressum.

Queritur tertiò,An sciens Prelatus clausuram sartam tectam existere;quia illam vidit diebus aliquot antecedentibus,dum ob alia negotia ingressus fuit monasterium:possit in actu visitationis,intrare eandem, occasione visitationis?

Respondeo affirmatiuè, quia hoc illi ex iure competit; nec intrat clausuram ex necessitate Monasterij,tamquam operarius, sed tanquam Prælatus, qui visitat etiam Moniales, & Subditos,etiamsi sciat, illas sua visitatione non indigere; nec enim Prælati visitatio habet pro solo fine peccata, & punitiones, aut remedia,sed consolationem subditorũ,& suam.sic Iosepho Pater dixit.*Vide si cuncta prospera sint circa Fratres tuos,&c.*Gen.27.sufficiebat narrare omnia prospera. *Visitari potest clausura.*

Quæritur quartò,An Confessarij ingredientes sine superpelliceo,&c.peccēt?

Respondeo,vbi est in vsu,peccant,aliàs minimè.*Sic Rodrig.supra,quæst.47.ar.4.circa principium*,quia consuetudo scita,& tolerata excusat; adhibeutur omnia hęc ad maiorem cautēlam ingressus,ne detur locus diuersioni,& ne audeat Confessarius cogitare, quæ Sacerdotale dedecent indumentum memor veteris illius Sacerdotis qui tintinnabulis instructam vestem gerebat. *Exod.28. Ne opus Sacerdotis discrepet à verbo,nec verbum ab opere*(inquit.*Interlinealis.*)*Vt veritatem fidei cum cauta obseruatione tenerent*, (inquit *Gregor.*). *Vt vniuersa quæ agit sint rationabilia,& discreto sermonis sonitu producantur.* inquit Beda. *Ingredientes sine superpelliceo.*

Quæritur quintò, An Prælati ingressuri ad visitandam clausuram,aliaquè negotia peragenda, sacris indui vestibus debeant?

Respondeo negatiuè; tùm quia lege non cauetur; tùm quia ad ipsorum munus impertinentes sunt sacræ vestes,quippè quę Sacris tantùm ministerijs adhiberi præcipiuntur, vt in Sacramentorum administratione, & alijs Ecclesiasticis munijs exequendis. Scio aliquos Visitatores id fecisse,sed ignoranter quidem, & sine necessitate; si enim tales vestes essent necessariæ ad ingressum Prælatorum, adhiberi etiam deberent ad alios ingredientes, vt medicos,opifices, *Superiores ad hoc non tenentur.*

&c.

&c. Saltem si essent Clerici, quod est ridiculum.

Quæritur sextò, An Confessarij ingredi possint ad celebrandum, intra clausuram, ad faciendum officia pro mortuis, ad benedicendum cællas, vel Monasterium, ad concionandum? Et an Superioribus ingredi liceat ad velandas, benedicendasquè Moniales, ad electiones faciendas, ad Capitula tenenda?

Confessarij quoties ingredi possunt clausuram. Respondeo affirmatiuè, ex posito principio, quod concedatur ingressus, propter necessitates, quæ per ipsas Moniales, vel Superiores, aut confessarios, extra clausuram, existentes præstari non possunt: quare si electiones, professiones, velationes, & alia huiusmodi commodè præstari non possint extra, sine vllo scrupulo, datur ingressus ad illa, & descendendo ad particularia.

1. ob infirmas. Primò Confessarij ingredi possunt, non solùm cum Moniales infirmantur in periculo mortis, sed etiam quando diutina infirmitate detinentur, mensium, & annorum; & tunc non tantùm quando bis in mense in communitate communicare debent, sed etiam sæpiùs pro ipsarum consolatione spirituali; dum scilicet scrupulis grauibus, vel internis turbantur insidijs, quæ Sacramentali confessione, & prudentibus consilijs patris spiritualis expiari debent. doctè probat conclusionem *Rod citata q.47.art.4.§.dilectis filijs*, & infra, ex concessione Alexandri Sexti. ibi. *Quia etiam accidit aliquas Moniales diutina infirmitate detineri, & quandoquè per annum, aut biennium ita morbo laborare, vt pro Sacramentorum receptione, non possint ad communem cratem accedere, spirituali propterea consolatione omnmò carent, illa præsertim, quæ cæteræ Moniales in receptione Eucharistiæ, quintodecimo die recreantur, &c.* Vbi notandum est illud, *præsertim*, quod alias consolationes spirituales præter communionem dicit; eò vel maximè cum corporales infirmitates ob peccata aliquando incurrantur, vt ipsemet author probat, post quem *Miranda q.2.art.7. Sanchez dicto c.16.n.45. Barbosa Alleg. 102. n.49. Bonac. q.4.pun.4. n.4.*

2. ob celebrandum intra clausuram. Secundò, ob celebrationem, si in clausura sit capella in infirmaria, & necesse sit communicare infirmas. *Sanch.n.46.ex Rod.* qui probat ex verbis tam primæ, quàm secundæ regulæ Sanctæ Claræ *cap.3. 12. & 7. Pro communicandis infirmis Sororibus, Capellanis intus liceat celebrare.* Et Leo decimus concessit, Posse *Prælatum, vel Confessarium introire clausuram, in infirmariam, & monasterium ad celebrandum, ne tales moniales remaneant sine missa, dummodò Sacerdos ad nulla alia loca, quam ad altare diuertat, nequè moretur, nisi tanto tempore, quanto indiget ad celebrandum, nequè loquatur, nisi quantum opus est in missa.* Idem Author refert, & probat hoc non repugnare statutis ordinis, quæ solùm prohibent celebrationem in choro, vel Ecclesia, non in infirmaria, aut actioni communicandi, quia hoc ita commodè præstari non potest, sicuti si in infirmaria celebretur; nō enim repugnat ingressui in clausuram, quæ iam admittit deferentem Sacram communionem; vnde sacram celebrationem etiam admittere potest, & certè durum nimis est, manere monialem infirmam per annum, & annos sine auscultatione missę, dum commodè possit, occasione communicandi: quidquid dicat *Barbosa de quadam declaratione S.Congregationis*, quæ non constat, nec manauit nisi pro particulari monasterio, ac proinde non debet extendi; sicuti etiam illa, quod

Moniales vocari possūt dominæ. moniales non vocentur Dominæ, sed sorores, cum vbiquè in viridi obseruantia moniales S.Benedicti vocentur hoc titulo. & Moniales S.Claræ S.P.Franciscus vocabat, *dominas pauperes.* hoc refert *citat. c.44.n.64.65.*

Tertiò,

Tertiò, De officio pro mortuis, & sepultura, refert indultum Pauli IV. concedentis, *quod cum aliqua monialis ab humanis excesserit, sex Fratres ingredi, & intrare possint monasterium ad eam sepeliendam*. & Vrbanus IV. in regula cap. 7. vetuit, *Fratres ingredi ad obsequias circa sepulturam agenda. Tamen si Abbatissæ, & conuentui visum fuerit hoc expediens, propter imbecillitatem sororum, sit Sacerdoti, vel alicui alio ad hoc idoneo, & honesto, cum vno socio, vel duobus, licitum introire*. Quæ verba non solùm referuntur ad sepulturam ex verbo, *imbecillitatem*, sed etiam ad *obsequias*; quia particula, *Tamen*, relatiua, limitatiua, & exceptiua est Superiorum, vt fusè probat *Barbos. dict.* 400.

Tertiò pro officio defunctarum, & sepultura.

Quartò, de benedictione monasterij in sabbatho sancto, vel aliqua alia occasione, qua moniales timerent dæmonum incursus, videtur clarum; tùm quia in multis monasterijs est in viridi obseruantia; tùm quia est necessitas, quæ per moniales præstari non potest; nec fraudari debent moniales, indulto, omnibus Christianis concesso. nec video, in quo fundetur, nescio quæ declaratio, relata à *Barbosa dicto cap. 44. num.* 134. Id prohibens, cum sancta actio sit, & ad dęmonum insidias pellendas (quas vel maximè patiuntur moniales) ordinata; nec illi credendum est, cum nec authentica, nec sub die, & anno referatur. Et quidem multas iste author tales declarationes consarcinat, quæ in S. Congregationis Registro non reperiuntur, vt experimento multis innotuit. Et propterea his diebus, postquam hæc iam absolueram commentaria, inter libros prohibitos relatus est liber Barbosæ, in quo bullas colligit, ex quo pęnitet nonnulla citasse; sed valeant quantum valere possunt. Sed hęc doctrina de benedictione Monasterij, ad exorcizandas moniales, dæmonum infestationem patientes, trahi non debet; quia ob timorem, quem ex tali actione moniales conciperent, non permittitur eas exorcizari intra clausuram, sed cum licentia S. Congreg. extrahi debent, & coram honestis matronis, ac consanguineis, in Ecclesia exorcizandæ sunt; vt postremò ead. S. Congreg. Concil. censuit, apud *Barbos. in V. Moniales quarto fin. & in cap. 5 sess. 25. Concil. Triden.* Militat enim tam pro exemptis, quam non exemptis ratio superius tacta.

Quartò ad benedicendum monasterium.

Quintò, de ingressu ob electiones, &c. Id in primis certum est, prohibitum esse, quando sine ingressu fieri possunt; & sic declaratum refert supradictus *Barbosa num.* 151. 13. *Septembris ann.* 1583. à S. Congregatione Regularium, & Episcoporum, & 16. *Octobris, ann.* 1600. concessum, si subornationis suspicio vrgeat, vel aliàs canonica electio fieri non posset. Tenere autem Capitulum culparum post visitationes, debet extra clausuram ad crates, nisi tantus esset monialium numerus, vel talis excessus, vt pro bono disciplinæ regularis, prudens Prælatus aliter iudicaret; tunc enim ingreditur ad sui officij functiones præstandas, maximè si adesset consuetudo.

Quintò ad electiones.

Dico quartò, Moniales professæ exire non possunt è clausura, nisi ex causis a iure permissis, sub pœna excommunicationis. Ita statutum ex verbis Pij V. Decori Virginum. *Inhærentes etiam decreto Concil. Trident. de clausura monialium disponenti, ac alijs nostris literis adijcientes, volumus, sancimus, & ordinamus, nulli Abbatissarū, Priorissarū, aliarumque monialium, quorumcumq; ordinū, de cætero, etiam infirmitatis, seu aliorum monasteriorum, aut parentum visitandorum, aliauè occasione, & prætextu (Nisi ex causa magni incendij, vel Infirmitatis lepræ, aut epidimiæ; quæ tamen infirmitas, præter alios ordinum Superiores,*

Quas pęnas incurrat monialis, sine licentia egrediens.

quibus

quibus cura monasteriorum incumberet, etiam per Episcopum, seu alium loci ordinarium etiamsi prædicta monasteria, ab Episcoporum, & Ordinariorum iurisdictione exempta esse reperiantur, cognita, & expræsse in scriptis approbata sit) è monasterijs exire; sed nec in prædictis casibus, extra illa, nisi ad necessarium tempus stare licere. Aliter autem egredientes, seu licentiam exeundi quomodocumque concedentes, necnon comitantes, ac illarum receptatrices personas etiam consanguineas, Laicas, Sæculares, vel Ecclesiasticas excommunicationis maioris latæ sententiæ vinculo, statim absq; alia declaratione subiacere volumus; à quâ, nisi à Romano Pontiffice, nisi in mortis articulo, absolui nequeant; & egressas ac præsidentes, & concedentes licentiam officijs priuamus, & inhabilitamus in posterum. circa quam.

Quæritur primò. An possint exire moniales ad claudendam ianuam exteriorem, aut eam aperiendam?

Moniales ad claudendam ianuã exire non possunt.

Respondeo, per statutum, quod desumitur ex verbis Greg. 13. *Deo sacratis. Neque licere monialibus, etiam Tertiarijs, egredi è ianua monasterij, quæ est pro clausura ipsius monasterij, etiam ad claudendam aliam vlteriorem ianuam, qua patere solet aditus Sæcularibus venientibus, vel ad rotam, vel ad crates, seu loca colloquijs destinata (quæ vulgò parlatoria dicuntur) vel ad pulsandam ipsam ianuam clausuræ; quæ loca, cum saltem pro causis prædictis patere soleant Sæcularibus, extra clausuram censeri debent, etiam quo tempore clausa sunt.*

Nec Nouitijs.

Quæritur secundò, An liceat Nouitijs exire?

Respondeo per statutum *Vallisoletan. ann.* 1593. Visitationis Apostolicæ S. Congregationis Regularium, & praxi firmatum. *Nec Nouitijs quouis prætextu exire liceat, nisi in casu, quo moniales illas esse pœniteret; & tunc iterum recipi nõ possint, nec ad monasterium, nec adhabitum, nisi noua facultate, scriptis obtenta, sub pœna nullitatis, & graui, arbitrio Superioris, si Abbatissa, & Moniales consenserint.* Pœna autem hec, est excõmunicatio, lata in introducentes intra clausurã personam aliquam sine licentia; quia per exitum, priorem licentiam iam amisit.

Possunt in incendio, inundatione, Epidimia.

Quæritur tertiò, An inundatio, inuasio, & aliud genus infirmitatis sint causæ legitimæ egressus?

Respondeo affirmatiuè, cum *Nauar. Llamas, Rodrig. Azor. Ioan. à Cruce, Sanchez, Vgolino, Bonac. Diana apud Barbos. dicto c.* 44. *nu.* 74. contra nonnullos alios; quia casus isti sunt æqualis, & fortasse maioris necessitatis, cum recensitis ex Pio V. Inundatio enim, & Bellum, ac aliud genus infirmitatis pestiferæ, & contagiosæ, malum vel toti Monasterio, vel maiori illius parti minitantis, non minus nocent, quam incendium, lepra, vel pestis. debet autem infirmitatis qualitas à peritis antea iudicari pestifera, & infectiua; neque Superiores ad iudicium, & licentiam antea deuenire possunt; quia iudicarent de re, quam ignorant; nec pro infirmitate quantumuis periculosa particularis monialis, concedi debet egressus; quia requiritur causa communis, vt doctè tuetur *Sanch. dict. lib.* 6. *c.* 15. *à nu.* 28. contra aliquos aliter sententies, præcipuè. *Nauar.* cuius opinio non est improbabilis in aliquo casu.

Etiam in casu sine licentia.

Quæritur quartò, An in casu Incendij, Inundationis, Belliquè necessaria sit licentia, & iudicium Superioris?

Respondeo, si tempus permittit, expectanda est licentia; sin autem, minimè; patet ex verbis relatis, *Quæ tamen infirmitas*, quibus de, sola infirmitate, non autem de incendio, iudicium, & licentia expectari mandatur; & certè talia pericula

cula consultationes non admittunt. *Nauar.com.4.de reg.num.60. Graff.lib.4.decis.cap.33. num.6. Azor. tom.1 lib.13. cap 8.quæst.8.Rod.dicta qu.46.art.2.Sanchez dicto cap.15.num.34.* qui desiderat licentiam Abbatissæ, quam iudico necessariam, quia in promptu haberi potest; nisi illa ex timore, negaret; quia tunc ius naturæ præualere debet, quo loco notandum venit, *Magni incendij*, quod denotat periculum, omnes amplectens, vt clarè *cap. periculoso. de stat.reg. in princ.* quia si obuiari possit, reclusis monialibus, exitus non esset licitus. *Sanchez citatus cap.15.nu.32.& Rodrig.tom.1.qu.31.art.1. Collect.V.Clausura cas. 1. Llam. in methodo in appendice.* §.10.

Quæritur quintò, An vrgente incendio, noctis tempore, nec valentibus Monialibus iudicare magnitudinem periculi, vel illud populo intimare, possint aliquæ ad vicinos excitandos exire?

Respondeo affirmatiuè, quia etiamsi tantum periculum non esset, sufficeret tamen esse appræhensum ab ipsis, vt magnum, ad hoc vt ad exitum disponi possent sine censura. & cum concedantur media, cui finis; possunt exire ad petendum auxilium; quod non solùm in incendio, & inundatione, ac bello verum est, sed etiam in inuasione latronum, qui in clausuram irrupissent; nec quomodo id significarent, nisi per ipsarum egressum haberent; idem enim operatur malum verum, & pro vero appræhensum. *Ac etiam aliquas emittere.*

Quæritur sextò, An aliæ adhuc sint causæ legitimantes egressum?

Respondeo, sunt. Prima, fundatio aliorum Monasteriorum, eorumquè reformatio, aut correctio in Abbatissa, Magistra Nouitiarum, &c. *Rodrig. tom. 1.quæst.49. art.5. Riccius de iure personarum lib.5.cap.5. num.11. Bonacc.quæst.1. p.9.num.10.Sanchez dicto cap. 15. nu.45.* vbi citat Concilium Triden. *cap. 7. de regul.* concedens posse sumi Abbatissam ex alio conuentus; est enim hoc bonum commune. *Portel V. clausura mon.cas.3. Rodrig.tom.1.q.49. ar.5. con.1.* & est quotidie in praxi, & sæpius S. Congregatio declarauit, apud *Zerolam p.2. V. Moniales. dub.8.* Secunda, Monialis correctio, quando in suo Monasterio corrigi commodè non posset: de quo est statutum generale Vallisoletan. *ann.* 1593. pro hac familia receptum. *Quæ autem in contumacia perseuerauerit, & Superiori obedire noluerit, carceribus mancipetur, aut etiam in aliud Monasterium transferatur: quam recipere Abbatissa tenetur, sub pœna excommunicationis, &c. Cuiquè suum Monasterium expensas quoad victum, & vestitum faciat, quoad vixerit. vnde huius statuti virtute conceditur Prouincialibus, insolentes, & criminosas Moniales de Monasterio, ad Monasterium transferre.* Et in hoc est necessaria licentia Episcopi, quia iste non est propriè egressus, sed translatio. & Pius V. supra citatus, *dicto quarto*, cõmisit Episcopis solam cognitionẽ infirmitatis, ibi. *Quæ tamen infirmitas, &c.* Cum tamen alias causas etiam enumerasset, nec admitti debet Episcopus in punitione monialium exemptarum, cuiusmodi esset, si transferri non posset, sine licentia Episcopi, qui si de iure admittendus esset, posset illam negare, & aliter de exitu iudicare, & sic eludere iudicium religionis, quod omninò est falsũ. Tertia, si Monasterium habeat feudum, & teneatur Abbatissa iuramentum fidelitatis præstare, potest exire, & ad dominum feudi iuratura procedere; nisi id per procuratorem fieri impetraret. *cap. periculoso. §. verum quando. de reg.statu. in 6.* quod per Pium non est correctum. Quarta, quando totus conuentus locũ mutat tunc omnibus licet aliò commigrare, quia *Aliæ causæ pro exitu.*

ad

ad vtilitatem communem spectat. *Sanchez dicto cap.15. nu.53. apud quem Collector priuil. cas.6. & Rodrig. dicta quæst.49.ar.5. corol.4.* Quinta, si indigerent victu quotidiano, & per alias mendicando non inuenirent, possent mittere conuersas, vbi & necessitas, & vsus adesset, secundum concessiones, & conditiones Pij V. *Circa pastoralis.* & Gregor.13. *Deo sacratis Virginibus. Sanch.n.54. cum Zechio*, qui declarationem S. Congregationis *ann.* 1573. adducit. Sexta, quando infirmarentur Moniales, & quæ illis inseruiant, non haberent, possent intromittere aliquam, vel aliquas mulieres Sæculares, ad illis seruiendum; quia ius naturale prævalere debet iuri positiuo, in causa vrgentissima. *Rod.quæst.46. art.7.tom.1.* Septima, quando vellet transire ad arctiorem religionem. sic *cap. Virgines Sacræ. 20. qu.4.& Tapia, Zerola, Rodrig. Sanchez, a S. Fausto, Ricciullus, Bonac. apud Barbos. lib.1. Ecclesiastici Iuris. cap.44.nu.75.* qui addit conditiones, quas requirere solet S. Congregatio pro his licentijs; quod scilicet fuerit acceptata prius ab alio Monasterio; quod soluat dotem solitam præstari ab alijs; quod non possit amplius ad primum redire; & quod recta incedat, comitata matronis, & consanguineis, &c. Licet *Sanchez, & Rodrig.* affirment, posse transire cum sola licentia Episcopi, & Superioris, ex iure communi. nec refert, quod S. Congregatio concedat istas licentias, non tamen reuocauit ius commune. alios casus vide apud *Miran. qu.2.art.17. per totum.*

Monialis cum qua licentia ad aliud monasterium transire possit.

Dico quintò, Cura clausuræ spectat ad Superiores regulares, qui debent seriò super illam inuigilare. Ita statutum ex *Trident. sess.25. de regul.cap.5. Superiores diligenter curent, vt vbi violata sit clausura, quam primum restituatur; & vbi inuiolata est, perpetuò conseruetur. Quapropter eam quotannis diligenter visitent; & quæ instauratione, reformatione, & emendatione indigere cognouerint, statim instaurari, reformari, & emendari procurent. inobedientes, & contradictores, per censuras, & alias pœnas, appellatione quacumquè remota, ex Sacr. Concil. Tridentini authoritate compescentes.* quod sanxit Pius V. in bulla, *Circa pastoralis.* & Gregor.XIII. in constit. *Deo Sacris Virginibus.* qua in conclusione notandum est, sensum Conc. Tridentini citati. *Vniuersis Episcopis, sub obtestatione diuini iudicij; interminatione maledictionis æternæ præcipit, vt in omnibus Monasterijs sibi subiectis ordinaria, in alijs verò Sedis Apostolicæ authoritate, clausuram Monialium, &c.* Esse, Primò, quod sit obligatio grauissima, & peccati mortalis. Secundò, quod non conceditur Episcopis authoritas per hunc textum super Moniales exemptas, sed solùm circa suas, vel Sedi Apostolicæ immediatè subiectas. quod *Sanchez* probat ex *cap. periculoso. de statu regul. in 6.* quod in hoc capitulo Concilij confirmatur, & ex clara determinatione Pij V. citati, dicentis. *In Monasterijs Monialium, sibi ordinario iure subiectis, sua: in his verò, quæ ad Romanam immediatè vel mediatè spectant Ecclesiam, Apostolica authoritate, vnà cum Superioribus earumdem clausuram seruari procurent.* quare non potest Episcopus solus circa exemptarum clausuram disponere.

Clausuræ cura ad Superiorem spectat.

Episcopi non habent authoritatē super moniales exēptas.

Quæritur primò, An concernat clausuram, aditum aliquem relinquere per quem, vel prospectus, vel egressus esse possit in clausuram?

Respondeo affirmatiuè, ex statuto, communi vsu, & visitandi praxi approbato. *Ostium, fenestram, & vllum foramen, per quod intra, vel extra clausurā prospectus esse possit, fieri, aut facta permanere nullatenus, permittant, quinimò quamprimùm obstrui districtè præcipiant.* Item, *Neque quidquā intus ædificari concedāt, nisi*

Nullus aditus debet esse in clausuram.

nisi per eos diligenter prius recognitum, necessarium esse iudicetur. Item *Arbores quascumquè ad clausuræ parietes intus, aut foris adhærentes aut nimis propinquas, euellendas procurent, implorato etiam Episcopi aut Magistratus Sæcularis (si opus fuerit) auxilio.* Item, *Portæ clausuræ, ita ex omni parte compactæ sint, & cohæreant. vt per eas nec aspectus, nec aliquid, vel minimum intromitti possit.* Omnes enim istę cautelæ ad integritatem clausurę spectant secundum magis, & minus. Vnum inter ista graue esse posset, Si foramen, aliquod, per quod ingressus pateret, relinqueretur, vel fieret, quia immediatè repugnat clausuræ; nam non est clausura, quæ non est clausa; & Superiores, ac Moniales in hoc delinquentes, grauissimè puniri debent. si quis autem faceret, vel in pariete, vel in porta foramen ad prospectum, vel ingressum, etiamsi non intraret, esset ipso facto excommunicatus; nec nisi à Summo Pontifice absolui posset, ex Clemen. 4. apud *Collectorem*, *V. Ecclesiæ Fratrum.* §. 3. & 18. & *V. Monasteria.* §. 7. qui excommunicat præsumentes infringere, aut damnabilem violentiam exercentes in Ecclesias, Monasteria, seu loca Fratrum minorum. quod priuilegium communicatum est Monialibus cum omnibus alijs, à Bonifacio Octauo, & Innocentio Quarto, apud eundem *Collectorem*, *V. Moniales.* §. 3. Et exemplariter puniendus, etiam pœna capitis, quia supremum scelus est, nisi paucitas materia excusaret.

Quęritur secundò, quæ cautela seruanda est circa collocutoria, crates, turnos, fenestellas pro excipiendis confessionibus, & S. Eucharistia miranda, portas, seu ostia Monasterij?

Respondeo de collocutorijs ita statutum. *Fenestras collocutionibus deputatas, duplici clathra ferrea, palmo saltem ad inuicem distanti, vbi iam sic munitæ non sint, quamprimum fortiter muniendas diligenter curent. Et Præterea laminentur, relictis duntaxat paruis foraminibus; ita vt vox quidem audiri possit, aspectus verò fieri nequeat, quæ autem missis audiendis constituta est, duplici item clathra, palmo saltem ab inuicem distanti munita sit. Portæ, per quas ad clausuram fit ingressus, ita ex omni parte compactæ sint, & cohęreant, vt per eas adspectus fieri, aut quidquam, vel minimum intromitti non possit. Clausuræ ostium, siuè porta, vna sit aut ad summum altera, quæ inferendis rebus, ad vsum monasterij necessarijs deseruiat.* *Collocutoria quomodo munienda.*

Fenestella ad monialium confessiones audiendas, in Ecclesia vbi commodè fieri possit; alioquin alio honesto decenti, ac tuto loco constituantur, & clathra, ac lamina ferrea, vel ænea, palmo saltem ab inuicem distantibus, cum paruis foraminibus munita sit; cui etiam tela nigri coloris, aut viridis intus, aut foris apponatur, ac ita firmiter cohæreat, vt nullatenus amoueri possit. Fenestella verò huiusmodi, latitudine sit cubito vno, altitudine autem paulò amplius.

Sacræ communionis fenestella fit in pariete, ab altero latere altaris, prout opportunius videbitur, paulò oblonga: quæ tamen altitudine medium cubitum non excedat; latitudine verò palò minor sit. Et duabus clauibus aduersis, intus, & foris claudatur; quarum vnam Confessarius asseruet, alteram monasterij præfecta custodiat.

Rotæ siuè turini, omnes fiant ex ligno nulceo, aut solidiori; quorum fenestellæ cubitum vnum altitudine nullatenus excedant; latitudine vero sint vnicarum sexdecim, & intus, & foris seris; & clauibus occludantur.

Si verò alia prȩter hæc ad clausuram reformandam, & custodiendam pertineant exactissima cura sit prouincialium, vt quoad fieri potest, integram, & absolutam executionem habeant.

Omnia

Omnia hæc statuta ad conseruandam clausuram diriguntur, & communi vsu in benè ordinatis Ecclesijs,& Religionibus obseruantur, & obseruari debent, diuersis temporibus a S. Congregatione Episcoporum ordinata, ac præcipuè in Prouincialibus Concilijs Mediolanensibus sancita reperiuntur, vt videre est apud *Gauantum in Manuali Episcoporum,V.Moniales num.6.7.8.10. 11. 12.13. & infra.Et Barbosam dicto cap.44.num.* 136.137. 138. *ac Quaranta.V. Monasteria monialium.* Vbi recenset aliquas constitutiones factas à Dominis Visitatoribus Apostolicis,& S.Congregatione Regul.pro Monialibus Neapolis,& Salerni *an.*1589.& 1592.*pag.mihi* 351.

Qualitas autem transgressionum circa ista, metienda est à materia ipsa quæ sæpissimè mortalem culpam potest admittere: & experientia docuit, quantum mali,vel negligentia circa parlatoria, vel indulgentia circa fenestellas, ac fores minus quam par sit,septas, & custoditas inducere possit.

Quæritur Tertiò,In quas pœnas incurreret Confessarius, vel Superior, vel alius quispiam,qui ad colloquendas Moniales,vel ad quemlibet furtiuum ingressum,vel egressum,aliquem, vel aliquam admitterent, vel permitterent,aut adiuuarent.

Permissio in collocutionem, & ingressum illegitimū,quale peccatū.

Respondeo Primò, quando collocutio est mortalis, consensus omnis, auxilium,& promissio eorum,quorum interest, est etiam mortalis, quia cooperantur alterius peccato,nec impediunt,cum possint, & debeant.

Respondeo Secundò, in sententia comprehendentium in bullis Pij V. & Greg.XIII.ingredientes Monasteria Monialium,non solum sub prætextu licentiarum à sede apostolica concessarum,sed etiam quomodocumquè, sine causa, & licentia,sunt excommunicati, & pœnas incurrunt *ingredi facientes, & permittentes*, vt dixit Gregor.XIII.*Vbi gratiæ.*at in alia sententia, consulentes, auxiliantes,cooperantes, vel permittentes ingressum in Monasteria Monialium, non sunt excommunicati, neq;per Concilium Trid.*sess.*25. nequè per supradictos Pontifices, quia illi solum sanciunt contra Prælatos sine necessitate ingredientes,vt Greg.XIII.*Dudùm quæ emergunt.*& *Vbi gratiæ.*& *Moniales præsumentes aliter admittere.*vbi præsumptione cessante,neq;ipsæ incurrunt, quod esset, si bona fide,vel ignoranter admitterent.

Concedere licētiam ad ingressum,si ne causa,nō inducit excommunicationem.

Respondeo Tertiò,Ingredientes clausuram monialium,per licētiam concessam,sine causis legitimis,licet peccent mortaliter,tamen pœnas iam dictas non incurrunt,quia hic casus non est compræhensus iuribus citatis, quæ tantùm sub excommunicatione prohibent Prælatis ingressum sine causa,non tamen disponunt in concedentes licentias sine causa. do Tridentinum, vltra quod, in hac parte Pontifices non sanxerunt.illud enim ait. *Ingredi autem septa Monasterij nemini liceat sine licentia Superioris,sub excōmunicationis pœna,ipso facto incurrenda,dare autem tātū Episcopus, vel Superior licentiā debet in casibus necessarijs.* & nullam addit pœnam,& ita tenuerunt *Rodrig.to.*1.*q.*47. *ar.*1.& *Sanchez dicto c.*16.*nu.* 82. quia contra *Llamas in methodo.in appendice.* §. 12. declarat verba illa Greg.XIII.*Abbatissis verò,necnon Abbatibus, et alijs Monasteriorum vtriusque sexus Superioribus, & personis quocumq;nomine vocentur, sub excommunicationis pœna &c.præcipimus &c.ne ingredi faciant, vel permittant.* De Superioribus,qui possunt,& solent diuersis nominibus appellari, non de subditis, sicuti etiam in verbo,*Conuentibus*,non compræhendi,nisi Superiores,& Cōsultores,

seu

seu maiores, quando coacto locali Capitulo, talem licentiam indulgerent, & probat ex sententia *Rodrig. citat. art. 3. & cap. Romana. de sentent. excommunicationis. in 6.* in quo prohibetur excommunicari communitatem, & conceditur, *quos culpabiles esse constiterit. Vt est Prælatus, consules, vel maiores,* inquit *Glos. & cap. dilectus. 2. & cap. veniens. de sim.* quibus deliquente conuentu in simoniaca receptione, puniri mandantur Superiores, & Officiales, quia eorum consilio res gesta fuit, vt aduertit *Gloss.* quod si non esset coactus conuentus, sed aliqui consulti maiores, tunc nec isti incurrerent, quia tunc non veniunt nomine conuentus. Addo, quod si ingredi facerent, vel permitterent supradicti, vel iubendo, vel consulendo, vel intromittendo, vel non vetando ex bona fide, & ignorantia legis, non incurrerent, quia ignorantia excusat, ab incursu censurarum, dum excludit ausum, præsumptionem, & temeritatem, vt latè probat inter alios idem *Sanchez lib. 9. de matrimon. disput. 32. à num. 37. & dicto cap. 16. num. 82. & 83.* vbi eximit igonrantiam crassam, quæ temeritas reputari possit; in his enim non placent opiniones, nec responsiones *Bonac. qu. 4. pun. 6. à num. 16. ad 20.* quia non adeò probabiles sunt, & efficaces, vt à Superiori doctrina discedamus.

Concedentes, fauentes, &c. Egressum illegitimum incidunt in pœnas.

Respondeo quartò, non solùm Moniales egredientes sine licentia legitima sunt excommunicatæ, sed etiam concedentes, comitantes, receptantesquè, in maiorem excommunicationem Pontifici reseruatam, & alias pœnas incurrunt. ita Pius V. *Decori*, non tamen consulentes, vel permittentes, quia de istis non fit mentio; nec permittentes compræhenduntur ibi, *quomodocumquè concedentes,* quasi permissio sit quædam tacita concessio iuxta *l. 7. ff. de legibus. legis virtus hæc est, imperare, vetare, permittere.* Vbi permittere pro concedere sumitur. Et cum permissio sit tacitus quidam consensus, & taciti, & expræssi idem iudicium sit, & in iure æquiparentur. *l. de quibus. num. 4. ff. de leg. speculator in Titulo de causis possess. & propriet. §. 3.* quia voluntas non minus facto, quam verbo declaratur. *dicta l. de quibus. & l. recusari. ff. de acquir. hæred. & l. si pater naturalis. ff. de adopt. l. item quia. ff. de pactis. l. qui patitur. ff. mandati.* latè *Felinus in cap. omne. de præsumpt. Tiraquell. de retractu. §. 1. gloss. 9. nu. 113. & infra. Iodocus Dambouderius in Enchiridio parium. V. Consensus tacitus.* Dico tamen nomine concessionis non venire permissionem, quia permissio non est consensus tacitus, quia potest quis permittere quod nollet euenire; & Deus permittit, & prohibet peccata, nec ea vult. Et licet aliquando inueniatur sumptum permittere, pro concedere, & è contra, vt in exemplis à *Ioann. Caluino in Lexico* adductis, & à *Brissionio;* tamen in odiosis, vbi agitur de grauissimis pœnis, nomine concessionis non venit, nec venire debet permissio; ac proinde illud, *quomodocumquè concedere*, se tenere debet ad concessionem siuè scriptam, siuè vocalem, siuè tacitam, siuè expræssam; & compræhendit quemcumque consensum ad hoc voluntarium, non tamen permissionem, quæ non est consensus in rem, sed negatio prohibitionis, ac impedimenti.

Permissio est tacita concessio.

Taciti, expræssiquè idē est iudicium.

Officiales monasterij à Superiore probandi.

Dico sextò, *Monasterijs Protectores, Procuratores, Medici, Conductores, Factores, Exactores, Scriptores, & Seruitores, tam viri, quàm Mulieres, quibus Monasteria indigent, non debent assumi nisi antea à Superiore approbentur.* ita statutum, & vsus S. Congregationis Episcoporū, ac etiam Conciliorum decretis firmata, apud *Gauantum. V. Monialium cura in temporal. num. 13. 16. 17.* Et ratio

est, quia cura Monasteriorum, & bonorum temporalium ad illa spectantium, ac ingressus in illa immediatè spectat ad Superiores ordinarios ex *Concil. Trid. sess. 25. cap. 5. & 9. de regul.* Vnde sequitur, quod ad eosdem etiam spectet approbatio, Ministrorum, Officialium, & inseruientium illius; ne per inutiles, malos, & suspectos, Monialium bona, & negotia administrentur.

Bona monialium à superiore inuentarientur.

Quæritur Primo, cui competat facere inuentaria, & registra bonorum monialium?

Respondeo, *Bona immobilia quæcumquè Monialium nostrarum, Prouinciales diligenter recognoscant, & in publicum Inuentarium, probabili forma conscribendum, referant, in archiuio prouinciali, perpetuò asseruandum, vt fraudibus quibuscumquè perpetuis futuris tempori bus opportunè prospiciatur.* ita statutum ordinis. itaq; ad Prouinciales spectat; quia cui conceditur cura, conceduntur etiam quæ curæ conducunt, iuxta *Axioma 156. num. 3. Barbos. Necessaria omnia ad vnum conceduntur, cui illud vnum conceditur.* quod multis probat:& fundatur in iure naturæ, *concesso fine, conceduntur media.* ergo concessa cura monialium, conceditur, quod fiant Inuentaria, regesta, instrumenta &c. Huic accedit aliud simile statutum. *Si qua in posterum bonorum accessio, vel emptionis vel obuentionis, vel census legitimi perpetui, aut annui facta fuerit, de ea re mox Prouincialis admoneatur, vt eius iussu, accessio in inuentarium referatur.*

Superior nō habet ius proprietatis in bona monialium.

Quæritur Secundo, Quo iure Prouinciales se possunt ingerere in administrationem bonorum monialium; & an moniales possunt facere contractus in consultis Superioribus?

Respōdeo primo, Nec iure dispositiuo, nec proprietario, Quia non est pars conuentus monialium, apud quem residet proprietas in communi, & minori, quam habeat Prouincialis, vel Generalis religionis possidentis bona in cōmuni; quia iste est pars, vel caput naturale suæ prouinciæ; ille autem adscititium, & veluti per commendationē, & solum iure directiuo, quatenus moniales subduntur Prouinciali, & illarum curam suscepit, quam etiam potest abijcere. & iam initio huius tractatus de monialibus retulimus contentionem ordinis aduersus moniales, ad quarum seruitium ex gratia, & sine obligatione consensit. Non igitur de bonis monialium potest disponere, sed solùm vtilitatibus eorum debet intendere: Vnde contractus fiunt nomine Monasterij, & monialiū, non Prouincialis, & ordinis: & illæ obligantur, &c. qua ratione in contractibus minorum, & mulierū, interuenit consensus tutoris, & iudicis, ac consanguineorū, qui non habent ius in bona illorū nisi qualificatiuum, ac legitimatiuum contractus, ac prospectiuum, ne fiat in damnum pupillorum, & mulierum.

Contractus bonorū monialium factus sine cōsensu superioris est nullus.

Respondeo Secundò Contractus factus à monialibus circa bona immobilia, sine consensu Superioris est nullus. ita *Rod. tom. 1. qu. 27. art. 8. Portel. V. alienatio bonarum. num. 1. & V. Moniales, num. 18.* Ratio est, quia moniales cum subiaceant Superioribus, non habent velle, nec nolle; & ideò defectuosus est ex parte consensus inualidi. qua in re *Rodrig. citatus art. 2. circa finem*, adducit concessiones Leonis X. & Gregor. XIII. factas monialibus S. Augustini, & S. Dominici, bona mobilia permutandi, vendendi, ac alienandi, cōuertendo pretium in vtilitatē Monasteriorum. *de consensu tamen Ministrorum prouincialium, ac maioris partis conuentuum, &c.* quare cū hæc sit solemnitas requisita, tanquā forma contractus; ea deficiente, erit nullus, & nunc vltra assensum Superiorum

riorum requiritur licentia expræſſa S.Congregationis Concilij, per eiuſdem decretum,factum 7.Septembris 1624. & à Sanctiſſimo D.N. Vrbano VIII. approbatnm, ſub pœnis in conſtitutione Pauli 2. *Ambitioſæ*,& priuationis vocis, ac inhabilitatis in poſterum.

Hinc aliud ſtatutum factum fuit *Recognoſcant bonorum immobilium locationes, quaſcumq;& ſi quas inuenerint,ſine legitima Superioris facultate factas,eas omnes, adhibito peritorum conſilio,& Monaſterij Procuratoribus, vel syndicis,confirment, aut diſſoluant,prout conſcientia dictauerit*.& quod clarius eſt. *In poſterum verò locationes eiuſmodi nullatenus fiant ſine Superioris authoritate, ac etiam ipſius interuentu, vel alterius quem ipſe ſpecialiter delegauerit; & quæcumque poſt hac aliter factæ,ipſo iure ſint nullæ,quæ ſecus fecerint vel ſcienter fieri permiſerint, Monaſteriorum Præfectæ,& moniales quæcumq;omni officio, ſuffragiorum iure priuentur, Superiorum arbitrio, ſub quibus pœnis, alienatio omnis ſine legitima facultate fieri prohibetur:& ſi ſecus fieri contigerit,ſit irritum,& inane* contra quas alienationis currit diſpoſitio iuris communis,quæ ad vnguem ſeruari debet, vt in prædicto decreto determinatum fuit.

Quæritur Tertiò,ad quem ſpectat inſpicere rationes adminiſtrationis bonorum monialium?

Bonorum adminiſtrationis rationes Superiores exigāt. Ac etiam Epiſcopi.

Reſpondeo per ſtatutum ſequens:*Monaſteriorum Præfectæ,& alii ipſorum bonorum adminiſtratores,accepti,& expenſi Superioribus,aut ijs,quos ipſi ad hoc delegauerint, ſingulis anni rationem reddere teneantur.*Addidit Greg.*XV.Inſcrutabili Dei.an. 1622. non. Feb.ſed & adminiſtrantes bona, ad huiuſmodi Monaſteria ſanctimonialium,vt prefertur,etiam Regularibus ſubiectarum, pertinentia,ſiuè Regulares extiterint,ſiuè ſæculares quomodolibet exempti, Epiſcopo loci, adhibitis etiam Superioribus regularibus, ſingulis annis, rationes adminiſtrationis, gratis exigendas, reddere teneantur: ad idquè iuris remedijs cogi, & compelli queant.*

Circa quæ verba dubitatur Primò,An Prælatus,qui contractibus interfuit, & conſenſit,& multa fieri præcepit circa clauſuram,Eccleſiam,& alia Monaſterij loca,expenſis Monaſterij,veniat ſub appellatione adminiſtratoris,itaut Epiſcopo ſiſti debeat ad rationes reddendas?

Reſpondeo negatiuè, Quia Prælatus non eſt adminiſtrator, ſed Superior, adminiſtratores deſtinans;& collega Epiſcopi ad has rationes reddendas.ibi,*adhibitis etiam Superioribus regularibus.*

Dubitatur Secundò,An Adminiſtratores iniuſſi,& ſponte tales rationes reddere teneantur?

Reddere quādo tenetur iniuſſus.

Reſpondeo negatiuè,Quia verbum,*reddere*, eſt relatiuum Verbo,*petere*, vbi aliud lege non caueatur,& iure diuino non conſtet; vt in furto commodato &c. ſic vxor tenetur reddere debitum,ſed petenti,& ſeruus officia,ſed iuſſus,vt videri poteſt in *l.41.§.Titius.ff.de fide comm.libert.*quæ tota ferè lex de conditione reddendarum rationum tractat, & *l.89.ff.de verb.ſignif.*dicitur. *Inter edere, & reddere rationes, multum intereſt:nec is qui edere iuſsus ſit,reliquum reddere debet.* & *l.66.§.ſeruus.ff.de euictionibus* dicitur. *Reddere verò iuſſus hoc amplius,eam pecuniam,quæ ex reliquis colligitur, reddere cogitur.*& multa alia iura, quæ connectunt iuſſionem reddendis rationibus, & patet ex §.*ad idque iuris remedijs cogi poſſint*,quæ non adhibentur contra non citatos.

Dubitatur Tertio an non vocatis Superioribus regularibus, Episcopus ad hoc procedere potest?

Episcopus nõ potest rationes exigere, non citatis superioribus.

Respondeo negatiuè, ex §. *adhibitis etiam, &c.* quæ particula implicat, & exprimit maiora expressis, maximè cum simus in materia odiosa, quæ præripit ordinariam iurisdictionem Superioribus regularibus: vt fusissimè *Barbos. dict.* 112. *per totum.* quare, non vocatis Superioribus, administratores non tenentur reddere rationes; nec contra illos potest per iuris remedia Episcopus procedere, quia Superiores non adhibentur vt testes, sed vt collegæ, seu assessores: & cum non distinguat constitutio, Superiores regulares in causis ad se spectantibus, stant tanquam Superiores.

Dubitatur Quartò, an redditis rationibus Episcopo, teneantur administratores, illas denuo reddere Prælatis regularibus?

Potest Superior non conuenire corã episcopo pro his rationibus reddendis.

Respondeo affirmatiuè, quia functio Episcopi non tollit ius ordinarium; & sic est nouũ onus impositũ administratoribus, nõ facultas dempta Prælatis &c.

Dubitatur Quintò, An Superiores regulares teneantur conuenire coram Episcopo ad audiendas istas rationes, ita Episcopus per censuras eos cogere possit?

Respondeo negatiuè, non enim dicit, *iussis*, sed, *adhibitis*; sicuti dicimus adhibitis testibus, qui tamen cogi non possunt, sed rogantur. Preterquamquod cum sit ius fauorabile Superiorum regularium, & odiosum Episcopis, illi possunt renunciare iuri suo, maximè si ipsi tales rationes viderint &c.

Dubitatur Sextò. an cognita fraude, possit Episcopus contra Administratores procedere ad punitionem &c.

Episcopus potest cõtra administratores procedere.

Respondeo affirmatiuè, per verba eiusdem cõstitutionis. *Ad hæc tam seculares, quàm regulares nullis priuilegijs se tueri possint, quòminus si deliquerint circa personas intra sæpta degentes, aut circa clausuram, vel circa bonorum administrationem, &c. ab Episcopo loci, similiter tanquam sedis apostolicæ delegato, quoties, & quando opus fuerit, puniri, & corrigi valeant.*

De dotibus, & bonis moniales disponere non possunt sine cõsensu prelati.

Dico Septimò de dotibus, prouentibus, & alijs bonis acquisitis, moniales disponere non possunt sine consensu Prelatorum; Probatur per statuta ordinis. *Pecuniæ quæcumq; ex dote, vel relictæ redditūum, aut legatis, aut redemptione, ac alia quacumq; causa Monasterijs aduenientes, vsibus, etiam instaurandę clausuræ, Superioribus inconsultis applicari non possint; sed ex eis bona stabilia, vel redditus, aut census legitimi comparentur.*

Queritur Primo, quo titulo cohonestantur dotes, quæ monialibus ad monachatum traduntur.

Dotes sustentationis titulo cohonestantur.

Respondeo cohonosteri sustentationis titulo quæ omnem simoniam excludit. S. *Thomas 2.2.q.100. Ar. 3. ad 4. cum Caietano, & in sum. V. excommunicatio, c. 73. S. Anton. 2. p. tit. 1. casu 15. §. 8 Victoria p. 2. relect. de simon. q. 15. Ang. de sim. ver. 4. Nauar. de reddit. Eccl. q. 1. monito 62. & in manual. c. 17. n. 106. Lessius lib. 2. c. 35. dub. 12. asser. 3. Binsfeldius in c. 9. de sim. q. 1. con. 2. Philiarchus de off. sacerd. tom. 2. lib. 6. capit. 7. Mir. quæst. 8. de monial. ar. 7. con. 1. Rodrig. tom. 2. quæst. 48. ar. 1. Scotus de Iust. quæst. 6. ar. 2. Suar. tom. 1. de relig. lib. 4. c. 17. num. 16. Portel. V. Monial. num. 19. in addit. Compendium priuil. mendic. numer. 31. & vlt.* Qui ita declarasse Clementem Septimum affirmat. Ratio est, quia sicuti datur dos in matrimonio carnali, non propter Sacramentum, sed ad sustẽtationem coniugis

ita

ita datur dos in monachatu, non propter monachatum, sed propter sustentationem monialis. Quæ ratio debilis quidem est; tùm quia idem dici posset de professione virorum, quæ matrimonium etiam spirituale est, & de consecratione Episcoporum, qui desponsantur Ecclesijs. Tùm quia *capit. quoniam, de simonia*, hæc ratio refutatur, ibi. *paupertatis prætextu volentes huiusmodi vitium palliare*. Saltem, si valet declaratio eorum, qui simoniam iuxta hoc capitulum committere aiunt, quando sub prætextu paupertatis recipiunt, cum tamen Monasterium erit diues. Et in hunc sensum subscribunt *Layman lib. 4. tract. 10. cap. vltimo*, §. 4. *num. 39.* non solùm ex citato *capitulo quoniam*, sed etiam ex *cap. non satis. cap. veniens ad nos. S. Thom. 4. d. 20. quæst. 3. art. 2. quæst. 2. ad 7.* dicens. *si sine grauamine possit recipi Nouitius simoniacum est, aliquid exigere. Victor. & Caiet. citati. Rosella, V. simonia. 5. num. 1. Armilla eod. num. 5. Lexius, Suarez, & alij apud ipsum.* Attamen persistendo in allata ratione, cum deceat Moniales sufficientes redditus habere, ad tollendam vagationem; & simonia ista sit inducta ex iure positio; quod ex contraria consuetudine, & concessionibus Summorum Pontificum ex testimonio *S. Anton. par. 3. titul. 24. cap. 67. Sil. V. Excommunicatio 7. Nauar. cap. 27. num. 106. citato*. abrogata iam est; tuta conscientia possunt fieri pactiones, conuentiones, & exactiones dotium, dummodo præcisè, & formaliter non intendatur recipere tales dotes ob professionem, vel ingressum; vel si reciperetur inhabilis propter spem habēdi aliquid; quia vt declarauit Innocen. 8. committeretur vera simonia, sicut etiamsi reciperetur puella vilis conditionis, vel maculati generis, vel satis deformis, quæ aliàs non reciperetur, nisi propter dotem, vel cum dote abundantiore, vt docet cum *Rodrig. tom. 2 quæst. 48. art. 2. Hieronym. Roder. resolut. 54. n. 2. & 3.* Nec opulentia Monasterij obsicere debet, quia, sicut non obsicit beneficiato diuiti, quin possit pro seruitio, & celebratione recipere pecuniam, & redditus, ita neque impedire debet, quin Moniales soluant dotem pro sustentatione, etiamsi conuentus sit diues.

Quæritur secundò, qua ratione possunt Moniales habere census aliquos seu redditus vitalitios, & supra dotes?

Quo iure moniales possunt habere census.

Respondeo non iure proprio, sed Monasterij, cui acquirunt. Quia ex voto paupertatis proprium habere non possunt. *cap. cum ad monasterium. de stat. monac. Tridentin. sess. 25. cap. 2. de regul. Nemini Regularium, tam virorum, quam mulierum liceat bona immobilia, vel mobilia, etiam quouis modo ab eis acquisita, tanquam propria aut etiam nomine conuentus possidere, sed statim ea Superiori tradantur, conuētuiquè incorporentur.* Et refertur declaratio S. Congregationis Concilij *Moniales tanquam proprium possidere nihil possunt, etiam de eo, quod suis manibus laborando acquirunt, vel eis à parentibus donatur, etiam hoc posito, quod monasterium esset pauperrimum.* Et hac ratione iustificantur statuta ordinis, sequentia, *Redditus vltra dotes, monasterijs assignatas nonnullis monialibus siuè in perpetuum siuè earum vita durante obuenientes, sicut monasterijs acquisiti sunt, & esse intelliguntur, monasterijs ipsis, super eorum exactione actio competit. Idcirco monasteriorum Præfecta, absquè alia monialium cessione, virtute contractuum, cum ipsis monialibus actorum, nomine monasterij illos exigere curent: Hoc enim decreto declaramus omnes actiones huiusmodi monasterio adquisitas esse, & pro acquisitis intelligi debere.*

Exacti autem in necessitates monialium, & earum maximè, quarum sunt (nisi

Sanctæ paupertatis votum obstet) expendantur. Moniales autem in illorum exactione, nullatenus se intromittant, sed Monasterij Præfectæ, quamprimum fideliter denuncient: si qua secùs fecerit, veluti proprietaria puniatur.

Eleemosynæ, munera, fructus, pretia laborum, legata, &c. Quæ testamento, vel donatione in aliquam monialium deuenerint, in commune Monasterij commodum conferantur.

Omnia hæc statuta in vno paupertatis voto fundantur, quod præscriptionem contrariam non suscipit, nec abusibus conuelli potest. Quare omninò peccant mortaliter Moniales, quæ aliquid sibi tanquam proprium tenent, vel reputant. Et cum illis seruandi sunt, omnes rigores, qui in omnibus alijs regularibus seruantur, circa votum paupertatis.

Huc spectant sequentia. *Nulla sit, quæ denarios extra communem eleemosynarum capsulam, neque in ea, vt proprios habeat, vel quidquam aliud, vt proprium possideat.*

Omnis pecunia quocumquè modo aduenien, Præfectæ fideliter ab omnibus consignetur, atquè in communi eleemosynarum capsula conseruetur; quæ tuto loco posita, duabus clauibus diuersis, clausa sit, quarum vnam Præfecta custodiat, alteram verò vna ex matribus discretis, per Capitulum eligenda conseruet; Et aperiri nequeat, atquè ex ea pecunia extrahi possit, nisi ob causam necessariam, communi matrum iudicio probatam.

Liceat tamen Præfectæ de matrum consilio paucos nummos, aliquam apud sororem probatam asseruare, ob quotidianos vsus.

Nulli monialium quidquam vendere, vel emere liceat, nisi cum licentia præfectæ, sub pœna proprietatis arbitrio Præfectę, vel Superioris.

Monasterij quidquam nemini, nisi minimum sit, & cum communi consensu, vel licentia, dono detur.

A muneribus tùm dandis, tùm recipiendis omnes abstineant, nisi aliqua ratione Prefecta secus indicauerit, sub pœnis proprietatis, &c.

Circa quæ statuta, præter ea, quæ de paupertate, & proprietate alibi disputata sunt.

Datum pro causa, ea nō subsistente, cessat.

Dubitatur primò, An super collatas eleemosynas, & supra dotes, seu census vitalitios, saltem quoad vsum, habeat peculiarem aliquam rationem Monialis illa, cui à suis assignatæ sunt, ita vt contra iustitiam fiat, si necessitatibus aliarum Monialium applicentur. Videtur enim esse contra iustitiam, quia consanguinei non dedissent, nec darent tales redditus vltra dotes, si alijs vsui futuros scirent. Et certum est, datum pro causa præcisa, ea non subsistente non censeri datum; atquè adeò expendi contra voluntatem dominorum. Et cessat ratio, non adimpleta conditione. Vt *l. 1. ff. de condit. causa data. Calder. cons. 56. num. 2. Federic. de Senis cons. 164. Mandel. cons. 77. n. 28. Gemin. cons. 96. num. 9. Bellon. cons. 30. Tuscus tom. 1. cons. 137. lit. C.* Quia præsumi debet Monialis coniunctæ necessitatem, non solùm esse coniuncto causam impulsiuam dandi talem redditum, sed etiam finalem; Quia non intendit donare monasterio intuitu coniunctæ, sed præcisè donare suę coniunctæ, aliàs non donasset nec donaret: At ita cessare voluntarium in eleemosyna, in voto, & in alijs actionibus, docet *Naldus, V. Velle. num 1. citans Vasquez tom. 1. disputat. 30. quæst. 7. cap. 4. fin. Sanchez in decal. libr. 4. cap. 2. numer. 6. Gabrielium communium concl. lib. 6. de regul. iur. conc. 10.*

Si

Si enim donatarius habet voluntatem non aliter donandi, donatio esset nulla?

Respondeo quando hoc constet, Præfecta non potest applicare eleemosynam necessitatibus aliarum Monialium, secùs si non constaret. Cum hoc tamen stat, quod Monialis nullam habeat, super illa eleemosyna, vel reddictu, iurisdictionem quia votum paupertatis ius omne illi ademptsit. Verum enim vero, constituta in necessitate æquali hac moniali, & altera, hæc præferenda est, ratione fidelitatis in dispensatione eleemosynæ. Ideo rationabiliter dicit statutum, *et illarum maximè quarum sunt*. Sunt inquam, secundum intentionem dantis, non secundum ius religiosi status. Pręterquamquod, violata fide publica, retraherentur consanguinei à talibus donis, quæ in omni casu cedunt in vtilitatem Monastetij. *Datum pro hac moniali, & nō pro alia, alijs applicari non potest.*

Dubitatur secundò, quantum temporis importet illud, *Quamprimum denunctient Præfectæ?*

Respondeo in magnis importat spatium trium mensium; duorum in paruis, Vt dicunt *Albertus, & Speculator apud Barbos. dict. 302. & dicitur in l. in fraudem. §. Fiscalibus. ff. de iure fisci.* Secundum quam doctrinam Carthusiani *par. 2 statut. cap. 19. num. 12.* statutum vt eorum Monachi exponant, quæ habent suis Prælatis. *Laici à festo Circumcisionis, vsquè ad quinquagesimam, & Clerici vsquè ad dominicam in Ramis, & qui aliquid vltra valorem trium paruorum turonensium solidorum, monetæ vsualis simul, vel per partis, animo occultandi retinuerint, vel sine dictorum Superiorum licentiam aliquid donauerint, &c. Sententiam excomunicationis incurrant.* Hic tamen terminus non respicit culpam, sed pœnam, quia ante illum iam peccarent, qui suo Priori denarios non reuelarent. Constitutiones *Alexandrinæ c. 4. Mandat capitulum generale, vt singuli suas eleemosynas suo manifestent Guardiano, infra spatium octo dierum, postquam præsentiam Guardiani habuerint: Et qui contrarium fecerit pœna proprietarij puniatur.* Cautiùs processerunt *Vrbanæ constitutiones* Patrum Conuentualium, quia in *cap. 4. Regulæ, tit. 8. nu. 4.* decernunt. *Præcipitur, vt Fratres omnes intra viginti quatuor horarum spatium pecunias omnes quomodolibet acquisitas, Superiori tradere, & consignare teneantur.* Quod decreuerat S. Congregatio Visitationis Apostolicę. *ibid. tit. 1. n. 2.* Ex Schola autem S. P. Augustini. Prædicatores *distinct. 1. cap. 14. pag. 52. In Capitulis Romæ, & Valentiæ, alijsquè sæpiùs sanctè statutum fuit, vt qui pecunias vndecumque habuerint, tenantur eas sub pœnis, proprietarijs debitis, infra terminum viginti quatuor horarum suo Prelato præsentare.* Congregatio Santi Saluatoris, *cap. 24. num. 12. Vel retinuerint pœnes se aliquam quantitatem pecuniarum vltra diem naturalem, grauem culpam committunt.* Eremitæ Santi Augustini. *par. 6. cap. 9. Præcipimus in virtute spiritus Sancti, ac salutaris obedientiæ, vt si pecuniæ alicui Fratri, intuitu priuatæ personæ ab aliquo donatæ fuerint, Superiori exhibeantur infra viginti quatuor horarum spatium à receptione earum, vel à reuersione Fratris in conuentum.* Patres redemptionis, *dist. 1. cap. 20. Sub excomunicationis maioris pœna sancimus, vt si quid alicui Fratri donatum fuerit, intra spatium viginti quatuor horarum Prælato proprio manifestet, vt in communi deposito custodiatur.* Ex quibus varia Religionum obseruantia consideranda est, & cum specialem legem non habeamus, puto rationabiliori, consuetudini adhærendum, quam vnius diei naturalis iudicio. itaque peccare mortaliter censeo, si intra 24. horas eleemosynas non reuelen (Remotis impedimentis, &c.) Ac considerato, quod si ab initio decreuissent non reuelare iam consummatum esset peccatum. *Quam primū quid importat.*

Pęnas autem proprietariorum eas non mereri affirmo, quia etiam in fulminandis excommunicationibus,tale spatium saltem conceditur.

De ærario. Dubitatur tertiò, An sit perfecta obseruantia paupertatis, tenere pecuniam intra commune ærarium, sed cum tanta securitate, & confidentia, vt quoties, & quando voluerit monialis illam extrahere possit;& quod ita ibi pro tali moniali,vel quocumque alio Regulari asseruetur, vt in alios vsus, nec Superior ipse appllicare possit eandem,Vt de facto sancitum fuit pro Conuentualibus Fräciscanis per Vrbanas Constitutiones *cap.24.tit.9.num.5.*vbi hæc habentur.*Hæc autem redditüum, seu eleemosynarum portio, pro Fratrum prædictorum necessitatibus applicata,quolibet anno,tempore congruo,ab eodem Capitulo statuendo, si in pecunijs non fuerit, ad pecunias redigatur , quę in commune conuentus depositum inferantur;ac tali lege custodiantur,vt nemini ex Superioribus,neque Guardiano , aut Prouinciali,vel Visitatoribus, nec etiam Ministro ipsi Generali, aut Conuentus eiusdem Capitulo, nisi pro præfatis necessitatibus reparandis, eas vllo modo impendere liceat :* Apposita priuatione officiorum , & inhabilitate imposterum.Si enim paupertas Minorica excludit securitatem moralem,& physicam, & includit incertitudinem mendicationis,in diuina prouisione fundatam, vt multis probat *Corduba q.12.in cap.6.reg.* Quod saltem saluari debet in particulari, licet, in habentibus bona immobilia in communi,seruari non possit,non apparet quomodo tale depositum sit iustificabile.

Respondeo tamen,hanc moralem securitatem (dummodo proprietas exulet ab affectu)non infringere votum paupertatis. Tum quia Moniales, & Religiosi habentes proprium in communi,non dicuntur paupertatis fractores,quia talia bona in cõmuni possideãt,quibus plus confidunt,quàm in acquisitis ab ipsis Eleemosinis,Tũ quia cautela de nõ extrahendis,& expendendis Eleemosinis particulariũ non pẽdet a deponente illas, sed à Religione. Et sicuti multa sãcita sunt circa alienationem bonorum Ecclesiasticorum,ita multa sanciri possunt circa expensiones Eleemosinarum particularium, quas, non particularis Religiosus sibi applicat, vel sibi deponit, sed ab ipso acquisitas , deponi vult , & applicat ipsa religio,cuius sunt;quia quidquid acquirit Monachus,acquirit Monasterio. Mendicitas autem illa, & incertitudo mendicationis tangit obseruantes,& Cappuccinos, qui in communi propriũm habere non possunt.hinc Conuentuales,cellaria,vineas,redditus,& id alia tuta conscientia possident. Adde, quod etiam in obseruantibus regulam iuxta suum nitorem , non obficit, si pro necessarijs recurrerent ad aliquem certò scirent sibi Eleemosinas erogaturum hæc enim certitudo paupertatem in particulari non tollit. Tandem hic modus ærarij confirmatus est,vt licitus à S.Congregatione Visitationis Apostolicæ,vt in ijsdem constitutiónibus refertur ; & ipsæmet constitutiones confirmatæ fuere à Sanctissimo D.N.Vrbano VIII .de certa scientia,& post maturam illarum discussionem.

Dubitatur Quartò. An forma illa clauium diuersarum,& extractio pecuniæ coram destinatis personis,obliget sub mortali?

Diuersitas clauium ærarij obligat grauiter. Respondeo affirmatiuè. Quia respicit materiam notabilem , concernit famam officialium,qui aliud operantes, infamiam furti induunt, & est remedium adhibitum ad liberam depositionem pecuniarum. secus quilibet timere posset Superioris, & officialium fraudem ; & rationabiliter pecunias apud se retine-

retinere pro suis necessitatibus expendendas.

Dubitatur Quintò, si in aliquo Monasterio, vel conuentu non esset executioni mandatum ęrarium: vel experimento compertum esset, pecunias non applicari necessitatibus deponentis, An Regulares, & Moniales possent apud se partas pecunias retinere, non obstante statuto &c.

Respondeo cum statuta ad mortale non obligent, nisi dum concernunt vota, vel præcepta in materia graui; si in his casibus saluari potest obseruantia regulę, non peccarent aliter facientes, quia non spectat ad particulares subditos instituere ęrarium, sed ad Prælatos; illi siquidem suæ obligationi respondent, cum pecunias in capsula, & ęraria deponunt. quare tota culpa est Prælatorum, & sunt rei transgressionis paupertatis, si serio non obseruant ista statuta, quæ sunt de iure diuino, concernentia vota, & humano, in *cap.2.& cap. cum ad Monasterium. de stat. Mon. & Trid. sess. 25. cap. 2. de regul.* & in decretis Clemen. 8. iam supra citatis. In quo peccarent etiam mortaliter subditi, si per ipsos staret quin tale commune depositum non mandaretur exeqeutioni, vt multoties accidit, quod propter duritiem cordis Subditorum, Pręlati sanctas ordinationes non exequuntur: in hoc casu, tenerentur saltem Subditi, & subditæ reuelare Prælatis, quas possident pecunias, vt eas ab ipsorum voluntate dependenter possiderent. Cum igitur nullum sit ærarium, non tenentur pecunias in illud deponere. *Peccāt grauiter superiores nō deputātes ęrarium & subditi non deponentes pecunias.*

Respondeo secundò, facta experientia, quod eleemosinæ particularium à Prælatis, vel alijs fraudarentur, & in subditis essent verę necessitates, vel præsentes, vel imminentes, quibus postea alia via remedium adhibere non possent, nec iuuaret easdem intimare Prælatis; præualente iure naturę, non tenerentur illas consignare deposito, iuxta alibi disputata de voto paupertatis, & tradita per *Sanch. tom. 2. in decal. lib. 7. cap. 19. n. 54.* Cum alijs quos citat. Verum tamen est quod non sufficeret vna, aut altera experientia, sed esset necessaria multiplicata eaquè insinuata Pręlatis ad emendationem, quia non omnes Superiores locales sunt eiusdem conditionis. Nec debemus ob leues causas transgredi votum paupertatis, quod æqualiter omnes obligat in particulari. Et sedulò Prouincialibus, Visitatoribus, & Generalibus inculcari debet à Subditis, quatenus eisdem commoditatem obseruandi regulam, & necessitatibus obuiandi ministrent. Nec ex vno, aut altero experimēto colligi debent, maximę, & regulę generales; Quia si necessariæ diligentię omittuntur, à mortali culpa eos non eximerem. *Nisi esset periculum, illas pro suis necessitatibus, non habituros.*

Dubitatur sextò, ad quantam summam ascendere possunt pauci nummi, quos asseruari facere potest Præfecta ad quotidianos vsus?

Respondeo, certa summa determinari non potest, cum ea ad cōuentuum magnitudinem mensuranda sit, & moraliter extimāda, non quidem respectu vnius diei, esset enim tediosa occupatio, si quotidiè conuocandę essent matres ad extractionem pecuniæ, sed multorum, puta vnius, aut alterius septimanæ, vel etiam mensis: Respectu siquidem duodecim mensium, vnus parua pars est; Maximè si agatur (vt agitur) non de emptione vini, tritici, olei in magna quātitate, sed rerum minutiorum, in quibus parua summa pecuniæ, quinquè, vel octo aureorum consumi poterit. standum tandem erit consuetudini rationabili, quæ legi violentiam non inferat. Hinc in primo Concilio Prouinciali Mediolanensi apud *Gauantum, V. Monialium Officiales. num.* 30. dæcretum fuit. *Singulis tribus men-*

mensibus ad Capitulum referat summariè rationes dati, & accepti; quotannis autem Superiori, & deputatis.

Dubitatur septimò, de munusculis datis, vel acceptis a Monialibus quid sentiendum?

De munusculis monialium. Respondeo, Annuente Clemen.8. 2.Iulij, ann. 1589. pro Monialibus Neapolis, & vicinarum ciuitatum decretum fuit. *Neque vllius generis bellaria, edulia, esculenta, ientacula, offellas, confectiones, & siruppata, vel alia similia, quecumquè conficiant, aut coquant, & illa venditent, donent, aut largiantur, nisi de licentia Abbatissæ, & de rebus modicæ impensæ, & in consanguineos tantū.* Ita apud *Quaranta, V. Monasteria Monial. pag. mihi* 352. In hac re certum est. Primò, sufficere licentiam tacitam Abbatissæ, quæ videns, & non contradicens, censetur consentire. Secundò, excusare paruitatē materiæ à peccato mortali. Tertiò, non esse peccatum mortale si donet, vt acquirat, vel vt beneficia, vel dona compenset. Quia potius est negotiatio, quàm donatio. Quartò, materiam grauē in his munusculis eandē esse, cū alijs regularibus, de qua dictū est supra. Quintò, donata ob priuatas, & minus castas amicitias, nulla licentia cohonestantur, & peccatur mortaliter, si materia sit notabilis. Sextò, donare sine licentia tacita, vel expræssa, & quod peius esset, contradicente, & prohibente Præfecta, graue peccatum est iuxta quantitatem muneris. Septimò, licet ista doctrina vera sit tam quoad Sæculares, quam regulares, attamen circa Confessarios extant particulares prohibitiones. 29 enim *Nouembr. ann.* 1605. vetuit S. Congregatio Episc. dari confessarijs aliud quidpiam siuè communiter, siuè priuatim, vltra solitas mercedes. apud *Gauant. citat. V. Monialium cura. n.*39. *& Quaranta supra. num.*11. Nisi seruiant cum magna charitate, assiduitate, & patientia, subiungit *Dian. Tract. de Pauper. Regul. resolution.* 17 *cum Scortia, A Sancto Fausto, Berto, &c.* Tunc enim est beneficij remuneratio, non donatio. Et idem dicendum censeo de Concionatore, vel alio, obsequijs, vel seruitijs Monialium destinato. Octauò, quando ob grauitatem materiæ secundum bullam Clemen. 8. *de largitione munerum,* de iure requiritur consensus Monasterij pro donatione aliqua, sufficit etiam tacitus, dum scilicet Moniales videant, & permittant. Nec requiritur, quod debeat dari nomine totius Monasterij, cum constet donata nomine particularis monialis, cedere in totius monasterij vtilitatem, & cōmodum; quia cum ipsa sit pars Monasterij, & illi acquirat, siuè per recepta dona, siuè per recipienda beneficia, perinde est, ac si communitatis nomine largiatur: Maximè vbi consuetudo constanter perseueret huiusmodi munuscula donari; Aliàs non esset licitum: & in hunc sensum allatū statutū loquitur. *A munerib. tùm dādis, tùm recipiendis omnes abstineant, nisi Præfecta secus iudicauerit.* Agit enim de muneribus largiendis à particularibus, quæ non semper cohonestare possunt donum, titulo communitatis.

Confessarij a munusculis abstineāt.

Reddere rationem bonorum monasterijs spectat ad præfectam, &c. Quæritur tertiò, quis administrationis bonorum Monasterij rationes reddere tenetur?

Respondeo, præter cæteros administratores de quibus supra, *De omnibus acceptis, & expensis, Præfecta Monasterij, in Capitulo, Monialibus sæpè congregatis, ac item Superiori, bis, aut semel quotannis rationem reddat. Contrauenient grauiter, arbitrio Superioris puniatur.* ita statutum ordinis.

De hac rationū redditione, quoad Regulares disposuit Clem. 8. *de refor. eorum-*

*rumdem, num.*13.*Cæterùm hi tres,tam impensi,quam accepti singulis mensibus,Superiori locali,adhibitis etiam duobus, vel tribus Fratribus probatioribus rerumquę vsu peritis rationem reddant:deinde Generali,& Capitulo generali, &c.*& licet hæc decreta Moniales non tangant,iuuant tamen in eadem materia. Vnde puto has rationes reddendas,vel singulis mensibus,vel singulo trimestri,vt ex Clemen.eodem quoad Moniales Neapolitanas supra citauimus.

Quod statutum, si absit contemptus, & fraudis,aut confusionis suspicio,obligare censeo sicut alia statuta.

Quæritur quartò, Cui competat,prouisiones pro Monialibus,& alijs Monasterij officialibus facere?

Respondeo, *Ex bonis Monasterij,Præfecta omnibus æquè prouidere studeat tanquam communis mater. Quod si non præstiterit, aut quauis occasione neglexerit, Superiori arbitrio coerceatur, vel suspendatur officio, vel priuetur.* Ita statutum. & ratio est, quia Abbatissa habet liberam administrationem bonorum sui Monasterij,ea fermè ratione,qua Abbas,vt probat *Rodrig.tom.1.qu.12.art.2. vbi citat Baldum in cap.in principio.col.6.qui feudum dare possunt. Et Iason.ibid.num.6.Abbatem in cap 2.de his quæ fiunt à prælato.Cuccum.lib.3.maiorũ instit.lib.3.de Abb. & Sanchez lib.7.in decal.cap.19.num.44.*qui eodem citat, *& Decium Reg. fœminæ.num.8.ff.de regul.iur.& cap.cum dilecta.de Confirmatione vtili. Et Cardinalem consil.17.n.5.& Nauar.comm.3. de regul.n.4.Lezana tom.1.cap.26.num.8.&cap.18.num.13.vbi citat Victoriam relect.de pot. Ecclesiastica quæst. 2.num.4.& tom.2.cap.19.num.52.vbi citat Suarez.tom.4.de relig.tractat.8.lib.2.cap.26.*Fundatur autem in cap.Nullam. 18. *quæst.2.* vbi dicitur. *Vt de cætero fideliter, & studiosè vniuersa, quæ ad diuini cultus reuerentiam, vel ad vtilitatem eiusdem Monasterij pertinent, Abbatis sollicitudo, ad quem potestas tota pertinere conuenit, debeat adimplere.* Cum enim ob votum paupertatis, & Regularia instituta Moniales proprium non habeant, & sibi prouidere non possint,reliquum est,vt tota cura prouisionum necessariarum, ad Abbatissam pertineat ex officio, quod inducit præcisam obligationem iustitiæ,vt dictum est de Guardianis;ob cuius defectum omninò priuanda,vel suspendenda est ab officio. *Sicuti & prouisiones facere.*

Dico octauo, numerus Monialium certus esse debet. Ita statutum ex *S. Concilio Tridentin.sess.25.cap.3.de regul.In vnoquoq;Monialium nostrarum monasterio certus numerus præscribatur, si nondum est præscriptus.* Rationem addit Tridentinum, *Qui ex redditibus proprijs Monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis commodè possit sustentari.*Idquè ex *cap.periculoso.de stat.regul.in 6.§.sanè.Districtiùs prohibemus,ne in Monasterijs Ordinum non mendicantium aliquę recipiantur de cætero Sorores, nisi quot poterunt de ipsorum Monasteriorum bonis atquè prouentibus absq; penuria sustentari. Si secùs actum fuerit, irritum decernentes.* Cui addidit Concilium, *Valde consuetis eleemosynis*, & tacuit de clausula irritante, quam è contrario vsu abrogatam esse, dicit *Barbosa Iur.Ecclesiastici, lib.1. cap.45.num.*177.& quia punctus istè respicit summam totius quietis, & commodę substentationis Monasterij, ne includantur Moniales, quæ vnde viuant, non habeant. Pius V. in bulla, *Circa pastoralis.* sanxit. *Et ne propter Monialium numerum excessiuum clausuræ obseruatio violetur, inhærentes salubri dispositioni Bonifacij, & Concilij Tridentini decreto,monialibus prædictis,& illarum Superioribus,& ordinarijs districtè inhibendo præcipimus, & mandamus, ne plures in earum Monasterijs* *Monialium numerus sit certus.*

reci-

recipiant, & admittant, seu recipi, & admitti permittant, quã quæ ex proprijs redditibus ipsorum Monasteriorum, vel consuetis eleemosynis commodè sustentari possint. & Gregor. 13. *Deo sacris. Donec numerus Monialium huiusmodi (quem per ipsos locorum ordinarios, etiam in Monasterijs, ab eorum cura, & regimine quomodocumquè exemptis, cum illarum Superiorum interuentu stabiliri, & ordinari, nequè supra illum numerum, alias recipi posse, etiam de consensu Superiorum suorum volumus, & mandamus) &c.* Itaquè determinatio numeri Monialium ad Episcopos vnà cum Superioribus regularibus spectat.

Ab Episcopo, & Superiore præfigi,

Quæro primò, quæ pœna irrogatur transgressoribus?

Pena transgredientiũ.

Respondeo, in citatis constitutionibus nulla taxata reperitur, Sed benè quidem in statutis ordinis. *Interim nulla recipiatur, & iam receptæ non vestiantur: vestitæ verò ad professionem non admittantur. Quod si contrafieri, Superiorum consensu, vel negligentia contigerit, Superiores officio priuentur, & ex ordinationibus S. Congregationis inhabiles, ad vocem actiuam, & passiuam reddantur. Quas pœnas Præfectæ, & Moniales Monasteriorum etiam habeant, si earum consensus accesserit.* Ordinationes autem istæ referuntur latę, *6. Septembris, ann. 1604. à Piasec. in praxi part. 2. cap. 3. num. 56. apud Barbosam in collect. bullar. V. Moniales supranumerariæ. in fin. & 6. Februar. ann. 1615. & 12. Maij, an. 1619. à Campanil. Rubric. 12. cap. 16. n. 14. apud Gauatum V. Monial. receptio. n. 11. 12. 13.* & in cap. *periculoso. §. sanè. de stat. regul. in 6.* Tangit autem pœna hæc Superiores, & Moniales, non autem Confessarios, & Mediatores.

Quæro secundò, quid dicendum est de Monialibus supranumerarijs?

Supranumerariæ, vt recipi possint.

Respondeo, Non possunt recipi, *Nisi eam dotem dederint, quæ ab Episcopo, vnà cum Superiore regulari, ad dictarum ordinationum præscriptum statuta fuerit.* Ita statutum ordinis. determinatum autem est à S. *Congregatione 6. Septembris, ann. 1604. Si quæ supra statutum numerum reciperentur, duplicem eleemosynam afferre, & supranumerarium locum tenere debent; quæ tamen non impediunt, quin aliæ de numero recipi possint. Duplicis autem eleemosynæ nomine intelligi semper debet duplicata summa, eius, quæ in receptione cuiusquè monialis erogari consueuit, in receptione monialis intra numerum, in quolibet monasterio constitutum.* Nec admitti potest supernumeraria sine expræssa licentia S. Congregationis, ex eius, decreto, *6. Februar. ann. 1615. apud Gauantum citatum num. 11. & Aidan. in Compend. canon. resolut. lib. 1. tit, 8. n. 10. Quaranta, Verb. monasteria monial. Peirinum tom. 2. priuil. const. 6. Pij V. n. 9.* Verùm si quod esset monasterium, quod horum decretorum notitiam non haberet, possęt vti iure suo sine culpa, excusante ignorantia.

An crescentibus redditib. augeri possit numerus.

Dices crescentibus redditibus ob hæreditates, legata, &c. Cum cessat impedimentum, & adsit ratio Concilij Tridentini, congrua scilicet substentatio aliarũ Monialium, an posset sine alia licentia augeri numerus ordinarius ab Episcopo, & superiore.

Difficultatem examinat *Portel V. Moniales in Add. num. 18. & in Addit. ad Add. num. 1.* post *Rodrig. tom 2. quæst. 48. art. 1. §. dubitatio vehemens.* Occasione Breuis Pauli V. missi ad Nuncium Portugalliæ de taxando numero Monialium, eoquè non augendo sine licentia Papæ, & licet cum *Reginaldo tom. 2. lib. 23. num. 194. citante Nauar. & Saurez*, Tenuerit affirmatiuam partem, stando in iure *Concil. Tridentin. sess. 25. cap. 3.* quando reciperetur aliqua, cum duplica-

ta, vel triplicata dote, quæ augeret etiam redditus Monasterij (Nam attendendus est finis, non verba legis. *Regul. vltima.* Ergo dato casu, quo Moniales supra numerum non patiantur incommoda, imò redditus superent, possent aliæ recipi vltra taxatum numerum : & sic non condemnaret Ministrum aliter facientem) Attamen cum sciuissent aliter ordinatum fuisse per Sedem Apostolicam, & S.Congregationem, retractauit sententiam, & in oppositam inclinauit. & sic dicendum est ob nouas ordinationes, quæ de Papæ, vel S.Congregationis consensu mutari possent rationabiliter, nouam taxam Monialium determinandam esse. *Finis legis attendēdus.*

Quæro Tertiò, Quantus ad minus, esse debeat Monialium numerus, vt Monasterium fundari possit ?

Respondeo, Cum sit Collegium Religiosarum debet tot Sanctimoniales habere, quæ regularem domum efficiant, & maiestatem Monasterij repręsentent. Vsus autem obtinuit, vt duodenarius saltem numerus in regulari Conuentu inhabitet, vt visum est supra de fundatione nouorum Conuentuum, aliter Ordinario subiacent. Ergo pari ratione talis numerus teneri debet in Monialibus, qui adhuc exiguus iudicatus fuit à S.Congregatione regul. 27. *Maij, ann.* 1603. à qua ordinatum extitit. *Saltem quindecim Monialium sit numerus.* Apud *Gauantum, V. Monialium numerus. n.* 4. *Quantus esse debeat monialium numerus.*

Quero quartò, An Conuersę in Monialium numerum censeantur ?

Respondeo affirmatiuè, Quia etiam ipsæ Moniales sunt, etiam victu, ac vestitu indigent; & sola inter ipsas distinctio extrinseca est, non à Clericatu à caractere, ab ordine. & sic determinauit S.Congregatio Eiscop. 6. *Nouembris, ann.* 1595. *apud Gauant. supra n.* 3. *In numero Monialium compræhenduntur etiam Conuersæ necessariæ.* Hinc statutum Ordinis. *Etsi dotis prouentus ingressu Monasterij exigendus, Conuersarum labore compensentur; harum tamen, certo Monialium numero in Monasterijs constituto, si superfuerint, emittantur, nisi professionem fecerint:* Recipiuntur enim obituræ communia Monasterij seruitia, non alicuius Monialis obsequio addictæ, nisi ex Præfectæ imperio, ad seruiendum infirmæ, Seniori, &c. Vt pro Monialibus Neapolitanis determinauit Clement. 8. apud *Quaranta citat. n.* 37. *Omnes Conuersæ rei communi Monasterij inseruiant, conuersæ autem particulares nulli Monialium concedantur, & quæ iam concessæ sunt in communitatem redigantur; sed si cui vel propter infirmitatem, morbum, aut senectutem, particulari ministerio indigeat, Abbatissa, vnam, vel plures assignet, ad nutum amouibiles, &c.* *Conuersę in monialium numero censentur..*

Quæro quintò, de puellis ad educationem, &c.

Respondeo, referendo decreta S.Congregationis ex *Barbos. in collect. bullarum, V. puella.* Primò, non possunt recipi sine exprę̃ssa licentia S. Congregationis. Secundò, licentia non suffragatur, nisi Moniales capitulariter congregatæ per secreta suffragia, pro maiori parte concentiant. Tertiò, quod Monasterium eas recipere sit solitum, easquè actu retineat. Quartò, quod in Monasterio sit habitatio apta, & separata pro illarum educatione, à domitorio Professarum, & Nouitiarum. Quintò, excedant septimum, & non superent 25. annum. Sextò, non sint vltra numerum præfixum. Septimò, ingrediantur solæ, modesto vtantur vestitu, clausuræ leges obseruent; quas si semel violent, sine noua licentia intrare non possint, quæ egressum testetur; Nisi regularem habitum suscipiendi *Puellæ educationis causa receptę.*

di animo essent reuersuræ. Octauò, adsit idoneus fideiussor pro alimentis anticipatè soluendis, nec permittant deferri victum quotidianum à parentibus. Nonò, finito 25. anno expellantur, monente Episcopo, vel de egressu, vel de susceptione habitus. Multos autem citat, apud quos tales determinationes reperiuntur; vt *Franciscum Leonem, Campanilem, Zerolam, Galet. &c.*

Aetas Abbatissæ. Dico nonò, *Monasterij Præfecta non minor annis 40. eligi debet, & quæ octo annos post professionem laudabiliter vixerit. Quod si ibidem talis non reperiatur, ex alio eiusdem Ordinis eligi potest. Quod si hoc, Præsidi electionis incommodum videbitur, in eodem monasterio, eligi poterit, de consensu Superioris, quæ trigesimum ætatis, & quintum Religionis saltem excesserit.* Ita statutum ex conceptis verbis *Concil. Tridentin. sess. 25. cap. 7. de Regular.* Moderata sententia Gregori Magni in *cap. iuuenculas. 20. quæst. 1.* dicentis. *Iuuenculas fieri Abbatissas vehementissimè prohibemus. Nullam igitur fraternitas tua, nisi sexagenariam Virginem, cuius vita, atquè mores hoc exegerint, velari permittant.* Concilium enim Carthaginense Tertium. *can. 33.* ait, *Vt Virgines Sacræ in Monasterio Virginum grauioribus fœminis commendentur, vt simul habitantes inuicem se custodiant, ne passim vagantes, Ecclesiæ lædant existimationem. tom. 1. Concil. fol. 709.* Vbi clausura, & præfectura demandatur: Grauiores enim vix esse possunt fœminæ ante annum quadragesimum, quo edomitæ vires, iuuentutis lapsus excesserunt. & causam huius determinationis secundum *Ioan. Monach. & Archid citatus à Glos. in cap. Indemnitatibus V. Additio.* dedit *Fragilitas sexus.* Vnde in Concilio Agathensi. *Cant. 19. tom. 3. concil. pag. 314.* & refertur. 20 *quæst. 1. cap. Sanctimonia es.* decernitur. *Sanctimoniales, quantum libet vita earum, & mores probati sint, ante annum ætatis suæ quadragesimum non velentur.* quę velatio licet prelaturam non dicat, quia cap. sequenti dicitur, *Virgines non velentur, nisi ante 25. annos.* dat tamen argumentum, vt non licet eas velari ante 40. annum, multò minus licebit illas creare Præfectas ante talem ętatem. Reddidit rationem Concilium Cabilonense *Sub Leone III. cap. 52. tom. 6. concil. pag. 222. Monasterijs* (inquit) *puellaribus tales præesse debent fœminæ, & Abbatissæ creari, quæ & se, & subditum gregem, cum magna religione, & sanctitate custodire norint: & his, quibus præsunt prodesse non desinant; Sed & se, & illas ita obseruent, vt potè vasa sancta in ministerio Domini præparata.*

Monialium velatio quid importet.

Quæritur primò, An anni isti debeant esse completi?

Annos suffi cit esse inceptos. Respondeo negatiuè, cum *Compendio priuil. V. Abbatissa. Zerola, Nauar. Henriq Sà, Azor. citatis à Garzia part. 7. de benefic. cap. 4. num. 69.* quos tamen ipse non sequitur. *Aloysio Riccio, decis. 309. qui clarissimè Garziam impugnat.* excepto trigesimo, quia de octauo, & quinto, ac quadragesimo, dicitur, *Octo, vel quinquè annis post professionem.* & de 40. *Non minor annis quadraginta.* & non additur, *excesserint,* vt dicitur de trigesimo, *Annum trigesimum excesserint.* ex ijs autem, quæ cõmuniter traduntur de ætate ordinandorum, *Sess. 23. cap. 12. de reformat.* quod sufficit annus inceptus, quia Concilium tantũ dicit, *Nullus promoueatur ante 22. annum, &c.* Hic autem dicitur, *Non minor ann. 40.* & idem omninò est, *Esse minor, & ante 40. annos.* qui quæ non attigit annum, eo minor, & ante illum est; & est sensus clarus Concilij, quia de 30. quem voluit completum, dixit *trigesimum annum excesserit.* quidquid in contrarium teneat *Garzia*; rationes enim adductæ satis rem peruincunt, necesse est recurrere ad cap. 12.

Tri-

*Tridentin.seff.24.*vbi dicitur.*Cæteras dignitates, & personatus non Curatos Clerici alioquin idonei,& 12.ann. non minores adſciſcantur*. Quia etiam ipſe adducit authores contrarium ſentientes, & congrua ratione de anno incepto declarari poteſt,ſicuti ad curatos ſufficit annus 25.inceptus,vt ipſe dicit *n.41.54.65.*ita etiam in non curatis ſufficit annus 22. inceptus, quia cum debeat habere ordinem ſacrum ad ferenda ſuffragia,iſta ætes ſufficit: & declarationibus S.Congregationis non eſt adeo ſtandum, vbi ratio in contrarium faueat, & ipſe contrarias adducat.

Quæritur ſecundò, An deficiente hac ætate, vel vitæ anteactæ laude, ſit nulla electio?

Reſpondeo affirmatiuè,ita deciſum refert à Sac.Congr.regu.*Garzia de benefic.part.5.cap.4.num.190.& Aldan.in compend.canonic.reſolution.lib.1. titul.28. n.11.*qui refert deciſum eſſe in vna Viterbienſ.*16.Maij* 1623.*Suarez tamen tom.* 4.*de relig.tractat.*8.*lib.2.cap.5.nu.*8. ſentit non eſſe irritam ipſo iure,ſed irritandam,eòquod facta ſit contra præceptum,non contra ſubſtantiales conditiones, formam electionis concernentes, quæ neque irritatur à Tridentino. Attamen in priori ſententia perſiſto ex traditis de ætate Guardianorum. Addo doctrinam eiuſdem *Garziæ.num.*71. *& Armendarij in addit.ad recomp. legum.Nauarræ lib.1.tit.*18.*lib.7.de Epiſcop.n.*102. *Aloyſij Ricci deciſ.*309.*n.9.p.4. Azor. par.* 2 *lib.6.cap.5.quæſt.5. Sigiſmundi à Bonon. de elect.dub.62.num.6.* quod ſuper hac ætate nec Epiſcopus, nec Nuncius diſpenſare poſſunt, ſecundum deciſionem S. Congregationis, & facit cap. Indemnitatibus. de elect.in ſexto, in quo dicitur. *Nec in Abbatiſſam, aut Prioriſſam de cætero eligatur aliqua, niſi trigeſimum annum compleuerit,& expræſsè profeſſa fuerit.*vbi *Gloſ.Minor.triginta annis eligi non poteſt,Sed benè poſtulari, iuxta cap.innotuit de elect.* deficit igitur potentia paſſiua, quę electionem nullam reddit. Subſcribit *Candelabrum aureum. de elect. cap.5.n.1.2.3.*

Sine ętate legitima,et vita probitate electio eſt nulla.

Quæritur Tertiò,An ſufficiat eſſe tacitè profeſſam?

Reſpondeo negatiuè,ex *cap.indemnitatibus. de elect.in 6.*ibi.*Et expræſsè profeſſa fuerit.* quod cum Tridentinum non reuocauerit,in ſuo vigore perſiſtit.*Rodrig.tom.1.quęſt.15.art.3.ſuus.Compilator.reſolut.2.n.5.qui citat alios.*

Sit expreſsè profeſſa.

Quæritur quartò, An libitum ſit,vel Monialibus, vel Superiori eligere trigenariam,vel ex alio Monaſterio?

Reſpondeo negatiuè,ex *Suar.citato num.9.* quia ordo concilij eſt,vt prius videatur ſi adſit quadragenaria, poſt octo annos profeſſionis, & hæc omninò eſt alijs præferenda, nec optionem habet Prælatus, vel Capitulum aliam eligendi. deinde talibus conditionibus prædita non exiſtente in monaſterio, liberum eſt ex alio eligere,& non antea.Poſtremò ad trigenariam accedere. & ita declaraſſe S.Congregationem,refert.*n.*8.*Abbatiſſam triginta annorum, & quæ per quinquè annos ſolos ſit profeſſa, eligi non poſſe, ſi in Monaſterio eſt aliqua Monialis 40. annorum,& quæ iam octo annos ſit profeſſa.*dummodò(ſubiungit Suarius)aliàs ad gubernandum ſit apta, quia ſola ætas eam non habilitat: & hoc pendet à iudicio Superioris. Qua in re noto etiam verba eiuſdem S.Congregationis ab eodem relata. *At in aliquo monaſterio eiuſdem Ordinis vicino, iſtius qualitatis inueniatur.* quia ſi monaſterium aliud, ex quo ſumenda eſſet Abbatiſſa ſit nimis diſtans, ex hoc ſolo capite poteſt, Prælatus ad trigenariæ electionem deſcendere

Non eſt liberum eligere trigenariam vel quagragenariam.

dere. Secundum quam doctrinam, intelligenda est alia eiusdem S. Congregationis declaratio, quæ circumfertur apud citatum *Suarium*, *Mirandam quæst. 6. de monialibus. art. 4. Hieronym. Roder. resol. 2. num. 5.* & multos alios, nimirum. *Abbatissa licet per quinquennium non manserit in Religione, dum tamen excedat 30. annos, & id fiat ad requisitionem suarum monialium, de licentia secundę dignitatis Cathedralis, & earum Superioris regularis, dummodò laudabiliter anno Superiore se gesserit, debet confirmari per biennium in officio, quod si ad confirmationem dictæ Abbatissę deesset Superiorum regularium licentia, propter absentiam (seruatis ijs, quę hoc capite pręscribuntur) ad dictam confirmationem procedendum est.* Quidquid autem sit de veritate huius declarationis: Primò, certum esse debet, non valere, quando textus Concilij obseruari potest, alias destrueret, non declararet, quod non est præsumendum, nisi legitimè constet. Secundò, supponi in declaratione, Abbatissam fuisse iam electam, & gubernasse per annum. Hoc autem videtur non debere præsupponi, quia est expressè contra concilium. Vnde necessaria est dispensatio, & habilitatio. Tertiò, hoc tempore non videri seruandam, quia cum ad electionem adesse possit Episcopus per Gregorianam, indecorum est peti licentiam à secunda dignitate Cathedralis; & cum iste sit absens, & ieiunus qualitatum Monialis ordinandæ, non videtur posse dare talem licentiam, nisi priùs informetur, &c. Et sic constituitur Iudex ad interrogandum de pręterito gubernio, &c. Quartò extra sacros canones requirit pręsentiam Superioris pro confirmatione, quasi confirmator esse debeat præsens electioni, & non debeat adiri pro tali actione. Hinc fortasse factum est, vt talis declaratio executioni mandata non sit.

Quę eligenda an ætate præstans vitę, an religionis.

Quæritur quintò, An existente quadragenaria, quę quinquè annos non transegerit à professione. & trigenaria, quę vel 8. vel saltem 5. professionis annos habeat. vtra eligi, vel pręferri debeat?

Respondeo, ex Suario supra num. 10. proponente difficultatem, relinqui arbitrio Pręlati, qui potest inclinare in trigenariam, cum hęc omnia requisita habeat; licet concilium requirat primariò ętatis excessum, quem pręferendum esse in ęquali professione, idem sentit, & rectè. si autem anni professionis magis ad octennium accederent, isti pręferendi sunt, post annos natiuitatis: maximè autem attendendę sunt qualitates cęterę, ad gubernationem requisitę, vltra ętatem, quę in ętate trigenaria, vel quadragenaria, dummodò excedantur quinquè anni professionis, electionem trahere debent.

Eligere externam quā do licet.

Quæritur sextò, quę debent esse motiua, vt superior ad exteram nō recurrat?

Respondeo, Concilium non præcipit, sed concedit, *Ex alio eiusdem ordinis eligi possit.* & vnicam rationem addit. *Si hoc incommodum, Superiori, qui electioni præest, videatur, &c.* quare spectat ad Superioris iudicium decernere de hoc incommodo: præter enim defectum ætatis, & commendationis vitæ, quæ clarè apparent in textu, remanent considerationes incommoditatis; siuè itineris in accersenda extranea, vt dictum est; siuè consensus, qui negari poterit (licet Superior cogere posset electam ad acceptandam electionem, cùm ex ratione obedientię, tùm etiam ex concessione concilij: quia si concedit posse eligi extraneam, concedit etiam, vt electio executioni mandetur) siuè timor, quod mores alienos ab hoc monasterio nō habeat: siuè quia dubitetur quod pacificè gubernare, aut recipi nō debeat, vndè monasterij conturbatio timeri possit: siuè tādē

re-

respectus aliquis Sæcularium, qui ægrè ferrent exteram accersiri, &c. Omnia enim hæc, & similia, incommodum aliquod ostendunt.

Quæritur septimò, quomodo, & secundum quam formam Abbatissæ electio celebranda sit?

Forma eligendi Abbatissas. Ad crates.

Respondeo primò, *Præses electionis, extra septa Monasterij, ad crates, non verò intra, debet vota singularum Monialium audire vel recipere.* Ita statutum, Ex verbis concilij citati. *qui duobus probatis viris sibi assistentibus debet vota recipere*: aliàs esset excommunicatus si ingrederetur; nisi conspiratio aliqua, vel præcisa necessitas dirigendæ electionis, suaderet ingressum, vt diximus suo loco.

Per vota secreta.

Respondeo Secundò, *Omnes Abbatissæ per vota secreta eligi debent ita vt eligentium nomina nunquam publicentur, aliter electio est nulla.* Ita statutum ex *Trid. sess. 25. cap. 6.* de qua re satis suo loco.

Verbo tenus.

Respondeo Tertiò, *Electiones huiusmodi, non per schedulas, sed verbo tenus, pro veteri, & probata religionis consuetudine semper fieri debent.* Ita statutum. Colligitur ex Tridentino *cap. 7. citato. Sed ante cancellorum fenestellam vota singularum audiat, vel accipiat.* schedulæ continentur, in verbo, *accipiat*, verbo tenus, in *Audiat.* & sic declaratum fuisse à S. Congregatione refertur in Concilio *Turnoni impresso a. 1621.* & à *Gallet. in Margarita casuum, V. Abbatissa Riccio resolut. 637. firmant Rodrig. tom. 1. q. 46. art. 5. Sanchez lib. 6. cap. 16. n. 50. Miran. q. 3. ar. 15. Gauant. V. monialium officiales, n. 17. Nauar. in cap. statuimus n. 56. Barbos. alleg. 100. n. 18. apud quem Garzia de ben. par. 5. cap. 4. n. 189. Castell. de elect. cap. 4. n. 4. Sigismundus a Bononia de elect. dub. 27. num. 11.* Nec obijci potest, quod non sit secreta, quia Superior, & duo assistentes, se habent veluti scrutatores: Sufficit enim vt sit secreta ipsis monialibus.

Posset eligi per schedulas.

Dices, si eligatur per schedulas, subsisteret electio?

Respondeo affirmatiuè, Tùm quia in statuto non irritatur, sicuti irritatur, si eligentium nomina publicarentur. Tùm quia in Concilio citato vterq; modus permittitur. Tùm quia hic modus est maximè canonicus secundum iura; & intantùm non conceditur monialibus, inquantum non omnes scribere norunt; nec in praxim ita facilè mandari posset, sicuti sunt verba.

A maiori parte capituli.

Respondeo Quartò, *Electio illa est canonica, cui maior pars Capituli monialium accesserit; nisi Superioris iudicio inhabilis persona videatur.* Ita statutum ex Concilio, & disputatis; vbi de electione Prælatorum. Nec obstat declaratio S. Congregationis apud Gauant. cit. num. 16. fundata in *cap. Indemnitatibus. cit.* vbi dicitur *à duabus partibus numero. Debet eligi Abbatissa cum duabus partibus suffragiorum ex tribus, nisi aliud habeat consuetudo.* lata 20. *Nou.* 1585. quam etiam refert *Barbos. Alleg. 100. n. 24.* qui citat *Piaseg. in praxi, 1. p cap. 3. n. 57. Zipam.* Apud nos enim habemus consuetudinem canonicam, vt electio pro maiori parte concludatur. & ordinauit Eug. IV. apud *Collectorem priuil. tit. Abbatissa. §. 4.* nec citatum Capitulum nocet, quia ibi disponitur de electione facta *in discordia.* vt benè *Nauar. citatus à Miran. quæst. 7. ar. 4.* qui doctè de nostra conclusione discurrit. iudicium autem inhabilitatis fundari debet super iuridicis indicijs, quia non est in potestate Superioris declarare inhabiles, nisi quas iura, & constitutiones inhabilitant.

Vocales quatuor annos à professione habeant.

Respondeo Quintò, *in hac electione votum non habeant, quæ quatuor annos à professione emissa non excesserint; in alijs autem electionibus, omnes professæ,*

Rr quæ

quæ tamen Conuersę non sint, votum habent. Ita statutum. Et sic per contrariam consuetudinem abrogata est dispositio Bonifacij VIII. *cap. indemnitatibus. de elect. in 6.* vbi dicitur. *Statuimus, vt cum in eis fuerit electio facienda, nulla monialis (nisi duodecimum annum pergerit, & professa fuerit tacitè, vel expresè) ad eligendum cum alijs admittatur.* Quinimò ex Concilio Tridentino citato, quod cum disponat Abbatissam debere esse professam 8. vel saltem 5. annorum; infertur quod electrices non debeant esse antiquioris professionis, cum plus requiratur in capite, quam in membris, equidem si laboratur aliquando pro inueniendi moniali, cum tot annis professionis, vt possit præfici; multò magis laborabitur pro inueniendis suffragatricibus, quæ duodecim annos professæ sint. quinimò Eug. IV. apud *Collectorem priuil. V. Abbatissa.* §. 4. ordinauit non posse suffragari in electione Abbatissarum, Matrum S. Claræ, & Tertij Ordinis, quæ tres annos, vel circà, professæ non fuerint. & dicit *Portel eod. tit. num. 5.* in hac non posse dispensare Prælatos, quia est constitutio apostolica: sufficit autem professio tacita. Et quod Conuersæ votum non habeant, est de iure communi, quia comparantur conuersis seu Laicis Regularium, qui non habent votum in electionibus, *cap. ex eo. §. in Ecclesijs. de electione. Rodrig. tom. 1. q. 51. ar. 5. in fin. Io. à Cruce de stat. relig. lib. 2. cap. 3. in fine primæ conclusionis. Sigismundus à Bononia de elect. dub. 91. Petrus Greg. de elect. cap. 7. num. 4. Cecch. de instut. maior. lib. 4. de elect. n. 114.*

Conuersæ, & conuersi votum non habent.

Potest interesse Episcopus.

Respondeo Sextò, In electione Abbatissæ potest adesse Episcopus loci, si vult. Ita Greg. XV. in bulla *Inscrutabilis. Possit Episcopus vna cum Superioribus regularibus quarumcumquè Abbatissarum, Priorissarum, Præfectarum, vel præpositarum eorumdem Monasteriorum, quocumquè nomine appellentur, electionibus per se, aut per alium interesse, ac prę̨sidere, absq; vlla tamen Monasteriorum impensa.* super qua constitutione.

Dubitatum fuit Primò, *An etiam, ius confirmandi Abbatissas Episcopis attributum sit?*

Respondit S. Congregatio, *negatiuè.*

Tempus electionis episcopo significandum.

Dubitatum Secundò, *An liceat Episcopo punire Regulares, qui ad Abbatissæ electionem procedunt ante tempus ipsi Episcopo significatum, aut die electionis eidem nullatenus prænunciata?*

Respondit eadem Congregatio concilij *an. 1626. Regulares ex constitutione Gregoriana, ita demùm teneri Episcopo significare diem electionis Abbatissæ, eumq; vsq; ad præfinitum tempus expectare, si antea id expræsè declarauerit, se vti velle facultate sibi tradita post eam declarationem licere Episcopo animaduertere in Regulares, qui ante tempus significatum, aut die electionis eidem non prænunciata, ad Abbatissæ electionem procedunt.*

Dubitatur Tertiò, An sit necessarium, significare etiam horam, quia potest accidere, vt si fieri debeat electio prima Maij, de mane, vel post prandium, & Episcopus non accedat nisi in fine diei, hora 24. &c. & sic frustretur electio, vel ipse indignetur, si fiat, antequam accedat?

Respondeo non opus esse tanta punctualitate, quia sufficit dicere, fiet post vesperas, vel celebrata missa &c. & expectare parùm post illam horam, putà alteram horam, vel quid simile, quod moraliter conciliet reuerentiam Episcopo, & tempus opportunum electioni faciendæ: non enim attendenda est commoditas

ditas Episcopi, quia non spectat ad ipsum pręfigere tempus, sed ad Superiorem regularem; & ipse aptari debet, & tempori, ac electioni; nec debet grauissima actio pendere ab affectibus, & resolutionibus Episcopi: particula enim *(Vsque ad)* includit terminum præfixum, & non vltra, vt probat *Barbosa dict.* 437. *n.* 5. *q. per Alexandrum conf.* 114 *numer.* 5. *Tuscum conclus.* 291. *lit. D. Io. de Imola consil.* 10. *Bald. conf.* 410. *& num.* 14. *per Natta*, *consil.* 471. quia vltra includere, causaret absurdum; nimirùm, quod si expectandus esset Episcopus per totum diem, non posset celebrari electio, vel celabraretur de nocte, quod in monialibus esset nefas, & scandalum. *Gonzalez Glos.* 12. §. 1. *num.* 11. 12. *ad regul.* 8. *cancell.* & sic includere vltra terminum, vel terminum diei, esset contra leges electionis, & monialium. per tex in *l.* 1. §. *fin autem. ff. an per alium causa appellationis redigi possit. ex Rebuffo, & Menochio citatis n.* 15. dicit enim *Vlpian. lib.* 4. *Appellationum. Sed & si causa sit, ex qua sequi solet pœna vsq; ad relegationem, non oportet per alium causas agi, sed ipsum auditorio adesse debere, sciendum est.* & *c. cum dilectus. de fide instrument.* dicitur. *Vtraq; pars potest instrumentum, etiam post publicationem attestationum vsque ad definitiuę sententiæ calculum exhibere, antequam sit in ipsa causa conclusum.* Vbi *sententiæ definitiuę*, exclusiuè se habet.

Vsque ad, quid significet.

Dubitatur Quartò. Quid importet illud, *Præsidere?*

Respondeo, aliquid plus supra nudam præsentiam, seu interessentiam: Non enim reputari debet Episcopus tanquam Curatus in matrimonio, cuius, vel inuiti, sufficit nuda præsentia, vt communiter scribunt: quia in Gregoriana dicitur. *Interesse, & presidere.* Pręses autem, licet in iure antiquo summam in prouincia iurisdictionem importet, vt in *l.* 1. *ff. de officio Pręsidis.* Vt Præses Anthiochię, Præses Syriæ, vt *Iulian. Nouel* 8. & in Euangelio. *Pręside Syrie Cyrino. Et, itaut miraretur Pręses vehementer.* de Pilato. qui erant supræmi in prouincia Superiores. vt dicitur *l.* 4. *ff. de offic. Pręsid.* attamen hoc loco iurisdictionem, & superioritatem in Moniales, & in electionem non inducit; sed vt dicit *Nebr. in lexico Iuris.* apud *Ioann. Caluin. V. Pręses.* importat ordinationem, & directionem, vt electio quietè, & pacatè procedat; neuè aliqua violentia, vel defectus, in illa committatur. non potest tamen vota recipere, sed audire, & scire, cum à Superiore regulari recipiuntur, ad quem solum, priuatiuè quoad Episcopum, spectat vota recipere, vt declarauit S. Congreg. Concilij 10. Septem an. 1639. in Vrbanien. ad instantiam P. Commissarij Curiæ pro monialibus Sancti Bernardini illius ciuitatis, his verbis. *Episcopum in electione Abbatissæ monasterij monialium, regularibus subiectarum, non posse exquirere, seu recipere vota monialium, sed illa exquiri, & recipi debere à Superiore regulari, sciente tamen, et audiente eodem Episcopo.*

Pręsidere Episcopi quid importet. Pręses quis discendus.

Respondeo septimò, non concordantibus monialibus in electionem vnius, Superior monialium potest vnam, quæ habeat qualitates requisitas, siuè intra, siuè extra monasterium instituere, nulla habita relatione ad Episcopum. Ratio patet ex dictis alibi, de electione nō celebrata, quæ ad Superiorē deuoluitur & ita declaratum fuisse à S. Congregatione Episcop. die 20. Nouembris, an. 1585. refert ex *Piasec. et Zipa Barbosa de Iure Ecclesiastico. lib.* 1. *cap.* 45. *numero* 27. vbi etiam aduertit, debere Prelatum Moniales antea monere, & cōgruum tempus ad se concordandum assignare; quo elapso poterit ad Abbatissæ nomina-

Discordantibus votis Superior potest aliam instituere.

Rr 2 tionem

ctionem venire: & sic fuisse resolutum ab eadem S.Congregatione 12.*Octobris*, *ann.*1582.pro Episcopo Cremonensi.hoc autem cum non faciat ius,nec sit vniuersalis determinatio,non puto valere contra praxim, & canones,alibi a nobis citatos.quibus constat concedi diem artificialem pro electione: qua finita, electio ad Superiorem deuoluitur.non tamen improbo patientiam Superioris,qui vellet sexui fragili indulgere alterum diem. Non probo tamen quod dicit *n.*28. & in *Collect. Bullarum V. Abbatissa ex Lauorio.* non posse Prælatum dare votum in electione Abbatissæ; sed sentio contrarium cum *Portel. V. Abbatissa. num.* 9. quia cum sit Superior ordinarius, id potest, quod & fieri à multis Episcopis in Portugallia ipse affirmat: & ex paritate, qua nostri Generales suffragantur in electionibus Tertiariorum, qui sunt alterius Religionis, & non nisi, quia sunt illorum Superiores.& in constitutionibus *Carthusianorum p.art.*3. *cap.* 24. *num.*1. dicitur, *In electione Priorissa monialium Vicarius primam vocem habeat.*

Superior potest suffragari in electione Abbatissæ.

Respondeò octauò, *Monasteriorum Præfectæ omnes,aut annuales, aut biennales esse debent, secundum monasterij consuetudinem Triennium autem nullo modo excedere possunt, sub pœna priuationis officij Superioribus, si secùs fieri permiserint. finito triennio, ad illud, & quodlibet aliud superioritatis officium, nisi post integrum alterum triennium eligi non possunt.* Ita statutum. sed ex constitutione 80. Gregor.13. *exposcit debitum.*Lata 1. *Ianuar.ann.* 1583. in qua extinguit Abbatissas perpetuas, addita clausula. *Quod si secùs à quoquam quauis authoritate fuerit attentatum,electionem, & præfectionem huiusmodi,& omnia, & singula,quæ inde sequentur, irrita, nulla, & inania,nulliusquè roboris, vel momenti fore.* disponit autem pro sola Italia,& Insulis adiacentibus.

Duratio officij Abbatissatus,quanta.

Si quæras an trienninm debeat esse capitulare,vel naturale?

Respondeo, ex alibi dictis,capitulare.itaquè si ab electione vnius Abbatissæ ad aliam, duo triennia capitularia intercesserint, licet aliquot dies, vel mensis, aut duo,vel tres menses deficiant, non itur contra legem; quia potest accidere, vt in fine triennij, vel moriatur,vel priuetur, vel renunciet Præfecta, & veniatur ad alterius electionem;& tunc erunt completa triennia capitularia.

Triennium debet esse capitulare.

Si quæras secundò, esto consuetudo sit, vt Abbatissæ sint biennales, vel annuales;an transacto biennio,vel anno,cessare debeant,vel possint eligi ad secundum biennium,interposita vacatione vnius anni; atquè adeò in sexennio erunt Abbatissæ per quatuor annos:& sic deinceps?

Respondeo affirmatiuè,quia contra hoc non militat,nec constitutio,nec statutum,decernentia de solo triennio; nec itur contra mentem bullæ, quia solùm intendit conuellere Abbatissas perpetuas verum tamen est, quod ex paritate rationis, cessare deberent per tantumdem temporis, sicuti vacant per triennium,transacto triennio.

Si quæras tertiò,quodnam sit,*aliud superioritatis officium?*

Respondeo sola Vicaria, de iure, quia hæc in absentia Abbatissæ præest.alia autem officia(nisi demas magistram Nouitiarum;quę videtur esse illarum superior)superioritatem non important, sed ministerium; & officium, in hoc autem statuto, quia non includitur in citata bulla, potest dispensare Generalis Ordinis.

Vicaria est officium.

Si

Si quæras quartò, An completo triennio, statim spiret officium, & an illud superior prorogare possit?

Respondeo, spirat nec superior illud potest prorogare, quia super legē superioris authoritatem non habet, Vt fuisse declaratum à S. Congregatione 22. *May, ann. 1604.* refert *Gauantus, V. Monial. Officiales. num. 20.* poterit tamen rege re Monasterium sub titulo Præsidentis, vel alterius, sicuti nostri Ministri regunt prouincias sub nomine Commissariorum. An autem extendatur declaratio Clementis Octaui, de nostris capitulis ad sex alios menses, etiam ad casum præsentem? Puto affirmatiuè dicendum, quia nostris priuilegijs gaudent etiam moniales. *Completo triennio spirat officiū.*

Respondeo nonò, *Soror germana Abbatissæ, vel Præfectæ, nec Vicaria nec Discreta, nec Ianitrix nec scriba, nec Cellararia esse potest.* sic statutum. & ordinatū ad liberam fuerat in primo Concilio Mediolanensi sub S. Carolo, & ratio est, quia tollitur suspicio malæ administrationis, & maior libertas, & tranquillitas conseruatur. Quoniam verò statutum est pœnale, ad solas sorores germanas restringi debet, non ad consobrinas, nepotes, auas, &c. Nequè impeditur soror germana, vel alia coniuncta, quin possit suæ sorori succedere in præfectura, quia hoc non est prohibitum. *Soror Abbatissæ non potest esse Vicaria, etc.*

Respondeo Decimò, esse illegitimam, vel corruptam, vel è maculato semine descendentem, non impedit, quin Monialis eligi possit in Abbatissam. Prima, & vltima conditio ex eo probantur, quod leges late pro maioribus non includunt fœminas, vt probat doctè *Miranda quæst. 6. de Monial. art. 2. & 3. Portel, V. Nouitia. numer. 2.* qui dicit esse opinionem communem, & certam. & apud *Gauantum, V. Monial. Officiales. num. 7.* legitur decisum à S. Congregatione *ann. 1592. Illegitimo thoro nata, non excluditur, quo minus Abbatissa possit eligi.* contra *Maiolum, & alios. Idem firmat ex Miranda, & Rodrig. tom. 1. quæst. 10. art. 21. & 22. & quæst. 14. art. 14. Portel, V. Abbatissa. num. 6.* De Vidua autem probat idem *Portel. ibid. titulo, An Monialis, quæ fuit Vidua possit esse Abbatissa.* contra *Mirandam*; & alios neruosè, & solidè, declarans omnes authoritates, quæ in contrarium adducuntur, & probans; tùm quia nulla lex id prohibet; tum quia consuetudo est in contrarium cuius affert. 30. exempla qua consuetudine iam præscripta (si non ex alio capite) censet derogatum *cap. Iuuenculas 20. quæst. 1.* in quo dicitur. *Nullam Fraternitas tua, nisi sexagenariam virginem velari permittat.* Nec est ratio, cur grauis, & religiosa matrona, quæ requisita ad prælaturam habeat, repudiari debeat ob solum anteactę vitæ matrimonium; Cum ea non cogatur prædicare virginitatem, sed castitatem, quam vouent; Nec necesse sit benedici, aut velari velo virginum, cum sufficiat benedici, & velari velo prælationis. & ad summum iura prohibent, ne bigami, vel bigamæ ad prelaturam ascendant. cui subscripsit *Hieronym. Roder. Resolu. 2. retraction. 2.* Vbi multos citat. quæ etiam nec obstat Monialibus, ex allata ratione; quia Bigamia est irregularitas virorum, in ordine ad potestatem spiritualem, & altaris ministerium, qua cum sint incapaces fœminæ, sunt etiam incapaces impedimenti bigamiæ; vnde bigama poterit eligi Abbatissa sine dispensatione, vt optimè contra *Sanchez, Maiolum, & Candelabrum aureum* probat *Hieronym. Roder. resolut. 2. V. Abbatissa. n. 23.* nec debemus ligare Moniales vinculis, quibus eas extricare rationabiliter possumus. *Illegitima, corrupta, maculata, potest eligi. Lata pro marib. lex, fœminas nō ligat. Vidua potest eligi. Etiam bigama.*

Abbatissa communem vitã ducat. Dico decimò, *Præfecta monasterij communem vitam in omnib. seruare, & singulas sorores in omni vitę actione ædificare debet.* ita statutum. Quod probatum remanet ex alibi disputatis de vita communi à Prælatis sectanda. & non minus obligatur Præfecta Monialium, ex regula, bullis Apostolicis, & statutis Ordinis, quam Prælati regulares obligentur, cum sit ęqua vtrorumque ratio.

Abbatissæ obligationes. Ex quo statuto, alia nascuntur; vt *Pręfecta, choro, & mensæ, quantum per occupationes licuerit semper intersit.*

Vt communia officia visitet, negligentes moneat, errata corrigat, & emendet.

Parlatoria inuisat quotidie, clausa per esse faciat, nec aperiri, nisi quando oportuerit, & cum sua licentia (visis priùs facultatibus, & seruatis Superiorum ordinibus) festis diebus id non permittat, nisi ex graui causa.

Clausurę ostia nunquam aperiri faciat, nisi ob causam necessariam, nec (sub pœna excommunicationis) ad ea colloqui permittat; Et mane, & sero, si ea sint clausa diligenter inspiciat, altera claui apud se nocte tota custodita, altera probatissimę moniali consignata.

Singularum necessitates diligenter intelligat, quibus ex bonis communibus prouide re procuret.

Cęllas sępè visitet; vana, superflua, paupertati, aut honestati contraria auferat, Culpabiles puniat.

Visitet, consoletur, curet infirmas, quibus nihil deesse, secundum vires Monasterij sinat. Grauiter infirmas ad confessionem hortetur, ne sua culpa aliqua pereat.

Alias sorores (si infirmas sæpè non visitauerint, illisquè secundum charitatem non inseruierint) pro modo negligentię puniat.

Abbatissæ omnes obediant. Dicò, Decimò primò. *Omnes Moniales suæ Præfectæ obedire tenentur: ac Matri Vicarię secundum regulas, & constitutiones Ordinis. Inobedientes arbitrio Præfectę puniantur, quę Superiorem etiam admoneat, si expedire iudicauerit.* ita statutum. Cuius ratio est, votum obedientiæ, quod in materia graui obligat ad culpam mortalem.

Sed quęritur, An Pręfecta præcipere possit sub excommunicatione, An liget in conscientia, an per sanctam obedientiam?

Non potest præcipere per excommunicationem. Respondeò primò, Per excommunicationem non potest, quia est incapax iurisdictionis spiritualis, ita omnes (præter Hęreticos, qui fœminis etiam tribuunt ministerium Ecclesiasticum) ex *c. Noua. de pœnit. et remissionibus. Nauar. consil. 73. de sent. excommunicationis. Couar. in cap. Alma mater. par. 1. §. 11. nu. 2. Vgolin. de Censur. tab. 1. cap. 2. §. 7. num. 7. Suar. tom. 5. de Censuris disputat. 2. sect. 3. num. 7. Sayrus eod. lib. 1. cap. 5. num. 16. & 17. & Bonac. q. 1. part. 2. num. 4. Rodrig tom. 2. q. 107. art. 1. Gonzalez ad reg. 8. Cancell. glos. 22 num. 19. Valentia n. 4. disputat. 7. quęst. 16. pun. 2. quos citat, & sequitur Barbosa in dicto cap. Noua numer. 5.* Sunt enim incapaces ordinis ex quo emanat spiritualis authoritas, vt latè probāt, *Ruffensis art. 13. aduersus Luterum. & Alphonsus de Castro aduers. hęreses. V. Absolutio. Ioan. Bunderius in Compendio contra Lutheranos. tit. 11. art. 3. citati à Couar. supra.* Qui ait, licet possit fæmina ratione dignitatis, obtinere quandam Ecclesiasticam iurisdictionem, quoad correptionem, & administrationem *cap. Dilecta. maior. & obed. & cap. cum dilecta. de confirmat. utili, vel inutili.* Non tamen potest iurisdictionem aliquam exercere, quæ ad claues spectet, nec in foro interiori, nec exteriori: & citat etiam *Abbatem Antonin.*

tonin. Silvef. S. Thomam, Henricum. & cæteros Theologos. Quæ ratio probat etiam, neque de absoluta authoritate summi Pontificis, posse fœminam excommunicare, quod dixerunt Paludanus, Nauarrus, Vgolinus, Suarius citati a Bonaccina quæst. 1. punct. 2. num. 4. disp. 1. de censuris. Toletus lib. 1. cap. 6. Quia in ferenda excommunicatione, siue per se, siue per delegationẽ summ. Pontific. requiritur spiritualis authoritas, qua fœmina incapax est; & hæc incapacitas suppleri non potest, sicuti neque incapacitas ad ordines: Nisi quis dicat, posse fœminam publicare excommunicationem latam à Prælato, quia in hoc casu libenter concedimus, cum spiritualem iurisdictionem non requirat. Auila part. 1. dub. 6. & alij.

Respondeo secundò, cum hoc stat, quod possit præcipere in virtute obedientiæ, & obligare ad mortale in conscientia. Conclusio est contra *Sotum in 4. d. 20. q. 1. art. 4. Valentiam citatum.* dicentem huiusmodi Prælatas non habere authoritatem obligandi ad mortale, vel veniale, nisi ratione materiæ, & alios, inter quos fuit *Rodrig.* qui postea retractauit suam sententiam *tom. 3. additio. summ. cap. 3. num.* 10. quam fusè prosequitur *Hieronym. Roderic. resolut. 2. retract.* 1. quam libenter amplector cum *Miranda de Monial. q. 6. art. 4. conclus. 3.* Non enim video cur mulieres sint incapaces facultatis præcipiendi, & obligandi sub culpa mortali. quia hoc nec ad ordinem, nec ad spiritualem facultatem, ab ordine dependentem, spectat. Quod si loquamur de incapacitate mulierum ad omnia spiritualia, nec illis gratiam, nec characterem baptismi, nec habitus infusos concederemus, quod est omninò falsum. ergo sicut sunt capaces horum spiritualium, possunt etiam iurisdictionis præceptiuæ, & correctiuæ; in quo non est assignare sufficientem disparitatem. Si loquamur obiectiuè, certum est, ita subditas esse Abbatissæ moniales, sicuti Abbati Monachos, ratione professionis, & sicuti Abbas non potest obligare ad mortale, etiam si præcipiat per obedientiam, nisi res, quam præcipit sit grauis materia, vel intercedat contemptus: alias enim peccatum mortale non est, ex *S. Thom. 2. 2. q. 186. art. 9. in corp.* vbi docet Religiosos peccare mortaliter solum cum non obediunt in ordine ad tria vota, & præceptum superioris non habet maiorem vim, quam præceptum regulæ, eadem ratio, ex aduersariorum confessione reperitur in Abbatissa. ergo, &c. si vero hæc negatio fundatur in iure *c. Noua.* ibi solum decernitur de potestate clauium, & de benedictione, & lectione, quæ ex potestate clauium dependent, vt concludit capitulum; at iurisdictio præceptiua non est vsus clauium, cum competat etiam Laicis nostris, quando sunt Guardiani; ergo eadem ratione competere potest fœminæ. & verè durum est intelligere, quod moniales voueant regulam, & obedientiam in manu Abbatissæ, & obligentur, & spiritualiter, & moraliter ad illius obseruatiam, & nullus sit, qui tale votum immediatè posset exigere. quia Episcopus, vel Prælatus non sunt superiores immediati, & Locales Monialium, sed solum superintendunt ad directionem, & emendationem eorum, quæ contingere, & moniales per se exequi non possunt: ergo si subditæ spiritualiter, & moraliter in re graui obligantur, Præfecta spiritualiter, & moraliter illas cogere potest; aliter pessum dabitur obedientia, & obseruantia regularis. Nec tutum puto publicari inter Moniales, quod non teneantur obedire sub culpa suis Abbatissis. Videatur in fonte ipse *Rodrig. & suus Compilator locis citatis*. interim notetur statutum præcipiens Monialibus, vt suis

Sed bene per sanctam obedientiam, & obligare ad mortale.

Religiosi, per obedientiam adacti, quando peccent mortaliter.

Præfectis obediant, aliàs puniantur, ac etiam carcerentur, quod ſignum eſt mortalis tranſgreſſionis: ait enim, *Afficiatur pœna violatæ obedientiæ, quæ ſuperiorem etiam admoneat ſi opus fuerit, & quæ in contumacia perſeuerauerit, & ſuperiori obedire noluerit, carceribus mancipetur.* quæ verba non tantum ad ſuperiorem Prælatum, ſed etiam ad Prælatam referenda ſunt, vt ſcilicet, quæ noluerit obedire ſuperiori Abbatiſſæ, vel Præfectæ carceribus mancipetur, quod confirmatur ex ſtatuto Toletano apud *Mirand. q.6. art.5. in fin. concl.3.* in quo Abbatiſſis, & Præſidentibus conceditur, vt in ſuis monaſterijs obedientiæ præceptum poſſint ponere, cuius obſeruantia moniales obliget ad mortale; quare cum ſit commiſſio ex iure, & perpetua, eſt ordinaria, & ſic in ſententia. *Soti citati §. poſſunt item.* poſſunt ex commiſſione ſuperiorum præcepta ſpiritualia ponere. nec (vt idem aduertit) authoritates ſcripturæ, & canonum contrarium probant; quia ad ſummum, vel prohibent, ne mulieres doceant, vel præſint in Eccleſia, *1.cor.14. Mulieres in Eccleſia taceant. 1.Tim.2. Mulier in ſilentio diſcat, mulierem autem docere non permitto, nec dominari in virum, ſed eſſe in ſilentio.* ea ratione, qua *gen.3.* dicitur. *ſub viri poteſtate eris.* Vnde *cap. Mulierem. 33. quæſt.5.* dicitur *Mulierem conſtat nullam habere authoritatem, neque iudicare poſſe. & cap. dilecta. de maior. & obed. excommunicare non valet.* Omnia enim hæc prohibent, vt viris, in Eccleſia publicè, palam loqui docere, & præeſſe, ordines ſuſcipere, & quæ ab ordinibus pendent miniſtrare non valeant; non tamen quod docere ſuas moniales, inter concluſos parietes admonitiones adhibere, in choro Euangelium legere (& illud legunt etiam moniales hebdomadariæ) illis præeſſe, &c. Non poſſint, cum ex citatis ſtatutis, Præfectis ex officio incumbat, monere, docere, reprehendere, &c. quod præcipuè iniungitur in Titulo *de capitulo.* vbi dicitur. *ſingularum culpas audiat, ſingulas moneat, & vrgeat, omnes pro ſuo munere hortetur, vt vocationis ſuæ perpetuò ſint memores.* & cætera quæ ad mores, & regulæ obſeruantiam ſpectant inculcare præcipitur; quod ſine dubio eſt præeſſe, docere, &c.

Mulieribus quæ prohibita in Eccleſia.

Moniales choro interſint.

Dico XIII. *Omnes moniales choro addictæ, ad diuina officia die noctuquè conuenire debent.* Ita ſtatutum. Probant communiter concluſionem *Nauar. de orat. cap.7. num.2. Azor. 1. parte. lib.10. cap.6. q.1. Rodrig. tom.1. qu.42. art.30.* apud quem *Silueſter. V. Horæ. qu.2. Antonin. 3. p. tit.13. Sotus lib.10. de Iuſt. q.5. art.3. & Corduba annot. in priuil. V. moniales §. quoad. §.21. Hier. Rodrig. reſolut. 24. num.22.* apud quem *Sanchez lib.8. de matr. diſp 8. num.11. Caiet. Durandus, Panorm. Suarez, Villalob. Turrecremata.* Primò ex ratione ſtatus regularis irreuocabilis, quo diuino addictæ ſeruitio, Deo communem cultum reddere debent. Sed hæc ratio multis non placet, ipſo Rodrig. relatore; & dantur aliqui Religioſi, qui Deo addicti officium non recitant, nec in choro, vt Patres ſocietatis, niſi ordinibus ſacris ſint initiati; & Religio Io. Dei officiū non recitat, niſi teneantur ex ordine ſacro, vt in ipſorum conſtitutionibus *cap. 12.* diſponitur. ergo ratio iſta ſtatus regularis nō probat. Secundò ex *Clem. 1. de celeb. miſſarum.* in qua mādatur recitari officium *in cathedralibus, Regularib. & collegiatis Eccleſijs.* de qua nos *c.2.* conſtitutionum ſatis diſſeruimus. at dubium eſt, ſi monaſteria monialiū ſint Eccleſię collegiatæ, quod non, probat hymnus S. Claræ, *ducis ad ſponsū Dominū puellarum collegia*, vt adducit citatus Corduba; nam poeticè dictum eſt; nec Sancta Clara ducit ad Chriſtum collegia, & conuentus,

ſed

ſed moniales particulares. & in odioſis ſub nomine virorum, non veniunt fœminæ, vt *Anton. Gabriellius. lib.6.titulo Maſculinum, concipit fœmininum* quod in multis materijs fallere probat. præcipuè *num.49.* quando ſcilicet diuerſa ratio militat in maſculo, & in fœmina, & *num.56.*quando qualitas rei magis conuenit maſculo, quam fęminæ.& *n.59.* quando lex diſponit in materia odioſa odio irrationabili. & patet, formare Eccleſias collegiatas, & chorum conſtituere, & obligare moniales (quæ vt plurimum vel non legere, norunt, ac rubricas latinas non intelligunt &c.)ſunt conditiones,quæ malè fęminis accomodantur. Adducitur etiam *cap. 1.de çelebrat. Miſſarum.* verum illud fęminas; & moniales nullo modo tangit. Tertio Probant ex conſuetudine, quæ quidem vim legis obtinet, ſed non vltramateriam, ſupra quam cadit, vt alibi diximus. Mihi præcipuam rationem ſubminiſtrant regulæ ipſæ, quas moniales profitentur: in regul.enim Sanctæ Claræ cap.3. dicitur. *Sorores literatæ faciant diuinum officium ſecundum conſuetudinem Fratrum Minorum. Et quæ occaſione rationabili aliquando non poſſunt legendo dicere horas ſuas, liceat eis, ſicut aliæ ſorores recitant, dicere Pater noſter.* quod integrum tenuerunt Innocen. 4. & Vrban. 4. reformantes hanc regulam. De Tertiarijs autem in regula reformata per Leonem X.*cap.4.* imponitur. *Illi autem, & illæ, qui, vel quæ horas canonicas ſciunt per ſe dicere, debeant horas canonicas ſecundum vſum Romanæ Eccleſia perſoluere.* Monialibus Carmelitis *in part. 3. conſtitut. cap. 12. velum nigrum non datur, Niſi diſtinctè, & rectè ſciuerint legere, & dicere horas canonicas.* Monialium ordinis Prædicatorum primum cap. habet, *Matutinas autem, & omnes horas canonicas ſimul audiant ſorores, niſi cum aliquibus in cauſa fuerit diſpenſatum. Horæ canonicæ omnes in Eccleſia tractim, & diſtinctè dicantur, ne ſorores deuotionem amittant:*cum multis alijs, quæ ad horarum recitationem, deuotionem, & inclinationes faciunt.in *cap.2.* Carthuſianis, Monialibus nedum imponitur recitatio officij, ſed imponuntur recitationes pſalterij pro quibuſdam miſſis, vt videre eſt in vltimo cap. conſtit.*num.* 38. Sentio igitur cum communi Moniales teneri ex præſcripto regulæ,conſuetudine firmatę,ad horarum recitationem Ideo.

Nomine virorum non veniunt fæminæ.

Quæritur,An extra chorum peccent non recitantes priuatim?

Reſpondeo primò, Moniales S. Claræ nō peccant.ita *Corduba citatus Adnotat. ad priuil.* & patet ex verbis regulæ relatis. *Et quæ occaſione rationabili aliquando non poſſunt, &c.*Occaſio autem rationabilis eſſe poterit, vel occupatio publici, vel priuati muneris neceſſarij,vt habet ſtatutum.*A diuinis officijs,& orationibus, horis deputatis in Eccleſia quotidie celebrandis abeſſe, vel diſcedere, ne lic eat, niſi ratio publici muneris, aut neceſſitas, iudicio Præfectæ probata coegerit.* vel difficultas legendi,vel infirmitas.

Moniales extra chorũ non recitantes an peccent.

Reſpondeo ſecundò, nec aliæ peccant,ſi in regula non præcipiatur,aut conſuetudine conſtet dicendas eſſe horas extra chorum. *Videat (inquit) Corduba, quid vnaquęquè religio circa hoc habeat.* & ratio eſt,quia præciſa regula, conſuetudine, vel ſtatuto, nihil reperitur obligans Moniales ad hanc recitationem. Non ordo ſacer, non beneficium, non eleemoſynæ, quia de ſuis dotibus viuunt. ideo rationabiliter ſubiungit ſtatutum. *Quę vero in choro adeſſe non poterit,officium diuinum ad pręſcriptum recitet.* quod declarandum eſt, vbi regula, vel conſuetudo id ſuaſerit.

Dico

Dico 13. *Moniales singulis mensibus Confessarijs approbatis confiteri, & Euchari- stiam sumere teneantur.* Ita statutum, ex *Triden. sess. 25. cap. 10.* & addit rationem, *Vt eo se salutari præsidio muniant, ad omnes oppugnationes dæmonis fortiter superãdas.* Quod in Concilio Vienn. *Clemen. ne in agro. §. sanè.* decretum fuerat pro Monachis, adiungens. *Nisi ex causa fortè quam Abbati, Priori, aut Pœnitentiarijs monasteriorum non differant intimare, eorumquè iudicio abstineant, vel accedant.*

Singulis mẽsibus confiteantur, & communicent.

Quæritur primò, An ad hoc sub culpa graui obligentur?

Non tamẽ sub mortali.

Respondeo negatiuè, ex dictis, vbi de confessione hebdomadaria nostrorum, actum est: & ex verbo concilij, *Admoneantur.* supra quod valere non debet, *teneantur,* in statuto positum. *Et Duodecim vicibus ad minus de Abbatissę licentia, confiteantur in anno. Et sex vicibus communicent,* positum in *prima regula S Claræ, cap. 3.* & de Tertiarijs. Quod Leo X. *c. 4. regulæ* reduxit ad *ordinationem Nicolai Papæ IV. quod ter in anno confiteantur, atq; communicent; vel statuta à suis Superioribus ordinata;* non enim obligant ad mortale nisi ex causis, loco citato expositis.

Queritur secundò, An Moniales confiteri possint in aliquo casu Confessarijs non approbatis ad ipsarum confessiones audiendas?

Quo casu alijs non approbatis cõfiteri possint

Respondeo, in casu extremę necessitatis, vt mortis, periculi, &c. Quando earum confessarius non adesset, possent, aliàs minimè, quia nullus est approbatus pro ipsis ex iure, nisi ex speciali commissione; vnde confessio fieret non habenti iurisdictionem: & sic statutum. *Caveant, ne cuiquam confiteri tenerè audeãt, &c.* & temeritas ausúsquè est, vbi extrema, vel vrgentissima non adesset necessitas: qua existente, non tantum approbati ab alijs, sed etiam nullo modo approbati, possent intra clausuram admitti ad auscultandam confessionem, in suprẹma necessitate constitutæ. iuxta *Trid. sess. 14. c. 7.* & regulas naturales, quibus positiuæ leges substernuntur.

Quæritur 3. quomodo approbandi sint, sanctimonialium confessarij?

Confessarij monialiũ quomodo instituendi in ordine.

Respondeo primò, quatenus spectat ad Religionem. *Confessarij Monialium ordinarij, & extraordinarij, communi Patrum consilio, & consensu in prouincialibus Capitulis semper instituantur, qui sint ætatis annorum quinquaginta, vel saltem quadraginta & in religione 25. omninò excedant; vitæ innocentia, & moribus castissimis probati.* quod statutum obligat grauiter quoad institutionem de qua vbi de Capitulis prouincialibus egimus. quoad alias qualitate obligat ex iure naturali, quia qualitas negotij poscit viros ætatis prouectæ, & probatæ vitæ.

Quomodo ab Episcopo approbãdi.

Respondeo secundò, ex constitutione Greg. XV. *Inscrutabili. Confessores Monialium, siuè ordinarij, siuè extraordinarii, quomodocumquè exempti, nullatenus deputari valeant, nisi prius ab Episcopo Diœcesano idonei iudicentur, et approbationem quam gratis obtineant. &c.* Ad quorum verborum intelligentiam emanarunt sequentes declarationes. *Superiores, qui post constitutionem eligentur, vel deputabuntur, nequaquam posse sanctimonialium confessione audire, nisi prius ab Episcopo idonei iudicati, atquè approbati fuerint.* Putauit *Bordonus resolut. 5. num. 1.* Superiores indigere approbatione, non tamen examine, quia constitutio loquitur de Confessarijs, non de Superioribus. & citat declarationem quandam apud *Barbosam, in hoc cap. 10. Concilij* quam aliam non esse puto, nisi relatam num. 19.

Ac etiam Superiores qui vellent subditarum confessiones audire.

Con-

Confessiones Monialium sui ordinis audire non licet Generali absquè Episcopi speciali deputatione. fell. dict. cap.30. num.18. Vbi testatur ita resolutum per eandem S. Cong. 13. Nou. 1627. hæc Barbosa. ingenuè tamen fallitur, quia declaratio, quam supra recensui, quæquè reperitur tom.4.bullarij, post bullam Gregorianam, iisdem verbis disponit de confessoribus, & de Superioribus. de illis. *Idonei iudicentur, & approbationem obtineant*, & de istis, nisi prius *Idonei iudicati, atquè approbati fuerint*. & cum non distinguat de Superioribus, omnes amplectitur: & non minus in eminentia officij Prouincialis includitur idoneitas, quā includatur in officio Generalis; cum vtriquè, quoad audiendas confessiones, vt Confessarij se habeant. & nemo negat in deputatione, seu, vt ipse ait, approbatione, includi cognitionem sufficientiæ, quæ aduenire non potest, nisi per examen. Quod si loquatur de congruentia, verum quidem diceret; quia cum vtriquè sint Superiores ordinarij, & maiorem, quam Confessarij in Moniales iurisdictionem habeant (superat enim iurisdictio Generalis, & Prouincialis iurisdictionem Episcopi, per priuilegia, &c.) & ad ipsos de iure spectet approbare confessarios, reseruare casus, ab illis facultatem absoluendi concedere, in quo nullo modo se ingerere potest Episcopus; Durum fuit abstulisse, sine causa, talem facultatem, quæ nec ablata fuerat per Gregorianā, quæ solū loquitur de confessarijs, quorum nomine nullo iure veniunt Superiores ordinarij; sicut i nec in decretis Conciliorū, &c. quando examinari mandantur Cōfessarij, includuntur Curati, vel Superiores quoad suos subditos; quia nulla causa adest impediendi talem iurisdictionē: & regulares nō minus sunt Curati, & proprij Sacerdotes Monialium; quam sint aliorum subditorum; Confessarij enim isti delegati sunt: & graue est, Generalem ordinis, qui visitat Moniales, in decursu suarum visitationum; non posse suæ subditæ casum vnum in confessione audire, & cogatur adire Episcopum, vel Vicarium, & licet non possimus penetrare rationes, præceptum tamen venerari debemus.

Item, *Confessiones aliter auditas à Superioribus esse nullas*.

Item, *Confessarios approbatos generaliter ab Episcopo pro Sæcularibus, non censeri approbato pro Monialibus*.

Item, *Approbatum pro vno Monasterio, non posse audire confessiones alterius, sine approbatione noua Episcopi*.

Item, *Approbatum pro vna vice ad audiendas confessiones Monialium, non posse pluries auscultare confessiones illarum, nisi denuò approbetur*.

Si quæras, sint ne tales restrictiones etiam pro confessarijs sæcularibus?

Respondeo, excepta quod non possint audire confessiones, sine approbatione Episcopi, vt dicit constitutio, alijs declarationibus non compræhenduntur, quia illæ solum loquuntur de regularib. nec de confessarijs sæcularibus vnquam quæsitum, nec dubitatum: & cum constitutio vtrosq; complectatur, & declarationes solū emanarint quoad regulares, sæculares excipiūtur, ex regula. *exceptio firmat regulā in cōtrariū*. itaq. sæcularis semel approbatus, vel pro vna vice, vel pro vno monasterio, si alias habeat de iure facultatem audiendi confessiones.

Si petas 2. Quam obligationem inducunt istæ declarationes?

Respondeo, quam inducunt cæteræ declarationes S. Congregationis concilij, de quibus aliàs dictum est. hoc vnum notauerim, quod in tom. 4. bullarij Cherub. Constitutionem Gregor. xv. sollemniter publicatam fuisse apparet

Vis declarationis concilij super Gregoriana de monialibus.

non

non autem háſce declarationes, quæ ibidem apponuntur.

Si petas 3. An Monaſteriorum exemptorum in loco nullius diœceſis, Confeſſarij ſint approbandi ab Abbate, vel alio Superiore?

Confeſſarius monaſterij nullius diœceſis nō indiget approbari ſecundum gregorianam.

Reſpondeo negatiuè, quia bulla dicit. *Ab Epiſcopo diæceſano idonei iudicentur.* ille autem non eſt Epiſcopus: & cum hæc ſit additio odioſa ſuper ius commune, non debet extendi extra proprietatem vocabuli.

Quæritur quartò, An confeſſarij monialium poſſint alloqui eaſdem extra confeſſionem?

Confeſſarij quando alloqui poſſunt moniales extra confeſſiones.

Reſpondeo, in caſibus ad confeſſiones ſpectantibus vt pro ſcrupulis, dubijs, & difficultatibus conſcientiæ, poſſunt, quia ad idē reducuntur; & cui conceditur principale conceditur acceſſorium. extra hos caſus non poſſunt; & eò minus eorum ſocij, niſi in caſibus merè ſpectantibus ad ipſorum officium. & ita deciſum refert *Barb. in V. Conf. monial. à S. Cong. in Nolana.*

Quæritur quintò, Quantum durant Confeſſarij Monialium?

Confeſſarij quantum durant.

Reſp. non vltra biennium. *In omni prouinciali capitulo, vel Congregatione confeſſarij, vel perſonaliter, vel per literas renunciare tenentur; quam renunciationem, Patribus liberum ſit admittere, vel eos per biennium, & non vltra, in eodem officio, & loco continuare, prout magis expedire videbitur.* ita ſtatutum. *Et ſingulis quibuſq; triennijs mutari debere S. Congregatio Epiſc. in Veronenſi.* 15. *Februar. ann.* 1593. cenſuit, vt idem *Barboſa* refert. *Gauantus etiam V. Monialium cura in ſpiritualibus. nu* 7. qui idem deciſum refert *ann.* 1594. 4. *Iulij*. poteſt tamen extendi cum licentia Generalis, qui diſpenſet ex rationabili cauſa, adhoc triennium. Quod ſtatuerat Iulius 11. apud *Rod. tom.* 3. *q.* 76. *art.* 4. dicens. *Nullatenus poſſint vltra triennium officia huiuſmodi* (Confeſſoratus, ſeu Vicariatus Monialium) *exercere. Etiam quod dicto trienno finito, vel ſponte, ſi Prouincialì expediens videbitur, à prædicto officio abſoluantur.*

Quæritur ſextò, de ſocijs Confeſſariorum?

Confeſſarij ſocius qualis eſſe debeat, & quod eius officiū.

Reſpondeo. *Socij ætate graues, moribus probati, & quantum fieri poteſt, pares ipſis Cōfeſſarijs omninò aſſignentur à Superiorib.* ita ſtatut. ſine his ſocijs aſſignatis, Cōfeſſarij in caſibus permiſſis clauſuram intrare nō poſſunt. *Ad eas Confeſſarij, neminē, vel Fratrē, vel Sæcularē ſecū ducant, vel admittant, præter ſocium eiuſdem à Capitulo ante aſſignatū*, vt ait ſtatutum, ad cuius confirmationem refert idem *Barboſa* decretum in dicta *Nolana. Confeſſarius etiam ex antiqua conſuetudine, abſq; ſocio, monaſteria, ob confeſſiones ægrotantium ingredi non poteſt. Sed debet ei aſſignari ſocius, qui ei iuxta decretum S. Congreg. aſſiſtat. ſitquè ætatis vltra* 50. *annorum, vitæquè exemplaris.* cui alteram appoſitam refert *lib.* 1. *Iuris Eccleſiaſtici, c.* 44. *nu.* 130. 13. *Septemb. ann.* 1583. in hæc verba. *Sacramentum pœnitentiæ in caſu neceſſitatis adminiſtraturus ingrediatur in clauſuram, ſine ſocio:* Vt pateat quanta fides adhibenda ſit his declarationibus, vel citationibus. quare conſulo ſeruari debere cōſtitutiones ord nis, donec aliter à S Sede Apoſtolica, vel eius nomine legitimè præcipiatur. quidquid dicat *Bordonus reſolut.* 5. *nu.* 4. *tenente contrarium cum Diana*, qui alios citat. nec probatur ex eo ſolum, quod Religioſi non incedunt ſoli, ſed quia ſocius ad honeſtatem pertinet, & eſt innocentiæ teſtis, vt ſuo loco dictum eſt. quare plus ſtandum eſt conſuetudini, & conſtitutionibus, quàm friuolis aliorum rationibus: plus enim verebitur Frater Fatrem, quàm Monialem.

Declarationes S. Cong. quam variæ

Quæri

Quæritur ſeptimò, quibus ſubſint Confeſſarij Monialium?

Reſpondeo, *Guardiano eius conuentus, cui adſcripti ſunt, præter ea, quæ ad eorum ſpectant officium, in cæteris omnibus, neque per ciuitates, & loca eiſdem ire liceat, ſine ſpeciali licentia Guardiani.* ita ſtatutum, & ratio eſt, quia Confeſſarij non ſunt Prælati, nec Superiores Monialium, aut delegati ad illarum cauſas, quæ à Superiorum localium iuriſdictione eximantur, ſed tantum ad cauſas confeſſionum, in quibus obedire Guardianis non tenentur. Quare debent ſingulis vicibus licentiam exeundi à Conuentu petere, iuxta decretum Clemen. 8. aliàs declaratum: quam ſi Guardianus negaret, ſine illa egredi poſſent, niſi eſſet monaſterium aliquod ſatis à conuentu longinquum, cuius Confeſſarij per ſe regerent ſocios aliquos; quia in hoc caſu, per conſuetudinem contrariam, non tenerentur obedire Guardiano, cum ipſi eſſent ſuperiores veluti locales.

Confeſſarij monialium ſuperioribus localibus ſubſint.

Petes, Guardiani habent ne aliquam facultatem in moniales?

Reſpondeo, tantam, quantam commiſſio prouincialis, & inducta in aliquibus conſuetudo concedunt: vt plurimum enim Guardiani locorum, vbi ſunt monaſteria monialium, inſtituuntur illarum commiſſarij, & repentinis caſibus accurrunt. mitto ſpeciales diſpoſitiones, quibus omnino ſtandum eſt.

Guardiani quam facultatē habent in moniales.

Sunt qui ordinariam ſuperioribus locorum authoritatem concedant, ex verbis Gregor. 13. *Vbi gratiæ*, dicentibus, *Abbatiſſis verò necnon Abbatibus, aliiſquè monaſteriorum ſuperioribus præcipimus, &c. ne ingredi faciant, niſi, &c.* quæ replicat in bulla *Dubijs.* vnde etiam Abbates (qui ſunt Superiores locales) ſunt Superiores etiam monialium. Maximè cum eos à prouincialibus diſtinguat, ibi, *aliiſquè monaſteriorum ſuperioribus*, in quibus Prouinciales, & Generales, ſine dubio continentur. niſi quis dicat, Pontificem loqui de ijs Abbatibus, qui maiores dicuntur, & ſunt veluti prouinciales: ſed contextus literæ priorem ſenſum, non violenter admittit.

Quæritur octauò, An poſſint ipſemet Guardiani, & alij Prælati eſſe Confeſſarij monialium?

Reſpondeo primò. *Nullus in poſterum inſtituatur Confeſſarius monialium, qui ſit actualis Diffinitor alicuius Prouinciæ, nec ſecretarius pro tempore prouincialis, ſub pœna ſuſpenſionis ab officio eligentibus imponenda.* ita ſtatutum, & quod Superiores eſſe non poſſint Confeſſarij, referunt deciſum à S. Congregatione *Aldan. in Compendio canonic. reſolut. tit. 25. n. 11. Barboſ. in collect. bullarum, V. Confeſſarius mon. in Parmenſi 10. Aprilis, ann. 1615. Gauantus, V. monialium cura in ſpirit. num. 10.* Et ratio eſt. Prima, quia vtrique muneri par eſſe poteſt. Secunda, quia Superiores non debent auſcultare confeſſiones ſubditorum, niſi rogati ab ipſis. Tertia, quia moniales cum ipſis cofidentiam non haberent.

Confeſſarij monialium ſuperiores eſſe non poſſunt.

Dices, poterit ſaltem Vicarius conuentus hoc officium ſubire, quia ipſe nec eſt Curatus, nec Diffinitor, nec Secretarius.

Reſpondeo, de iure poteſt, non verò de conuenientia, quia impoſſibile eſt, vt ſimul poſſit eſſe Vicarius Conuentus, & monialium. deficit enim ambobus, qui vult ſeruire duobus. & cum de iure naturæ quilibet aſſiſtere debeat ſuo muneri, non poterit Vicarius, eſſe Confeſſarius.

Nec Vicarij conuentuum.

Dices, ſaltem extraordinarius.

Reſpondeo concedendo; ſicuti etiam de Diffinitore, & Secretario, quia ceſ-

cessant omnes rationes,& dispositiones adductę:disponunt enim de confessarijs ordinarijs.

Quæres Nono, An Confessarius regularis approbatus ad auscultandas confessiones fratrum,& sæcularium possit excipere confessiones monialium sui,aut alterius ordinis?

Confessarius monialiũ debet ad hoc specialiter approbari.

Respondeo, ex statuto. *Nemo fratrum, nostri,aut alterius ordinis,monialium confessiones audire poterit,sine Generalis,aut Prouincialis scripta facultate.Superiores verò pro audiendis alterius ordinis monialibus, facultatem non concedant, nisi vrgenti de causa, Patrum iudicio probata.* & Cong.regul.3. Settembris 1638.vt refertur in Regesto ordinis, in conuentu Aracelitano,lib.1.n.69.decreuit. *Nullum regularem sine licentia Superioris monialium, & speciali approbatione Episcopi, posse accedere ad Monasteria earundem ad audiendas monialium confessiones.* Ratio patet ex dictis,quia Confessarij quicumque approbati pro alijs,non censentur approbati pro monialibus; indiget enim peculiari concessione; & ideo in generali concessione non venit. Quod autem dicitur de scripta facultate interpretandum est secundum regulas superiores;& de iudicio Patrum, attendenda est consuetudo,quæ declarauit aliquando non posse commodè tale iudicium expeti: vt exempli gratia, si multi Confessores in aliquo reperirentur conuentu, & Episcopus aliquem peteret pro confessionibus suarum monialium extraordinariè excipiendis,sufficeret consensus Guardiani,cui Prouincialis in genere talem licentiam concessisset:formaliter tamen obseruandum esse statutum in Confessarijs ordinarijs censeo, & de his absolutè loquutum; quia si Confessarij nostrarum monialium approbantur, & eliguntur in Capitulo, multò magis, qui destinandi essent pro exteris monialibus.

Quæritur Decimò.Quando concedendi sunt extraordinarij?

Confessarij quoties concedendi.

Respondeo primò,*Bis aut ter in singulos annos iuxta S.Conc. Tridentini decretum sess.25.de regul.cap.10.Quod Prouincialibus inuiolatè, & diligenter obseruandum mandatur.* ita statutum. quę numerum excedi posse probat *Burdonus dicta resolut.5.n.11.* nimirum quoties legitima extet causa,vt celebritas solemnis, infirmitas,confessio generalis &c. quia Concilium hoc non prohibet:& citat *Riccium in praxi resolut.638.Armend.lib.4.recopilat.ad leges Nauarrę. tit.28. l.1.§.1. contra Lezanam cap.25.n.40.* & benè quidem, quia declaratio, quam citat ex *Gauanto*,non tangit casum nostrum,quia solùm loquitur de extraordinarijs,qui bis,aut ter dantur,non de alijs ob causas particulares.Hinc statutum ordinis. *Si qua monialis in articulo, vel periculo mortis constituta extraordinarium petierit Confessarium, ei concedatur,dummodo, aliàs illius, aut alterius Monasterij Confessarius extiterit,iudicio Superiorum probatus.*

Respondeo secundò. *Vt omnes moniales extraordinario confiteantur consulimus. Præcipimus autem, vt si omnes confiteri noluerint, tamen omnes coram eo humiliter se præsentent, ad pedes eius genuflexæ paulisper permaneant, atque ab eo,benedictione recepta discedant.* Sic statutum.& est conforme Concilio Tridentino,quod offerri præcipit extraordinarium, non imponit confitendi præceptum. tamen, ne notentur aliquæ quasi extraordinario indigentes, omnem extraordinarium conuenire iubentur, ac coram illo morari, tanquam si confiterentur: Vnde tanquam de circunstantia ad hoc necessaria subnectit statutum. *Quæ id omiserit, si monita non paruerit, pœnam violatæ obedientiæ habeat; monito etiam*

etiam Prouinciali, si Præfecta oportere censuerit.

Respondeo Tertiò. *Qui tempore extraordinarij monialium confessiones audierint, earum ordinarijs ad Monasteria accedere non liceat, qui contrafecerit, officio vel suspendatur, vel priuetur, Superioris arbitrio.* & rationabiliter, quia moniales timidæ possent timorem concipere, & non promptè ad extraordinarium accedere. quasi ipsis occultus speculator insidietur, quærens inspicere quæ plus, quæ minus apud Confessarium demoretur.

Confessarij ordinarij ad monasterium non accedant, dum adest extraordinarius.

Quæritur XI. De victu Confessariorum?

Respondeo statutum sic habet, *Quæ autem pro Confessarijs ordinarijs, & eorum socijs ad victum, & vestitutum necessaria sunt, vbi sit consuetudo, monasteria prouideant, prout ratio postulat.* Ea ratione, *quod dignus est operarius mercede sua* Luc. 10. *Nemo militat suis stipendijs. Communicet autem, qui catechizatur verbo ei, qui se cathechizat in omnib. bonis.* Gal. 6. *Non alligabis os boui trituranti.* *Gauantus* tamen refert decisum 22. *Augusti, ann.* 1605. *Non dietim victus subministretur, sed quædam pecuniæ summa, quotannis constituatur. Quæ dari debet monasterio regularis.* Vt decisum in *Parmen.* 10. *Aprilis, ann.* 1615. (quæ fortasse eadem est) refert *Barbosa in collect. bull. V. Confess. Mon.* §. 3. quæ quia in causa particulari latæ fuerunt, ibi solum obligant, in alijs consuetudinis standum. qui victus etiam in communem Conuentus vtilitatem cædit, cum alias confessarium sustentaturus esset.

Confessario victum, & vestitū Monasterium prouideat.

Quæritur 12. de authoritate confessarij.

Respondeo, cum sint delegati, limitatam habent, iuxta concessionem factam ab ordinario. Omnem tamen delegat Prouincialis, & Religio, vt patet ex statuto refert *Rodriguez tom.* 3. *qu.* 76. *art.* 1. *ex Collect. V. Vicarius.* §. 5. *Vniuersi confessores monialium nostræ familiæ, habeant de præsenti semper actiuè authoritatem Prælatorum super moniales, in foro conscientiæ, quoad casus, & sententias.* quam conclusionem doctè probat *Bordonus dicta resolut.* 5. *nu.* 5. possunt enim absoluere ab iniectione manuum *cap. de monialibus. de sentent. excommunicat.* & cum non distinguat lex, intelligitur de percussione quacumquè, etiam notoria, & enormi: & in hoc Prælati cum Episcopis in iurisdictione æquiparantur; & citat *Glossam, Bonac. & Homob.* Possunt, & à casibus bullæ Cœnæ, quia si non est reseruata notoria percussio, nec alij casus reseruati erunt. & quomodo possunt moniales adire Sedem Apostolicam? Detinentur enim perpetuò impedimento, & ideò ab Episcopo, vel Episcopalem authoritatem habente, absolui possunt. quod tenent *Bonac. Floronus, Sayrus.* & etiam si *Portel V. Confessor. num.* 17. excipiat hæresim, & casus bullæ, attamen impossibile est, posse ab ipsis Sedes Apostolica.

Confessarij delegatam authoritatē, omnem tamen habent circa absolutionem monialium.

Confessarij moniales absoluere possunt à casibus bullæ cænæ.

Quod si dicas, mittant nuncios, rogent per alium, vt sæpè factum scio, & in S. Pœnitentiaria, & in S. Officio.

Etiam ab hæresi.

Respondetur, non esse ita facilè monialibus, mittere nuncios, constituere procuratores, scribere literas, &c. Cum hæc omnia facere prohibeantur, & sine maxima difficultate se propalare poterunt.

Dico 13. Moniales communē locum habere debent, in quo laborent, Communem, in quo vestes asseruentur, commune dormitoriū, in quo singulæ in singulis stratis cubent. hæc omnia per multa alia statuta digesta, iam ex dictis de communitate inter Fratres seruanda probata sunt, ac etiam, vbi de operibus in

Moniales communem locum laboritij habeāt, commune dormitoriū.

in commune redigendis, nec inconsulta Præfecta arripiendis, vendendis, extrahendis, vel sæcularitijs, & honestati virginali non conuenientibus acceptandis. de vita communi obseruanda, de subueniendo necessitatibus subditarum, &c. dictum est, ideo nec statuta exscribo, nec dicta replico; sufficit adnoraſſe.

Puellæ ad habitum nō admittantur, nisi exploratæ ab episcopo, &c.

Dico XV. Non potest recipi Puella in monasterium, vt religionis habitum suscipiat, nisi eius voluntas prius ab Episcopo exploretur, & à monialibus capitulariter congregatis recipiatur, ex Superioris assensu.

Prima pars est Concilij *Trid. sess. 25. c. 17. Libertati professionis virginum Deo dicandarum prospiciens Sancta synodus, statuit atq; decernit, vt si puella quæ habitum regularem suscipere voluerit, maior duodecim annis sit, non ante eum suscipiat, nec postea ipsa, vel alia professionē emittat, quàm explorauerit Episcopus &c. Virginis voluntatem &c.* quæ verba replicat statutum ordinis, addens. *Monialibus congregatis, Superioris consensu proponatur; & si duas ex tribus partibus suffragiorum tulerit, scrutinio secreto, tunc religioni adscribant.* & de forma huius consensus est cōstitutio Sanctissimi D.N. Vrbani VIII. *Sancrosanctum. 27. Octobris 1624.* in qua disponens de mulieribus, quæ obtentis licentijs ingredi possunt in monasteria, inquit. *Declaramus consensum dictarum Monialium, de cætero per easdem moniales capitulariter, & per secreta suffragia præstandum esse, & præstari debere; aliàs licentiæ huiusmodi nullatenus suffragentur &c.* quæ dispositio comprændere potest etiam illas, quæ habitum suscipere voluerint: quia licet loquatur de licentijs concessis à summis Pontificibus, quia tamen agitur de ingressu cum consensu monialium, declarat qualis debeat esse talis consensus, qui si sic qualificatus requiritur respectu licentiarum apostolicarum, multò magis requiretur de alijs inferioribus.

Consensum per moniales, & Superiores præstandus.

Quæritur primò. An Puella minor annis duodecim ritè recipiatur?

Respondeo affirmatiuè, cum *Sanchez lib. 4. decal. cap. 18. num. 33. 34. Suar. tom. 3. de relig. lib. 5. cap. 1. num. 9. Mir. quæst. 8. art. 2. Portel. V. Nouitia, nu. 1. Villalob. 2. p. tract. 35. diff. 12. Io. de la Cruz de statu relig. lib. 1. c. 8. fine relatis à Hier. Roder. resolut.* 101. *n.* 24. cuius oppositum non sentire *Rodrig. tom. 3. q. 12. art. 1. & 2.* idem probat. Ratio est, quia Concilium dicit, *Si maior duodecim annis sit.* ergo supponit posse esse minorem, iuxta *cap. significatur. de reg.* quod non esse correctum, nisi expressè pateat, est affirmandum. ordinariè tamen sic fieri debet, quia causa statuti est, exploratio voluntatis puellæ, quæ vix est sui cōpos ante annum 12. attamen cum explorari possit ante professionem, vt vsu receptum esse in Hispania refert *Rodrig. dicta quæst. 12. art. 3. & Miran. dicta q. 8. art. 4. & Sanchez, Portel, Zerola, Azor. Io. de la Cruz, Villalob. citati à Hier. Rodrig. dicta resol.* 101. *num.* 62. & determinatum à Pio V. in *constit. 7. §. 17. & 18.* refert *Barbosa in cap. 17. Concilij, citatum nu. 6.* dicens. *Volumus vt examen faciendum, non nisi intra quindecim dies, postquam iuxta Concil. Tridentinum Episcopi, vel eius Vicarij requisiti, fuerint, fieri possit; quibus elapsis, amplius se in hoc illis intromittere non liceat.* vbi de vno examine sermo est, eoquè iuxta Concilium Trid. scio adesse opinionem contrariam, & circumferri aliquas declarationes Concilij apud *Armendarium, Barbosam, in dicto cap. 12. §. 2. Gauantum V. Monialium receptio. numer. 19. & 20. Concilium cum declarationibus ex domo Bllarmini, & alterum impressum Turnoni in idem cap. 12. numero 2.* in quibus sacram Congregationem respondisse refertur *Non esse dispensandum, vt puella,*

tæ, quæ duodecimum annum non compleuerint, possint, habitum in monasterio recipere. quia tamen factum non irritatur, censendum est persistere.

Quæritur secundo, An valeat receptio cum maiori parte Capituli?

Respondeo affirmatiuè. Tum ex iure communi, tum ex declararione S. Congregationis apud *Gauantum cit. n. 30.* vbi postquam retulit, duas partes suffragiorum accedere debere ex Concilio 4. Mediolan. subdit. *Certè vota secreta debent excedere maiorem Capituli partem. Cong. Episc. 1603.* Tum ex receptione Nouitiorum nostrorum ad professionem; tandem quia contrarium factum non inualidatur: Vnde potest Prælatus aliquam recipere si duas partes votorum non habuisset, sed tantum maiorem partem. Quinimò si vota essent æqualia, posset inclinare ad vnam partem, & suo suffragio alteram maiorem reddere, ex doctrina *Portel. infra citandi.* imò maiori ratione, quia si potest suffragari in professione nouitiæ, quam non cognoscit, multò magis suffragari poterit in receptione, quam cognouisse melius poterit, quàm moniales. *Puella recipi potest à maiori parte capituli.*

Quæritur tertiò, si recipiatur aliqua sine consensu Superioris est ne benè recepta?

Respondeo negatiuè, quia consensus Superioris est de forma receptionis validæ; & factum à Capitulo sine consensu Prælati nihil valet. *c. quæsiuit, de his quæ fiunt à maiori parte Capituli.* nec valet dicere, quod Abbissa sit caput monasterij, & Præfecta, quia ipsa est immediatè sub Superiore, qui immediatè, & illam, & alias moniales gubernat tanquam Superior, vt latè prosequitur *Portel. V. Nouitia in additione. §. ego sentio.* vbi probat Prouincialem posse suffragari in receptione Nouitiæ ad professionem in æqualitate votorum, quia recipit illam ad habitum, & sine illo, nullo modo Abbatissa potest recipere; & quia Prouincialis est caput, & Prælatus in quolibet monasterio subditarum, & potest suffragari in electione Abbatissæ. & *Hier. Rodrig. resolut. 101. n. 2. ex Rod. tom. 3. q. 9. ar. 2.* ait. Moniales Sanctæ Claræ non posse ad habitum recipi, & professionem emittere sine licentia Prouincialis, vel Visitatoris. ex Nicol. V. & de alijs indubitati iuris esse affirmat; citatquè *Miran. q. 8. ar. 1. Vide dicta, Dico. 6. quæst. 2. Respondeo secundò monialibus.* *Puella recipi sine consensu Superioris, nō potest.*

Quæritur quartò, Quæ pœna sit cogentium, vel impedientium puellam ad suscipiendum habitum?

Respondeo excommunicationis latæ sententiæ ex *Trid. sess. 25. de regul. cap. 18.* non tamen reseruatæ. actus autem prohibiti sunt, Cogere ad ingressum, vel professionem; Dare consilium, auxilium, vel fauorem ad ingressum; Consentire ad hoc, sciendo non spontè ingredi, vel profiteri; Impedire ne fit monialis absq; iusta causa. quos actus ex *Portel. V. moniales Addit. n. 5. & infra.* declaro. Præter Reges, & Imperatores, qui ex quadam iuris interpretatione excludũtur, (etiam si alij contrarium sentiant) omnes hoc decreto subiacent: non tamen cogentes viros ad Religionem, vt suo loco diximus. *Puellam ad suscipiendũ habitum, et emittẽdam professionẽ cogentes ex communicantur. Reges, & Imperatores excludũtur.*

Metus incussus debet esse grauis non leuis, proportionatus tamen fœminis, & puellis, in quibus minor sufficit, quam in Viris. *Metus debet esse grauis.*

Metus ex graui; & iusta causa incussus, puta si quis diceret, nisi fias monialis accusabo te de stupro &c. iam ab illa patrato, excusat à censura iuxta probabiliorem sententiam, quia potius ostenditur modus fugiendi mortem, vel pœnam, quam cogendi ad monachatum: quia si esset coactio moralis, non excusaretur *Et ex causa in iusta.*

Ss

retur à censura, quia directè prohibetur à Concilio.

Coactionis casus particulares. Si Parentes dicant, nisi fias monialis, priuabimus te hæreditate, incidunt in excomminicationem, quia est iniustus, & grauis metus: secùs si id dicerent de re, quam possent alij donare, quia non esset metus grauis.

Promittere beneficia, fauores &c. ad ingressum, cum non sit metus, sed suauis promotio voluntatis, non inducit pœnas.

Ostendere mundi pericula, dotis defectum, matrimonij onera, & difficultatem, Religionis bona, etiam si importunis precibus suggeretur, non cadit sub excommunicatione, quia hoc est rogare, & persuadere, non cogere.

Qua ratione nec metus reuerentialis (nisi excedat limites meræ persuasionis, & incutiat metum cadentem in constantem virum, cuiusmodi aliquando potest accidere in timidis, & maximè mulieribus) neq; importat coactionem, sed conceptum quemdam reuerentialem, quem ipsa sibi filia, vel neptis incutit.

Qui vero monasterio minaretur malum, si talem reciperet, vel non reciperet, & persona esset potens, tunc timorem, & coactionem inferret: Non verò si diceret, Nolo amplius vobis facere elemosinam, quia nec iste est metus coactiuus.

Neque incurreret, qui cogeret filiam ad intrandum, non vt fiat monialis, sed vt honestè conseruetur, vsq; ad ætatem nubilem, vt cum *Rodrig. et alijs* tenet eius Compilator, contra *Portel. resolut. dicta* 101 *num.* 79. verè enim non est contra concilium, quod prohibet coactionem solùm in ordine ad susceptionem habitus.

Neque incurrerent cogentes in casibus à iure permissis, puta si ipsa vouisset Religionem; Si post contractum matrimonium, nollet consummare sub colore suscipiendi habitum, tunc cogi potest vel ad Religionem, vel ad matrimonium. De quibus *Suar. tom.* 5. *de censur. disp.* 23. *sect.* 5 *n.* 8. *Filliuc. tract.* 14. *cap.* 6. *quæst.* 5. *Bonac. de censur. d.* 2. *quæst.* 6. *p.* 2. *n.* 22.

Non incurritur censura, nisi secuto effectu, ingressus, vel assumptionis habitus, vel emissionis professionis; sufficit enim vnum horum trium, Itaq; si coacta ingrediatur, non profiteatur tamen, adhuc essent excommunicati, quia cum effectu sequutus est ingressus.

Ab hac censura absolui non potest, si coactam è monasterio non educat, dum potest, id est ante professionem; quia persistente culpa actuali, non potest tolli pœna: vt si quis actu percuteret Clericum, interim absolui non posset: Toto enim illo anno probationis retinetur coacta in ordine ad professionem, & consequenter cogitur ad professionem: itaq; remouere debet coactionem, ne post absolutionem remaneat excommunicatus. Quinimo addo, si sciat inuoluntariè professam, & consequenter professionem esse nullam tenetur illam è monasterio extrahere, & suę libertati restituere, & ante hanc restitutionem in integrum absolui non potest, quia verè inuitam cogit sub habitu remanere: si autem hoc ignoretur, absolui poterit.

Qui impediunt professionem, vel acceptionem veli sine causa, quia volunt, illam nubere, & propterea vel Monialibus, vel fœminę timorem incutiunt, vel minant, vel illam è loco, vbi est monasterium in aliud abducunt, vel cum quibus agendum esset, non agere permittunt; quinimò ipsi, quorum interest (non enim puella potest ex se Episcopum adire, moniales conuenire, de dote pacisci &c.) non tractant, vel dotes dare nolunt &c. excommunicati sunt, quia

hoc

hoc non tantum includit actum professionis, sed assumptionem etiam habitus, sine qua professio emitti non potest: & idem est hoc impedire, ac illud. item si corrumperet moniales, ne illam ad professionem reciperent.

Consilium, auxilium, & fauorem ad hanc coactionem dantes etiam sunt excommunicati, dummodo sciant virginem inuitam cogi.

Interponentes huic coactioni præsentiam, consensum, vel authoritatem, puta quia virginem ad monasterium comitantur, professioni, vel receptioni assistunt; quando Scilicet hoc faciunt cum scientia coactionis, & formaliter in ordine ad illam, sunt excommunicati si tamen facerent ex vrbanitate, amicitia, curiositate, obsequio dominorum, non inciderent in pœnam.

Queritur quintò, quantum temporis post acceptationem, potest puella in seculo remanere?

Respondeo per statutum. *Religioni iam adscripta, intra quatuor menses habitum Religioni accipiat.* S. Congregatio apud *Gauantum V. monialium receptio. nu. 32. sex menses post à receptione dabitur ei habitus, nisi citius, vel tardius id indicauerit Episcopus, & monialium Superior.* Itaq; erit Superiori voluntarium extendere tempus. interim elapso quadrimestri, in nostra religione, recepta ammittit ius acquisitum, & potest cogi ad iterum recipi, nisi vti velimus allata declaratione, quæ cum non sit autentica, cogere non potest.

Puella acceptata, quatuor post mẽses ad sũmum, habitũ recipiat.

In hoc tempore, debet. *Confirmationis sacramentum suscipere, antequam habitu induatur,* nec cogatur Episcopus pro illa confirmanda, ad monasterium accedere. Item *pridiè quò religionis habitum suscipere statuit confiteri debet confessario monialium, & S. Eucharistiam in die susceptionis ab illo recipere.* Ante susceptionem, vestes benedici debent, missa cantari, sermo haberi, nomen alicuius Sanctæ Nouiciæ imponi; instrumenta musica, præter organum, non adhiberi; extra septa, ante fenestellam, functiones hasce fieri. hæc omnia ex statutis, & praxi.

Puella ante habitũ, Confirmationis sacramẽtum accipiat, Confessionẽ generalẽ faciat,

Quæritur sextò, An in anno nouitiatus Nouitia potest aliquid monasterio donare, vel testamentum condere?

Puella in nouitiatu, quid donare monasterio possit.

Respondeo ex statutis. Cum ex S. Tridentina synodo (*sess. 25. c. 16*) *sub anathematis pœna expressè prohibeatur, vt præter victum, & vestitum probationis tempore nulla bona puellæ monasterio, quouis nomine dentur, id inuiolatè seruetur.*

Neque renunciatio, aut obligatio, etiam donationis nomine, prius facta, etiam cum iuramento, vel in fauorem cuiuscumquè causæ piæ valeat, nisi de licentia Episcopi, intra duos menses proximos ante professionem fiat, & non aliàs intelligatur suum effectum sortiri, nisi professione secuta: aliter verò facta irrita sit, & nullius effectus. hæc ad literam, citatum Concilium: quæ quia à nobis, vbi de nouitijs, satis examinata sunt, eò remittimus.

Dico XVI. *Nulla Nouitia ante sextum decimum annum completum, nec quæ minori tempore, quam per annum post susceptum habitum, in probatione steterit, ad professionem admittatur.* Ita statutum, per verba Concil. Trid. *sess. 25. cap. 15.* & de hoc disputatum est vbi de professione Nouitiorum.

Puella non profiteator nisi post 16 annos, & cõpletum nouitiatum.

Quæritur Primò, An sine Episcopi præsentia monialis profiteri possit?

Respondeo per statutum. *Non admittatur ad professionem, nisi Episcopo ante per mensem admonito, vt eius iussu de voluntate virginis explorare possit, an sedu-*

& ab episcopo exploretur.

cta, an coacta sit, an sciat quid agat, & religioni sit idonea. Ita concilium. cap.17. super quo decreto.

Facta inconsulto episcopo est valida.

Dubitatur primò, An professio aliter facta sit valida?

Respondetur affirmatiuè. Quia concilium eam non inualidat, sed solum ait. *Quod si Præfecta certiorem Episcopum non fecerit, quamdiu Episcopo videbitur, ab officio suspensa sit.* ergo punit factum, nō irritat. & rationabiliter, quia essentialia professionis iam reperiuntur, nimirum annus 16. nouitiatus completus, liber consensus, Superioris acceptatio: exploratio enim Episcopi est accidentalis, & de iure nouo, ad experiendam tantum voluntatem liberam.

Episcopus Prælatum regularem qui eo inconsulto professionem reciperet, puniri non potest.

Dubitatur secundò, An Episcopus punire possit Prælatum regularem, qui ipso inconsulto, emittendæ professioni consensit?

Respondeo negatiuè, quia supra illum nullam iurisdictionem tribuit concilium, sed totam obligationem imponit præfectæ: ait enim. *Ne Episcopus ignoret tempus professionis, teneatur Præfecta Monasterij, ante mensem eum certiorem facere. quod si &c.* & quidem benè, quia Prælatus non debet cogi ad aduertendum hoc tempus, cum alia maiora negotia illum occupent.

Dubitatur tertiò, An certioratio ista facta ante mensem, vel post, immunem reddat à pœna Præfectam?

Certioratio hæc potest fieri ante, et post mensē.

Respondeo affirmatiuè, quia nisi fiat ob contemptū, plus vel minus in moralibus culpam grauem non infert; & cum effectus prætensus à concilio, per anticipationem quindecim dierum, vel postpositionem habeatur, non est curandum de alio.

Episcopus potest iuditialiter procedere in exploratione, & nouitiam extra clausuram educere.

Dubitatur quartò, An hęc exploratio possit fieri extra monasterium, vel non seruata solemnitate iudicij?

Respondeo per declarationem S. Congregationis apud Concilium, Turnoni impressum. *Ex puella, cuius deliberatio in dubium reuocatur, ordinarius diligentissimè quærere debet, An Deo religiosè seruire, an nubere vel it; & hoc fieri debet necessarijs interrogationibus: & quidquid respondet, describi debet à publico Notario, præsentibus testibus idoneis. quæ quidem puella, si ob aliquam causam probabilem, videtur ordinario non esse examinandam ad monasterij crates, examinari debet in Ecclesia eiusdem monasterij, vel alio religioso loco, qui aptior, & commodior videbitur.* quæ declaratio in dubio obseruanda est. attamen cum concilium tales solemnitates non imponat, Episcopus solus, & oretenus explorare potest, qui de exploratione nulli alteri fidem facere tenetur.

Dubitatur quintò, An explorata voluntate, & completo nouitiatu, possit Episcopus determinare tempus profitendi, vel è monasterio exeundi?

Episcopus vltra explorationem, nihil aliud potest in professione nouitiæ.

Respondeo negatiuè, quia Concilium nullam aliam authoritatem tribuit Episcopis, nisi explorandi voluntatem: reliquum ad Superiores regulares spectat. Quod si opponatur quædam declaratio S. Congregationis, loco citato, dicens *Puellis, quæ sumpserunt habitum in aliquo monasterio monialium, debet ab Ordinario certus numerus dierum, 15. vel 20. pręfigi, intra quem deliberent, si voluerint professionem emittere, vel non. si noluerint, remitti poterunt ad domos consanguineorum,* intelligenda est de Monialib. sibi subiectis, non de Regularibus.

Dubitatur sextò, An liberum sit Episcopo expectare totum mensem exploratione libertatis?

Respondeo per declarationem Concilij ibid. & apud Armend. Campanil. & Bar-

Barbosam. *Postquam Episcopus à Præfecta de tempore professionis Nouitię ante mensem certior factus fuerit, intra 15. dies examen perficere tenetur; quibus elapsis amplius in eo non se intromittat.* & ratio esse potest, quia professura præparare se debet in ijs, quæ necessaria sunt, quæ non poterit, nisi saltem per quinque dies. Sed meliùs statutum. *Si Episcopus infra quindecim dies illius mensis examen neglexerit, aut sine iusta causa Superiori manifesta, distulerit, tunc eo casu ex declaratione Pij V. Superiori liberum sit eam admittere, dummodo nihil canonicum obstet.* Constitutio autem Pij V. incipit. *Et si mendicantium*, quam refert *Hier. Rod. resolut.* 101. *num.* 81. quæ est septima in ordine, in hæc verba. *Volumus etiam quod puellarum Deo dicandarum, an scilicet coactæ, vel seductæ fuerint examen faciendum non nisi infra 15. dies, postquam Episcopi, vel eorum Vicarij requisiti fuerint, fieri possit: quibus elapsis, ampliùs se in hoc intromittere illis non liceat; cuius occasione monasterium non ingrediatur, & interrogationes alias, quàm eas, quæ præfatum concilium iubet, eis fieri omninò prohibemus, & puellæ ad alias respondere minimè teneantur.* Vnde Differenti Archiepiscopo Amalfitano explorationem voluntatis cuiusdam Nouitiæ, hoc ann. 1642. S. Cong. Concilij præcepit quatenus illam exploraret, vt notatum est in Regesto ordinis apud S. Mariam de Aracœli.

Episcopus monitus, intra 15. dies explorare debet.

Dubitatur septimò, An explorata voluntate, Episcopus possit professionem inhibere?

Respondeo affirmatiuè, quia si indeliberatam, & non plenè liberè profitentem Nouitiam aduertat, non solùm potest, sed etiam debet prohibere, aliàs vana esset exploratio voluntatis; & contra hanc prohibitionem facta professio, nulla declaranda est, quia facta ab eo, qui illam impedire potest, & mens concilij alia non est, quam delegare Episcopo legitimæ professionis cognitionem, & impeditionem.

Episcopus ex causa potest professionem inhibere.

Queritur secundò, Quomodo ad professionem recipienda est Monialis?

Respondeo primò. *Vt liberius de nouitia ad professionem admittenda, Moniales suffragium ferant, id per ballottationem, aut perscrutinium fiat.* ita statutum: De quo vbi de nouitijs. numerus autem suffragiorum; per hoc statutum decernitur. *Deinde singularum vota explorentur secretò, & si duas ex tribus partibus calculorum, Nouitia tulerit, tunc omnes in Ecclesia procedant, &c.* Quod etiam intelligendum est secundum declarationem factam, vbi de nostris Nouitijs, &c.

Acceptatio ad professionem, habilitatione, vel suffragijs fiat.

Respondeo secundo. *Mane dici, quo Nouitia professura est, confessa, deuotè communicet.* & de hoc etiam.

Ante professionem confiteatur, communicet.

Respondeo Tertiò. *Stata hora, monialibus congregatis, qui eam functionem obierit, ad eas sermonem habeat, pro rei dignitate, &c.*

Habeatur sermo.

Queritur Tertiò, An professio fieri debeat in manibus Præfectæ, an Superioris?

Respondeo Præfectæ. *Coram eo, qui ad hoc specialiter debitus fuerit, in manibus Præfectæ, sub formula præscripta.* posse autem Superiorem recipere professionem, supra retulimus ex Portel.

Fiat in manib. præfectæ.

Dices, An facta professio inconsulto Superiore, sit valida?

Respondeo, si Superior prohibuit emitti professionem, professio est nulla, emissio professionis spectat immediatè ad Superiorem, ex Concil. Triden. *Sess.* 25. *cap.* 16. ibi *finito tempore nouitiatus, Superiores, Nouitios, quos habiles inuene-*

Professio facta prohibente superiore est nulla.

inuenerint, ad profitendum admittant, aut è Monasterio eijciant. quod decretum includit etiam Moniales, quarum Superiores sunt nostri Prælati. Illo ergo contradicente, professio nec fieri potest, nec facta subsisteret. Si verò non prohibuit, valet professio ex tacito, & præsumpto consensu; licet ordinariè non fiat nisi eo consulto, quia demandatur confessario, vel alteri, vt tali actioni assistat.

De nomine alicuius sanctæ imponendo, de professione notanda, &c. quod in his statutis decernitur, loco sæpiùs citato disputatum est. Atquè hæc de Monialibus.

Circa quas, multa statuta, prout occasio tulit, allata sunt, ijs ad marginem non signatis, ne tituli multiplicarentur.



CAP. XII.

STATVTVM I.

Vt de bono ſanctorum locorum regimine præcipua cura habeatur, Religioſus ætate grauis, doctrina, eruditione inſignis, prudentia clarus, rerum agendarum vſu peritus, vitæ innocentia, &c. Montis Syon Guardianus, & Terræ Sanctæ Cuſtos, & Commiſſarius in generali Capitulo, communi Patrum conſilio, & conſenſu eligatur.

Relicta Expoſitoribus Regulæ Minorici inſtituti declaratione, quo per eandem, illius profeſſores ad conuerſionem infidelium habilitantur, liberaquè ad diuini verbi inter infideles prædicationem, facultas conceditur, dummodò opportunis qualitatibus ſint inſtructi. Venio ad commentationem ſtatutorum, locorum ſanctorum gubernium concernentium.

Quæro primò, Cur vocetur Guardianus Montis Sion?

Reſpondeo, *ann.* 1333. concedente Ægypti Sultano, P. Rogerius Guarinus Aquitanus fundauit Conuentum in Sancto Monte Sion, qui per Dauid ab hoſtibus ereptus, munitiſſima arce, & ſui nominis Vrbe donatus fuit. 2. *Reg. quinto.* in quo Cœnaculum extitit, Cœna Dominica, Apparitionibus Chriſti reſurgentis, Matthiæ electione, Spiritus Sancti in Diſcipulos deſcenſu, nobilitatum. Quem Sancta Helena inſigni poſtmodum templo decorauit: quod Turcarum feritate collabens, Minorica Religio ad Saluatoris memoriam inhabitare, ac excolere cœpit, ac ſumptibus magnis Roberti, & Sanciæ Siciliæ Regum impetrauit in Monte Sancto Sion, & in Sancto Chriſti Sepulchro morari, obtento etiam Apoſtolico diplomate Clemen. Papæ 6. qui horum ſanctorum locorum poſſeſſionem Minorico ſodalitio perpetuò addixit, vt legere eſt apud, *VVadingum ad ann.* 1333. *num.* 19. *&* 1342. *num.* 17. *relatum à P. Cea, lib.* 1. *Theſauri Terræ Sanctæ. cap.* 3. *per totum.* quod clariùs videre eſt in citato *Vuad. ad* 1342. *n.* 21. *& Authoribus ab ipſo citatis.* Verùm cum *ann.* 1550. Turcarum aſtu, auaritia, & ſuperſtitione, templum Montis Syon ademptum fratribus, in Meſchitam tranſiiſſet, aliud templum, & monaſterium intra ciuitatem, ſub inuocatione S. Saluatoris ſibi exſtruxerunt, Pio Quarto ann. 1561. annuente, & eò montis Sion indulgentias, ac priuilegia transferente. Cum quo templo poſſidet etiam Seraphica Religio Sanctiſſimum Saluatoris Sepulchrum, eiuſdem incunabula Betlehemitica. in valle Ioſaphat: B. Virginis item Sepulchrum; in horto Getſemani orationis dominicæ locum; in Monte Oliueti Aſcenſionis veſtigia; in Ciuitate Nazareth prope Montem Thabor, templu ab anno 1620. intemeratæ Virginis, ac Ma-

Montis Sion guardianus cur appelletur, & quid in illo operatum fuit.

S. Saluatoris templũ, alia quo à fratribus in orien. te poſſeſſa.

ac Matris Conceptioni, ac Filij Incarnationi adolescentiæquè addictum, vt taceam loca Constantinopolis, Cairi, Baruti, Aleppi, Alexandriæ, Damiatæ, Tripolis, Alexandrectæ, Osianderonæ, Saidæ, Cypri, in quibus Fratres morantur; quæ omnia Guardiano Sancti Saluatoris, seu Montis Syon, seu Terræ Sanctæ subiacent, vt videre est apud citat. *VVading. num. 34.* Vnde meritò Custos Terræ Sanctæ, ac Commissarius Apostolicus appellatur. & ideo.

Quæro secundò, Quare vocentur Custos, & Commissarius?

Guardianus montis Siō vocatur Custos, & Cōmissarius.

Respondeo, Custos, quia plures sub se Conuentus habet, nondum Prouinciæ titulo decoratos: Siquidem ex Clemente Sexto talia loca subiecta fuerunt Ministro Prouinciæ terræ laboris, & sic illius custodia vocabatur. Commissarius autem, quia non solum est Commissarius Ministri Generalis, sed etiam Delegatus Sedis Apostolicæ in partibus Orientis cum amplissima potestate, ex concessione Calixti Tertij, non tantū supra Fratres, sed etiam super omnes Christianos, Laicos, & Sacerdotes ad Orientis partes confluentes, quos malè viuentes potest per censuras Ecclesiasticas inde expellere, ex Clemen. 5. Innocen. 4. & Ioann. 22. qui concesserunt etiam facultatem baptizandi, absoluendi à quibuscumquè casibus, etiam apostasia, præterquam à falsificatione literarum Apostolicarum, Vt precisè concessit Eugenius Quartus, Dispensandi super quacumquè irregularitate, Vt concesserunt supradicti, ac Gregorius Vndecimus Commutandi omnia vota, Hierosolimitano, visitationis sanctorum Petri, ac Pauli, & religionis, exceptis, Participandi cum excommunicatis, & schismaticis. Celebrandi ante diem, parcè tamen. Retinendi apud se capsam pecuniarum. Vocandi ad se fratres voluntarios ex quibuscumquè Prouincijs, absquè Ministrorum consensu. quæ omnia ex Hierosolimitano conuentu transcripta mihi communicauit P. Didacus de Sancto Seuerino, dum absoluto guardianatu terræ sanctæ Romam redijt. Et recensent *Gonzaga par. 1. titulo, Terræ Sanctæ loca, siuè Custodia. P. VVadingus ann. 1342. n. 34. P. Didacus de Cea in Thesauro Terræ Sanctæ. lib. 2. c. 1. §. 5.* qui per extensum refert bullam Eugenij Quarti multò plura continentem priuilegia. Hinc non mirum, si cum baculo, & mitra, ac Pontificalibus celebret, quippè qui Summi Pontificis vices gerit, & Christi Domini populum in obedientiam Sedis Apostolicę cohibet: Quem iure optimo super omnes Nationes Orientales, & Occidentales, Turcę; & Turcharum Dominus honorant, & magni faciunt; quia super omnes Nationes Indos, Armenios, Persas, Abissinos, Sorianos, Græcos, Cophtos, Afros, Ægyptios, Æthiopes (vt taceam de Occidentalibus) præcedentiam, & antelationem Guardiano Hierosolimitano concedunt.

Guardiani authoritas.

Guardianus montis Sion Pontificalibus vtitur.

Superomnes oriētales honorantur.

Quæro Tertiò, qualis debeat esse talis Guardianus?

Qualis esse debeat.

Respondeo, patere debet ex munere, quo Christi D. Vicarium, eiusquè sedis amplitudinem repræsentat: quo Reliquias fidei, verbo, exemplo, cura, sollicitudinequæ conseruare debet: qui destinatur Custos locorum, in quibus Religio Christiana concepta, adulta, & perfecta est; quiquè sensibiles redemptionis memorias in medio Nationis prauæ tueri tenetur: qui tandem labore vigili, præsentissimis vitæ periculis, summisquè, ac incredibilibus expensis, Christiani nominis vexationes ab infestissimis hostibus redimere debet. Statutum pauca enumerat; plura Ecclesiastico stylo digessit citatus *P. Cea lib. 1. à §. 6.* in quo probat, qua charitate erga omnes, præcipuè Peregrinos ardere debet talis

Quid molitur.

Guar-

Guardianus,& quid, quantaquè circa illos expendat, moliaturquè. Quomodo forma gregis factus exemplo lucere, qua prudentia abundare, qua ratione, per laborum tollerantiam se ad martyrium disponere,ac præparare debet.videatur Author in fonte,quia non expedit illa rescribere.

Quæro quartò,de modo electionis illius?

Respondeo, ex alibi disputatis, debet eligi, vel institui in generalibus comitijs de consensu Patrum;aliàs malè suam iurisdictionem exercet; nec potest in hoc Generalis dispensare,nisi tale officium extra comitia vacare cõtigerit,quia tunc,disponente statuto *Salmanticen.cap.8.Neapolitan.cap.5.Vallisolet.an.capit.8.Titulo de Generali Ministro. Si dicta loca vacare contigerit, Generali substituere possit, quos idoneos, & habiles de aliquorum consilio censuerit.* & disputatum est, quid intersit inter consilium, & consensum. *Quomodo eligendus.*

STATVTVM II.

Vniuersa verò similia in generali Capitulo, etiam singulo quoquè triennio deligenda, ex ijs Fratribus semper eligatur, quos laudabili, & certo testimonio Prouincialium, & Patrum,magis pios,deuotos;in fide constantes, & morum probitate probatos, maximè idoneos esse constiterit ad mittendum.

Quæritur,An qui de familia mittuntur ad loca sancta,debeant voluntarij mitti, & an opus sit, habere qualitates eorum, qui *diuina inspiratione voluerint ire inter Saracenos,& alios Infideles,*iuxta præscriptum Regulæ *cap.12.*

Respondeo primò, ex decentia status, & regionum, mitti tales debent,qui in occasione possint subire martyrium. Ita statutum. *Qui verò missi fuerint, eius probitatis, & sanctitatis exempla præbeant, quæ eos decent pro instituto, quod profitentur, vt suæ innocentiæ,& Christianæ fidei testimonium mundo præbeant.* & quidem rationabiliter, quia potest contingere casus (vt multoties contigit) quod cogantur Fratres sufferre martyrium:ergo præparati esse debent,& dispositi,vt vrgente necessitate,in actum confessionis fidei exeant. *Quales mittendi ad loca orientis.*

Respondeo secundò, licet casus possit accidere,vt Fratres ad loca sancta missi interrogentur de fide,& cogantur ex præcepto confiteri fidem,iuxta communiter scribentes, nec valeat æquiuocatio, aut fuga; attamen stante morali certitudine tot sæculorum, quod Christiani, & Religiosi non cogantur à Turcis ad negandam fidem, non esse necesse in his seruare conditiones mittendorum ad prædicandum; itaut contra regulam peccent Superiores. Ratio est, quia licet inter Turcas mittantur, non tamen mittuntur formaliter inter Saracenos iuxta sensum regulæ, quia non mittuntur ad prædicandam fidem, ad conuertendos Turcas, & ad subeundum martyrium, sed ad populandos conuentus,illisquè inseruiendum sicuti mittuntur ad alios conuentus religionis. Nec propterea neces- *Non indigent probari sicuti, qui mittũtur ad infideles.*

cesse est habere animum in dispositione martyrij, nisi in habitu, cuius modo omnis fidelis tenetur habere intentionem habitualē subeundi martyrium, quoties de fide constitueretur. qua ratione multi alij Christiani ad Turcas vadunt, negotiandi animo, &c. Nec isti peccant contra fidem, si non accingantur ad iter, cum dispositionibus pro martyrio subeundo: peccarent quidem mortaliter omnes, si malè viuentes, periculo in peius labendi se committerent; quippe mala conscientia est dispositio ad infidelitatem, iuxta Pauli sententiam. 1. *Thimot.* 1. 19 *Habens fidem, & conscientiam bonam, quam quidam repellentes, circa fidem naufragauerunt.* qua ratione, omninò peccare mortaliter Superiores affirmo, qui ad terram sanctam, vel ad inseruiendum conuentibus, vel ad peregrinandum fratres mitterent; quos laudabili, & certo testimonio probatos nescirent: non quidem ex præcepto regulæ, sed ex iure diuino, ac naturali, quæ dictant, cauendum esse à periculis. & Gregor. XI. in bulla, *De religiosa discretione*, data *ann.* 5. *sui Pontificat. Auinioni.* 7. *Calend. Decembris.* loquens de peregrinantibus ad loca sancta, & ibidem remanere volentibus inquit. *Habita tamen prius idonea informatione de constantia fidei, honestate vitæ, & conuersatione ipsorum laudabili.* Vnde.

Per obedientiam mittere potest Superior fratres ad loca terræ sāctæ.

Respondeo Tertiò. Superior, quos aptos nouit, potest per obedientiam adigere, vt ad loca sancta de familia vadant: nec tenetur voluntarios tantum eligere. Tum quia in hoc vtitur iure suo, sicuti in seruitio aliorum conuentuum: tum quia si fratrum libertati talis destinatio remitteretur, loca sancta manuteneri non possent, cum voluntarij non omnes sint apti: & qui maximè eò mitti deberent, nunquam sese offerunt, expectantes sanctæ obedientiæ meritū, & Superioris arbitrium, quod tanquam à Deo dictatum, in re graui accipiunt, & maximè ad religiones tam dissitas, tam infidelibus obsitas, tam grauissimis periculis expositas, destinari debent, & præceptis adigi, viri graues, patientes, honestissimi, qui vberem in horrea Domini segetem comportent; vel si vsuræ deficiant, census saltem principalis domum reportetur. propterea Prouincialibus ad terram sanctam mittendi facultas adimitur, dum statutum est. *Nullus generali Ministro, vel Commissario generali inferior, quauis causa, etiam peregrinationis, fratres Hierosolimam mittere possit.* quia negotium hoc quibuscumquè, non est passim committendum.

Generales soli possunt ad terram sanctam mittere.

Super quo statuto aduertendum est nō posse quemcumque Commissarium generalem mittere hos fratres, sed ad solum Cismontanum spectat: quia cum loca sancta ad nostram familiam spectent, non potest Vltramontanus extra suā iurisdictionem. Quam ob rem conditum est statutum pro Vltramontana familia, supra à nobis relatū ex Mirandæ, quod interpretandum est de Vltramontanis. Deducitur autem statutum ex bulla Calixti Tertij, *Apostolicæ Sedis copiosa* data Romæ *ann.* 1455. qua dicitur. *Cæterum nos omnibus, & singulis ordinis, & obseruantiæ prædictorum, fratribus districtius inhibemus, ne ad Vltramarinas partes huiusmodi, sine speciali Sedis Apostolicæ licentia, aut Generalis, seu Vicarij, vel aliorum Prælatorum ordinis, quam grauibus dumtaxat, & idoneis dari volumus, accedere, &c.* Quam concessionem coarctauit Religio ad solos Generales, ad quos tantum de iure spectare potest; qui Prouinciales extra suas, & in remotissimam Prouinciam destinare non possunt.

STA-

STATVTVM III.

Guardianus Hierusalem vniuersam familiam eundo, & redeundo, secum ducere diligenter curet; Et de communibus eleemosynis ad ea loca spectantibus, prouideat;nec alicui sibi prouideri permittat.

Familia terræ sanctæ cur simul ire,& redire debeat. Vnita nunquam damnum passa est.

Multiplex statuti ratio.Prima,quia grex vnitus est tutior seipso disperso. Secunda, Quia sumptus minores euadunt.

Tertia,Quia magnificentius, & deuotius, vel ipsis Turcis, in admirationem conuersis,Guardianus cum tota familia excipitur.

Quarta,Quia multitudo fratrum, vel nauigantium, vel itinerantium se ipsam in patientia,& longanimitate confortat. & experientia docuit, Deo suis seruis assistente,nūquam periclitatam fuisse Minoricam familiam,quæ cum suo Guardiano vel iuit,vel rediјt, à prædictis locis.Segregatos autem, hostium incursionem passos aliquando nouimus; quia lupus prius dispergit, vt postea mactet. & cum ab experientia vtili discedendum non sit,summoperè cauendum est,ne talis consuetudo intermittatur, sicuti intermitti, ex temporum calamitate, cæptum est,vrgētibus casibus,suo iuri relictis.& propterea subiungitur.*Si verò vrgenti de causa quandoquè contigerit vniuersam familiam cum suo Guardiano accedere,vel recedere non posse;tum Guardianus, vel loci superioir, accedentibus, vel recedentibus necessaria prouidere teneatur*. Cum enim inter Turcas vel in itinere de eleemosynis conquisitis degi non possit,de iure naturæ cogitur Guardianus, expensas itineris ministrare, ne singuli cogantur sollicitudinem de sibi prouidendo subire,cum maximo regularis disciplinæ dispendio.

STATVTVM IV.

Pro pecunijs autem mendicandis, vel habendis, alijsquè negotijs pertractandis, Fratres ad Italiam, vel aliàs partes,Christianis Principibus subiectas,Terræ Sanctæ Guardiano destinare ne liceat, nisi primùm ad Generalem ipsum eos destinauerit, sub pœna suspensionis ab officio, vel etiam priuationis, & apostasiæ destinatis.

Supponitur primò, posse Guardianum Terræ Sanctæ mittere suos subditos per tota Religionem, ob negotia, suum gubernium concernentia; & hoc habet

Guar-

Guardianus ex concessione Clem. VI. qui expræsè concessit posse vocare, & mittere fratres prò talibus negotijs, in hæc verba, *Vobis, & cuilibet vestrum vocandi nunc, & impofterum ad veſtram præſentiam, authoritate Apoſtolica ad requiſitionem dictorum Regis, & Reginæ* (Roberti, & Sanciæ Siciliæ) *de conſilio ſeniorum dicti ordinis; Fratres idoneos, & deuotos de toto ordine dicto, vſquè ad præfatum numerum, de quibus conſiderata qualitate negotij, videritis expedire. & eos ad ſeruiendum in diuinis tam in Eccleſia ſepulchri dominici, quàm in ſacro cœnaculo, & cappellis, habita priùs informatione de conditione Fratrum ipſorum, quos vocaueritis, à Miniſtris Prouincialibus ipſorum dicti ordinis veſtri. Vnde Fratres ipſi pro tempore aſſumantur deputandi, eoſquè ad partes illas etiam deſtinãdi, ac etiã alios ipſis, cum aliqui ex eis exceſſerint, toties quoties expedient ſubrogandi, &c.* & dirigitur Breue Generali, ac Miniſtro terræ laboris in ſolidum.

Guardianus terræ ſanctę Fratres ad Italiam mittere poteſt, & hinc eò aduocare.

Quia tamen Religio in generali Capitulo poteſt ſuis renunciare priuilegijs de quorum natura eſt, ne conferantur inuitis, iuxta regulam iuris in *6. cap. Priuilegium*. ideò vel toti, vel parti huius priuilegij renunciare potuit, illudquè limitare, ex conceſſione Leonis X. & Gregor. XIII. apud *Rod. tom. 1. q. 9. art. 2. Suar. lib 8 de legib. cap. 32. cap. 33. à nu. 4. Mirand. tom. 2. qu. 43. art. 4.* hinc prohibitum eſt, ne priùs ad tractanda negotia miſſi accingantur, niſi Generali conſulto, ſub pœnis recenſitis: quia cum ignoretur à tali Guardiano Orbis Chriſtianis ſtatus, irrationabiliter deſtinaret ſuos fratres, quò profecturos, imò malè facturos timere poſſet. & propterea benè conſultum eſt, vt à Generali, cuius intereſt, negotia dirigantur.

Religio, priuilegijs renunciare poteſt.

Nomine autem Generalis intelligitur etiam Commiſſarius, ſeu Vicarius generalis (niſi negotia ad alteram familiam ſpectarent) Nimis enim durum eſſet, ſi fratres in Italia negotiaturi, ad Generalem, in Hiſpania commorantem, antea proficiſci deberent.

Acceſſus verò ad Generalem ſufficit fieri per literas, ne negotiaturus Venetijs, vel Meſſanæ, Romam venire cogatur, & poſtea per tot milliaria remeare.

An autem in aliquo caſu valeat Epicheia, puta ſi mitterentur negotiaturi, Venetijs, & eò peruenientes reperirent parata omnia; itaut ſi expectanda eſſet facultas Generalis, vel negotium euaneſceret, vel difficile redderetur? Puto affirmatiuè reſpondendum eſſe, quia ſtatutum vagationem, & negotiorum fœlicem expeditionem concernit, non autem ipſorum impedimentum. quare in hoc caſu ſtatuti diſpoſitio ceſſat.

Tandem pœnæ tranſgreſſoribus impoſitæ, quòad mittentem, ſunt comminatoriæ, ibi *Suſpendatur officio, vel etiam priuetur*. Miſſis fulminatoriæ, ibi. *Deſtinati vero apoſtaſiæ notam ipſo facto incurrant*.

STATVTVM V.

Ad colligendas eleemoſynas ad Terram Sanctam pertinentes, vnus, vel alter, aut etiam plures, pro diuerſitate nationum, inſtituantur Procuratores, Generalis arbitrio, vt ipſe, de Patrum conſilio, magis expedire

cen-

censuerit: qui de collectis eleemosinis, Generali, vel alteri ab eo delegato rationem reddere teneantur.

Grauem hanc materiam eruditè pariter, & copiose vltimus omnium digessit sæpius à nob.s laudatus P. *Didacus de Cea. in Thesauro Terræ Sanctæ lib. 2. à c. 2. ad finem libri*. quem tamen præiuit quoddam meum consilium, S. Congregationi de Propag. fide expositum, & de eius mandato digestum, dum de hoc argumento apud Purpuratos Patres ageretur, *anno* scilicet 1637. *die* 13. *Augusti*. quod breuitati donatum, hic referam. Agitur enim de obseruantia paupertatis minoricæ, quæ subsistere non videtur, dum pro conseruatione sanctorum locorũ ingentes pecuniæ per totũ orbem Christianum a fratribus conquirendæ, comportandæ, conseruandæ sunt. Hinc nascitur principalis, &c.

Prima quæstio. An liceat fratribus minoribus, pro talium locorum conseruatione, pecunias petere, & contrectare; sine offensione regulæ?

Respondeo affirmatiuè, ex nobiliori, ac Superiori fine; quo concesso, conceduntur, & media. argumento textus, in *cap. Exijt. de verb. signif. in 6.* vbi dicitur, posse fratres minores reccurrere ad pecuniam propter emptionem librorum, & artium instrumenta, quia *Constans est quod hæc præsupponunt scientiam, scientia requirit studium, exercitium verò studij conuenienter haberi non potest sine vsu librorum; ex quibus omnibus satis claret, ex regula ad victum, vestitum, diuinum cultum, & sapientiale studium, necessarium rerum vsum fratribus esse concessum*. quod confirmat *Clem. V. in cap. Exiui. eod. tit. §. cum etiam recursus*. at manu tenere, & conseruare possessionem sanctorum locorum, quam per trecentos annos minorica Religio pacificè obtinet; & Christianæ religioni loca à Christo Domino sanctificata, inter Turcharum rabiem asseruare, est finis nobilior, quàm non quærere, & cõtrectare pecunias. Probatur hoc, in quo est tota difficulta, Tum quantum spectat ad fratres, Tum etiam quantum concernit Ecclesiam vniuersalem: Fratres enim possunt ad amicos spirituales recurrere ob ædificationem, & reparationem conuentuum: imò quando in peius, ob calamitatem temporum cæteros cõuentus labi contingeret, possumus congregare frumentum, & vinum ex *c. Exiui. citato §. rursus cum prædictus*. vt notauit *Hugo de Dina in cap. 4. reg.* quia Euangelium non tollit prouisiones, sed sollicitudinem. possunt item pro necessarijs ad vitæ substentationem, quando alio modo subueniri non potest. vt traditur, & in *Decretali, & in Clem. Exiit, & Exiui. à Pisano, Hugone in c. 4. Corduba ibid. q. 4. punct. 1. & q. 7. Cypriano lect. 7. ibid. & omnes alij communiter*. Quia maius præceptum diuinum, & naturale, & præualet minori, & positiuo. Possunt etiam pro charitate, & salute animarum, in qua Apostolicæ perfectionis forma constituitur. vt patet in ijs, qui ad Missiones Apostolicas destinantur, quibus conceditur, & nummos quærere, ac expendere, quando aliud fieri non potest; ac etiam habitum Sæcularem induere, quod vltimò per sanctitatem S. declaratum fuit. Hæc omnia necessitatem innunt, qua præceptum de petendis, & expendendis denarijs cedere dignoscitur. Quò autem ad vniuersalem Ecclesiam, sese offert conseruatio tam insignium Christiani nominis monumenrorum, & Religionis Christianæ manutenentia in illis regionibus, quæ nullo modo obtineri possent sine solutione tribu-

Pecuniæ peti possunt pro conseruatione locorum Terræ sanctæ.

Præceptum maius minori præualet.

tributi, & ingentium expensarum, vt sole clarius est. Et cum ex antiquissima possessione, loca ista sub gubernio Minoricæ Religionis reperiantur, & Ecclesia præcipiat, vt possessionem continuet, illisquè inseruiat: Eò vel maximè cum non ita facile in manu aliorum Christianorum cõseruari possent; quia si à

Minores pro conseruatione SS. locorum aptiores.

nobis, qui etiam apud Turcas pauperrimi habemur, tam ingentem pecuniarum summam quotidie extorquent; quid facerent, si loca ista deuenirent in possessionem aliorum, qui diuites haberentur? Præterquamquòd, non sine maximo scandalo, & ingenti Christianæ Religionis iactura, ad alios transmitti possent, qui in suspicionem violati, vel violandi status facillimè deuenirent. Experti norunt Turcharum ingenium, venalem ipsorum iustitiam, nisi ma ius iniustam nequitiam, ac Græcorum perfidam, subdolamquè mentem, ad Latinorum perniciem propensissimam. Hæc omnia (inquam) tanti ponderis sunt, vt cesset præceptum petendi, expendendiquè pecunias, maximè si adiugatur desiderium, vel occasio martyrij ad quod S. P. Franciscus suos fratres ordinauit, vt ex vltimo hoc regulæ capitulo colligunt *S. Bonauentura, B. Ioann. de Capistrano, & alij*. Quia ex *Augustino in psal. 67. Martyres summum locum tenent atquè apice sanctæ dignitatis excellunt*. Nam ex *Clemen. Alex. lib. 4. stromat. Consummationem vocamus Martyrium; non quod vita finem accipit homo, vt reliqui, sed quod perfectum opus ostendit charitatis*.

Martyres summum locum obtinent.

Episcopi regulares non à votis, sed à præceptis sibi repugnantibus absoluuntur

Hac etiam ratione Episcopi ex nostris assumpti, quia in eminentiori gradu collocati sunt, licet à votis non absoluantur, sunt tamen ab illis præceptis absoluti, quæ Episcopali dignitati repugnant. ex *S. Thom. 2. 2. q. 185. art. 8. Cum Caietan. ibid. & quod. lib. 2. qu. 22, Siluest. V. Religio. 6. & 7. q. 10. & 11. Cordub. q. 20. in cap. 2. reg. & alij*. Ergo cum conseruatio sanctorum locorum sit Superioris ordinis, quæ relinquere rationabiliter non possumus, sequitur in hac parte non militare præcepta repugnantia.

Nec vrget, quod cap. 10. regulæ dicitur. *Vbicumquè sunt Fratres, qui scirent, & cognoscerent se non posse regulam spiritualiter obseruare, ad suos Ministros possint, & debeant recurrere*. Quod ex *Clemen. Exim. de verb. signif. in 6. §. item quia*. Præceptum est obligans sub mortali. Et testatus est Sanctissimus Patriarcha moriens. *Caueant Fratres, vt Ecclesias, & habitacula, quæ pro ipsis construuntur, penitùs non recipiant, nisi essent secundum sanctam paupertatem, quam in regula promisimus*. Et non est secundum sanctam paupertatem pecunias tam anxiosè conquirere per totam Christianitatem. Vnde S. Bernardinus in quadam declaratoria epistola, *cap. 4.* ait. relinquendos esse conuentus, *in quibus non potest regula spiritualiter obseruari, secundum declarationem Martini V. cap. 10. constitut. nimirùm quando conuentui est annexa proprietas, seu cura animarum, baptizando, seu alia parochialia faciendo: Vel quando propter penuriam rerum necessariarum, oportet facere congregationes, & quæstus inhonestos contra puritatem regulæ, & vsum generalem ordinis*. Quòd præssius *Corduba q. 4. in cap. 10. regulæ. Similiter* (inquit) *si tali loco esset adnexum periculum mortiferæ distractionis, seu negotiationis ad temporalia acquirenda, propter officium procuratoris temporalium, sibi commissum*. Et negari non potest Guardianatui Terræ Sanctæ esse adnexũ munus baptizandi, parochialia exercendi; inhonestos quæstus faciendi, nimirùm ascendentes ad summam triginta, & circiter millium aureorum, quæ è toto Christiano Orbe corradere oportet, ad accendendam potiùs, quàm exti-

Guardianatui Terræ Sanctæ cura adnexa.

tia-

tinguendam Turcharum sitim; adnexas itidem summas distractiones, tùm pro conquirendis, tùm pro conseruandis, tùm pro expendendis pecunijs, quas sæpe sæpius ad ingentes vsuras accipere oportet, nisi carceribus, fuga, derelictione locorum, vel etiam morte succurratur. Quo nil inquietius, nil periculosius fratribus.

Non inquam vrget. Primò, Quia nulla est formalis regulæ trangressio; nam in sanctis locis non est proprietas, & fratres non sunt propterea proprietarji; Et sic nô est verum, quod in dictis locis fratres regulam spiritualiter obseruare non possint: Quod patebit ponderando authoritatem Sancti Bernardini: Nam quæstus non sunt inhonesti, imo honestissimi, quia hæ pecuniæ non quæruntur, pro fratribus, sed pro conseruatione sanctorum locorum. Ex quibus, & si fratres sibi necessaria recipiant, id tamen minimum est, vilissimum, & abiectum, ea fermè ratione, qua inter Christianos, communiter viuunt, & cum maiori penuria, & asperitate; tum quia multa desunt regioni, quæ hic essent obuia; tum etiam quia aspectus dominicæ passionis à necessairjs nonnihil demit. Quam honestatem benè probauit *citatus Cea* exemplo Pauli Apostoli, qui conquirendis hisce eleemosynis sedulò incubuit. *1. cor. 16. & ad Rom. 15. & Act. 24.* & quam pium sit ostendit ex Chrysostomo, & Lorino, ad quos, &c. Quinimò Eugen. 4. in bulla, *Pastor bonus*, data Romæ. *ann.* 1451. concedit indulgentiam, & facultatem eligendi sibi Confessarium ijs, qui *De bonis sibi collatis, vnum pro centenario, idest centesimam partem bonorum suorum, pro liberatione fidelium captiuorum de manibus infidelium, seu pro erectione, & manutentione domorum, vel substentatione vitę ipsorum Fratrum, vel alia quauis spirituali substentatione erogauerint, possint sibi eligere Confessores idoneos, &c.* Et Calixtus Tertius, *ann.* 1455. *4. Idus Ianuarij.* in bulla, *Apostolicę Sedis copiosa benignitas*, concedit fratri Antonio de Mugnano Guardiano Montis Sion, *Viginti personis, cuiuscumquè conditionis vbicumquè fuerint, quæcumquè vota peregrinationis, liminum Apostolorum dumtaxat excepto, ita tamen quod tibi in subsidium viagij, ac Fratrum, et domorum prædictarum, tantum quantum in personali executione votorum huiusmodi, aut in alium per se transmittendum expendissent, aut quantum tibi videbitur, in pecunia numerata persoluant, authoritate nostra relaxandi, etc.* Quod confirmauit in altera, quæ incipit. *Licet pro nostra*, data *eodem anno. 5. Idus Maij*. Videat igitur quilibet quantum honestatis contineat quæstuatio pecuniæ pro Terra Sancta. Secundò, Cura animarum, maximum Christianæ pietatis, & perfectionis est opus, vnde ad illam Regulares ritè transeunt, & missionarij ad hoc specialiter deputantur, quando Presbyterorum Sæcularium copia non adest: Et multò perfectiùs est, animas saluare prædicando; Sacramenta Ministrando, &c. Quam in solitudine recitare officium, & orare. *Sancta quippe simplicitas solùm sibi prodest, etc.* Ex Sancto Hieronymo. Baptizare autem non est contra regulam, quia illa verba cap. 11. regulæ. *Non fiant compatres etc.* Licet Pisanus, Hugo, & Expositio anonima intelligant etiam de baptizante, attamen alij declarant de solo suscipiente, iuxta statutum generale *Capituli Messinensis celebrati ann.* 1499. Et in casu necessitatis non obligare præceptum regulę, quod à Sacris Canonibus elicitur, dicunt *Hugo, Pisanus, Corduba, et Alij communiter*; quia salus animarum præponenda est præcepto positiuo. Et vani essent fratres Minores, si huic summo fini non assisterent.

In sanctis locis nulla proprietas.

Quæstus nô inhonesti.

Fratres pauperem, & asperam vitam ducūt.

Eleemosynas Terræ Sanctæ erogantibus, indulgentię cōceduntur.

Cura animarum minori co instituto nō repugnat

Baptizare non est contra regulā.

Tertiò

Tertio Mortiferas distrationes fratres non patiuntur, quia subditi nec hilum quidem se immescent in negotijs terrę sanctæ,sed sola cura Guardiano, Procuratoriquè committitur, quinimò illi suis deuotionibus vacant,in sācto Sepulchro sub claui recluduntur, ad sanctuaria cum Superioris licentia pergunt, ad officia inferiorum locorum destinantur, sub vmbra prudentis Superioris dormiunt, nec Turcę ipsos,vt plurimum molestant.Quod si vrgeat cum sollicitudine Superiorum, quorum saluti vel in primis prospiciendum est:sciat. Superiores ad sollicitudinem adscitos,ad animarum curam destinatos,non sibi,sed alijs viuere; si enim tollere velimus istam sollicitudinem,oporteret relinquere antiquissimas, celebresquè Prouincias ordinis, inter Infideles constitutas, vt Bosnæ; Vngariæ, Transiluaniæ, Orientis, Iaponicas,Indas &c.& confiteri S.P.Franciscum suam Religionem instituisse, vt sibi soli viueret,& alijs proficere, non curaret, quod ridiculum est.Ista enim sollicitudo regulam non frangit, spiritum non debilitat,nocturnas horas orationi nō subtrahit, mentis eleuationem ad Deum non impedit,bonitati minoricæ non incommodat;quinimò cum Apostolo,in plagis, in seditionibus in angustijs, in quotidiana omnium Ecclesiarum sollicitudine, conuersationem nostram in cœlis habere non prohibemur, imò cogimur in Turcharum persecutionibus,ad Deum recurrere cum Machabeis,qui cum nescirent, quid agere deberent, oculos suos ad Deum conuertebant, vt experientia quotidiana docet.

In Sanctis locis mortiferas distractiones fratres non patiuntur.

Superiores ad sollicitudinem asciscuntur.

Malè eligēs finē peccat in medijs.

Si dicas,Voluntariæ necessitates,in quas(inquam)voluntariè se religio conijcit, non habilitant nos ad petendas pecunias, vt tenet S. *Bonauentura. quatuor Magistri in cap.2. Regulæ de calceamentis. Corduba in idem cap.q.2. de equitando.* quia liberè eligit media prohibita,qui libere arripit principium, vel finem malum,vt probat *Angelus (citatus a Corduba)in moralibus à cap.1. ad* 8.at nos recurrimus ad pecuniam, quia voluntariè volumus retinere loca sancta; ergo illegitimè obligamur ad istas malas consequentias.

Respondeo, nec liberè retinemus, nec voluntariè relinquere possumus.ex probatis: ergo colligitur ex opposito, quod possimus vti medijs necessarijs ad conseruationem illorum.

Quantam pecuniā colligamus pro terra sancta

Si replices,petimus vltra nostram necessitatem,quod ab omnibus dicitur esse peccatum, nam pro sustentatione fratrum sufficiunt ad summum duo vel tria scutorum millia;at congregamus viginti,& triginta, & aliquando sexaginta, & vltra aureorum millia,ad satiandam auaram Turcharum ingluuiem : hoc non est negotium Minoribus competens, cum possit Ecclesia alios delegare ad tale opus, & nos possumus pro necessitatibus nostris tantum, ad amicos spirituales recurrere.ex Nicolao III.& Clem.V.& omnibus scribentibus.

Respondeo,& hoc fratrum est, quia si tributa non pendimus, sancta loca inhabitare non possumus: & cum Ecclesia dicta loca conseruare debeat, & velit, nullos alios ad hoc munus applicare melius potest,quàm Minores,qui altissimę paupertatis suffragio libenter eleemosinas extorquent, quod alij facere non possent:Vt appareat,quanta compassione sint digni fratres Minores, qui in tot angustias,labores,rubores,& pericula se conijciunt,vt Christo Domino,suęquè Ecclesiæ Religionis,& fidei christianę monumenta conseruent.

Si vrgeas,Cum occupatione fratrum,qui instituuntur per totum orbem christianū Procuratores pro harū eleemosinarum collectione,vt in statuto dicitur,

Cap-

Cappellanos faciunt mare & aridam circumeunt, vt vnum scutum terræ sanctæ acquirant; hoc enim sæculares fastidio, scandalo afficit.

Respondeo, Plures quæstores eleemosinarum sunt in solo conuentu Sancti Francisci de Vrbe, Aracœli, vel Neapoli, vel Venetijs, quam sint Procuratores pro terra sancta, eos numerauit *P. Cea citatus lib. 2. cap. 2.* vnus reperitur Matriti, Alter Neapoli, alius Venetijs, alius Parisij, alius Viennæ, alius Romæ. His omnibus præsidet. P. frater Paulus de laude, quem honoris, & reuerentiæ causa nomino, nunc terræ sanctæ Commissarius Generalis, aliàs eiusdem Guardianus, & in orientis partibus Missionarius Apostolicus, qui pro Dei gloria, Ecclesiæ sanctæ honore, & sanctorum locorum conseruatione, in grauissima Græcorum persecutione multa sustinuit (vt taceam dotes animi, & religiosas eiusdem qualificationes) hi colligendis peccunijs, cum magna charitate, & populi ædificatione peruigilant, alios in diuersis prouincijs substituentes, qui omnes ad summùm non excedunt numerum viginti fratrum, nec Cappellani regulam transgrediuntur, quia in locis sibi destinatis missas celebrant, confessiones excipiunt, aliaquè sacramenta ministrant, sæculares, & obsequio, & exemplo ædificant, nummos non recipiunt, sed contenti simplici, & eleemosinali quotidiano victu, & vestitu, si quid pecuniæ à fidelibus erogatur, per Syndicorum Apostolicorum manus, Ierusalem adsportari procurant, Ex quò Commissariorum terræ sanctæ labores dignosci possint, qui cum sint magni, & satis vtiles. Decretum fuit in generali Capitulo Toletano, *ann. 1633. Titulo de Terra Sancta.* in fine, *Vt qui in posterum laudabiliter, & fideliter exercuerit officium Commissarij Terræ Sanctæ per octo annos continuos, gaudeat immunitatibus Diffinitoris prouincialis; qui verò per 12. priuilegijs Patrum Prouinciæ quantum ad præcedentiam, & paternitatem.*

Eleemosinarum quæstores pro terra sancta quot sint.

P. Paulus à laude Commissarius generalis terræ sanctæ.

Cappellani terræ sanctæ regulam seruant.

Cõmissariorum Terræ Sanctæ priuilegia.

Quæstio secunda, An conquisitas pecunias, Ipsi fratres deferre, manibus proprijs contrectare, in Conuentu Ierosolimitano asseruare, illasquè Turcis dare possint, vel de erogatis per manus Procuratorum computa facere, & rationes exigere.

Respondeo primò, Omnes istos actus facere non possunt, quando fidelium portatorum, vel syndicorum commoditas habeatur, quia cum hæc sint prohibita fratribus, nulla ratio apparet, quæ illos vel iustificet, vel concedat. Et contrarium est peccatum mortale.

Respondeo secundò, facere aliquem dictorum actuum, tanquam sibi iure conuenientem, vel propria authoritate, vel tanquam de re sua, vel ordinis peccatum mortale est, quia dicit proprietatem, repugnãtem voto paupertatis, & formalem, euidentemquè trangressionẽ regulæ, super qua nullus dispensare potest.

Respondeo Tertiò, Tangere, & contrectare pecuniam, non tanquam suam, nec authoritate propria, vel (vt iunt) politicè, sed tantùm materialiter, non est peccatum, nec contra regulam; imò aliquando est licitum, & meritorium v. g. in necessitate extrema, si opus esset vti auro, tanquam medicina, si caderet nummus è manu alicuius Prælati, vel Magnatis, esset actus humilitatis illum colligere. ita *Corduba in cap. 4. q. 4. citans Pisanum, & alios* Ratio est, quia prohibetur proprietas, & vsus nummi, vt nummus est.

Pecuniam tangere, & cõtrectare, quando peccatum.

Respondeo quartò, deferre pecuniam de loco, ad locum supra iumentum, vel personam propriam, non tanquam suam, & sine scandalo, dummodò adsit

Pecuniam aliò trãsportare non est peccatum.

rationabilis necesſitas, non eſt contra regulam. v.g. ſi opus eſſet illam à latronibus ſaluare, debili baiulo pondus alleuare, depoſitum cuſtodire. ita *Cordub. ſupra pun. 2. cum Hugone*. Immò poteſt frater Minor illam deferre, non ſolùm vt aliorum, ſed etiam ſi ſit applicata ad vſus frutrum, diſtrahenda tamen per ſyndicum Apoſtolicum, ad quem illam deferat. Ita ſupracitati Doctores. Ratio eſt, quia non defertur in hoc caſu, vt pecunia, nec contrectatur politicè, quia non recipitur, nec authoritate expenditur, quod formaliter eſt *Denarios, vel pecuniam recipere*, nimirùm propria authoritate recipere, & expendere. Qui autem illam defert ad ſyndicum, ſe habet vt merus baiulus, non vt ſubſtitutus dantis, quia ſola delatio non conſtituit ſubſtitutum: qui ſequeretur, agaſonem, qui defert oleum, vel triticum, vel denarios ad ſyndicum, vt ea in fratrum eroget necesſitates, eſſet ſubſtitutum, quod nullus rationabiliter dicet; quia aliud eſt ſubſtitui ad deferendum, aliud ad expendendum; & in hac ſecunda acceptione eſt verus ſenſus ſubſtituti dantis, quod munus fratres præſtare non poſſunt, Sicut in prima, in qua eſt merum exercitium oneris, & laboris.

Etiam ſi ad vſus fratrũ eſſet applicata.

Quod ſi dicas cum *Cypriano Cappuccino lect 2. in capit. 4.* Vbi contrarium facientes, vocat parum cautos, ſuę profesſioni parùm addictos, & grauisſimè errantes. Pecunia tunc recipitur, vt pecunia, cum recipitur, vt expendatur, ſiuè immediatè, ſiuè mediatè: frater autem delator defert illam vt expendatur ab alio; ergo recipit pecuniam contra regulam: ſecùs poſſemus illam aſſeruare in conuentu per aliquos dies, deferendam poſtea ad ſyndicum, nomine dantis, quod cõcedere, nimis eſſet abſurdum; quia in hoc ſenſu frater eſſet agens minus principalis reſpectu expenſoris, contra *Clemen. Exiui. de verb. ſignif.* quæ dicit. *Curare Fratres vigilanter, neceſſe eſt, quod cum ex cauſis prędictis, ad habentes pecunias deputatas, pro ipſorum neceſſitatibus; recurrere oportebit, vel ad tenentes ipſas, quicumquè hi fuerint principales, vel nuncij. In omnibus ſic ſe gerant, quod ſe in cunctis oſtendant, in dictis pecunijs, ſicut non habent, pœnitùs nihil habere.* Vide quomodo diſtinguit ſubſtitutos in principales, & nuncios. *Et Nicol. III. cap. Exijt. eod. §. ea verò*, Vult fratres, non ſolùm à receptione, proprietate, dominio, & vſu pecuniæ, verùm à *Qualibet contrectatione eſſe alienos*.

Reſpondeo melius eſt, & decentius, pecuniam non deferre, non contrectare, non tangere, vt de facto veri, & rigidi obſeruatores faciunt, & communiter practicatur. verùm non expedit peccata multiplicare, & odia dilatare, vbi non reperiuntur: Vnde ad argumentum, Nego fratrem in hoc caſu eſſe ſubſtitutum minus principalem, aut nuncium, nec recipere pecuniã, vt pecuniam, quocumquè modo expendatur, ſed remanere in conceptu baiuli, & portatoris, in cuius ratione, ſubſtituti ratio non includitur, & hunc eſſe ſenſum decretalium, declarant verba, *Oſtendant, ſe in pecunijs pęnitùs nihil habere*. quę formalisſimè adimplet baiulus, qui nihil penitùs iuris habet in pecunia, niſi deferendi; & vt italicè dicimus, *Da facchino*.

Inferre autem, poſſe detinere in conuentu pecuniam, negari debet, quia vſus, periculum, ſcandalum, & ſtatuta ordinis, id fieri maximè vetant; & concedi ſolùm in aliqua ineuitabili neceſſitate, ſecundum quam tantùm firmo concluſionem, & non extra illam vllo pacto: ſecundum quam poſſet in aliquo caſu conſeruari aliena pecunia ad cuſtodiam, remoto ſcandalo, & periculo, vt tradunt *Hugo, Corduba. q. 4. punct. 4. & Cyprianus ipſe.* vnde.

Re-

Respondeo quintò, Vrgente graui, & inneuitabili necessitate victus, vestitu, & similium, licitum est tangere, deferre, retinere, & expendere pecuniā. ita citatus Corduba. vbi ait, *Nisi violenta periculi necessitate cogente*, tunc enim lex cessat; posito enim casu, quo frater inter Infideles reperiatur, & necessarijs indigeat, nec in propria specie illa inueniat, poterit, & apud se retinere, & per se expendere pecunias, quando Syndicum habere non possit.

Pecuniam quando liceat tāgere, deferre, retinere, expendere.

Respond. sextò, exigere computos à Commissarijs, & Procuratoribus, omninò necessarium est, quia agitur de maxima summa, in qua nisi inuigiletur, fraudes, nimiùm preiudiciales committi possent; hæc autem exactio non fundatur in iure, quod habeat religio in pecunijs, sed dirigitur ad experiendam ministrorum fidelitatem. Qua etiam ratione, nec ipse Guardianus potest per se solus pecunias soluere, aut solui facere, sed cum consilio Discretorum: vnde sic fuit ordinatum Toleti, in capitulo *an.1633. Tit. de Terra sancta Statuimus, vt Guardianus Hierosolimitanus in nulla re graui solus ipse iudicium ferat; sed Patrum Discretorum, & totius communitatis consilium petat, & expectet, ne proprio præceps consilio in aliquam iacturam seipsum, & religionem inducat. fratribus subditis verò præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ, vt quando cum illis actum fuerit, proferant quod secundum Deum videbitur expedire.* Nulla autem præter fidei, & religionis negotium, grauius est in terra sancta, quam curam pecuniarum habere. Refert enim Præses montis Sion, quia Guardianus cum Vicario iam aufugit Constantinopolim versus, ad vitandam Turcharum rabiem, quod his diebus (scribit enim à 14. Augusti huius anni 1641. quo hæc adnotò) quod loca sancta reperiuntur sub fænore septuaginta millium aureorum, pendentium 12. & 16. pro centenario: & in fratres carceres, & tormenta intentātur: ad quorū redemptionem 3000. scutorum ijs diebus soluta sūt, Vt scilicet, liberarent tres fratres durissimis carceribus mancipatos, ad extorquendas pecunias. Heu quanta patimur pro istorum locorum sanctorum conseruatione.

Computus exigere quādo licitū sit.

Quæstio Tertia, An liceat in Terra Sancta mutuum accipere, vel ad vsuram?

Respondeo, cum mutuum dominium transferat, cuius fratres capaces non sunt, ex *cap. Exijt. art. 3.* non possunt fratres nec dare, nec accipere mutuò. Verum quia morantur apud Turcas, qui violenter, & amplè nummos à fratribus extorquent, ignorantquè vim nostræ regulæ, possunt fratres, nomine tenus hoc facere, etiam si à Turcis credantur. obligari, vt obligantur inter se, tamen in rei veritate nullam obligationem ciuilem, & iuridicam contrahunt, & solum promittunt restituere nummos, & vsuras, idest diligentes eleemosynarum quæstores actuturos eos, ne, à fidelibus sedulò procuraturos, ac satisfacturos: Ea ferme ratione, qua obligari possumus inter Christianos, non iure politico, ac ciuili, sed naturali sponsione, vt est sensus totius Ecclesiæ, quia in veritate, nec ius habent, nec acquirere, nec alteri conferre possunt: qui est sensus, *cap. Exijt. citato. de verb. signif. Possint* (inquit) *pro satisfactione, pro eorum necessitatibus, citra cuiuslibet obligationis vinculum, dicere, quod per eleemosynas, & amicos spirituales fratrum ad solutionem huiusmodi intendunt fideliter laborare.* Ita *Cordub. c. 4. q. 8. Hugo, & alij* Equidem mutuum verum non est, vbi deest voluntas, & potentia se obligandi. sola equiuocatio est in verbis, Quæ non est illicita, cum Turcis tot regnorum inuasoribus, & fratrum tyrannis: Eò vel maximè cum in re non fallantur, procuratis modo licito eleemosynis.

Mutuum, et ad vsuram accipere quatenus liceat.

Quęstio quarta, quæ est praxis huius subuentionis, & conseruationis Terræ Sanctæ.

Praxis prouidendi terræ sanctæ.

Respondeo ex statutis, præcipuè Segouiensibus, Titulo, *Pro locis Terræ Sanctæ*, Vbi fusissimè hęc materia digeritur, quam breuiter sic refero. Constituuntur in qualibet Ciuitate Metropoli Cõmissarij Fratres, & Procuratores Sæculares. Illi, manifestata necessitate Principibus, Magnatibus, & populis eleemosynas petunt: isti illas accipiunt, & ad Syndicos Venetijs, vel Messanæ, vel in partibus Orientis existentes, transmittunt. Multi item Principes, certam eleemosynarum summam contribuunt, & per manus eorumdem Syndicorum transmittunt: Et hucusquè nulla est administratio Fratrum, nec regulæ offensa. Quoniam autem, etiam si sint in illis regionibus mercatores, & campsores, non expedit, conquisitas, cum tanto labore pecunias in cambiorum vsuras impendere; transmittunt illas per nauigia, vel consignatas Naucleris, vel (vt minus insidijs, & violentijs Turcarum pateant, & lateat, ipsos, etiam nautas, qui possunt Turcis aliquid reuelare) inuolutos in suppellectili Fratrum, Qui in eijsdem nauigijs pecuniam adsportandam comitantur: Quam, postquam ad terram appulerint, diuisam inter multos, ac sub habitibus absconsam ipsi fratres, ne, vel odor ad Turcas penetret, ad Hierosolimitanum Conueutum deferunt: Quam Guardianus in arca condit, & sub terra defodit, ac cum consilio Discretorum per manus Syndici in dies expendit, secundum cõcessiones amplissimas Eugenij Quarti in bulla. *Exultantes in Domno*, data Bononiæ *pridiè Idus Iulij ann.* 1437. & Calixti Tertij in bulla, *Deuotionis vestræ ardor*, data Romæ *ann.* 1547. *pridie Non. Februar.* & in Alia. *Licet pro nostra*. data *ann.* 1455. *Idus Maij*. & Sanctissimi D.N. Vrbani Octaui data *ann.* 1632. *die* 21. *April.* cuius initium est. *Vt dilecti filij Guardiani* (in qua dicitur. *De Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardd. negotijs propagandę fidei præpositorum consilio, eisdem Guardianis, pro tempore existentibus, quod in locis Guardianiæ huiusmodi subiectis, & in itinere) pecunias eleemosynarum SS. locorum, & earum, quas illis, eiusquè fratribus seu eorum domibus, & conuentibus, & Ecclesijs, in prædicta Guardiania constitutis, pij fideles elargiuntur, contrectare, & ad hunc effectum, cum fratribus, eorum iurisdictioni subiectis dispensare (si tamen fidelis Syndici copiam habere nequeant, qui illas recipere custodire, & erogare possit, super quo ipsoru conscientias oneramus) authoritate Apostolica, tenore præsentium concedimus, & impertimur*. Quam constitutionem supradictus P. Quaresmius doctè; ac piè declarauit. Sed quia experientia docuit, non reperiri fideles Syndicos in illis partibus, & eos conducere ex Christianitate, non expedit ne noui hominis aduentus Turcas in suspicionem excitet, ob quam oporteat postea, multa aureorum millia in mulctam exoluere; Sanctissimus idem D.N. vt visum est, specialiter concessit, vt pecuniæ per aliquem fratrē expenderentur. Quæ concessio non est dispensatio rigorosè accepta, quia non est præcepti relaxatio, sed iuris, & regulæ declaratio; Nam supposita necessitate conseruandi conuentus, vt probatum est: & introducta consuetudine de soluendo tributo, quotidianisq; infidelium insidijs, & extorsionibus, propter quas multam colligere pecuniam opus est, naturali iure cogimur, modum supradictũ obseruare: Qui modus non inficit fratres, quia pecuniam nec retinent, nec expendunt, vt suam, vel Religionis, nec sunt substituti dãtium, sed meri subleuatores propriarum necessitatum, quando eas pecunias in victum, & vesti-

vestitum expendunt, ac operarijs Sedis Apostolicæ, quoad tributorum solutionem. Nec video esse contra regulam, plusquam si Sedes Apostolica constitueret fratres collectores peccuniarum, & publicatores cruciatæ, vt fecisse Innocentiũ Quartum, qui nostros fratres in Galliam, Britaniam, & Hispaniam ad colligẽda subsidia contra Federicum Imperatorem; & Gregor. 9. qui Vvilierмum Minoritam ad idem munus destinauit; & Calixtum Tertium, qui ad prædicandam cruciatam Beatos Ioann. à Capistrano, & Iacobum à Marchia delegauit, refert ex *VVadingo supra*, *laudatus Cea lib.* 1. c. 8. § 4. quas materialiter tantum expenderent. *Fratres minores destinari ad colligendas pecunias.*

Quæstio quinta, quid sentiendum sit de legatis factis sancti locis in perpetuũ?

Respondeo, ex alibi dictis, posse fratres ea tenere, & recipere eleemosynaliter, præterquam quod non sunt legata facta fratribus, sed Terræ sãctę Ecclesijs, Sanctuarijs, &c. quæ retineri possunt secundum *Villalob. p. 2. diffin. 33. n. 7. Roder. tom. 2. q. 126. art. 5. Nauarr. lib. 3. consil. 13. Siluest. legatum. 2. q. 4. Cordub. in cap. 4. regul. q. 11. punct. 3. Sorb. V. legata. §. sed si quæras, & alij apud Hieronym. Roder. resolution.* 88. *n.* 19. *&* 20. *Legata perpetua vt retinere possimus.*

Quæstio sexta, ex quibus nationibus loca sancta præci puè iuuentur?

Respondeo primò, à Sancta Sede Apostolica, quæ tanquam amantissima Mater vsque ad fœlicissima Sanctissimi D. N. Vrbani Octaui tempora, & loca prædicta, & fratres ea inhabitantes specialibus fauoribus, & gratijs, eleemosynisquè prosequi non desistit; cuius pietatem, & paternum effectum induit S. Congregatio de Propaganda fide, quę illorum negotijs, & fęlici directioni sedulò superintendit, inuigilatquè. *Benefactores Terræ sanctæ.*

Secundò, Rex Catholicus, ac Hispana Natio ingentibus profusisque annuis eleemosynis, quæ ad viginti millia aureorum summam ascendunt, maiori ex parte, ne dicam ex toto, pondus Turcicæ persecutionis alleuiat, fratresquè Minores, pecunijs, ne dum ex Hispanijs, verum etiam ex Neapolitano, Siculoquè Regnis, ac ex nouo orbe conquisitis, contributisque, sustentat: verus successor, Serenissimorum Regum Siciliæ Roberti, & Sanciæ vxoris, qui omnium primi *à Soldano Babiloniæ, non sinè magnis sumptibus, & laboribus grauibus Sepulchrum Domini, & alia sacra loca Vltramarina, Redemptoris sanguine dedicata, obtinuerunt in quibus fratres possunt continuò commorari. Et idem Soldanus Cęnaculum Domini, & Cappellam in qua Apostolis Spiritus Sanctus apparuit, & aliam Cappellam, in qua Christus, B. Thoma præsente, post Resurrectionem suam Apostolis se ostendit, ipsis Regi, & Reginæ concessit. Quodquè ipsa Regina locum ædificauit in Monte Syon pro dictis fratribus. Iam est diu, vbi duodecim fratres dicti ordinis sumptibus proprijs continuè tenerè intendit, &c.* Vt legitur in bulla Clemen. VI. quæ incipit. *Gratias agimus grãtiarum omnium Largitori.* data Auinione 11. *Calend. Decembris. Pontificat. sui ann.* 1. *qui fuit ann.* 1345. *Regis Catholici immẽsa liberalitas.* *Robertus, et Sancia Reges Siciliæ loca sancta nobis emerunt.*

Tertiò, Imperator Augustus; Rex Christianissimus, & Serenissima Venetorum Respublica, per suos, quos apud Turcarum Dominum Nuncios, & Legatos tenent, in expediendis negotijs, in extricandis litibus, in superandis grauissimis persecutionib. quas loca sancta, & fratres in illis regionib. patiuntur, nõ cessant quotidie præsẽtissimis fauorib. viuisq; auxilijs assistere: interquos, nimirũ est quam emineant Gallica, & Veneta nationes, quib. & ob hąc præcipuè causam, minores fratres maximę tenẽtur. patuit his annis, quibus Græci, infen-

fissimi Latini nominis,& Romanæ Ecclesiæ hostes, à Turcarum Dynasta aliquot sancta loca, nobis erepta,ingenti ære profuso obtinuerunt; quæ, & supradictorum fauoribus,& magnis expensis recuperaueramus;nisi Turcarum auaritia ad maiorem argenti massam,à Grecis oblatam inhiassent, quam alio argento clauo trudere,non conducit,ne satis in nos litibus, Turcica messis exuberet. legatur.*P.Cea lib.1.cap.9.* & supra alios *P. Franciscus Quaresmius in suo illo insigni opere Elucidationis Terræ sanctæ lib.3.cap.45. & 50.* cui seraphica, & christiana religio,ob tam latè,tam doctè,tam piè elucidatas orientales materias non parum debet.

P. Franciscus Quaresmius laudatus.

Quartò (Vt referunt qui oculati, testes illorum locorum sunt) multi Principes,ac Prælati Ecclesiastici suis eleemosinis, ac munerib.sanctum Christi sepulchrum honorant,transmittendo prætiosissima paramenta pro diuinis officijs,& altaribus,Mitras, pontificalia pro Guardiano, quando pontificialiter celebrat, omnia auro, gemmisquè contexta;Calices item aureos, & argenteos, vasa ad ministerium necessaria, lampades etiam argenteas immensi ponderis, & valoris,quæ Imperatores,Reges Hispaniæ,& Galliæ, ac Magnus Dux Hetruriæ, obtulerunt;inter quas eminere affirmat lampadem,à Catholico, & fœl. mem Rege Philippo III.sácto Sepulchro dicatam,habentem argenti quinque millia scutorum, in cuius cælatura, artificioquè tria alia millia impensa sunt. estquè latitudinis quindecim palmorum,quæ in die,& festis pascalibus exponitur,trahitquè in admirationem intuentium oculos: vt appareat quantum in christianis Principibus Dominicæ Passionis memoria vigeat,sed si verum est, quod ex Musulmana historia *lib.1.cap.8.§.2* refert, nimirum quod magnus Turcharum Dominus, duos milliones quotannis elargitur, pro peregrinatione Mecæ, vbi Mahometi ossa,ad æternam damnationem,fama est asseruari; Christianorum, quas recensuimus eleemosinæ,erubescent,& confundentur Principes Christiani ob impensam profusionem in Mahometis cultum, quam in Saluatoris Nostri Dei honorem, vel contracta manu impendere dedignantur:

Turcarum profusio in peregrinatione.

STATVTVM VI.

Decernimns, vt Terræ Sanctæ Guardianus inde recedere non possit; neque alteri, cuiuis familiæ fratri, licentiam recedendi concedere; nisi prius eò, successor accesserit,sub Apostasiæ nota ipso facto recedenti incurrenda.

Ne domus,& fratres tot periculis exposita in discrimen aliquod conijcantur. Quæritur primò,quantum duret Guardiani Montis Syon officium?

Guardiani montis Sion officium per triũ duret.

Respondeo per triennium. Tùm ex lege vniuersali, quod Guardiani triennales esse debent. Tùm ex statuto,quod in Capitulis, Congregationibus generalibus eligi debent, quę singulis quibusquè triennijs celebrantur. Tùm ex praxi Verum tamen est, quod eius officium non spirat, nisi per aduentum successoris,

tis,vt patet ex statuto. Hinc semper vltra triennium extenditur,quia cum singulo quoque triennio nouus eligatur, & non statim electus, nisi post negotiorum expeditionem, & familiæ collectionem, ac itineris confectionem (quæ multos menses ordinariè consumunt)ad suam iurisdictionem accedat, necessariò infertur prorogandum esse vltra triēnium.nec est contra dispositionem statutorum & bullarum,quia hęc non loquuntur de huiusmodi Guardiano, quia casibus, & contingentijs stare debent.

Quæritur secundò,An vacante ob mortem, vel alium casum, Guardianatu, possit familia sibi Guardianum eligere?

Guardiano mortuo potest familia sibi prouidere, & quomodo.

Respondeo de iure communi,à nobis supra recensito,vbi de Guardianis egimus,possent,nisi obstaret statutum,electionem Generali ministro remittens.& cum non detur hic præuentioni locus, nec sit mixti fori: si fieret electio, vel nulla esset, vel durare tantum deberet vsque ad nouam prouisionem Generalis. Ratio est, quia talis institutio, tanquam magnæ considerationis, non debet committi tumultuarijs fratribus diuersarum nationum, quæ non habent ius eligendi Guardianum, spectantem ad Cismontanam familiam, sed de iure municipali religionis spectat ad authoritatem ministri Generalis, sicuti aliæ electiones Procuratoris,& Commissariorum,& ideo violaretur eius officium.Qua etiā ratione,nequè talis institutio fieri posset à Commissario generali Cismontano, quia specialiter reseruatur Generali ministro. Posset tamen familia Hierosolimitani conuentus instituere Pręsidentem, vsq;ad futuram electionem (de quo infra, vbi de priuilegijs Guardianorum terrę sanctæ tractatur) nisi Vicarius illius,institutus fuisset à P.Generali,quia tunc,gubernium ad Vicarium spectaret eòquod per mortem Guardiani, qui illum sibi non substituit, ipsius officium non vacat,vt dictum est, vbi de Vicarijs.

Quęritur tertiò,An possit Guardianus, ante mutatione familiæ aliquem fratrem licentiare?

Guardianus potest fratrē aliquem licentiare.

Respondeo affirmatiuè, si imminet scandalum, aut legitima causa sese obtulerit.Idquè probo ex altero statuto. *Si verò scandalum inuenerit, quod in detrimentum ordinis, & sanctorum locorum notabile damnum vergere possit, prouideat ipse, prout magis expedire videbitur.*& sermo est de Guardiano, qui successor alterius destinatur.nec statutum obligare in præcisis casibus;præsumendum est;si cuti etiam posset,si fratres regionem suæ sanitati non propitiam experiretur; si inquiete viueret;si scandalum vel committeret,vel committere timeretur;si no tabiliter indeuotus,vel omninò inutilis euaderet:& contrarium statutum declarari debet de reditu,quem frater procuraret,ibi *licentiam concedere*, non quando mitteretur, vel expelleretur: quod si potest mittere suos fratres ob negotia, multò magis poterit ad prohibendā scandala, & sanctorum locorū incōmoda.

STATVTVM VII.

Successor verò cum primum accesserit, authoritate Generalis eam familiam, & suum prædecessorem, diligenter visitet; Et visitationem ipsam sub sigillo

benè munitam, ad Generalem per fideles Nuncios transmittat, vt in delinquentes animaduertat, prout iustitia suaserit.

Congruum est, vt de tam magno, & singulari officio rationem reddat. & cum sit Custodia, sub Commissario Sydicatui cum familia Guardianus se sistat, notetque successor antecessoris lapsus, ne corruat.

Quæritur, An Visitatio hæc iuridica, an paternalis esse debeat?

Guardianus syndicatur cū familia. Respondeo iuridica, quia in vim illius, delinquentes puniri poterunt, quod fieri non posset per Visitationem paternam: Vnde institui debet Inquisitio generalis, & repertis sufficientibus indicijs ad specialem descendendum erit iuxta regulas, in praxi criminali assignatas; non tamen constituendi sunt principales, ne in periculosis partibus fugiendi delinquentibus occasio præbeatur, poterũt, & debebunt ipsi postea vocari à Generali, & secundum informationes interrogari, & puniri. Nec dici potest, quod ad necessarias defensiones sint vocandi testes ex Terra sancta; quia cum non sint examinandi nec Turcæ, nec Sæculares; & Fratres, qui simul conuixerunt iam in hac familia reperiantur poterunt vocari, vel ad repetitionem, vel ad defensionem: Nisi vrgens occasio, iuxta citatum statutum aliud suadeat, quod zelo, & prudentiæ Guardiani remittitur.

STATVTVM VII.

Guardianus, & Præses Terræ Sanctæ, qui per triennium gubernauit, gaudeant post officium, priuilegijs Prouincialium, in sua Prouincia.

Guardianus terræ S. est Pater suæ Prouinciæ. Ratio sumitur ex labore, cui præmium debetur ex iure diuino, & humano: vnde, *qui sustinent grauiores labores*, vt statutum prefatur, *pro Dei gloria, & Religionis vtilitate, singularibus etiam prærogatiuis gaudeant.* & verè nullo modo comparari possunt labores Prouincialium, cum ijs, quos superior Hierosolimitani conuentus substinet, vt omnes experti affirmant, & incidentia suadent negotia.

Quæritur tamen hic, an ad lucranda hæc priuilgia, debeat Guardianus in officio triennium adimplere.

Etiam non exacto triēnio. Respondeo negatiuè, quia hoc non cauetur in statuto, quod Guardianis priuilegia concedit, nulla facta mentione triennij, sicuti cauetur de Præsidente. *Idem (inquit) etiam intelligitur de Præsidente, qui per triennium integrum, officium istud absolutè exercuerit.* ex quo patet mens religionis, arctantis priuilegia Præsidentis ad triennium, non Guardiani. In quo aduertendum est etiam, *Sicuti de præsidente.* triennium Præsidentis debere esse integrum, id est completum, alias de iure priuilegia non meretur. Item quod gubernauerit absolutè, id est non sub alio, qui sit Guardianus, vt accidere potest si fugiente ob persecutiones, vel descedente

Guar-

Guardiano ob grauiora negotia, constituat in suo discessu Præsidentem; qui sua vice gubernet: in eo enim casu, etiam si vltra triennium gubernasset, priuilegijs gaudere non posset, quia non fuit Præsidens absolutus. Et cum non deceat vt duo, eodem tempore ex vno officio priuilegia lucrentur, & Guardianus etiam si absens, illa mereatur, sequitur talem Præsidentem priuilegia non debere lucrari. Et licet aduerbium, *Absolutè*, rem completam significet. *l. 3. in fine. C. de fruct.* Et idem sonet ac, *In vniuersum, Et in totum*, quo sensu coincideret cũ triennio integro, quasi sit integritatis declaratio; attamen accommodatior est alter sensus; quia, Absolutè, significat etiam *liberè, & independenter*, vt in *Authent. ff. de mandat. initio. §. sed neque.* vnde dominium absolutum, authoritatem absolutam, Principem absolutum dicimus, quasi solutum ab aliorum dependentia. *Absolutè quid significet.*

STATVTVM IX.

Qui pro tempore Generali Ministro, ex Cismontanis partibus à secretis fuerit, Terræ sanctæ Custos censeatur, & tanquam custos ad comitia generalia semper admittatur. *Secretarius generalis est Vocalis pro Custode Terræ sanctę.*

Quæritur; An si Guardianus Terræ Sanctæ reperiretur in comitijs generalibus haberet votum, &c. *Guardianus si adesset posset suffragari in generalibus capitulis.*

Respondeo affirmatiuè, quia ipse est verus, & realis Custos Terræ Sanctæ, vt semper in statutis, bullis, & patentibus nominatur. Secretarius autem est persona subsidiaria, ne votum illud desit Capitulo, cum vt plurimum, nunquam Guardianus suum gubernium deserat: Et est veluti Procurator, & substitutus illius.

Quæritur secundò, An posset mittere suum substitutum, Commissarium, seu Procuratorem? *Non potest alium substituere.*

Respondeo negatiuè, quia de facto Religio illi alterum substituit. Et in Capitulo nuperrimo generali Toletano *ann. 1633.* vnus qui fuerat missus tanquam ferens votum Custodis Terræ Sanctæ, repulsam passus est; de iure enim posset, non tantùm ex illa parte, quod suffragari posset quis per Procuratorem, quod à religione nostra exulauit; sed quia cum sit Custos ordinarius, ac Superior illorum locorum, potest destinare suum Commissarium, sicut faciunt Prouinciales; non enim est Custos pro solo voto, qui solet appellari Custos custodum, sed est Superior ordinarius, vt Prouincialis.

STATVTVM X.

Ad Generalem Ministrum, vel eius nomine ad Generalem Procuratorem Ordinis, qui pro tempore in Romana Curia fuerit, à Sanctissimo D. Papa vnum

de

de Sanctæ R. E. Cardinalibus Protectorem petere, pertinet.

Protectorē petere ad quem spectet.

Vt obediatur Seraphico prothoparenti, qui suam regulam cum subiectione ad Sanctæ Romanæ Ecclesia pedes, concludit, dicendo, *Per obedientiam iniungo Ministris, vt petant vnum de S. R. E. Cardinalibus, qui sit Gubernator, Protector, & Corrector istius fraternitatis, vt semper subditi, & subiecti pedibus S. R. E. stabiles in Fide Catholica, paupertatem, & humilitatem, & Sanctum Euangelium D. N. I. Christi, quod firmiter promisimus obseruemus.*

Quoniam verò de authoritate, quam Eminentissimus Ordinis Protector habet, & de reuerentia, ac obedientia erga eum debita, in principio horum commentariorum tractauimus, remanet solum.

Quærere primò, An omnes Ministri Prouinciales teneantur ex præcepto regulæ petere Protectorem?

Non ad omnes Prouinciales.

Respondeo cum *Corduba hic*, *q.2. puncto* 1. apud quem alij communiter. Tenetur quilibet petere, in defectu aliorum, quia sufficit, quod aliquis petat: quod moris est in obligationibus generalibus, vt in illo *Gen.1. Crescit, & multiplicamini*. quod satis est, si hic, aut ille adimpleat &c. & quia hæc obligatio incerta, & tumultuaria esse poterat, si quilibet curare deberet, adire Pontificem pro hac petitione, iure Religio totum negotium P. Generali, vel eius Procuratori commisit, qui peccarent grauiter, non adimplentes præceptum.

Quærere possumus secundò, An absente, & non consulto, Generali, posset Procurator ordinis Protectorem petere?

Procurator, in consulto generali Protectorē petere non potest.

Respondeo negatiuè, quia Procuratori hoc non competit de iure, cum nō sit minister, sed ex mera delegatione Generalis, quæ specificari debet, cum in delegatione generali, negotium tam arduum nullo modo veniat: vnde consultò dicit statutum. *Vel eius nomine ad Generalem Procuratorem ordinis*. Petere autem nomine Generalis non potest Procurator, illud quod in mandatis non habet, iuxta disputata, vbi de materia Procuratoris ordinis.

Quærere possumus tertiò, An si aliquis minister, puta Romanus Protectorem peteret, puniendus esset?

Prouincialis vnus, si peteret esset puniendus.

Respondeo affirmatiuè, quia licet sit minister, hæc non est obligatio vnius particularis, sed multorum. ait enim regula. *Iniungo ministris*, quia non est negotium, priuati hominis iudicio committendum; & tantùm posset hic, aut ille petere, quando alij, quibus commissum est, non peterent: Vnde si Generalis, & eius Procurator non peterent, post lapsum temporis, quo iudicari posset negligentia, teneretur præcipuè minister Romæ, vel S. Francisci, aut alius vicinior huic obligationi satisfacere.

Protector nominatim est petendus à S. sede Apostolica.

Quærere possumus quartò, An petendus sit vnus specialis nominatim, an remittendus summi Pontificis arbitrio? & si summus Pontifex vellet dare vnum, quem Relig. nollet, teneremur illum recipere in virtute regulæ?

Respondeo primò, tenemur petere vnum nominatim, iuxta verba regulæ, *Vnum de sanctæ &c.* quia non petimus iudicem, qui nec suspectus, nec propensus dari debet, sed petimus Protectorem, quem maximè beneuolum, & nostris partibus affectum esse volumus, & cognoscimus. Et sic legimus S. P. Franciscum

cifcum nominatim petijffe Cardinalem Vgolinum, qui fuit primus Protector Ordinis, vt initio horum commentariorum retulimus: Et hæc eft praxis;concedunt enim amanter Summi Pontifices, quem petimus.

Refpondeo fecundò, in vim regulæ non tenemur acceptare, quem Religio non nominauerit, Licet teneamur ex fubiectione, & obedientia, quam S. R. E. præftare debemus, patet ex ijfdem verbis regulæ, *Petant vnum de fanctæ, &c.* Ergo ex regula nos debemus nominare, quem cupimus Protectorem. Et in facto fucceffit tempore S. Bonauenturæ, qui ab Vrbano IV. dare volente Ordini Protectorem Ancherum Pantaleonem S. Praxedis Cardinalem, fuum ex fratre Nepotem, obtinuit Ioann. Caietanum Vrfinum, cui S. P. Franc. Papatum prædixerat adhuc puerulo, & ordinem fuum commendauerat, quemq; Capitulũ generale petendũ decreuerat,vt refert *P.VVadingus ad an.1263.n.17.* *Nifi quem nominamus acceptare ex regula non tenemur.*

STATVTVM XI.

Quilibet Prouiucialis infra fpatium fex menfium, pro vnoquoquè loco Conferuatores nominaffe, & elegiffe taneatur fub pœna priuationis officij.

De Conferuatoribus vltra Antiquos,fcripferunt *Rodrig. tom.1.q.65.Mirand. tom.1. q.47. Portel, V. Conferuatores. Peirinus tom.2. priuil. in Conftit. 5. Gregor. XV. Lezana tom.2. cap.10. Barbof. de off. Epifcopi, Alleg.106. Hier. Roder. refol. 33. Thefaurus part.2. V. Conferuatores. cap.1. Moneta eodem titulo: aliјq; apud iftos.* Nos autem difputationem ad terminos Conftitutionis Gregor. xv. *Sanctiffimus in Chrifto Pater*, publicatæ 20. *Septemb. ann.* 1621. reftringimus, quia per ipfam omnes aliæ præcedentes difpofitiones annullantur. *De Conferuatoribus, qui fcripferint.*

Quæro igitur primò, quid nomine Conferuatorum intelligatur, quiuè de illis difpofuerint?

Refpondeo, Conferuator eft Iudex à Papa delegatus, fed ab eo, cuius intereft nominatus, qui habet ex munere tueri patientes a manifeftis iniurijs. ita *cap. hac conftitutione. de off. de legati in 6.* eos concefferunt Regularibus Sixtus Quartus, Innocentius Octauus, Iulius Secundus, Leo Decimus, Pius Quintus, Gregorius Decimus Tertius, Clemens Septimus, Benedictus Vndecimus, Eugenius Quartus, Nicolaus Quintus, Clemens Octauus, & Vltimo, Gregorius xv. quorum bullas, exceptis duabus poftremis, refert *Rodrig. in fuo Bullario.* & præcipuè quam conceffit Pius V. & publicauit Gregor.xIII. pro Societate Iefu, quam folam videndam, dixit *Portel*, eò quod contineat maiores claufulas, & conceffiones. præterea de illis agitur in iure *citato cap. hac conftitutione. de off. Iud. deleg. in 6. & cap. ftatutum. de Refcriptis. eod. & in Concil. Trident.feff.25. cap.10. de reform. & feff.14. cap.5. eod.* *Conferuatoris nomine quis veniat.*

Quæro fecundò, quod eft munus Conferuatorum?

Refpondeo, defendere patientes, & ipforum manifeftas iniurias, ac violentias tollere, ac conferuare priuilegia. *Coram ipfius* (inquit Greg. xv.) *Conferuatoribus, Regulares, ac perfonæ fupradictæ, conueniri quidem, aut trahi debeant, fed alios conuenire, aut trahere non poffint: Itaut memorati Conferuatores, in caufis,* *Conferuatorum munus.*

in

in quibus Regulares, & alij actores fuerint, nullam prorsus iurisdictionem habeant sed in ijs tantum, in quibus rei extiterint. quod accipitur à Tridentino sess. 14. cap. 5. de reform. *In ciuilibus verò causis si ipse actor extiterit, aliquem ei apud suos Conseruatores iudices in iudicium trahere minimè liceat.* Cum tamen ante hanc constitutionem etiam actiuè alios coram Conseruatoribus trahere possent, vt clarè dicitur in *dicto cap. hac constitutione. Conseruatores, qui aliquibus à manifestis iniurijs, & violentiis tueantur eosdem plerumquè à Sede Apostolica conceduntur. Et cap. statutum. de rescript. in 6. Actor, & reus. & cap. 1. de off. Iud. deleg.* Verùm quia videbatur durum derogatum esse iuri communi, S. Congregatio Concilij *an.* 1624. declarauit *Minimè sublatam fuisse facultatem, quam habent Conseruatores defendendi Regulares à manifestis iniurijs, ac violentijs, dummodò obseruent formam præscriptam constitutionibus Innocen. IV. & Bonif. VIII. in cap. 1. & fin. de off. deleg. in 6.* igitur actiuè, & passiuè possunt vti Conseruatoribus, Regulares.

Apud Conseruatores trahi, & trahere possunt regulares.

Quæro Tertiò, Quæ sint manifestæ iniuriæ, & violentiæ?

Iniuriæ, & violentiæ manifestæ quæ.

Respondeo, quæcumquè inferunt personis, bonis, & ad regulares personas attinentibus, quę iudicialem examinationem non requirunt; & hæc enim est conditio manifesti ac notorij: Vnde *Tridentin. sess. 14. cap. 5. de reformat.* ait. *Non liceat Conseruatoribus iudicibus vllum habere tribunal erectum.* & Innocen. IV. *cap. statuimus. de offi. delegati.* inquit. *Nec ad alta, quæ iudicialem indaginem exigunt suam extendere potestatem.* Itaquè ante omnia (inquit *Glos. V. Conseruatores.*) debent huiusmodi Iudices recipere probationes, quod factum sit notorium, & summariè, ac de plano probare notorietatem, & fundare suam iurisdictionem, & declarare se iudices competentes: Nam constito, quod non sit notorium, in causa se ingerere non debent. *Gail. lib. 1. obseruation. 34. num. 3. D. Barbosa in l. si quia ex aliena. num. 1. 12. & 148. ff. de iudic. Io. And. cons. 2. & 4. Menoch. num. 4. & 5. Domin. à num. 6. Anchar. num. 5. Francus num. 4. in cap. citato Siluester, V. Conseruator. num. 3. Azor. p. 2. lib. 5. cap. 34. quæst. 7. Molin. de Iust. d. 29. num. 2. Rod. tom. 1. quæst. 65. art. 11. Barbosa dicta Alleg. 106. num. 18. & in cap. citato Statuimus. num. 11. & c. fin. de delegat.* & si procedit, *Per annum ab officio Conseruatoris huiusmodi suspensus sit; & pars quæ hoc fieri procurauit, sententiam excommunicationis incurrat, iuxta formam cap. hac constitutione.* inquit Greg. XV. & sic decisum est, non esse suspensionem ab officio clericali, seu à diuinis, & beneficio, vt senserant *Suarez, Barbos. Glos. Monachus, Archidia. Molina, Sorbus, Cochie, Sayrus, Vgolinus citati à P. Thesauro, V. Conseruatores. num. 10.* quos tamen ipse non sequitur, & excommunicatio illa licet sit latæ sententiæ, non tamen est reseruata Papæ, quidquid dicant *Filliuc. Azor. Gemin. Francus, Monachus, & Barbosa*, quos citat & sequitur idem *Thesaurus in fin. numeri* 1. quia ibi nulla apparet reseruatio; nam verba *cap. fin. de off. deleg.* vnde sumpta sunt, sic se habent: *sententiam excommunicationis incurrat, à qua non possit absolui, nisi ei, quem sic fatigauit indebitè, primò satisfaciat integraliter de expensis.* quia licet nullus eam possit absoluere, non tamen Papæ reseruatur, sed pendet ex solutione expensarum; eo modo quo excommunicatione lata ab homine pro debitis, à nullo potest absolui, nisi satisfacto debito; tamen non propter hoc dicitur Papæ reseruata. & hanc sententiam tenet *Barbosa alleg. 50. n. 105.* qui reponit hanc excommunicationem sub titu-

Conseruator de notoria iniuria prius constare faciat.

Suspensio à iudicio, non ab officio clericali, vel à diuinis.

titulo excomunicationum, nemini referuatarum, & citat *Memor. Cler. Rainer. Filliuc. & Gambarum*. vt pateat erratum fuisse in citatione; quippè non solum *alleg.* 106. *num.* 49. sed etiam *in cap. hac consilit. num.* 22. dicit vbiquè eisdem ferè verbis. *Absolutio tamen ab ordinario præstari poterit cum reseruata non reperiatur.*

Excommunicatio non est reseruata.

Si quæras, An pars procurans processum Conseruatoris, in causa illi non competente, putans ad illum spectare, vt fit in casibus dubijs; & potest circa notorietatem difficultas incidere, quam adesse iudicaret Conseruator, ad fundandam suam iurisdictionem, probabili persuasione, & conseruator, & pars inclinantes, an pœnas istas incurrant?

Censuræ supponunt culpã, & scientiam.

Respondeo negatiuè, quia censuræ supponunt culpam, præsumptionem, & apertam scientiam, ex communi sententia *Soti in* 4. *d.* 22. *q.* 1. *ar.* 2. *Henriquez. lib.* 13. *c.* 17. *Sayrl lib.* 1. *c.* 9. *n.* 25. *Vgolin. Tab.* 1. 9. *c.* §. 5. *Suar. disp.* 4. *sect.* 5. *n.* 6. *Thesauri parte* 1. *cap.* 15. *& multorum aliorum.* Nam in controuersia super competentia iurisdictionis eligendi sunt arbitri, vt Tridentinum dicit, & alia iura. ergo potest dari probabilitas. de quo lege *Barbos. cum multis ab eo citatis, dicta alleg.* 106. *à n.* 18. *ad* 31. & in terminis *n.* 47. *&* 48. *& Rod. dicta q.* 65. *ar.* 11.

Ad conseruatores pro causis ciuilibus recurri non potest.

Ex hac conclusione infertur 1. non posse Regulares citare aliquos pro causis ciuilibus, reddituum debitorum &c. quia ista requirunt iudicialem indaginem.

Nisi regulares sint rei.

Secundo, Pro causis ciuilibus non possunt Regulares trahi ad Conseruatores, quia prohibetur, vbi regulares sint actores, non rei; Ita Tridentinum cit. *In ciuilibus etiam causis, si ipse actor extiterit, aliquem ei apud suos Conseruatores iudices in iudicium trahere minimè possit.* & ita sentiunt *Moneta de conseruat. cap.* 7. *q.* 6. *nu.* 343. *Peirinus tom.* 2. *priuileg. constit.* 5. *Greg. XV.* §. 6. *num.* 50. *Lezana tom.* 2. *cap.* 10. *num.* 61. *contra Rod. & Barbos. dicta alleg.* 106. *num.* 41. 42. 43. *Mirandam, tom.* 2. *q.* 47. *ar.* 10. qui putant addendum, si ipsi Regulares consenserint. de quo infra q. 5. Quod si opponas *cap. hac constitutione. Vt si de alijs, quam de manifestis iniurijs &c. seu ad alia, quę iudicialem indaginem exigunt &c.* Hæc autem manifestæ iniuriæ non sunt, & iudicialem indaginem requirunt, ergo &c. Respondeo prohiberi, vbi Regulares actores sint, non vbi rei, & potest causa ciuilis summariè expediri; si debitum v. g. sit liquidum, vt videre est apud *Hier. Roder. resol.* 33. *num.* 23. nam non omnis iudicialis indago vetatur, quia iudicialiter debet procedere, tum in probanda notorietate, tum in iudicio ferendo, vbi fuerit iudex competens; non enim essentialia iudicij prohibet adhiberi; aliter contra ius naturale, & diuinum peccaretur, & non esset iudex delegatus ex traditis per *Barbos. dicta alleg.* 106. *num.* 30. *Rodrig. dicta q.* 65. *ar.* 8. *& tom.* 2. *quæst.* 6. *ar.* 2. *Mirand. ar.* 8. *Glos. in Clem. sæpè. de verb. signif. Bart. in l. si fideiussor. ff. mandati.*

Causa ciuilis potest summariè expediri.

Pro violentia illata cõgijs, uentib. priuibus tertiarijs &c. ad Conseruatorem

Tertio, Posse recurri ad Conseruatores, vbi violentia conuentui, vel priuilegijs, vel iuribus; vel fratribus, vel Tertiarijs nobiscum continentibus, & famulis nostris, inferretur. *Familiaribus verò eius* (inquit citatum Trid. *sess.* 14. *c.* 5.) *qui legijs, fratribus huiusmodi literis Conseruatoris tueri se solent, nihil illæ prosint, præterquam duobus duntaxat; si tamen illi proprijs eius sumptibus vixerint*, concessit Pius V. Dominicanis dicens, *Aduersùs inferentes eis, aut eorum Procuratoribus, agentibus, seruitoribus, & familiaribus in præmissis, aut eorum aliquo molestias, iniurias, recurrere & grauamina.* & Iesuitis cum Gregorio XIII. *Seruitoribus, quia actu seruiunt, possumus.*

& intra

& intra eorum ſcpta ac domos reſident,ſubquè eorum obedientia viuunt,charactere tamen clericali inſignitis.Rodrig.tom.1 q.65.ar.17. hæc autem non ſunt reuocata per Gregorium XV. Ac etiam Syndicis noſtris Apoſtolicis, vt conceſſit Clem. VII. *Dum conſideramus.* in *compendio priuil.V.Procuratores.* §.13.*Rod.tom.3.q. 39.ar.4.Portel, V.Syndicus.n.5.* & vt *Lezanæ to.1.c.10.n.66.*adimatur dubitatio, Sanctiſſimus D.N.Vrb.VII. hoc priuilegium confirmauit. & obſeruari mandauit.

Quæro 4. Qui eſſe poſſint Conſeruatores?

Conſeruatores qui eſſe poſſunt. Reſpondeo ex Greg.XV. *Iudices conſeruatores huiuſmodi, ſiuè principales, ſiuè ſubrogati, eligi,deputari,aut nominari non poſſint, niſi non ſolùm habeant qualitates requiſitas, & deſcriptas in c.ſtatutum.*(de reſcriptis) *itaut vel dignitate eccleſiaſtica prædicti,vel perſonatum obtinentes,vel Eccleſiarum cathedralium canonici exiſtant: ſed etiam in Concilijs prouincialibus, aut Diæceſanis iuxta decretum Concilij prædicti* (Trid.ſeſſ.25.c.10. de Refor.) *Iudices electi, ſeu deſignati ſint; Quodquè deinceps literę conſeruatorię,per Sedem Apoſtolicam concedendæ,ſupraſcriptis tantum dirigantur; & ſi quæ literæ aliter expedientur, illæ, ac deputationes huiuſmodi, omniaquè ex inde ſequenda, nullius ſint roboris,vel momenti. & Regulares alijs vti audentes, voce actiua, & paſſiua ſint ipſo iure priuati, à nemine habilitandi,niſi per ſedem apoſtolicam,alij pœnis arbritrio S.S. coerceantur.*

Priores locales poſſunt eſſe conſeruatores. Itaq;omnes Epiſcopi,& Superiores,eorum Vicarij generales,(vt de his particulariter conceſſerunt *Clem.*VII.Minimis,*Pius* V. Prædicatoribus,*Greg.*XIII.Ieſuitis) Archidiaconi, Archipræsbireri, Primicerij, Præpoſiti, Decani,Canonici Cathedraliū,non inferiorū Eccleſiarum,poſſunt eſſe Conſeruatores.Item Priores,Abbates,Guardianis de iure communi(licet nobis vetitum ſit per *Clem.Exiui.*)quia omnes iſti ſunt conſtituti in dignitate eccleſiſtica; Aliqui cum adminiſtratione, & iuriſdictione, in quo prçciſè conſiſtit dignitas; alij cum ſola præeminentia, ac præcedentia ſine adminiſtratione, in quo conſiſtit perſonatus, vt alibi à nobis dictum eſt.debent tamen iſti in tales deputari,in Concilijs prouincialibus, vel diæceſanis.

Conſeruatores ſubdelegare poſsūt. Super verba autem illa; *ſiuè Principales, ſiuè ſubrogati,* notandum eſt, poſſe Conſeruatores ſubdelegare ſuas cauſas; nam licet ex *ca.hac conſtitutione. de off. deleg. in 6.* habeatur *Vices ſuas nulli alij committere poſſint,* ſubiungitur tamen *Niſi hoc eis competat ex beneficio literarum.* at multæ literæ conſeruatoriæ concedunt poteſtatem ſubdelegandi, vt fecerunt *Sixtus* IV. Carmelitis. *Clem.* VII. Minimis, *Greg.*XIII. Ieſuitis. quæ cum non ſint perſonal es, ſed Religionibus conceſſæ,ſunt priuilegia rea'a,& inducunt iuriſdictionem ordinariam,& conſequenter potentem ſubdelegare. & caſus eſt deciſus in *c.ſtatutum.de Reſcriptis.in 6.§.in nullo.*vbi dicitur. *Neq;alibi,quàm intra illas* (diœceſes) *& perſonis dumtaxat deſignatis ſuperius,committat quomodolibet vices ſuas; Moneta de Conſeruatoribus,c.1.n.11.et c.7.n.4.Rodrig.dicta q.65.ar.10. Barboſa dicta alleg.106.n.23.*ſed qui ſubdelegantur,electi etiam eſſe debent,ac habere qualitates, vt ſupra diſpoſitum eſt.& tactum in *c.ſtatutum.*

Monet tamen Pontifex Epiſcopos, vt quam plures perſonas nominent, in quarum decedentium locum,alias ſubrogent cum conſilio capituli, vſque ad futuram ſynodum.

Quæro 5.Quando nominari debent Conſeruatores?

Reſpon-

Respondeo ex Greg. xv. supra, qui citat Greg. xiii. *Regulares & personæ huiusmodi, in Italia, infra duos, extra, infra sex menses, à die publicationis debeant sibi eligere, seu assumere Conseruatores, & penès acta curiæ documentum dimittere, alioquin eo termino elapso, quamdiu non elegerint, coram ordinarijs conueniantur*. Attamen posse eos nominare quando voluerint, sac. Congreg. Concilij declarauit apud *Barbos. in collect. Bullarum, V. Regulares*.

Conseruatores quomodo nominādi, & quādo.

An autem interim conueniendi sint coram ordinarijs, disputauit satis doctè *Rodrig. dicta q.65. art.13. ex quo Miranda dicta q.47. art.14. contra Guittirez. lib. 3. practicarum. q.10. pag. 7.* quorum doctrinam sequens, Dico, Greg. xv. non induxisse nouum ius, sed antiqua renouasse. *c. statutum. de Rescriptis. c. 1. & fin. de off. de leg. in 6. Con. Trid. sess.14. & 25.* & solum priuilegia particularia reuocasse: & certum est, non esse, nec fuisse mentem canonum, Concilij, & Gregorij, quem præiuit Clemens viii. tollere à Superioribus Regularium, ordinariam in suos iurisdictionem, itaut voluerint, Regulares non conueniri coram suis Prælatis, sed coram Conseruatoribus, vel in eorum defectu, coram ordinarijs; quia hac ratione nō essent exempti, & pessum data fuissent tot cōcilia generalia, & apostolica diplomata eximētia Regulares ab ordinarijs. Quod nullo modo, nec credendum, nec præsumendum est. igitur quando dicitur, *Quamdiu non elegerint, corā Ordinarijs conueniantur*, declarandum est de illis, contra quos iura militant, nimirùm contra *Extra Monasterium degentes* (vt inquit Triden. sess.7. c.14. de reform.) *quomodolibet exempti, etiam si certum Iudicem à Sede Apostolica deputatum in partibus habeant, in alijs verò si ipsum iudicem non habuerint, coram locorum ordinarijs compelli possint*. Vbi patet esse sermonem de Iudicibus Conseruatoribus. & de extra claustra degentibus. & non dicuntur extra claustra degere, qui cum licentia suorum Superiorum, beneficio, monasterio adnexo inseruiunt, vt S. Congregatio Conc. declarauit. relata *apud hoc Concilij Capitulum, impressi Turnoni*. Sed illi qui priuilegio, & speciali licentia extra monasterium, domicilium habent, vt explicat *Nauar. in c. non dicatis. nu.96.* istis autem Religiosis extra claustra degentibus, deputantur Conseruatores, apud quos cōueniantur: & de istis currit dispositio Gregoriana, non de alijs. Et affert Rod. declarationem Nicolai V. pro Carthusiensib. qui omninò prohibet, Regulares conueniri posse coram Conseruatoribus: quo priuilegio alij communicantes fruuntur. Et Conseruatores qui dantur de gentibus extra claustra nō sunt sicuti qui dantur pro manifestis iniurijs: &c. Sed sunt iudices quidam delegati, pro omnibus causis ipsorum, etiam si iudiciali indigeant indagine, vt *Rod.* affirmat. Addit *Barbosa allegat.106. n.43. & Hieron. Roder. resolut.33. num.28.* quod dum dicit Concilium, *Si Iudicem non habuerint*, non intelligere de Conseruatore, sed de alio iudice à Sede Apostolica deputato. *Quaranta, V. Priuilegia Regular. §. Insuper sciendū. pag. mihi 407.* sed nunc reuocatum esse, dicit *Bordonus resol.7. num.112.* sed non probat.

Regulares ad suos superiores trahendi.

Extra claustra degere, qui dicantur

Quæro sextò. An semel deputati Conseruatores mutari possint?

Respondeo ex Gregoriana. *Conseruatores huiusmodi semel legitime deputati, nisi ex legitima causa, à Sede Apostolica, aut locorum Ordinarijs, prout eisdem Regularibus, & alijs prædictis libuerit approbanda, durante quinquennio, à die deputationis amoueri, aut mutari nullatenus possint*. Causæ autem (inquit *Peirinus in hanc Constitut. §. 5. num. 32.* possunt esse Inimicitia suborta, impotentia,

Conseruatores quomodo mutari possint.

tentia, negligentia; Et omnes illæ quæ sunt potentes ad recusandum iudicem: de quo vide *Barbos. dicta allegat.* 106. *num.* 32. 33. Constitutio autem non prohibet vltra quinquenium continuari, sed non citius amoueri. itaque continuari possunt, quousq; deputatio ipsorum in Synodis, pro iudicibus conseruatoribus, & qualitates requisitæ in ijsdem perseuerauerint; quia si renunciet, v. g. dignitatem, non poterit amplius eligi in conseruatorem, vt idem *Peirinus* affirmat §. 2 *num* 20. & *Massobius. de synod. diæces. cap.* 4. *dub.* 13. Putat *Rod. dicta qu.*65. *art.*9. vltra quinquennium durare non posse ex *Trid. sess.* 14. *cap.* 5. *Nemo etiam similium literarum beneficio vltra quinquennium gaudere possit*. Sed puto referri ad personas particulares, non ad monasteria, & collegia, quæ habent priuilegia perpetua, quæ faciunt etiam, vt mortuo Papa, non cesset delegatio, quia sunt realia, non persona.

Quæro septimò, An Regulares petere possint Laicum pro Conseruatore?

Quando Laicum petere possimus.

Respondeo ex eadem Gregoriana. *Per hoc tamen non intendit Sanctitas sua prohibere, quòminus, Regulares, & alij supradicti in casibus à iure permissis petant Iudicem non suspectum à Principibus, seu magistratibus sæcularibus, dum tamen tria copulatiuè cõcurrant: videlicet, vt Regulares, & alij supradicti sint Actores, non autem Rei: Atquè agant contra Laicum, non autem contra Ecclesiasticum: vel aliàs à iurisdictione sæculari exemptum. Atq; vt causa in qua Iudex deputatur, fuerit prophana, non autem ecclesiastica, & in ea, iuxta sacr. can. dispositionem, Laicus, vt præferatur eligendus, Iudex competens existat.*

Quæro 8. Quo loco suam iurisdictionem Conseruatores exercere possint?

Quo loco suam iurisdictionem exercere possint.

Respondeo ex eadem Gregoriana. *Neq; extra ciuitates, seu diæceses, in quibus fuerint deputati, contra quoscumque procedere præsumant*. & sic cessant priuilegia Clem. VII. Sisti IV. & Gregor. XIII. concedentium, posse Conseruatores trahere infra tres dietas, computandas à finibus diœcesis, in qua reperiuntur. Non tamen dispositio cessat iuris communis in *c. hac constitutione de offic. de legati in* 6. in quo ducitur. *Conseruatores autem huiusmodi extra ciuitates, seu diæceses, in quibus fuerint deputati, contra quoscunq; procedere, aut aliquos vltra vnam dietam à fine diæcesum eorumdem trahere non præsumant*. & *cap. statutum. de Rescriptis*. in quo hæc confirmantur, & ad casus particulares descenditur: quia non solum non derogauit iuri communi, sed etiam constitutionem Bonif. VIII. confirmauit. neq; est contrarium dispositioni pontificiæ, imò multoties erit necessariam ad executionem, Diæcesis limites excedere, iuxta casus expressos *in cap. statutum* §. *cum verò* & *seqq.* de quo videndi *Moneta de Conseruat. cap.* 7 *qu.* 2 *num.* 61. & *Peirin. ad const.* 5. *Greg. XV. num.* 57.

Quæritur nono, An nominatus Conseruator, recusare possit?

Conseruator nominatus, munus recusare non potest, sine causa.

Respondeo sine causa non potest, & peccat mortaliter, & est ipso facto excommunicatus, excommunicatione Papæ reseruata: ex dispositione Pij V. pro Dominicanis Iulij 2. pro Minoribus, & Leonis X. pro vniuersis. & Innoc. VIII. *Rodriq. tom.* 1. *qu.* 65. *art.* 4. *Miranda tom.* 2. *qu.* 47. *art.* 1. & 2. *Portel. V. Conseruatores. nu.* 1. *Peirinus in constit.* 4. *Iulij* 2. *num.* 30.

Quæro X. Quid emolumenti ex hiscausis consequantur Conseruatores?

Quid emolumenti inde capere valeat.

Respondeo primò, quoad temporalia, nihil, *Nisi poculentum, vel esculentum aliquod ex mera liberalitate oblatum. quod paucis diebus consumi possit; vel nisi cum propter causam sibi commissam cõtigerit extra suum domicilium proficisci,* mode-

moderatas expensas à partibus equaliter recipere presumat; & vbi fuerint pauperes notabiliter litigantes, nihil prorsus exigere. ita *in cap. hac constitutione. de delegat. in 6.* In *cap. statutum. de Rescriptis. in 6.* prohibentur assumere assessores, nisi opus sit, quos de competenti salario prouidere per partes contribuendo, debet; sicut etiam de notarijs, & si quid pro se accipiant, ad restitutionem tenentur.

Respondeo 2. quoad spiritualia, communicant cum fratribus in pijs omnibus operibus, in vita, & morte, in qua plenariam indulgentiam lucrantur. ex Iulio 2. & Clem. 7. *Sorb. in compendio priuileg. V. Conseruatores. §. Clem. VII.* qui concessit Generali Minimorum, vt singulo quoq; triennio concedere possit Conseruatoribus Indulgentiam, plenariam, & si quinquies recitauerint orationem dominicam, & salutationem angelicam, Indulgentias omnes vrbis intra, & extra mœnia &c. *Peirinus in const. 9. Clem. 7. §. 2.*

Quæro 11. An Conseruatores, per censuras, & alia facti remedia procedere possint?

Respondeo affirmatiuè. *Pius V.* Iesuitis *Martinus V.* Carthusiensibus. *Rodrig. dicta q. 65. ar. 17.* concedunt enim summi Pontifices, posse procedere per censuras vsquè ad brachij sæcularis inuocationem, contra quoscumq; etiam impedientes dummodo simpliciter, & de plano procedant, id est seclusis solemnitatibus, sed retentis essentialibus iuris, vt dictum est: *Mir. dicta q. 47. ar. 8. conclus. 5.* Etiam contra Episcopos, iuxta formam *cap. quia pontificali de off. deleg. in 6.* scilicet, vt 1. ab ingressu Ecclesiæ. 2. ab officio suspendantur. 3. excommunicentur. *Siluest. V. Conseruator. n. 4. Azor. tom. 2. p. 2. lib. 5. c. 34. q. 10.* tenentur tamen Conseruatores Episcopis, suarum literarum fidem facere *c. cum in iure peritus. de off. deleg.* Vt de authoritate informatos possint, si restiterint, tanquam rebelles punire. Tota ratio fundatur in eo, quod Conseruatores sunt delegati Papæ, atquè adeò omnibus alijs Superiores *cap. quia quæsitum. cap. sanè quia. de off. delegati.* Et sic possunt procedere etiam contra legatos Apostolicos, nisi legati aliud habeant in commissis. *cap. super quæstionibus. de off. deleg. & cap. 2. de off. delegati. Anchar. cons. 131. n. 3. Tuscus conclus. 760. n. 1. 2.* *Possunt procedere per censuris, & facti remedia.*

Quæro 12. quomodo dirimenda sit controuersia orta inter Conseruatorem, & ordinarium, de iurisdictione?

Respondeo ex Gregoriana. *Si qua vero inter Iudices Conseruatores huiusmodi & locorum Ordinarios controuersia, super competentia iurisdictionis orta fuerit, nequaquam in causa procedatur, donec per arbitros in forma iuris electos, super iurisdictionis competentia, fuerit iudicatum.* quod sumptum est ex Concil. Triden. *sess. 14. cap. 5. de Reform. & ex cap. cum speciali. de appellat. & c. suspicionis de off. Iud. deleg.* de quo nos in praxi, *Titulo Canones circa recursum. §. 2.* *Orta inter conseruatorem, & ordinarium differetia, quomodo diri-menda.*

Quæro 13. quam obligationem inducit statutum, circa electionem Iudicum Conseruatorum?

Respondeo grauem, & sub mortali, quia materia grauis est, & pœna etiam adiecta. *Et Barbosa in collet. bullarum, V. Conseruator. in fine* refert resolutum 15. *Aprilis, & ann. 1628. in Rossanen. & 29. Ianuarij, ann. 1633. in Lancianen. Quod Regulares debent eligere in singulis Diœcesibus in quibus Monasteria, Conuentus, seu domos regulares habent, Conseruatores.* Et licet teneam hoc non esse præceptum *quia priuilegium non confertur inuito. de regul. iur. in 6.* attamen cum *Conseruatores eligere debemus sub graui culpa.*

concernat defensionem iurium religionis, tenentur Prouinciales vti Conseruatoribus ob bonum publicum Religionis. Et ideò tanquam rei magnæ considerationis ponitur in statutis exemplar literarum, quibus institui debent tales Conseruatores: in quibus aliqua verba moderanda sunt iuxta modernas Apostolicas constitutiones. Fortasse etiam accomodatior erit forma similium literarum apud *Portel, V. Conseruatore*.

Conseruatorum instituendorum forma.

* De Conseruatoribus videndus est libellus P. Sicinare per totum, vbi multa annuntur concernentia eorum electionem, munus &c. forma pro ipsis deputandis habetur in statu. Gener. Reuerendiss. Sambucæ, c.12.pag.39. Post Breue Innocen. 10. 14. Maij emanatum 1648. Regulares non possunt eligere alium Regularem Prælatum in Conseruatorem. Quod nobis vetitum fuerat ante ex *Clement. exiui*, vt bene notauit Comment. q. 4. hic. Videatur Dian. p. 9. t. 9. r. 26.

Regulares non possunt esse Conseruatores.

STATVTVM XII.

Ne labor iste sit infructuosus volumus vt statuta hæc constitutiones, & decreta, alijs abolitis, ab omnibus inuiolatè seruentur.

Mandantes omnibus Superioribus sub suspensione, vel etiam priuatione officiorum, vt ea seruari faciant, & procurent.

Et Guardianis, sub ijsdem pœnis, vt bis, vel ter singulis annis legi faciant.

Quæritur primò, An teneamur sub mortali obseruare statuta?

Statuta seruare sub mortali quando obligamur.

Respondeo vbi ius naturæ, vel diuinum, vt vota, seu præcepta regulæ, à nobis huc usque declarata, & qualificata, reperiuntur, Vel vbi adsit contemptus, transgressio est peccatum mortale. aliàs, minimè. Et aliquando nulla est culpa, sed solùm obligatio ad pœnam. *S. Thom. 2. 2. q. 186. cum Caietano ar. 9. Vasquez. 1. 2. disput. 162. cap. 4. Sanchez in opere morali lib. 6. cap. 4. num. 8. Valentia 2. 2. d. 10. q. 4. par. 5. Castro de lege pœnali. lib. 1. cap. 5. docum. 2. Medina. 1. 2. quæst. 96. art. 4. Rodrig. tom. 2. quæst. 10. 6. & 8. Miranda tom. 2. q. 29. art. 10. Portel, V. statutum à num. 12. Lezana tom. 1. cap. 8. num. 8. & infra. Hieronym. Roder. resolu. 90. numer. 40. Corduba in cap. 10. regulæ. quæst. 3.* qui in primo puncto ponit. 4. modos cognoscendi differentiam obligationis, nimirùm ex intentione præcipientis, super materiam aptam inducere culpam mortalem ex verbis, *præcipio, mando, iubeo in virtute sanctæ obedientiæ, &c.* ex materia importanti, & graui *ex pœna mortis, carceris, triremium, excommunicationis latæ sententiæ, vel etiam comminatoriæ.* & nos alibi citauimus statuta ordinis, & declarationem Sixti Quarti, eximentis a mortali transgressiones statutorum. *Compend. priuil.*

Obligare ad mortale vnde cognosci possit.

priuil. V. Statutum ordinis. §. 1. *Portel, V. Statutum. num.* 1. in quo non placet doctrina, quod statuta ordinis pręcipientia per obedientiam, vel excommunicationem obligant ad peccatum mortale, & contrarium dicentem, esse puniendum vt scandalosum, & subuersorem, temerariumquè. Si enim sentit de ijs, quæ præcipiuntur secundum diuinam legem, regulam, ius naturale, vel ad hæc tendentia, & materiam grauem continentia, vtiquè verum dicit, quia Capitula habent vim obligandi in vtroquè foro, & ad culpam, & ad pœnam, iuxta dictum *ad Rom.* 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, & ad Hebr.* 13. *Obedite Præpositis vestris, & subiacete illis.* Et vana esset Religio, si vim in conscientia obligandi subditos non haberet: nam solus timor pœnæ, Religiosos non facit, sed seruos. Attamen si velit, quod his præcisis, adhuc statuta obligent ad mortale, contra mentem ordinis sentit; nam vt diximus de cubitu fratrum *q.* 1. *in fine*, vbi multos in hanc rem citauimus, Sixtus Quartus declarauit. *Fratres præsentes, & futuros ex statutis, consuetudinibus, vel declarationibus præter regulam quomodolibet factis, etiam authoritate Apostolica roboratis, nulla Ecclesiastica censura, nulloquè mortalis peccati vinculo ligari valeant, nisi ex diuina lege, & pręcepto Ecclesię ducerent ad mortale.* & licet *Rodrig. tom.* 1. *quæst.* 10. *art.* 8. putet disponi de factis statutis, non de faciendis authoritate Apostolica; Contrarium tamen est verius, quia Pontifex ait. *Fratres dicti ordinis præsentes, & qui pro tempore fuerint.* Ergo ad posteros transmittit declarationem. Constat autem ex ipsomet Pontifice in hac eadem Constitutione, fratres habere facultatem condendi statuta, & imponendi præcepta. Et ratio ipsa bullæ, excipientis regulam, diuinam legem, & præcepta Ecclesiæ, in omnem posteritatem extenditur, & omnes constitutiones amplectitur, quia nil aliud continere debent obligans ad mortale, quam dicta. Hinc statuta Segouiensia *cap.* 8. *titulo de Constitutionibus*, declarant. *Per hæc statuta, & alia quæcumquè, Fratres non adstringi ad culpam, nisi aliàs per ius diuinum, & humanum fuerint obligati: & nisi in his dumtaxat statutis, censuræ, aut obedientię ponantur.* Dirigitquè bullam ad perpetuam rei memoriam. Nec facit, quod Sixtus Quartus nō potuit ligare manus successorum, quia, vbi successores aliud disposuerint, standum est vltimæ dispositioni; sin autem, dicendum est succedentia statuta, etiam à Sede Apostolica confirmata, vbi hæc Sixtina non fuerit reuocata, declaranda esse secundum illam. Quod autem Corduba *quęst.* 3. *in cap.* 10. *regul. punct.* 4. *& q.* 6. *introductoria.* §. *sed & notandum.* dicat per hanc bullam reuocatas esse decretales Nicolai Tertij, & Clemen. V. illasquè non obligare ad mortale, nisi vbi ius diuinum, & regula præcipiunt (quem laudat etiam *Rodrig. citatus.* vnde intulit postea Syndicum Martinianum non esse contra puritatem regulę) attamen contrarium dicendum esse, cum ipsomet Corduba affirmo; nam *citata q.* 6. *Introductoria. initio.* ait. *Prędictæ declarationes sunt tenendæ, & obseruandę, & secundum eas viuendo seruatur puritas regulæ, quia istę declarationes sunt approbatæ ab omnibus ferè capitulis generalibus. Et cap.* 10. *q.* 3. *punct.* 4. §. *& notandum.* ait. *Non obstantibus supradictis stat benè, quod alias ex vi regulę. aut stat us professionis nostræ, aut ex natura rei, supposito aliquo præcepto regulę, aut statu nostro sit nobis mortalis transgressio multorum, quæ in dicta declaratione Nicolai III. continentur, puta nimia superfluitas, aut pręciositas vtensilium, & thesaurizatio, et huiusmodi; et contigere potest, vt nominaretur*

Statuta non obligant per se ad mortale.

Notatur Corduba.

Declarationes Nicolai III. obligant ad mortale.

à nobis substitutus pecuniæ, aut si in requisito prius consensu dantis, vbi Intermedijs personis opus esset, etiam expenderetur pecunia in alijs vsibus, &c. & alia multa, pro depositione, vel contrectatione pecuniæ, quæ omninò pugnat cum dictis *q. 16. in cap. 4. regulę.* de Syndico Martiniano. ergo non omnes declarationes obligantes ad mortale ablatæ fuerunt per Sixtinam; nec credo vnquam voluisse Pontificem tangere Decretales, in corpore iuris inclusas, & in generalibus Cōcilijs canonizatas, & patet ex narratiua Sixti Quarti dicentis. *Nonnulli Romani Pontifices, ac etiam Generalis, & fratres feruore deuotionis accensi, vltra dictam regulam nonnulla statuta, per quæ aliqua prohibeantur, vtpotè comedere carnes in die Natiuitatis, Resurrectionis, & Ascensionis, Pentecostes, & Apostolorum Petri, & Pauli, &c. quædam alia præcipiuntur fieri sub excommunicatione, censuris, & pœnis, &c.* & certum est in dictis decretalib. nec talia contineri, nec aliquid præcipi fratribus sub excommunicatione, & censuris, ac pœnis. ergo nullo modo Sixtus Quartus, tetigit supradictas decretales.

Statuta ad mortale non obligant. Sed vt redeamus ad Portel. affero sensum Religionis, non imponentis peccata mortalia in statutis, præter supradicta, ex *Corduba in cap. 7. regul. q. 4. circa finem* qui citat ex Capitulo generali Carpensi. *Pro serenitate conscientię Fratrum Generalis, vna cum generali Capitulo suspendit, quassat, & irritat omnes; & singulas priuationes, & censuras à suis prædecessoribus, fortè per statuta, vel capitula generalia latas, quæ præiudicium possent fratrum, aut sororum animabus inferre.* & Capitulo generali Burgensi. *ann.* 1520. *ordinatur pro conscientiarum Fratrum quiete, quod multæ pœnæ, quæ ipso facto infliguntur in statutis generalibus, de cætero intelligantur comminatoriæ.* & in generali Capitulo Assisij. *ann.* 1422. *Declaratur, quod vbicumquè in statutis generalib. vel particularibus taxatur pœna incurrenda ipso facto, in talem pœnam nullo modo incurritur, nisi post declarationem factam a Prælato.* Addo Vallisoletan. *ann.* 1539. in hæc statuta reducta. *cap. 7. de pœnis in genere. Declaramus, quod vbicumquè in constitutionibus censura excommunicationis, aut suspensionis, etiam latæ sententiæ continetur, eiusmodi ante declarationem non incurritur.* & antiquiora Alexandrina *cap. 12. circa finem. Et vt præsentes constitutiones Martini V. limitationibus concludamus, ne multos peccati laqueos inuoluamus, declaramus præuaricatores harum constitutionum, ad peccatum mortale non obligari, nisi ex contemptu, seu consuetudinariè transgrediantur, vel nisi tales essent casus, vel excessus, qui diuina, seu Ecclesię lege meritò ad mortale inducerent.* Martinus autem V. in *eodem cap. 12. fine*, replicat non solum hæc verba ad literam, sed etiam alia, quæ retulimus ex Sixto Quarto quod etiam in statutis Papalibus Iul. 2. *cap. 12. par. 4.* tangitur. Hinc reformati ex ijsdem, in fine statutorum habent, *Vogliamo, e così dichiariamo, che questi statuti, dou'è imposta pena temporale ò doue non s'impone altra pena, non obligaranno à peccato, se non quanto obliga la legge di Dio, Santa Chiesa, la Regola, e le dichiarationi di Nicolò III. e Clemente V. e quando interuenisse il disprezzo.* & vt totam Seraphicam Religionem amplectamur; Conuentuales in Constitut. Vrbanis. *cap. 1. Titulo 6. numero 4. Constitutiones, & Decreta, tam generalia, quam prouincialia in ijs, quę verè præcepta sunt, & quæ immediatè ad votorum, & pręceptorum regulę obseruationem conducunt, ad mortale obstringunt, in reliquis verò ad veniale.* ac Tandem Cappucini *cap. 12. E benche non intendiamo, per queste constitutioni obligare i Frati a peccato* alcu-

alcuno, se non in quanto ci obliga Dio, la Chiesa, e la Regola, nondimeno vogliamo, che li trangressori siano puniti.

Ecce quomodo in toto ordine Seraphico vnus, idemquè Spiritus, ad perfectionem quidem tendens, peccatorum tamen laqueos, quantum potest effugiens. & negandum non est, in omnibus citatis constitutionibus esse præcepta per sanctam obedientiam, per censuras. quod licet verum sit, hæc continere grauem materiam, per se obligantem, quia nunquam super indifferentibus imponuntur; attamen dicere, quod hæc præcepta statutaria ex vi solius præcepti, à materia præcisi, mortalem culpam contineant, est à toto sensu Religionis discedere. & in hunc modum declarandum est supra citatum Segouiense statutum, nimirùm materialiter, non formaliter, quia censuræ, & obedientiæ in statutis non ponuntur, nisi res graues fuerint, præterquamquod non statim infertur, statuta obligant ad culpam, ergo mortalem, quia poterunt obligare ad venialem. vt optimè tenuit *Castro lib. de potestate. cap. 8. citatus à Rod. dicta q. 10. art. 6.* dicens. *In ordine Fratrum Minorum habetur statutum generale, quod admonentur subditi vt intelligant, nullum sui ordinis statutum obligare ad culpam aliquam mortalem, vel venialem. quo non obstante, re ipsa intelligimus, aliquam esse in aliquibus statutis pœnalibus obligationem ad culpam, saltem venialem.* quidquid pro Caietano reluctetur *Rodriguez*. Nec valet declaratio Pii V. quam se legisse in Rodriquez, gauisus est *Portel. in Add. V. statutum.* quia præterquamquod est viuæ vocis oraculum iam spiratum, nihil aliud continet præter statutum Segouiense: nam ait non obligare, *dummodo non sit contemptus, vel mandatum non sit impositum sub pœna excommunicationis, vel in virtute Sanctæ obedientiæ.* & intelligenda est iuxta traditam doctrinam in sensu scilicet reali, & materiali, non formali.

Verum enim vero, soluenda est grauis difficultas, à quodam Viro docto, mihi in hac materia, proposita si (inquit) statuta ad mortale non obligant, & censuræ non ligant eò ipso, sed post declarationem, sicuti omnes aliæ pœnæ statutariæ, infertur, quod nunquam aliquis declarari poterit excommunicatus in foro exteriori; quia excommunicatio fulminari non potest, nisi ob peccatum mortale, vt est communis omnium sententia: sed in nullo statuto præcisè committitur peccatum mortale, ergo ob nullum statutum poterit aliquis, excommunicatus declarari. Nequè obiectio soluitur, si dicatur, in foro exteriori præsumi peccatum mortale, quia constat, transgressorem violasse materiam super qua erat excommunicatio, quæ non nisi mortalis esse potest, & sic præsumptio est contra delinquentem. Non inquam soluitur, quia præsumptio legis stat pro reo, nam lex ait, in nullo statuto esse peccatum mortale, quatenus statutum est, & formaliter; ergo interprætatio est contra legem, iuxta regulam iuris in *6. Contra eum, qui legem dicere potuit, apertius est interpræctatio facienda.*

Quod enim possumus pro reo dicere, contra illum pronunciare non debemus, iuxta vulgata iura. *Reo potius, quam actori fauendum. Iura promptiora sunt ad absoluendum, quam ad condemnandum, etc.* si ergo possumus dicere, quod Reus non peccauit mortaliter, non debemus aliter iudicare, & vlterius non possumus illum excommunicare.

Respondeo difficultas hæc impugnat etiam sanctiones Apostolicas, continentes excommunicationes comminatorias, in materia iuris positiui, abstra-

 hen-

hendo à grauiori materia, diuina, vel naturali, quæ ex suo genere mortalem culpam continet: multæ enim tales excommunicationes inueniuntur in iure, & cõstitutionibus Apostolicis. Cuiusmodi est illa in *cap. cupientes. de pœnis.* contra Clericos, & religiosos, qui inducunt aliquem vel eligere, vel mutare sepulturam, & alia contra religiosos audientes leges, & physicam extra Claustra. *cap. vt periculosa. ne Clerici, vel Monachi.* & alia contra recipientes aliquid à nouitijs præter victum, & vestitum. *Tridentin. sess. 25. cap. 16. de regul.* & aliæ multæ, quæ non continent materiam peccati mortalis, nisi inobedientiæ, quæ peccatum mortale non est, nisi ex contemptu, & ratione materiæ, vt affirmant *Nauar. in cap. fraternitas. 12. q. 2. num. 22. & c. 23. n. 55. Victoria relect. de pot. ciuili. n. 20. Suar. lib. 5. de legib. cap. 4.* qui alios citat. *S. Thom. 2. 2. q. 186. art. 9. Ioann. de Sal. de legibus. disput. 10. sect. 5. Duardus in bull. cenæ lib. 3. §. 8. q. 2. à num. 2. præcipuè à n. 28. Angel. Verb. pedagium. §. 6.* Licet plures alij contrarium sentiant. igitur secundum hanc sententiam, nequè tales excommunicati declarari possent, quia cessat peccati mortalis materia.

Respondeo tamen, posse declarari excommunicatos: tum quia materia, quæ per excommunicationes prohibetur, est grauis, & peccati mortalis; tum quia præsumptio est contra delinquentem, qui sciens legem comminantem excommunicationem, adhuc illam transgreditur: & suum est probare, quod non peccauerit ex contemptu, licet possit ex statuto probare, quod non peccauerit ex graui materia; Tum deniquè, quia *Ecclesia non iudicat de occultis*, & punit transgressiones in foro exteriori iuxta statuta. hinc excommunicatum declararet percutientem clericum, etiam si id fecisset ad suam defensionem, si illud probare non posset, nec mortaliter peccasset; quia de internis non iudicat. *cap. erubescant. dist. 33. fin. cap. si omnia. 6. q. 1. cap. consuluisti. 2. q. 5. cap. si tuis. de Simonia, cap. tua nos. eod.*

Statuta, quis cõdere potest.

Quæritur secundò, qui potest condere statuta, & leges.

Respondeo, Capitulum generale pro toto ordine, & Prouinciale pro tota Prouincia, & nulli alij. loquimur de statutis, seu constitutionibus, quæ omnes semper obligant, non de præceptis, quæ possunt Superiores pro tempore imponere, & cessant, ipsis amotis, & decedentibus. *S. Thom. 1. 2. q. 90. ar. 1. ad 3. Siluest. V. Religio. 6. q. 6. Soto de Iust. lib. 1. q. 1. art. 1. Sanchez lib. 6. decal. cap. 2. num. 37. Alphonsus de Castro de leg. pęnali. cap. 1. Rodrig. tom. 1. q. 68. art. 1. Suar. tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 8. & lib. 4 cap. 6. num. 21. Salas disput. 8. sect. 18. Bonacciña disput. 1. q. 1. puncto 3. num. 15 Sebast. Medicis de lege. par. 1. q. 9. & 15. post Innoc. in cap. Nouit. de his quę fiunt à Prælatis. & cap. singulis. de stat. Monach.* Ratio est, quia cum leges ad totam communitatem spectent, debent ferri à tota communitate, vel illam repręsentantibus, cuiusmodi est Capitulum generale, vel prouinciale, iuxta regulam. *Quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet.* vnde aliter latæ nullæ sunt. Sparsim probauimus hoc in Superioribus, & est doctrina communis, firmata per statuta Papalia Iul. 2. cap. 12. par. 4. *Declaramus etiam quod Generalis Minister nullum potest facere generale statutum pro toto ordine, nisi suo durante officio, nisi in capitulo generali cum Diffinitorum assensu.* ac replicata in Segouiensibus *Titulo de Constitut. cap. 8. §. 2.*

Quæritur Tertiò, An teneamur obseruare omnes Constitutiones, & statuta hucusquè edita?

Re-

Respondeo cum statuto, *Volumus, hæc statuta, Constitutiones, & decreta, aliis omnibus abolitis, à Prælatis, & subditis obseruari.* quod fecerunt Segouiensia *cap.8.§.7. Omnia, & singula statuta, huc usquè retroactis Capitulis, & Congregationibus quomodocumquè edita, omninò abolentes, &c.* & antiquiora Salmanticensia in literis Cardinalis de carpo Protectoris, in quibus dicitur, *Cæteris omnibus, tanquam inutilibus resecatis, & abiectis, &c. Et Corduba q.6. Introductoria. §.2. quoad Constitutiones ordinis.* recenset Capitulum Toletanum *an.* 1532. cum Capitulo generali Parmensi, Tabulas Vicarij gen. *6.16.17.18.* & 19. in quibus antiquis, ac non necessarijs abolitis, tunc statuta obseruari mandantur: & sic concludit Corduba, standum esse statutis, quę pro tempore viguerint, quoad vsum scilicet, & consuetudinem, quæ firmat leges, quæ moribus vtentium approbantur. *cap. erit autem lex. d.4.* — *Statutorum antiquorum vires.*

Si dicas, quid igitur tot antiqua statuta congerere ad probandas conclusiones horum commentariorum, si antiquata sunt, & vim non habent?

Respondeo cum eodem *Corduba*, afferente antiquum statutum Cap. generalis 171. quod tale est. *Per ea, quæ in tabula Capituli generalis præcedentis scribuntur nimirum omnium aliorum statutorum obligationem, quoad culpā auferimus, non intelliguntur alia statuta generalia per vim fuisse reuocata, quin ea, quæ conferunt ad vtilitatem morum, & correctionem delinquentium (exceptis censuris, suspensionibus, seu priuationibus, quę ipso facto inferuntur) debeant posse seruari, ac malitiosè transgredientes, vt expedire videbitur debeant propterea priuari.* & ex tabulis Vicar. gen. *6.* 18. & 19. colligi, quod deficientibus nouis constitutionibus generalibus, recurri debet ad alias constitutiones ordinis. & doctè idem Author aduertit, quæ licet non valeant ad obligandum, valent tamen ad notitiam aliquorum dubiorum. addo & ad coniectandā mentem ordinis, antiquitatis normam, religionis progressum. & insuper valere affirmo, vbi in modernis vel decisio non reperiatur, vel reperiatur oppositum, vt manifestè appareat fuisse reuocata; quia cum in his statutis omnes casus, qui contingere possunt, non reperiantur, & solum superflua resecare intenderint, infertur, nos vti posse antiquis, in quibus casus reperiretur in fonte, quia tunc non est superfluus, nisi conditio tēporis reuocata esse dictaret, quia cessante ratione legis, eius obseruantia cessare etiam debet, quia tunc bonum commune non respicit. *S. Thom. 2.2. q.120. art.1. Soto lib.1. de Iust. q.7. art.3. & lib.3. q.4. art.5. fin. Suar. de leg. lib. 2. cap. 9. à num.5. Ledesm. par.2. q.17. art.2. dub.3. ad 4. & q.18. art.12. Couar. in 4. par.2. §. 9. num.8. Castro de leg. pæn. lib. 1. cap.5. Caiet. 2. 2. q.47. art. 5.* Commune enim axioma Doctorum est, Dū excusari potest contrarietas, correctio legum, quoad fieri potest, vitanda est. *l. vlt. C. de Appellat. & l.1. C. de inofficiosis dotibus. cap. cum expediat. de elect. in 6. & cap. cum dilectus de consuetudine. et tradit Barthol. in l. si constante. ff. soluto matrim. num. 39. et Tiraquell. in præfat. ad retract. nu.62. multis citatis.* Quia mutatio legum est damnosa reipublicæ, & ideo fieri non potest, nec debet, nisi vbi necessitas vrgeat, vel vtilitas interueniat: vnde non est præsumendum voluisse Capitula generalia tollere statuta vtilia, & aliquando profutura, saltem in aliquo casu, & cum specialiter derogata non fuerint, sed generaliter. hęc generalitas compati poterit specialitatem aliquam, iuxta regulam: *Generi per speciem derogatur.* & censendum est, mentem ordinis fuisse, non includere in generali derogatione speciales casus, ac vtiles iuxta do-

Legis ratione cessante, cessat lex.

Legū correctio vitāda.

ctrinam *Bart. Abbatis, Iasonis, Decij, Baldi, & aliorum, quos citat, & sequitur Sanchez lib. 2. de matrim. disputat. 24. num. 6.* qui addit, valere, etiam si in lege noua, ponatur, *Non obstante, &c.* quia intelligi debet, de lege contraria, quæ cum præsenti sustineri non possit, propter aliquam limitationem, seu distinctionem. idem tradunt *Suarez, Salas, Antonius, Gabrielius, Azeued. Matienzo, quos citat, et sequitur Castro Palao. tom. 1. tr. 2. disp. 5. pun. 2. §. 1. in fine.*

Legibus ciuilibus, quādo clerici parere tenentur. Hinc etiam fit, vt iuxta doctrinam multorum, quos refert, & sequitur citatus de *Castro Palao. tractat. 3. disp. 1. par. 24. §. 6.* Clerici debeant parere legibus ciuilibus, quæ Ecclesiasticis non repugnant, vt circa contractus, delationem armorum, gabellarum, &c etiam si ab ijs exempti sint ex *cap. quanquam. de censibus. in 6. cap. Ecclesia. cap. quæ in Ecclesia. de constitut. cap. nouerit. de sent. excomm. cap. vlt. de immunit. Ecclesiar. in 6. cap. diligenti. cap. significasti. de foro compet.* Atquè adeo deficientibus legibus canonicis, in prouincijs, Pontifici subiectis, dirimuntur lites per leges ciuiles. *cap. 1. de noui operis nunciatione.* vt docent *Suar. lib. 3. de legibus. cap. 8. num. 3. Bonac. eod. disputat. 1. q. 1. punct. 3. num. 5. Vasquez disputat. 153. capit. 2. Salas disputat. 7. sect. 8. num. 46.* & de Hispania, ac Lusitania, quæ proprijs legibus gubernantur, teneri Iudices in dirimendis litibus, vbi leges propriæ deficiant, sequi leges ciuiles, docent *Burgos de Paz in l. 1. Tauri. a num. 520. Gomez ibid. num. 10. Didacus del Castillo ibid.* & fauet ratio *cap. fin. de transactio.* quia *cum Iudex ius expressum non habet, in causis dicendi, æquitate causam dirimat.* cum textu ex *l. quod si ephesi. in fin. ff. de eo, quod certo loco.* æquitas autem hæc nullibi aptius reperitur, quam in antiquis statutis ordinis; ergo illis vtendum est; nisi velit Iudex, potius ex suo cerebro, quam ex eademmet religione lites dirimere, quod est stultè procedere, prout est textus in *l. 2. §. mirabile, C. de veteri iure enucleando.* quod sanxit Iustinianus in confir. Digestorum. §. 18. *Vt si quid in edicto positum non inuenitur, hoc ad eius regulas, & eius coniecturas, & imitationes, possit noua instruere authoritas.* & in sequenti eorumdem ff. confirmatione. §. 18. *Vt si quid, præter id, quod iam ordinatum est, emerserit, illud conari decidere, secundum eorum, quæ iam ordinata sunt, consequentiam, & imitationem.* Inde factum est, vt in praxi criminali. *Titulo de applicatione pœnarum. §. penultimo.* determinatum fuerit, *Alias videre poterit Iudex in statutis generalibus ordinis, vel ex sacris canonibus, & probatis legibus, ac consuetudinibus prout ratio suaserit, elicere.* Ad de *Glos. in cap. nouit ille. de iudicijs. V. quicumque* vbi dicit. *Licet lex sit sublata, notitia tamen illius est necessaria. cap. fuerunt. d. 7. & ratio legis durat, licet ius ciuile destructum sit. l. eas. ff. de capti. dimit. Quia Ecclesia potest inducere legem abrogatam cum pro se facit, non contra se. cap. lege. dict. 10. & cap. quicumquè. 21. q. 1.*

Æquitate vtendum deficiente lege.

Statuta totius ordinis seraphici eadem sunt. sic dico de abrogatis statutis: Quorum omnium ratio potissima apud me est, quia statuta, quibus tota seraphica gubernatur religio, & si in aliquibus immutata, aucta, imminutata, & particulari instituto accomodata sint, omnia tamen substantialiter continent ordinationes factas à S. Bonauentura in Capitulo Narbonensi, auctas postea per statuta Farineria, deriuatas in Barcinonensia, collectas, & extensas per Martinum V. & Benedictum 12. Iulios 2. & 3. in statutis Alexandrinis, Benedictinis, Martinianis, Papalibus, Salmanticensibus, Segouiensibus, vt taceam de varijs generalibus Capitulis, in quibus additæ, vel demptæ nonnullæ fuerunt, prout S. Concil. Tridentini, summorumquè

Ponti-

Pontificum constitutiones nouæ, mutationem veterum suaserunt. Tandem Vrbanæ, quæ nihil noui, præter dispensationes aliquas circa paupertatis articulum continent, vltra Alexandrina, & Papales, his annis comparuerunt. Cum igitur Minorici instituti leges contineant, non est, cur eas, vbi vtiles fuerint, vbi regularem disciplinam promoueant, vbi modernioribus contrariæ non existant, abijciamus: eò vel maximè, cum Alexandrinæ, Papales, Salmanticenses, Martinianæ, & aliæ fuerint à Summis Pontificibus confirmatæ respectu totius Religionis. & factum etiam legimus in Capitulis generalibus Romanis ann.1600. à Clemen.VIII.& eiusdem Congregat.generali ann.1603. ab eodem & ann.1625. à Sanctissimo D. N. Vrbano VIII. & ann.1633. Toletano, ac ann.1639. Romano ab eodem.

Quæritur quartò, An statuta omnes obligent, etiam Generales: & à quibus declarari, interpretari, ac dispensari possint.

Respondeo primò, obligant omninò omnes, non solum quoad vim directiuam, sed etiam coerciuiuam. ita *Rodrig. tom.1. q.68. art.3. S. Thomas, Soto, Antonin. Siluester, Couar. Nauar. Abulensis, Cuiaccius, Suarez, & Canonistæ quos refert, & sequitur Hieronym. Roder. resolut. 90. num.33.* vbi citat ex *Rod. cap. cum omnes. de constit. l. digna vox. C. de legib. l. ex imperfecto. C. de testam. l.1. ff. quod quisquè iuris. cap. iustum est. d.9. cap. non licet Papæ. 12. q.1.* & ratio est, quia Capitulum generale est supra Generalem, & omnes alios, vt specialiter determinatum, & declaratum fuit in nuperrimo Generali Capitulo Romano, Titulo de *Ministro generali*. & si deliquerit, secundum statuta syndicatur, & punitur, prout dicitur in *cap. 8. horum statutorum titulo de ijs, quæ in generali Capitulo peragenda sunt. §. quibus auditis. Et §. quibus institutis, &c. ex Vallisoletan. an.1593. Salmantic. cap.8.* vnde in Segouien. *cap. 8. §.7. de constit. Districtè* (inquiunt) *præcipimus ab omnibus tam Prælatis, quam subditis, integrè, exactè, atquè inuiolatè seruari*. & in Martinianis cap.12. fine. *Districtè præcipientes omnibus Prælatis, tam Generalibus, quam Prouincialibus Ministris, &c. vt omnia, & singula prædicta obseruent, & faciant ab omnibus obseruari. Quod si in prædictis fuerint negligentes, ipso facto officio suo sint priuati.* Coercere autem Generales, nō possunt quicunq; subditi, nisi in generali Capitulo, per diffinitoriū. *Statuta obligant etiam Generales.*

Respondeo 2. Minister, & Commissarius Generales possunt declarare, & interpretari statuta. sic nostra, *ex Vallisolet. 1593. Si verò difficultas, vel dubitatio, super ipsis decretis & constitutionibus oriatur, eius interpretationem explicationem, vel declarationem Reuerendiss. P. N. Generali Ministro, vel Commissario generali Cismontano reseruamus ac reseruatam esse volumus, & decernimus.* Segouiensia *item citato tit. de constitutionibus*. concedunt Ministro, & Commissario Generalibus posse determinare casus aliquos in statutis nō expræssos cum consilio Discretorum ordinis, vel Prouinciæ. Cum autem duplex sit declaratio, & interpretatio legis, vna doctrinalis, altera authentica, hæc secunda ad Generales spectat, prima ad Doctores. isti sequi debent regulas canonicas, & non ex suo cerebro declarationes elicere; atq; hoc modo supplent Principis absentiam, ad quem pro tali interpretatione recurrendum esset. *l. vnica C. de Professoribus. l.1. ff. de origine iuris. l.1. ff. si certum petatur. l. si nego-tium. ff. de priuilegijs creditorum. c.2. de priuileg. in 6. proœmio sexti. & Clementinarum. fine.* Nec solùm possunt declarare statuta non obligare, cum iniquum esset *Statuta interpretari & declarari possunt à Generalib. Statutorum interpretatio duplex. Statuta non obligare, quando declarandum.*

esset illa obseruare, sed etiam cum esset nimis graue obseruare illa, quia leges ecclesiasticæ, præcipuè Regulares, non obligant ad tam duram, & difficilem conditionem, quia tunc declarare debemus legislatorem non habuisse in eo casu, intentionem obligandi: vt ieiunia in ægritudine, labore, lassitudine: missa in defectu competentis vestis, damni, inimicitiæ &c. festum in ammissione bonorum, lucri grauis, &c. vt latè probat *Suar. lib.6. de legib. c.6. à num.9. S.Th. 2.2.q.120.art.1.cū Caiet.*qua doctrina vti possunt Prælati,& Cōfessores,ac Cōsultores,dū incidit illis occasio in pręceptis Regula, & statutorū declarare.

Statuta, & leges authēticè, interpretari, ad superiorem spectat.

Declarare autem authenticè,& statuta interprætari,itaut obligent, licet spectet ad legislatorem, vel Superiorem *l. fin. C.de leg. leges condere soli Imperatori concessum est, & leges interpretari, solo dignum imperio esse oportet* & *l. in prætorijs, ff. de prætorijs obligation.cap. sicut.* 11 *q.1.c. inter alia de sent.excom.Glos. in regul. contra iura. in 6. Azor. tom.1. lib. 5. cap.16. Salas de leg. disp. 21. sect. 2. Suarez lib.6. de leg.c.1,n.2.* & *Barbos. axiom.* 130. *num.*1. vbi multos alios citat dicentes. Interprætari actus eius est, cuius condere. & Interpretationem statuti spectare ad statuentes, & sententiæ ad Iudicem,& priuilegij ad concedentem. Sic cùm Generales non sint Legislatores,sed Capitulum,ad illos hoc munus non spectaret; attamen, cum illis concessum sit ab ipso Capitulo, necessariam facultatem habent.

Sed quæres, An arbitrariam habeant interpretationem, an verò iuris regulas seruare debeant?

Statutorum declaratio non debet esse arbitraria.

Respondeo non possunt declarare statuta contra literam, nec in sensu insolito, & consuetudini, vel alijs legibus, canonibusquè repugnante; quia ipsi non habent authoritatem abrogandi, vel tollendi statuta, sed solùm illa declarandi; & interpretandi. Declaratio autem est occulti, & obscuri manifestatio, vt per *Decium in l. edita nu.*47 *C. de edendo. Paris. cons.* 65. *nu.*5. *& 6. volum.* 1. *Rumum cons.* 225.*num.6. vol.*1. quia declarans non mutat essentiam, aut naturam dispositionis. *Roland. consil.* 15. *numero.* 27. *volum.* 3. *Dec. cons.8. nu.* 211. *lib.*1. *Menoch. cons.*331. *num.* 100. Interpretatio, item ex *Barbosa citato. num.*3. facienda est, ne dispositio sit elusoria, ne sequatur absurdum,contrarietas, repugnantia, perplexitas; nec à mente disponentis discedere debet,quantum coniectura permittit: Vnde si constet de mente Capituli, secundum illam fieri debet, quia hic est primus gradus interprætationis: si non constet, attendi debet verisimilitudo;quæ est secundus gradus; quibus deficientibus, fieri debet secundum meram significationem verborum: & præcipuè attendenda est subiecta materia. Vide apud *Barbosam auctores, & leges.* aliàs factæ interpretationes, & declarationes nullæ sunt, & nullam vim habent.

Declaratio quid sit.

Interpretatio legis quo modo facienda.

Si quæras 2. An etiam Prouinciales, & Guardiani possint aliquādo declarare statuta, ac interpretari?

Statuta leuia Prouinciales, & Guardiani interprætari possunt.

Respondeo affirmatiuè in rebus facillimis, & minutioribus, maximè si id faciant secundum communem sensum Doctorum. *Rod. tom.1.q.11.art.1. Salas disp.21.sect.2. Silu.V.interpretatio.q.1.Castro.Palao tom.1.tract.3.disp.5.punct.3.* §. 1 *num.7.* qui hos citat,& sequitur; addens ex Rod. authoritatem *l.1. C.de relationib. in C. Theodos.*dicentis.*Super paucis,quæ iuridica sententia decidi non possunt,nostram debes consulere maiestatem, ne occupationes nostras interrumpas cum litigatoribus, legitimum maneat arbitrium à sententia prouocandi.*

Re-

Respondeo Tertiò Minister, & Commissarius generales possunt in aliquibus statutis, dispensare, non in omnibus. Ita statutum nuperrimi Rom. Cap. Tit. de Ministro generali. *Declarat Capitulum generale, omnem potestatem, quæ in Ministro generali reperitur ad dispensandum in statutis generalibus, totam ipsi prouenire à Capitulo generali; vnde quoties ab ipso capitulo generali, decreto irritante prohibetur, ne in aliquo statuto cōcedatur absolutè dispensatio; vel nō nisi, sub certis conditionibus, ibid. expressis; si Generalis Minister, aut absolutè dispenset, aut conditiones non seruet, eiusmodi dispensatio ipso facto irrita euadit*. quod ex parte statutum fuerat sub Reuerendissimo Haimone Anglico, sextò ordinis Generali, *anno* 1239. *part.* 1. *mem. ord. fol.* 28. in quo dicitur. *Hic Generalis ordinauit, & voluit vt tàm sua, quàm Prouincialium, & Custodum potestas limitari posset per Capitulum generale*. In quo statuto Notandum primò, Ministrum generalem posse dispensare in aliquibus statutis, quod concesserunt Papalia Iulij Secundi *cap.* 12. *parte* 4. *initio Minister Generalis in particulari cum aliquibus particularibus, possit in his statutis omnibus, regulæ puritatem non tangentibus dispensare, vbi viderit expedire*. dicunt in *particulari*, quia non potest cum toto ordine, vel aliqua prouincia tota dispensare, & subdunt, *quod si ex prædictorum remissione, soluatur ordinis disciplina, accusetur Capitulo generali*. & Alexandrina *c.* 12. *fine*. ex Martino V. *Ad quem* (scilicet Generalem) *etiam dispensare, declarare, tollere, augere, minuere in omnibus his constitutionibus solùm spectet, vel ad eum (vrgente causa) cui duxerit committendum*. Quæ cum allegato statuto repugnent, vim non habent. Notandum secundò, super omnibus non posse, quia supponitur communicata Generali limitata facultas. Notandum tertiò, non valere dispensationē sine obseruatione conditionum. Istæ autem cōditiones optimè declarantur in statutis Segouien. *citato* §.8. in hæc verba. *Quod si vrgens, iustaquè ratio, & maior quandoq; vtilitas postulauerit cum aliquibus dispensandum esse, id causa cognita, & summa maturitate fiat ab illis, ad quos dispensatio pertinebit. Quare Prælati nostræ Religionis dispensare nequeunt in constitutionibus. Apostolicis, quæ in statutis continentur, nisi in casibus permissis per priuilegia. In cæteris autem constitutionibus ordinis, nullus Generalis dispensare possit, nisi in scriptis, & cum consilio Discretorum Prouinciæ alicuius: quæ dispensatio non sortietur effectum, quousquè dicta dispensatio fuerit subscripta, & sigillata; aliàs dispensatio nulla sit*. Hæ autem sollemnitates ad maturitatem concessionis pertinent, ne scilicet præcipitanter, & inconsideratę dispensetur: quod priùs fuerat determinatum in Cap. generali Romano 1571. statutum autem fundatur in iure communi, & in essentia dispensationis, quæ in lege Superioris datur, quæquè nulla est, legitima causa non existente. Est enim dispensatio, vt diximus *cap.* 5. *super priuilegio Clem. IV. stat.* 14. §.5. *q.* 1. Iuris relaxatio cum cognitione causæ, vt tradit *Nauar. in summa Prælud. q. num.* 5. *Rodrig. tom.* 1. *q.* 22. *art.* 1. & 2. & *tom.* 2. *q.* 46. *art.* 1. *Mirand. to.* 2. *q.* 30. *art.* 1. & 2. *Portel, V. Dispensare. V. Prælatus ad dispensandum. V. Votum, &c. Villalobos. par.* 1. *tract.* 2. *diffic* 40. *nu.* 1. & 2. *cum Canonistis in cap. at si Clerici. de Iudicijs. & cap. de multa. de præben. & cap. literas. de filijs presbyterorum*. & Theologis *S. Thom.* 1. 2. *q.* 84. *art.* 10. & 2. 2. *q.* 79. *art.* 4. *Soto, Siluest. Sanch. Suar. & alijs, quos citant Castro. Palao tract.* 3. *d.* 6. *punct.* 1. *Hieronym. Roderic. resolut.* 52. *num.* 1. *Barbosa in citatis Capitulis, Bordonus resolut.* 10. & *sequentibus*, & alij multi. Quia licet

Generales non in omnibus dispensare possunt

Generalis non seruatis clausulis, dispensare non potest.

Dispensatio sine causa, est nulla.

in

in legibus proprijs poteſt Princeps diſpenſare ſine cauſa, qui etiam ſine cauſa poteſt illas tollere(quidquid ſit de diſpenſantis peccato,inæqualitatem in republica committentis,vt multis probant *Suar. lib. de legib.cap.*18.*num.*4. *Sanchez de matrim. lib.*8. *diſp.*18.*& colligitur ex cap. quod pro remedio.& cap. neceßaria.* 1.*q.*7.*& Triden. ſeſſ.* 23.*c.*1. *de Reform.& 2*4.*c.*5.*& 2*5.*c.*14. 18. in quibus locis requirit ad diſpenſandum in impedimentis matrimonij iuſtam cauſam, cum ſumma maturitate) attamen in lege ſuperioris (quale eſt capitulum generale) diſpenſatio facta ſine cauſa, inualida, & nulla eſt, vt communiter ab omnibus tenetur , quos allegant *Sanchez lib.*8. *de matrimo. d.* 17. *Vaſquez diſp.*178. *cap.*3.*Barboſ.de pot.Epiſcop. allegat.*33. *Hieronym.Roder. dicta reſolut.*24.*n.*6.*&* 70.& ſi res grauis ſit,qui vtitur diſpenſatione,toties peccat mortaliter.

Verum in quibus caſibus in particulari, Generales diſpenſare non poſſint, res difficilis eſt, quia maſſam totam ſtatutorum concernit.

Generalis poteſt diſpenſare in omnibus, vbi non prohibetur. Primo enim certum eſt,poſſe in omnibus, in quibus non prohibentur. Rationem apponunt ſtatuta præſentia,*cap.*7.*titulo de Pœnis.* & Segouienſia *cap.*8. §.8. *de diſpenſatione regulæ, &c.* dicentia *Sicut publicè expedit, legis vinculum quandoquè relaxare vt plenius euentibus, caſibus,& neceſſitatibus, pro communi vtilitate ſatisfiat, &c.* Eſtquè doctrina *Concil. Triden.ſeſſ.*25. *cap.*18.*de Reform. ipſius verbis adducta*. itaquè ad communitatis bonum expedit in aliquo adeſſe authoritatem diſpenſandi. & fusè probat *Miranda tom.*2. *q.*9. *arti.*6.*concluſ.*3. præcipuè ex *capit. cum ad Monaſterium. de ſtatu Monach. & ex Trid. ſeſſ.* 25.*de reg. c.*1. quibus locis prohibetur diſpenſari ſuper votis eſſentialibus; ergo, ex exceptione, regulam in contrarium firmante, poterunt Generales, & alij, quaſi Epiſcopalem authoritatem habentes, in regulis obſeruantijs diſpenſare.vnde.

Non in votis eſſentialibus. Secundò certum eſt,non poſſe diſpenſare in votis eſſentialibus,quia hæc ſunt de eſſentia ſtatus regularis,& inuolueret contradictionem,eſſe monachum proprietarium,vel inobidientem,vel non caſtum. In quo ſenſu nec ſummus Pontifex poſſet licentiam indulgere: quia ablatis votis eſſentialibus, quæ ſunt baſes religionis,totum ædificium corruat neceſſe eſt,vt citata iura affirmant.

Benè autem in præceptis regulę. Tertiò certum eſt,poſſe Generales diſpenſare non tantum in ſtatutis ordinis concernentibus modum viuendi,& quæ ſunt de iure poſitiuo religionis, verum etiam aliquando in præceptis regulæ, cum cauſa legitima, vt eſt de equitando, de Ieiunijs, de recitatione horarum, de pecunijs &c. quam doctrinam citatus *Miranda* vocat veriſſimam, vt dictum eſt, & multis comprobat: in quibus licet ex iuſtiſſima cauſa Superiores poſſint,non ſolum non debent eſſe faciles,verum difficiles, & inexorabiles, præcipuè, in articulo paupertatis, & aliorum præceptorum,quæ ſunt Seraphicę Religionis murus,& antemurale,vt optimè ex *Rodrig.citat.Hier.compilator dicta reſolut.*52.*n.*5.*vbi multòs alios adducit.*

Quartò Deſcendo ad particulares caſus , quibus Generales diſpenſare non poſſunt, & primum examino exceptiones *Mirandæ q.*7. *& infra*, quæ nimis rigidæ,& minus ęquæ in Generales videntur, proponendo illas per modum quęſtionum.

An Generales poſſint transferre Prouincialem ex vna in alteram prouinciã?

Reſpondet negatiuè.*ar.*5. ſumpta doctrima ex *Rodr.* quem neque hic, neque

in

in sequentibus citat *q. 23. art. 2. & 3. & cap. dudum. de translat. Episc.* vel eorum renunciatio acceptari, nisi per Papam. *c. deniq; 6. q. 3. c. inter corporalia. de off. delegati. c. licet. de regul. ex Siluestro, V. casu. 3. & 4.* Prouinciales autem sunt veluti Episcopi. Attamen affirmatiuè respondendum est, quia ex ipsius doctrina, hoc non est prohibitum Generalibus, & quoad renunciationem est quotidiana praxis; & sicut quotidiè videmus transferri Guardianos, ac commutari ita potest fieri de Prouincialibus ob quietem Prouinciarum, quia omnes ex eodem iure potestatem habent. similitudo autem odiosa inter Episcopus, & Prouinciales non est perpetua. quia multa faciunt Episcopi, & fiunt circa Episcopos, quæ nec faciunt, nec fieri possunt circa Prouinciales, qui licet habeant authoritatem quasi episcopalem, non fit, quod sint Episcopi, ergo disposita de Episcopis, præcipuè in materia odiosa, quæ non extenditur, non debet arctare Prouinciales.

Possunt trasferre prouinciales, & renunciationes acceptare.

Similitudo inter Episcopos, & Prouinciales nō est stabilis.

An Generalis possint eximere subditum ab obedientia Prouincialis, vel Guardiani?

Possunt subditū ab obedientia Prouincialis, & Guardiani eximere.

Respondet *Miranda* negatiuè *ar. 6.* & *Rodrig. ar. 3. ex Silu. citato casu 5.* & probat per exemptionem Episcoporum ab Archiepiscopis. Sed verius est contrarium, quia hoc illi non est prohibitum: & probo ex sua doctrina, potest Generalis dispensare in omnibus prẹter vota; Sed in hoc non est dispensatio voti obedientiæ, vt intulit Rodrig. nam ille remanet subditus Generalis, alias Cōmissarios constituere non posset; ergo non excedit facultatem ordinariam Generalis. Ducta autem similitudo ab Episcopis, & Archiepiscopis non probat, quia deberet teneri in custode respectu Prouincialis, non in mero subdito, qui non est veluti Episcopus, nec respectu Guardiani, & aliud est loqui de Episcopis & metropolitanis, de quibus cautum est in iure: aliud de fratribus, & Guardianis, qui liberè dispositioni Generalium subdūtur, non minus immediatè, vt Prouinciali, imò immediatius, quia per plus, & per prius subduntur Generali, quam alijs inferioribus; ergo sicuti manet frater subditus Guardiano, ita potest manere subditus immediatè Generali; & sicuti Generalis potest subditum Guardiani addicere seruitio alicuius Prẹlati sæcularis (in quo casu, nō erit subditus Guardiani, sed Generalis) ita poterit eundem manentem in conuentu à Guardiani iurisdictione eximere, in quo nō violatur nisi ordinatio Religionis, supra quam potest Generalis: & eò minus placet in eodem articulo, non posse Generalē cōstituere Prẹdicatorem, qui vbique prædicet sine licentia Prouincialium: Nam hoc nulla ratione fulcitur; & sibi contradicit in eodem articulo, fine, dum ait posse Generalem eximere subditum à Prouinciali, occupando illum alicui officio, ne perturbetur; at prædicatio est officium, & Prouincialis posset illum perturbare; ergo, & communicare Prouinciali facultatem concionandi, ex vrbanitate, & modestia, atq; a Statuto est, non ex iure, nisi similitudinariò, quod non arctat Generalem. Et Tridentinum allegatum à Rodrig. *sess. 25. cap. 4.* facit pro nobis, quia ait. *Ne quis sine sui Superioris licentia, prẹdicationis, aut lectionis &c. Subijciat se alicuius Prelati, Principis, vel vniuersitatis obsequio &c.* qui autem eximeretur, vel subijceretur, haberet licentiam à Generali.

Constituere prædicatorē, qui sine prouincialis licentia Prẹdicet.

An Generalis possit, de nouo aliquam prouinciam fundare, vel fundatam diuidere?

Negat Miranda *ar. 11.* quia sedes episcopales de nouo fundari, aut diuidi non

non possunt sine licentia Papæ, per iura citata.

Respondeo tamen affirmatiuè, per praxim contrariam: nam in pluribus Capitulis generalibus, & erectæ de nouo, & diuisæ reperiuntur Prouinciæ. In Capitulo enim generali Valisoletan. 1565. post constitutiones papales Pij 4. publicatas per Cardinalem Cribellum, instituitur titulus. *Hactenus de constitutionibus papalibus, Modo sequuntur ea, quæ à toto Capitulo generali approbata fuerunt,* ne quis dicat facta fuisse de ordine Papæ, & inter cætera, reperitur. *Ordinatur, quod ex duabus Custodijs videlicet è Custodia Mechoacam, & alia, quæ vocatur de Xalisco vna Prouincia fiat, quæ in posterum vocabitur SS. Petri, & Pauli. Similiter prouincia S. Ioseph in noua Hispania diuidatur in duas, & altera vocetur de nomine Iesu. Prouincia duodecim Apostolorum in Perù diuidatur in quinque Prouincias, & vnam Custodiam. Custodia noui Regni Granatæ eligitur in Prouinciam.* & sequitur aliarum erectio, & diuisio. in Capitulo generali Romano 1600. *Confirmantur erectiones Prouinciarum S. Gregorij Filippinarum, & S. Pauli Hispaniarum. Declaratur duas esse Prouincias distinctas, illam, quæ duodecim Apostolorum Decima nuncupatur, & illam, quæ S. Antonij Charcharum appellatur. & cum sine ordinis facultate fuerint aliquando dictæ prouinciæ coniunctæ, nunc de nouo diuiduntur. Declaratur Prouinciam Sanctæ Crucis in Hispaniola, veram esse, & nuncupari debere Prouinciam.* & in Toletan. 1606. decernitur. *Ex duabus Vngariæ Prouincijs vna efficiatur. Prouincia* Saxoniæ *S. Crucis, aggregetur Prouinciæ Argentinæ. Confirmatur erectio prouinciarum S. Didaci, & Zachatecarum in noua Hispania. Item Prouincia Mechuacam diuidatur in prouinciam de Guadalafera, & de Xalisco.* & in Capitulo generali Romano *ann.* 1612. Titulo, *Prouinciæ nouiter erectæ.* decem Prouinciæ in India, & in Gallia nouiter eriguntur. Et in Capitulo Generali Toletan. 1633. Erigitur Custodia noui Mexici. Et Custodia S. Antonij de Cochin. Et confirmatur erectio Prouinciæ Saxoniæ S Ioann. Baptistæ, ac Prouinciæ S. Ioseph Comitatur Flandriæ. Quare apparet antiquata Constitutio Nicolai 4. quam refert *Roderic. q. 23. art. 8. ex quo Miranda.* prohibentis erigi, vel diuidi Prouincias sine licentia Sedis Apostolicæ; tùm quia non est in vsu, & patere potest, non solùm ex dictis, sed etiam ex lectura Annalium P. *Lucæ VVadingi*, in quibus Prouinciarum pro tempore erectiones recensentur, præcipuè *tom. 4. ab ann.* 1399. & *ab an.* 1288. in quo fuit creatus Nicolaus 4. multæ, ne dicam ferè omnes Prouinciæ erectæ fuerunt, nec in omnibus, vel in multis Sedis Apostolicæ licentia comprobatur. Tùm quia Gregor. 13. concessit Capuccinis vt nouos conuentus, & prouincias erigere, & fundare possent, sine alia licentia Sedis Apostolicæ, vt fatetur *Sorbus in compendio, V. ædificare. in* §. 18. cui nos communicamus.

Duos habere aliquem Guardianatus, dispensare nō potest.

An Generalis possit dispensare, vt vnus habeat duos Guardianatus, vel Guardianatum, & Diffinitoratum?

Respondeo de Guardianatibus certum est non posse. de alijs praxis, & statuta alibi a nobis declarata, dubitare non faciunt. Solum considero doctrinam *Rod. citat. art. 9. & Mirand. art. 12.* dicentium non posse de iure communi, sed ex dispensatione Papæ, id Generalibus concedentis. Et vterquè citat statutum Toletanum, relatum in Segouiensibus *cap. 7. §. 6. de Guardianis*, quod tamen nullam mentionem facit de facultate Papali; ait enim. *Ad Guardianatus officium promoueri non possunt Patres, seu Discreti Prouinciarum, nisi rationabilibus*

de

de causis diffinitorio probatis, consulto Generali. Diffinitores etiam, & Custodes, dum actu sua munera exercent, nullo modo possunt eligi Guardiani, &c. quinimò Pontificiæ constitutiones ordinariam facultatem Generalium in hac parte restrinxerunt. Et similitudo illa personatuum, & dignitatum, applicata Guardianis, & Diffinitoribus, pulchra quidem est, & considerabilis, non tamen tanta, vt possit tam rigidas conclusiones contra Generales ordinis deducere.

An Generales possint dispensare in ætate ad Guardianatum, In Bigamia, In defectu natalium, cum Neophitis, In defectu lenitatis, In irregularitate ex homicidio, absoluere à censuris, &c.

Respondeo à nobis supra vbi de receptione Nouitiorum, de his materijs fusè actum est: Et sparsim per alia commentaria.

Possunt eiectum ab ordine, recipere.

An Generalis possit recipere eiectum ab ordine?

Rodriquez *art. 6.* satis laborauit in confirmanda negatiua sententia, & Nauarrum similiter laborantem adduxit. Attamen affirmatiua omninò amplectenda est, non solum ex *cap. Finali. de regul.* quod clarum est, sed etiam per decretum de Apostatis, & eiectis. factum *ann. 1624. 21. Septembris.* in quo de eiectis vltimò, sine habitu, cum pœnitentijs, & sollemnitatibus, quibus maiores, Rodriguez desiderare non poterat, in degradatione (cui similem esse expulsionem ab ordine, nullo modo credendum est, ac propterea ex hac longinqua similitudine, adimendam non fuisse Generali facultatem recipiendi expulsos) ait S. Congregatio Concilij. *Beatitudinis suæ authoritate innouat. cap. fin. de regul. & declarat eam constitutionem in ijs quoquè vendicare sibi locum, seruandamquè esse, qui iustè, & diffinitiuè, ac iuris ordine seruato, expulsi fuerint, dummodo tamen in expulsis huiusmodi subsit spes euidens emendationis, ex literis saltem testimonialibus ordinarij* . igitur non solum possunt recipere, sed tenentur, imò, & quærere illos.

Deinde ad peculiaria statuta descendo, quæ numeris signo, vt clarius pateant.

Quinto, Generales non possunt concedere licentiam fundandi conuentus. *Nisi ei legitimè antea constiterit, quod in eo loco, vbi conuentus ædificandus est, duodecim Fratres de familia, honestè ali possint. cap. 6. §. de locis de nouo recipiendis.* tenentur enim has conditiones seruare.

Nō possunt recipere conuentus, nisi prius constet, &c.

Sexto, De condemnatis ob crimen innominabile *cap. 7. §. de pœna contra castitatis, &c. Eum tamen Generalis Minister post aliquos annos, à præfatis carcerib. liberare possit si tanta viderit in eo emendationis indicia, vt venia, & misericordia non indignum existimet, qui tamen omni suffragiorum iure perpetuò careat, & ad omnia Religionis officia inhabilis existat.* hunc sine euidenti emendatione, post duos saltem annos, quia *pluralis locutio, duorum saltem numero est contenta.* vt in regulis *iuris in 6.* Et ad officia cum illo dispensare non poterit, quia perpetua inhabilitas eius authoritatem effugit.

Nec dispensare cum condemnatis aliquib. nisi seruatis conditionib.

Septimò, eodem *cap. §. de ad triremes condemnatis. Quos ad triremes, vel ad perpetuos carceres damnatos, quandoquè misericorditer liberari contigerit, ij omni suffragiorum iure, & actibus legitimis, perpetuo careant, nec ad ea, quouis modo amplius habilitari possint. Sicuti etiam de abiurantibus de leui in S. Officio.* quod fuerat statutum in Cap. generali Romano, *ann.* 1587. si autem iniustè essent condemnati, non vrgeret statutum, quod peccatum punit, ex quo resultat infamia

Nec habilitare è triremibus elapsos.

famia; *non enim infamat pœna, sed culpa*. Et sic cessat regula iuris in 6. *Infamibus portæ non pateant dignitatem*.

Octauo, ibid. de pœnis. *Superiores pœnas ab inferioribus impositas non remittant, nisi magna publicæ vtilitatis ratione, aut alia vrgenti, & rationabili de causa; tumquè consultò, matura deliberatione adhibita, causis cognitis, & consideratis*. ex Triden. *sess.*25. *cap.*18. quibus non seruatis, & Guardiani aduersus Prouinciales, & Prouinciales aduersus Generales, suo iure vti poterunt, quia in hoc facultatem non habent.

Octauo, ibid. §. *de Appellatione*. *Vbi appellationi locus fuerit à Prouinciali ad Generalem, &c. qui ordo etiam seruetur de recursu; ita quod reo non liceat ad maiores Prælatos recurrere, nisi post sententiam ab inferiore datam*. & quia hic ordo non tantùm à Greg. XIII. *Quoniam nostro*, Sed etiam à S. Con. Triden. multis in locis statutus est, Generales non possunt ipsum peruertere, & Superiores inferiores non tenentur friuolis appellationibus deferre.

Nec habilitate illegitimos, nisi in scriptis.

Nonò, cap.8. *de qualitatibus promouendorum ad ordines. de Illegitimis. Hi omnes ad ordinis officia inhabiles existant, nisi cum eis fuerit specialiter dispensatum, de qua dispensatione per literas Generalis Ministri, eius propria manu obsignatas, & officij sigillo munitas constare antea debet*. Sine his clausulis, dispensatio non suffragatur.

Nec eligi facere prouinciales ex exteris, nisi seruatis &c.

Non destinare præsidentes ad Congregationes.

Decimo, *Ministri Prouincialis in posterum non eligantur ex alienis Prouincijs, nisi magna, & vrgenti necessitate, & ex consensu totius diffinitorij*. in Generali Cap. Romano *an.*1600. confirmatum in nuperrimo Romano *an. 1639. tit. de Ministris prouin.* in quo additum fuit. *In ministros Prouinciales non assumantur, nisi in prouincijs professi, vel per decennium antea incorporati, & insuper inferiorum officiorum gradibus aptitudinis suæ ad gubernandum specimen præbuerint: aliter electio ipso facto nulla sit*. itaquè super hoc Generales dispensare non possunt.

Decimòprimò, ne mittant Præsidentes ad celebrandas Congregationes, à nobis suo loco declaratum, ex Romano Cap. generali mox citato.

Non impedire electionem Vicarij Prouincialis.

Decimosecundo, De Vicario prouinciali eligendo, per mortem Ministri, ex eodem Capitulo.

Decimotertio, De instituendis lectoribus iubilatis. ex eodem.

Nec circa Iubilandos.

Nõ immutare formã electionis.

Non tollere pœnas, sedi apostolicæ reseruatas.

Decimoquarto, De forma electionis, & qualitatibus eligendorum, vbi aliter facta irritatur: atq; omnia, quæ à iure communi, & apostolico dependent, sub Generalis dispensatione non cadunt: sicut, & alia, quæ in examine statutorum tetigimus, quæ nolumus hic replicare.

Decimoquinto, Generales non possunt tollere pœnas, Sedi apostolicæ reseruatas; benè tamen alias pœnas statutarias, non tamen impositas à Iudice, vel ab homine, sine reuisione causæ. Ita *Rodrig. tom.*1.*q.*22.*art.*8.& *finis Compilator resolutione* 25. *nu.* 10. qui alios citat; quia in legem Superioris manus inijcere non possunt. Vltima etiam probatur, quia redderent Prouinciales subditis cõtemptibiles: & est dispositio Trid. *sess.*14. *c.* 1. *de reform.* secunda item probatur, quia cum delictorum circumstantiæ sint variabiles, sunt in causa, vt aliquãdo pœnę minuantur, tollantur, augeantur, aliàs reipublicæ benè prouisum non esset. *l. sancimus. C. de pœnis. cap. sicut dignum. de homicid. cap. vt Clericorum. de vita & hon. Cler.* procedit autem doctrina, nisi statutum obstet, *capit.*

Inquisi-

inquisitionis. de Accus. Hinc statutum *cap. 7. de pœnis impositis Superiores verò, pœnam ab inferioribus impositam non remittant, nisi magna publicæ vtilitatis ratione, &c.* quod *num.8. citauimus.* Clariùs Segouien. *cap.8. tit. de Dispensatione regulæ. &c.* ex verbis Statutorum papalium Iulij 2. *cap.12. part.4. Conceditur. Generali, & Prouincialibus Ministris, atq; ex causa rationabili, cum consilio Discretorum Prouinciæ possint commutare pœnas huiusmodi, atq; etiam mitigare. quod si ex eorum remissione soluatur ordinis disciplina, accusentur in Capitulo generali* (vt supra etiam retulimus) In qua remissione seruandæ sunt cautelæ Statuti, ne dispensatio nulla sit, & notanda est doctrina *Rodrig. tom. 1. q.24. ar.8. cum Cauar. Mandosio, Salzedo, quos refert, & sequitur Castro Palao. tom. 1. tract.3. d.5. p.6. num.12.* Prouinciales nō posse mitigare pœnas quascumq; sed ordinarias; maiores enim grauioribus delictis impositas, remittendas esse a Generalibus; cuiusmodi Episcopi possunt quidem remittere pœnas adulterio, & periurio simplici impositas *cap. at. si Clerici. de adult.* vbi dicitur. *De adulterys verò, & aly criminibus, quæ sunt minora, potest Episcopus cum Clericis, post peractam pœnitentiam dispensare.* vbi *Glos.* elicit, negatum esse de maioribus, cum de minoribus appareat esse concessum: non tamen impositas periurio qualificato, simoniæ, incestui, assassinio, sodomiæ. Ita à simili non poterunt Prouinciales remittere pœnas impositas grauioribus, & grauissimis delictis, prout in *praxi criminali*, Tit. *Delictorum discrimina.*

Quæritur vltimò, An statutorum multitudo, & mutatio conducat?

Respondeo primo, Certum est *Rempublicam non esse rempublicam sine legibus,* vt scripsit *P. Orosius lib. 7. hist. cap.43.* & esse *Corpus sine mente, ciuitatem absq; legibus,* ex *Valer. Max. lib.3. cap.9.* quia, vt dicebat Demostenes *orat. 1. contra Aristogitonem, legibus, & earum obseruantia omnia adornantur, & orat. contra Midiam. Quæ bona sunt, omnia legum bonitate habemus.* quæ tùm ex natura legum, tùm ex earumdem effectibus patent, Lex enim secundum Tullium *2. de nat. Deorum* est. *Recti præceptio, prauiquè depulsio.* quod priùs dixerat psaltes. *Declina à malo, & fac bonum.* Hinc à S. Thoma appellatur Regula, & mensura actuum agendorum, & omittendorum. 1.2. *q. 90. ar.1.* Vnde diuinum quiddam est lex, à diuina mente in nos dimanans, quia cum lex, ex eodem *S. Thom. 1.2. q.91. art. 1. ad 3.* Sit dictamen rationis practicæ, & ordinatio rationis ad bonum publicum; & rationem, ac mentem habeamus immediatè a Deò, necessariò infertur legem à Deo esse, quę causa est, cur dixerit Apostolus. *Rom.13. qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* effectus autem legis idem suadent; nam vt scripsit Papinianus *l.1. ff. de leg. lex est commune pręceptum, virorum prudentum consultum, delictorum, quæ sponte, vel ignorantia contrahuntur coercitio, Reipublicę sponsio.* Et S. Isidorus lib.5. ethimol. cap.20. relatus d.4. cap. *factę sunt autem leges, vt earum metu humana coerceatur audacia, tutaque sit inter improbos innocentia, & in ipsis improbis, reformidato supplicio, refrenetur audacia, & nocendi facultas.* quod docuerat Plato de legib. *dial. 9. legum* (inquit) *aliæ ad bonorum doctrinam ponuntur, vt intelligant, quomodo inter se amicè versentur: alię ad compescendam prauorum pertinaciam, qui spreta omni disciplina, nulla ratione mouentur, &c.* quæ considerationes nostris legibus addunt supranaturalis finis consecutionem, ad quem cautiori methodo procedendum, ratio, & fides dictant.

Respublica non est, sine legibus.

Lex quid.

Respondeo secundò, multitudinem legum non esse per se laudabilem: tùm propter ordinem, vt docuit *Aristotiles 7. de Repub. c. 4. legum descriptio, ordoquè fit necesse est; numerus autem immensus, nec descriptione, nec ordine contineri potest.* Tùm propter occasionem, quia leges feruntur ob correptionem morum, qui multis legibus indigentes satis infirmi esse, se se ostendunt. Quapropter ea medicamentis assimilauit. Liuius *decad. 4. lib. 4. Sicut morbos priùs cognitos esse, quàm remedia eorum, sic cupiditates priùs natæ sunt, quàm leges. Quid legem Liciniam excitauit, de quingentis iugeribus, nisi cupido agros continuandi? Quid legem Siciniam de donis, & muneribus, nisi quia vectigalis, & stipendiaria iam plebs esse senatui cœperat?* ex quo principio notabilem illam sententiam protulit Tacitus *lib. 3. Annal. Corruptissimæ Reipublicæ plurimæ leges.* tùm propter obseruantiam, & confusionem, quæ fuit Ratio Iustiniano compilandi tot legum volumina in Codicem, & pandectas; Gregorio Nono, resecandi, & colligendi decretales, in corpus iuris canonici; & Bonifacio Octauo, componendi textum decretalium, &c. Vnde statuta Segouiensia *citato cap. 7. de constit.* grauiter dicunt. *Caueant Prælati in Capitulis à multiplici legum constitutione, & nimia præceptorum, & censurarum impositione, vt contemptus, & obliuionis vitium euitetur.* Et Capitulum Toletanum *an. 1606. Vniformem viuendi normam tradere volentes, omnem varietatem, & multiplicitatem ordinationum, constitutionum, & statutorum ordinaria ordinis authoritate ædita, pœnitùs, & omninò abrogamus, & sola decreta, seu statuta Vallisoletana an. 1393. seruanda proponimus.* quod secutum est Capitulum generale Rom. *an. 1600.* inquiens. *Cum statutorum, & decretorum multiplicatio, damnum potiùs, quàm vtilitatem pariat, iubemus ea seruari, quæ Salmanticensi Capitulo ordinata fuere.* Et antiquiora Iulij Secundi, *c. 12. par. 4. Vt propter hoc transgressionis, & obliuionis periculum euitetur. Et si qui per suum capitulum aliquid his repugnans statuerit, irritum sit, & inane, nisi in Capitulo generali. &c.* quod & Alexand. *6.* ordinauerat in fine suorum statutorum. Dixi non esse per se laudabilem, quia quando necessitas suadeat, non erit vitiosa. In hac autem parte summoperè vigilandum est ne multitudine legum obruamur, Et plus noceant medicamenta, quàm vulnera. Et vt dixit Plinius in Panegyr. Traian. *Ne fundata legibus ciuitas, euersa legibus videatur.* quia licet verùm sit Capitulum generale posse condere statuta, attamen laudabile non est, sine grauissima necessitate multiplicare leges; Cùm certè in sancitis hucusquè constitutionibus ad conseruandam disciplinam regularem, ordinationes non desint. In quo non possum non laudare Illustrissimæ Religionis Prædicatorum institutum, quo, & lege, & obseruantia cautum est. *Vt multitudo constitutionum vitetur, prohibemus, ne de cætero, aliquid statuatur, nisi per duo Capitula generalia continua, fuerit approbatum; & tunc in tertio Capitulo immediatè sequenti poterit confirmari, vel deleri. Et non habeat vim constitutionis, nisi per tria Capitula generalia continua, in modum aliarum constitutionum, scilicet per viam inchoationis, & confirmationis continuatè fuerint approbatæ.* Vt dicitur in Prologo Constitut. §. 7. & 10. Quod Nostri Patres conuentuales noua, & vtili methodo aliqua ex parte imitati sunt in statutis Vrbanis cap. 1. tit. 3. *Legum (inquiunt) atquè constitutionum multiplicitas, cum ordinem, priusquā statuat, omninò peruertat, placuit Sanctitati suæ, omnibus antiquis constitutionibus abrogatis, &c. Nouas constitutiones, nisi graui de causa fieri prohibemus.*

Legum multitudo non est laudabilis.

Nisi necessitas suadeat.

Prædicatoria Religio commendatur.

Patres Conuentuales laudati.

bemus. quod si pro temporum varietate quid am denuò statuendum sit, à solo Capitulo generali hoc modo fiat. Proponat Generalis Minister, an placeat Patribus, vt ad Religionis decus nouę inferantur, seu ex veteribus aliquę abrogentur constitutiones; mox per secreta suffragia, quisquè suam explicabit sententiam: quod si ex quatuor, tres partes consenserint, fiat; si secus, nequaquam. Condita noua lege, vel vetere abrogata, iterùm proponatur, an placeat, & per secreta iterum suffragia, quilibet suum sensum aperiat. tùm deniquè receptę leges his constitutionibus inserantur, vel abrogatę tollantur, petita priùs, & obtenta ab Apostolica Sede speciali earum confirmatione. Sufficienti, meo quidem iudicio, antidotho ad curandam hanc statutariam infirmitatem, cum ordinis, sanitas non à statutis nouis, vel renouatis, sed a veterum obseruatione dependeat.

Respondeo tertiò, licet necessitate suadente, statutorum mutatio vtilis sit aliquando, & opportuna, vt discimus ex tot Apostolicarum constitutionum reuocatione, quam quotidie fieri videmus, Et facit. *cap. Apostolicæ. 35. q. 9. cum quatuor alijs sequentibus.* Cuius fundamentum est, instabilitas morum, voluntatis humanæ mutatio, & corruptela naturæ, quæ cum quotidiè spinas, & tribulos germinet, statutorum ligone atterenda est. Vnde Iustinianus Imperator de confirmatione digestorum ad Senatum, & omnes Populos. §. 18. ait. *Diuinæ quidem res perfectissimæ sunt humani verò iuris conditio semper infinitùm decurrit, & nihil est in ea, quod stare perpetuò possit. Multas enim formas edere natura nouas deproperat.* Attamen in se considerata, nihil est legum mutatione deterius; nam vt scripsit Tucidit. lib. 3. *Perniciosissimum est, si decreta non sunt stabilia. nec cogitatis meliorem esse statum eius ciuitatis, quæ quanquam deterioribus legibus, tamen constanter vtitur, quam quæ bonas leges habet, quibus tamen non constanter vtitur. estquè vtilior inscitia cum modestia, quàm calli ditas cum impunitate. Ac plerumque rudiores homines meliùs regunt suas respublicas, quàm astuti.* Et lib. 1. *Antiquas leges retinendas esse immotas.* Et Liuius Decad. 4. lib. 4. *Quid attinebit vniuersas leges rogare, quas mox abrogare, in quos latæ sunt, possint?* Et Demostenes or. 2. contra Aristogito. *Si leges abrogantur, & cuius licentia faciendi quidquid voluerit data sit, respublica pessum ibit.* Quare Tacitus lib. 4. Annal. appositè monuit. *Super omnibus negotijs meliùs, atquè rectiùs prouisum: & quæ conuerterentur, in deterius mutari.* Quia vt plurimum, ex eod. lib. 13. Annal. *Intempestiuis remedijs delicta accedunt,* potius quam corrigantur. Propterea ex natura ipsius legis dixit S. Augustinus relatus 25. *q. 9. cap. omnibus modis. Vt quæ rationabiliter ordinata fuerint, nulla in posterum debeant refragatione turbari.* Et vt scripsit Stephanus Papa. *cap. loci nostri eod. Reum quippe ante conspectũ diuini iudicij, se nouerit esse, qui nititur, vtiliter definita rescindere. Ecclesiastici quippe vigoris ordo confunditur, si temerè illicita præsumantur, &c.* Et S. Leo, ad Anatholium. *cap. quæ ad 25. q. 1. Quæ ad perpetuam generaliter ordinata sunt vtilitatem, nulla commutatione variantur, &c.* Cum alijs sequentibus. Et Nicolaus Papa. *cap. Ridiculum. d. 12. Ridiculum est, & satis abominabile dedecus, vt traditiones, quas antiquitùs à Patribus suscipimus infringi patiamur.* Et Ratio ipsa, quæ mutationem iustificat, illam damnat; quia dum mores à priscis regulis Patrum discordant, à primæua perfectione deflexisse noscuntur: quod defectum ostendit, & remedium quærit. Legantur S. *Thomas 1. 2. q. 98. art. 1. Sotus lib. 1. de Iust. q. 7. art. 1. Medina 1. 2. q. 97. art. 1. Siluester. V. lex. q. 25. Miranda,*

Legum mutatio vnde oriatur.

Legum mutatione nil deterius.

STATVTVM XIII.

Tandem ne ignorantia nescientes excuset, Prouincialibus iubemus, vt spatio vnius mensis, post præsentium impressionem, & publicationem, ea habere, & in singulis conuentibus suæ Prouinciæ distribuere, & bis, aut ter, in singulos annos, Fratribus capitulariter congregatis, legi procurent. Ac Guardianos in ijs legendis, & conseruandis negligentes, officio suspendant, vel priuent.

Atquè in hunc sensū cætera omnia Narbonensia, Farineria, Benedictina, Pia, Martiniana, Papalia, Salmanticensia, Barcinonensia, Vallisoletana, Alexandrina, & quotquot edita hucusque fuerunt, statutorum publicatione concludunt; quia lex ignorata non obligat, cum lex, non publicata non sit lex; nam illa essentialiter est, *Ex S. Thom. communiter recepto* 1.2. *q.*90. *art.*4. *Ordinatio rationis ad bonum commune à Principe publicata* iuxta *cap. erit autem lex d.* 4. ibi. *Manifesta quoquè, ne aliquid per obscuritatem in captione contineat, nulli priuato commodo, sed pro communi ciuium vtilitate conscripta.* Vnde dicunt scribentes, legem habere pro obiecto, primò communitatem, & deinde particulares, itaut si fieri posset, antea communitati, quam particularibus innotesceret deberet. *Statutorum scientia necessaria.*

Sed dubitatur primò, Quæ ignorantia excuset ab obseruatione legum? *Ignorantia nulla excusat ab obseruatione regulæ.*

Respōdeo primo Ab obseruatione regulæ, & præceptorum illius, nulla ignorātia excusat. non affectata, quæ est malitia; non supina, & crassa, quæ est negligentia: & de his omnibus optimè firmat responsionem *Corduba*, cum alijs communiter, quos citat. *q.*4. *Introductoria.* & probat collector *quæst. Serenæ conscientiæ 9. de Ignorantia regulæ, & Statutorum ex Alexandro de Ales. & trib. Magistri in prologo declar. regulæ. & S. Antonino In interogatorio. Rosella, Angelica, & Bartholina.* sed etiam inuincibilis, quam addo, quia sumus in casu, quo quis professus est, se obseruare regulam: & magnæ temeritatis indicium est, & amotæ mentis, quod quis profiteatur artem quam ignorat, saltem aliquo modo. & iuxta capacitatem suā: & rationes, & authoritates quas adducit, hoc ipsum probāt; quia non loquimur de eo, qui iniectus reperiatur in aliquo exercitio, sine sua voluntate, vt sunt ordinariè Christiani, qui baptizantur infantes, & cum aliquis illorum est obtusæ mentis, excusatur per ignorantiam inculpatam: sed de eo, qui voluntariè profitetur obseruare regulam, & præcepta, quæ ignorabat, & ignorat: sicuti non excusatur à peccato temeritatis, qui ignarus nauticæ, committeret pelago ratem, & ibi periclitaretur. & idem *Corduba* adfert exemplum eius, qui non excusatur per ignorantiam mandatorum Dei, & fidei. quidquid sit

quod vnus alio sit perspicacior, & obligatior ad callenda regulæ præcepta, & subtilitates: in his enim admittuntur gradus simplicium, & doctiorum. excusaretur tamen, si nesciens quid voueat, promittat se obseruaturum regulam secundum suam cognitionem, vt promittere præsumitur, quia nos nolumus incognita. attamen hæc est promissio nimis bestialis, & indigesta.

Ignorantia inuincibilis excusat ab obseruantia statutorum.

Respondeo secundò. Ignorantia inuincibilis (quæ etiam appellatur iusta, & probabilis, quia iniustitiam non causat, & à iure excusatur, est enim causa antecedens actus, quia operans, non operaretur, si sciret, ergo operatur, quia nescit) excusat ab obseruantia statutorum. Ratio est, quia cum statuta non sint regula, quam quis professus est, non tenetur scire, quæ non potest; & ideo excusatur à culpa, & à pœnis, quando talis ignorantia probaretur. *cap. fine culpa de regul. Iuris. in 6. & cap. 2. de constitutionibus*. pœna enim culpam sequitur, & emendat. nec vltra culpam extenditur. *c. 2. de his quæ fiunt à maiori p. cap. & c. fælicis. de pœnis. & cap. vt animarum. 2. de costit. in 6.*

Ignorantia supina non excusat nec à culpa nec à pœnis.

Respondeo 3. Ignorantia supina, & quæ est vincibilis, & voluntaria indirectè, appellaturque consequens, non excusat à pœnis, neque a culpa. vt probat *Portel, V. Ignorantia, num. 27.* nam *cap. 2. de constit. in 6.* dicitur. *Vt animarum periculis obuietur, sententijs per statuta quorumcumq; ordinariorum prolatis, ligari nolumus ignorantes, dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerint, aut supina.* Excipio, quando lex scientiam requirat, quia tunc omnis ignorantia, præter affectatam (quæ scientiæ comparatur) excusat: puta quod diceret, Qui scienter fecerit, seu temerè, sen præsumpserit; aut ausus fuerit, vel dolosè egerit: Omnia enim hæc scientiam inuoluunt, & dolus in ignorantia non versatur. *l. 1. ff. de dolo.* peccatum autem in hac ignorantia incurritur, quia adest debitum sciendi, quod actualis scientiæ comparatur. *l. quod te mihi. 5. ff. de rebus creditis. Sanchez lib. 9. de matrim. disp. 32. num. 35.* qui alios citat. & Expositores Regulæ, *Politus Præludio 2. num. 3. §. tertia quæ partim voluntaria. Miranda cap. 23.* qui exscribit *à Corduba. Cyprianus Cappuccinus lect. 1. procemiali. Hugo de Dina in prologo.*

Vbi scientia requiritur, omnis ignorantia excusat.

Sciendi debitum comparatur scientiæ.

Ignorantia affectata malitiam addit.

Respondeo 4. ignorantia voluntaria directè, & affectata, non solùm non excusat, sed addit etiam malitiam huius ignorantiæ, quæ est contemptus, suppræssio remorsus conscientiæ, vt liberius peccet: licet quà ignorantia est, non tantum aggrauet, quantum si fieret scienter. lege *Azo. 1. tom. lib. 1. cap. 12. q. 5. & Sanchez lib. 1. in decal. cap. 17. num. 11.*

Statuta scire, post publicationẽ, omnes in suo gradu obligantur.

Respondeo vltimo. Omnes fratres scire tenentur statuta, postquam publicata sunt, sub pœnis, quibus statuta obligant, vnusquisquè in gradu suo. Laici, quæ suo statui sunt necessaria: idem Clerici, & sacerdotes &c. respectiuè. Superiores autem locales, Prouinciales, & Generales altius omnia scire tenentur; iuxta mensurã suorum munerum. & addit *Corduba*, Theologos, & sapientes teneri ignorantes docere, & vt doceant alios, studere, ac discere, non minus, imò maius, quàm docere ignorantes ob opera misericordiæ, & succurrere in extrema necessitate positis; quia plus est anima, quàm corpus; plus frater, quàm extraneus.

Contra Regulam non datur præscriptio.

Dubitatur secundò, An per non vsum, seu contrarium vsum, statuta abrogentur?


Respondeo. Contra regulam non datur præscriptio. *Nauar. in manuali. cap. 12.*

cap.12.num.50. Suar. lib.7. de legib.cap.9.nu.5. Couar. in 4.2.p. cap.6. qu.5. Miranda tom.2.q.28.art.6.Rod. tom.1.qu.69. art.2. & Doctores in cap. cum. non liceat. de Præscript. cum Glos. & Ratio est, quia non potest induci consuetudo contra ius diuinum, cuiusmodi sunt vota essentialia, & reddere quæ Deo promittuntur: non enim est consuetudo, sed abusus, si non est rationabilis, & iusta, & cum scientia vel conniuentia Principis *cap. fin. de consuetud.* At in obseruantia regulæ, & præceptorum est iniusta, irrationabilis, & prohibetur, atq; punitur, non solùm à summo Pontifice, verum etiam à Generalibus, & prouincialibus Capitulis, & Ministris. Contra statuta autem, quæ regulam non concernunt, & contra pœnas impositas, potest induci consuetudo, abrogans illa; quia sunt ius hum anum, contra quod induci potest consuetudo, vt communiter affirmant. Vnde post legitimam præscriptionem non peccant talia statuta abrogata non obseruantes. Difficile autem existimo, posse introduci has consuetudines legitimas: quia cum ad legitimationem requiratur præscriptio decem, vel 40. annorũ, secundum quod consuetudo sit, vel præter ius, vel contra illud, vt notat *Miranda loc. citato art.3. Suar. de leg. lib.7.cap.1.& 2.* casus iste non est possibilis; quia quotannis statuta, ter saltem publicantur coram omnibus. Prouinciales sæpè visitant, & rationem obseruantiæ statutorum exquirunt. quolibet triennio destinantur Visitatores ad emendandas, & tollendas transgressiones legum. quolibet sexennio Capitula omnia statuta, vel renouant, vel confirmant &c. ergo quomodo potest esse patientia Superiorum animo abrogandi leges, & nouas inducendi, personæ legitimæ habentes authoritatem inducendi talem consuetudinẽ, quæ omnia ad legitimationẽ consuetudinis requiruntur? quare si inducatur legũ transgressio, nunquã in consuetudinẽ commigrabit, sed semper remanebit ab vsus. Non negauerim in aliqua Prouincia substineri aliquam talem consuetudinem, quæ succedentibus temporibus, & hominum malitijs excrescentibus, statutum aliquod abrogauit: Vnde Minoricæ Religionis casum à legum inaccurata obseruatione, manare conspicimus, & perstillante huius magnæ domus contignatione, tandem in tot fracturas tectum abijt, vt dissolutæ murorum compages, perniciem minitentur. faxit ruinarum Reparator, Ecclesiæ cadenti submissus, vt tandem filiorum corda ad Patres, colligat, & omnes dispersiones, in semet, murum angularem, charitatis, & puritatis Euangelicæ colligatione connectat. Amen.

Potest tamen dari contra statuta.

Sed difficile induci posse.

Laus Deo. B. V. Deiparæ, Seraphico Prothoparenti Francisco, ac B.Nicolao Episcopo, in cuius die, horum commentariorum reuisioni finem imposui, Anni 1643.



INDEX.
CAPITVLORVM,
Et Statutorum.

Stat. 35.

Capitulum III.

Capitulum IX.

Capitulum X.

Capitulum XI.

Multa alia in hoc capitulo statuta continentur, quæ (ne liber nimis excresceret) in distintas paragraphos non digessimus.

Capitulum XII.

INDEX

Materierum, vel Explicatarum, vel copiosè tractatarum syllabus.

A

B

C

Cor-

H

I

L

M

Ini-

N

O

P

Pro-

V



RE-

RERVM ET VERBORVM INDEX COPIOSISSIMVS.

Vnicus numerus paginæ, sufficere visus est. Alios addere, ad Memoriæ laborem, nolui.

Confidentia.

Commissarius.

Confirmatio, Confirmare.

Congregatio.

Communio Communis.

Consensus.

Conseruator.

Et

Monasterium.

Moniales.

siones

Præ-

X

